This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

3 3433 08232084 1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

M. T. CICERONIS
OPERVM
TOMVS I.

DE OFFICIIS
LIBER I. ET II.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Ex P.P. Rubens *Antonius Desio delin* *Benedict. Cimarelli Sculp.*

Digitized by Google

M. T. CICERONIS
DE OFFICIIS
LIBRI TRES.

CATO MAIOR, LÆLIVS,
ET PARADOXA.

EX RECENSIONE IO. GEORGII GRÆVII

CVM NOTIS VARIORVM

Editio noviſſima poſt Grævianam locupletior.

TOMVS I.

Interpretum nomina pagina XVII. dabit.

NEAPOLI MDCCLXXVII.


Typis, ac ſumtibus IOSEPH MARIÆ PORCELLI
Bibliopolæ

AVCTORITATE PVBLICA.

Digitized by Google

5281
OCT
17
1883

Digitized by Google



SACRATISSIMO CELSISSIMOQUE PRINCIPI

FERDINANDO IV.

SICILIARVM AC HIERVSALEM REGI

PIO, FELICI, INCLYTO; PATRIÆ PATRI CLEMENTISSIMO; BONARVM ARTIVM LITTERARVMQVE PATRONO SVMMO, AC MVNIFICENTISSIMO.

OFfero Tibi, Rex Auguſtiſſime, munus, exiguum ſane; at eorum tamen, quæ a mei ordinis homine proficiſci poſſunt, aptiſſimum; quodque adeo ſperare licet Sacratiſſimæ Majeſtati Tuæ non ingratum futurum. In Regiam Tutelam & Clientelam Tuam

addico Romanum Conſulem toto Orbe celeberrimum, Oratorem ſapientiſſimum, Philoſophum eloquentiſſimum, M. Tullium Ciceronem; qui ſi nunc in vitam revocaretur, non alium certe quam Te, immortalibus ingenii ſui monumentis Patronum expeteret. Natus quippe olim in hac ipſa beatiſſima Regione, cui Tu, magno ſubditorum bono, magno Europæ totius plauſu, poſt Maximum Parentem Tuum, feliciſſime dominaris, eadem ſtudia, eaſdem artes coluit, amavitque, quas Tu ſummopere colis & amas, atque ab omnibus coli amarique, ſumma providentia, curas. Hic juſtitiæ, fidei, pietatis, beneficientiæ, clementiæ, humanitatis, comitatis, ceterarumque virtutum, quas in Te ſummas ſuſpicimus ac veneramur, perpetuus cultor, ac laudator eximius; hic fortium Virorum, factorumque, & militaris virtutis ac diſciplinæ, quarum rerum Te, tot inclytis Heroibus genitum, nullo magiſtro, nullo inſtitutore, ipſa divina prope ingenii vi præſtantiaque naturæ peritiſſimum ſcimus omnes, atque admiramur, præco facundiſſimus; hic legum, publicæque ſalutis, ſecuritatiſque cuſtos vigilantiſſimus, atque acerrimus vindex; hic denique primus ex merito Patriæ ſuæ Pater eſt adpellatus. Recte itaque ſapienterque factum a Te eſt, Populorum Tuorum Optime

Pa-

Digitized by Google

Parens, quod, repudiatis, ac omnino ſummotis inſipientis ſapientiæ, & vanæ fucatæque eloquentiæ præceptoribus, hunc potiſſimum veræ ſapientiæ prudentiæque Magiſtrum, hoc germanæ ſolidæque eloquentiæ abſolutiſſimum exemplar in ſcholis exponi, atque imitandum proponi juſſeris. Hinc porro Tibi facili negotio evenient ſtrenui, fortes, fidiſſimique Duces; hinc prudentes, æqui, integrique Magiſtratus, quibus ad tuendam, augendam, recteque adminiſtrandam rem publicam utare; hinc facundi diſertique homines, qui eximias virtutes Tuas, & Tua Tuorumque egregia facinora, pro rei dignitate, appoſite laudent, ac poſteris tradant. Quod ad me attinet, curabo diligenter, ut hæc præſtantiſſimi ingenii præclara opera, Doctorum Virorum Commentariis atque animadverſionibus inſtructa ornataque, ita in publicam prodeant lucem, ut & emendate legi, & commode intelligi a tironibus poſſint. Faxit Deus Optimus Maximus, bonorum omnium fons inexhauſtus, benigniſſimuſque largitor, ut Tu, Princeps Sacratiſſime, cum Auguſta atque Inclyta Conjuge, Regiiſque Liberis, pretioſiſſimis ſpei noſtræ pignoribus, ut & Maximo Parente Tuo, ac tota denique Auguſtiſſima BORBONIDARUM Gente, lætus ac felix Populo Tuo quam diutiſſime interſis; novaque in dies felicitatis & gloriæ acceſ-

Digitized by Google

ceſſione cumulatus; ſerus tandem in Cælum redeas, eximium æternumque Regiarum virtutum, ac benefactorum Tuorum præmium conſequuturus. Hæc quotidie vovet, hæc ſperat, hæc ardentiſſime a Summo Numine precatur

Sacratiſſimæ, Celſiſſimæque Majeſtatis Tuæ

Humillimus, omnique obſequio devotiſſimus Subditus
Ioſeph Maria Porcelli.

Digitized by Google

PRÆFATIO

EDITIONIS GRÆVIANÆ.

EN tibi, Lector, CICERONIS *de Officiis Libros, cum Lælio, Catone, Paradoxis, & Somnio Scipionis, qui iis ſolent ſubjici. Prima mihi cura fuit, ut labes, ſi quæ poſt tot doctorum hominum curam etiam nunc contextui adhærerent, quanto potuit eluerentur ſtudio; dein ut cum ex veteribus Philoſophis, Stoicis præſertim, tum ex recentioribus, qui hanc Philoſophiæ partem ſcienter & non ineleganter excoluerunt, illuſtrarentur: additis iis, quæ viri eruditi antehac ad libros hos expoliendos & explanandos contulerunt. Interdum etiam* CICERONIS *ſententiam iniquius impugnatam aſſerui, non quod Deus quidam mihi ſit* ἀναμάρτητος CICERO, *cujus & ipſe quædam improbavi; ſed quod deprehendi, nonnunquam male mentem ejus nonnullos cepiſſe, nonnunquam perverſe damnaſſe quæ tradebat, ablatos opinionibus hujus vel illius ſectæ Philoſophorum, quam ſolam veram vidiſſe ſibi perſuaſerant. In primi muneris functione mihi præ ceteris profuit editio* CAROLI LANGII, *quæ omnium eſt emendatiſſima. Plurimos enim is conſuluit vetuſtiſſimos codices, & vir fuit acris judicii, doctrinæque ſingularis. Sed multum quoque debeo membranis pervetuſtis, quamquam laceris & mancis, quas ære ſuo comparatas mihi miſit frater optimus & cariſſimus,* GODEFRIDVS GRÆVIVS, *qui in Lipſienſis Senatus tabulario præfectis locum primum tenet, & cultioribus litteris deditus ſemper fuit, cum alio membranaceo* CICERONIS *codice, ſed ut recentiore, ſic notæ longe deterioris. Antiquiorum membranarum ope nonnullas inveteratas depravationes, quæ omnes adhuc contaminabant editiones, auſpicato, ut puto, ſuſtuli. Uſus etiam ſum editione minore Gryphi anno* 1550. *& Argentoratenſi* LAMBINI. *Utriuſque margini* PETRVS PITHŒVS *adſcripſerat varias lectiones, quas ex duobus codicibus excerpſerat: inter quos optimus fuit, cum quo Gryphia-*

Digitized by Google

phianam commiſit, quod ex animadverſionibus noſtris facile cognoſces. Illas mecum communicavit Vir Clariſſimus & amiciſſimus EDVARDVS BERNHARDVS *Oxonienſis Academiae lumen. His acceſſit editio prima, quæ Moguntiæ a* IOANNE FVST *edita eſt anno* 1465. *Illa mihi commemoranda fuit, quia mentionem ejus nonnunquam feci. Alioquin tanti non erat ad noſtrum inſtitutum, cum non ſit ex exemplari meliore deſcripta. Novi eſſe, quibus non modo levis videtur opera, quæ ponitur in emendandis veterum ſcriptis, ſed quibus etiam tam inviſa eſt, ut, cum vero victi cogantur probare loci male affecti ſanationem, non poſſint tamen meminiſſe medici ſine contumelia. Hi fere ſunt, qui compendiorum anguſtiis eruditionem circumſcribunt, & cuivis loco, quomodocunque ſe habeat, ſententiam aliquam affingunt, quam homo ſanæ mentis nullis ex eo fidiculis extorqueat, quique malunt ineptire miſerrime in corruptis corruptius exponendis, ut aliquid eliciant, quod ſpecie veri ſimilitudinis imponat imperitis, quam librarii aut fidem, aut manum, aut interpolatoris imperitiam accuſare, & aut ipſi diſtortionem ſcripturæ inveſtigare, aut alterius ſollertiam parva litteræ aut vocis mutatione nebulas omnes diſcutientem, & genuinam lectionem, quæque ex illa naſcitur, veram ſententiam reſtituentem agnoſcere. Sed hic aut ſtupor eſt, aut livor, aut inſcitia puerilis, aut anilis quædam religio in editis libris quidquam, quamvis ſuadeat aut ratio, aut linguae genius, aut vetuſtiores codices, immutandi, perinde ac ſi Camerina eſſet movenda. Quaſi vero aut primi editores incidiſſent in emendatiſſimos libros, ex quibus publicarunt veterum monumenta, aut editiones, quæ in noſtris manibus verſantur, in tanta cum editorum, tum manu exaratorum codicum diverſitate, ſint omnium puriſſimæ. Non minus tamen aliorum damno temeritatem, qui ſolo pruritu fingendi ac refingendi omnia, præcipue quæ non intelligunt, mutant quadrata rotundis, & ſuas nobis venditant ſuſpiciones pro verbis & ſententiis veterum ſcriptorum. Caſtæ ſunt Muſæ, caſte ſunt colendæ.*

Au-

Digitized by Google

Audaciam, violentiam, æque ac ſuperſtitionem averſantur; pudor, ratio, & conſilium iis cordi eſt. Vix latum unguem a priſcis libris recedere ſibi caros editores patiantur, niſi aut librarii aut ſcioli peccatum ſit tam teſtatum, ut ab omnibus, qui non ſunt ἄμυσοι, *quique non caligant in ſole, videri poſſit. Nulla tamen ab iis major initur gratia, quam ſi elaboratur in ſcriptis, quæ docent earum ſacra, repurgandis a maculis, quas barbaries temporum & hominum iis inuſſit. Vere antiquus illarum antiſtes olim dixit, emendatum librum vice commentarii eſſe. Ceterum non poſſum tacitus præterire beneficium omnibus laudatiſſimi viri* ANTONII MAGLIABECCI, *qui ut me,* TVLLIVM, *& omnem rem litterariam ſibi infinitis meritis dudum devinxit, ſic ad hos libros ornandos mihi dono miſit* ANTONII MAIORAGII *diſputationes perelegantes contra* CÆLII CALCAGNINI *diſquiſitiones, quas fruſtra quæſieram in celeberrimis bibliothecis. Vt in prioribus tomis adjeci ſeparatim ceterorum notis* PAVLLI MANVTII *animadverſiones, ſic horum librorum fini adtexo ejus filii* ALDI MANVTII *commentarium. Verum ſi res fuiſſet mei conſilii, nec aliis obſequendum, qui propter celebritatem nominis* MANVTIANI *nolebant* ALDI *annotata prætermitti, nunquam ea, cum non reſpondeant famæ, hic paſſus eſſem apponi. Nam præter varias lectiones, quas ex multis MSS. hauſit, nihil de ſuo promit, aut perquam raro, ſed omnia deſcripſit ex* HIERONYMI WOLFII *&* XYSTI BETVLEII *notis in hos libros. Hoc equidem mirari ſatis non potui in homine Italo illius temporis, quo nondum conſenuerat laus optimarum artium, & in tanti quidem viri filio; ſed id mirari deſii, cum cogitarem olim a viris doctis hoc vitium exprobratum ei fuiſſe, qui obſervarant illum excantaſſe meſſem* IOANNIS RHELLICANI, *ſive iſtius notas in Iulium Cæſarem, verbatim decerpſiſſe, ac in ſua in eumdem ſcriptorem ſcholia bona fide, nulla tamen* RHELLICANI *mentione facta, tranſtuliſſe, Muſis & Gratiis non probantibus. Invenies in fine* FAVONII EVLOGII *Rhetoris Carthaginienſis in Somnium Scipionis diſputationem, &* LATINI LATINII *conſidera-*

derationem numerorum & cyclorum, quorum in illo libro CICERONIS *fit mentio. Has*, FAVONII *certe diſputationem primus ediderat* V. CL. ANDREAS SCHOTTVS. *Doleo in* LATINI LATINII *bibliotheca, Romæ anno ſeptuageſimo ſeptimo hujus ſeculi divulgata, prætermiſſas eſſe illius animadverſiones in* CICERONEM, *cum nullum ſcriptorem ſe verſaſſe crebrius & accuratius, cum ejus dictio, tum epiſtolæ ad* PAVLLVM MANVTIVM *alioſque datæ fidem faciant. Illuſtriſſimus vir* OCTAVIVS FALCONERIVS *ὁ μακαρίτης, mihi receperat, cum eſſet in vivis, ſe iſtas annotationes juſſurum deſcribi, & ad me curari. Sed acerba excellentiſſimi viri fata nobis hujus doctrinæ Latinii fructum inviderunt. Vale lector, & cetera* TVLLII *opera, ſi vivimus, exſpecta.*

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO

HVIVS NOVISSIMÆ EDITIONIS.

I*Amdudum in litterariæ Reipublicæ votis erat* TVLLIANORVM *Operum numeris omnibus abſoluta editio: quæ nimirum tum* CICERONEM *quoad ejus fieri poſſit ore ſuo loquentem lectoribus ſiſteret; neque Eruditorum, qui in eo illuſtrando ſuam contulerunt operam, adnotationibus deſtitueretur; tum tandem, quæ a præclariſſimis viris* GRÆVIO, DAVISIO, PEARCIO, *ac* BVRMANNO *diviſim edita fuere, in unum veluti corpus conflaret. Ad eam igitur curandam ubi primum animum adjecimus, illuc potiſſimum intendimus, ut inſtitutam a* GRÆVIO *in* CICERONE *illuſtrando methodum nobis ad conſectandum proponeremus: tum nihil unde unde non corraderemus, quod* CICERONI *reſtituendo, explicandoque conduceret. Quorum omnium ut rationem expoſitam Lector habeat, univerſae hujus Editionis conſpectum hanc Præfationem ſequi juſſimus: ut non modo voluminum ordo ac numerus, verum etiam nova hujus ἐκδόσεως additamenta veluti in depicta tabula intuentium oculis exhiberentur. Heic autem noſtram fidem non adeo oppigneratam eſſe volumus, ut ſi qua deinde adjicere ſit animus, vel adjicienda eſſe eruditi viri monuerint, a propoſito ordine ne latum quidem unguem deflectere fas ſit. Itaque in ſingulis Tullianorum operum partitionibus in anteceſſum monebitur Lector, quid in iis a nobis præſtabitur, & noſtræ accurationis tota exponetur ratio. In his quidem libris de Officiis, quos, primos utpote quibus præ ceteris omnium manus inſudant, in lucem emittere duximus, Amſtelodamenſem anni* MDCCX. GRÆVII *editionem ſecuti ſumus, quæ ſane doctorum virorum, ac præſertim* IOANNIS ALBERTI FABRICII *ſententia ceteris eſt caſtigatior. In eo tamen a* GRÆVIO *diſceſſimus, quod* SAMVELIS RACHELII, *cujus excerpta quædam ille dedit, Prolegomena, & Commentarium Philoſophicum ſingulis de Officiis Libris con-*

Digitized by Google

continenti ſerie adnexuimus: tum nonnulla ex IACOBO FACCIOLATO *ſparſim inter aliorum Interpretum adnotationes ſubjunximus: ac demum integras* ZACHARIÆ PEARCII *animadverſiones addidimus*, IOANNIS CHAPMANNI, *aliorumque, quos ipſe laudat, adnotationibus minime poſthabitis. In Paradoxis vero adjecimus* THOMÆ BENTLEII *adnotationes, quæ proſtant in Edit. Cantabrig.* MDCCXVIII. *Somnium Scipionis, cui operi poſt Libros de Officiis, ac de Senectute & Amicitia locus a* GRÆVIO *datus fuerat, inter fragmenta a nobis conjicietur; ibi enim collocandum eſſe docti viri, adſtipulante* FABRICIO, *cenſuerunt. Adhæc Græcorum Auctorum teſtimonia, quae paſſim ab interpretibus laudata verſione latina deſtituuntur, ad ſuos revocata fontes latinitate donari curavimus. Quod vero permagni intererat, quinqueviri ſelecti ſunt, qui nullo labore vigiliiſque deterriti, typographorum mendas expurgare, & quantulacunque labe immunes, quatenus quidem homini licet, tum Ciceronis textum, ut ajunt, tum Interpretum obſervationes ut redderent impenſe advigilarunt. In quo ſane eorum diligentia Amſtelodamenſes Editores longo intervallo ſuperavit. Non pauca enim errata, quæ in Grævianam editionem ex typographorum oſcitantia irrepſerunt, heic in noſtra eorum induſtria emaculata fuiſſe gloriamur. Hujuſque emendationis teſtem brevem dabimus indicem præcipuorum locorum in hac editione caſtigatorum. Atque hæc ſunt, æquiſſime Lector, quæ te monendum putavimus; vale ac noſtris conatibus faveto.*

CON-

Digitized by Google

CONSPECTUS
ET ORDO TOTIUS OPERIS.

IN editione ipſa procuranda ſequemur potiſſimum editiones probatiſſimas Io. Georgii Grævii, Iacobi Gronovii, Io. Daviſii, Petri Burmanni Sec., & Zachar. Pearcii: quorum exquiſitiſſimas editiones tamquam abſolutiſſimum exemplar nobis proponemus. In methodum a Grævio propoſitam oculos potiſſimum intendentes, omnibus Ciceronis libris ſubjiciemus adnotationes integras P. Victorii, Pauli, Aldique Manutii, Dion. Lambini, Fulvii Vrſini, Iani Gruteri, atque ipſius Io. G. Grævii, tum etiam Gronovii, cujus excerpta quædam dumtaxat extant apud Grævium, aliorum ſelectis adnotationibus minime poſthabitis. Præterea ſi quid inveniemus in aliorum editionibus præſertim Verburgii, & Lallemandi, & Doctorum Virorum lucubrationibus Ciceronem παρέργως illuſtrantibus, aut emendantibus, ſuis locis inſeremus: præcipue vero quæ in noſtri Mazochii operibus hac illac diſperſa habentur corradentes, huc conjiciemus.

De Officiis, Cato Maior, Lælius, et Paradoxa, cum notis integris Lambini, Vrſini, Langii, Fabritii, Manutii, Grævii, Gronovii, & ſelectis Gruteri, & aliorum: accedunt Cælii Calcagnini diſquiſitiones in Libros de Officiis, & M. A. Majoragii, Iacobique Griffioli defenſiones Ciceronis contra Calcagninum. *In hac nova editione porro addentur Sam. Rachelii Prolegomena, Commentarius integer Philoſophicus, & notæ quædam ſelectæ Iac. Facciolati, tum integræ adnotationes Zach. Pearcii, Io. Chapmanni, Io. Walcheri, & Franc. Sayi, necnon Th. Bentleii in Paradoxa*. Volumina II.

Orationes cum notis integris Hotomanni, Lambini, Vrſini, Manutii, Grævii, cum Aſconio Pædiano, & Scholiaſte Anonymo, & notis ſelectis Gruteri, & aliorum. *In noſtra vero editione præmittitur Orationum ipſarum Chronologia, & Indiculus Legum, de quibus Cicero paſſim. Præterea adjicientur integræ Gronovii adnotationes, & aliæ, hinc inde excerptæ, ad Orat. vero pro Quintio, & S. Roſcio notæ Iac. Facciolati. Aliqua etiam adſpergentur ex epiſtolis M. Ant. Ferratii: parergis denique nonnullis auctæ illuſtrateque prodibunt*. Volumina XII.

Epistolæ Familiares cum animadverſionibus I. G. Grævii, & notis integris Victorii, Manutii, Ragazoni, Lambini, Vrſini, Mureti, atque H. Valeſii, necnon ſelectis B. Rutilii, Io. Gebhardi, S. Corradi, aliorumque. *In hac nova editione accedunt adnotationes integræ Iacobi Gronovii, G. Cortii, & aliorum excerptæ*. Volumina IV.

Epistolæ ad Atticum cum notis integris Victorii, Manutii, Maleſpinæ, Lambini, Vrſini, Boſii, Iunii, Popmæ, Grævii, & ſelectis Is. Caſauboni, S. Corradi, atque aliorum, *In præſenti editione delibabimus etiam aliqua ex notis Gallicis Mungaultii, Ceſ. Vic. de S. Real, quin & adjiciemus adnotationes excerptas ex Iac. Tunſtalli Epiſtola ad Midletonem*. Volumina IV.

Epistolæ ad Q. Fratrem, et ad Brutum cum notis integris Victorii, Manutii, Maleſpinæ, Lambini, Vrſini, Iunii, Gruteri, & Gronovii, necnon Fr. Hotomanni Comment. in Epiſtolam I. de Provincia Adminiſtranda, item de Petitione Consulatus cum integro Commentario Valerii Palermi, & notis Gruteri, Gronovii, & aliorum. *In hac nova editione vero addentur adnotationes ſelectæ Conyer. Midletonis ex Anglico in Latinum converſæ, quin & excerptæ ex eadem Tunſtalli Epiſtola*. Volumen I.

Rhetorica ad Herennium, et de Inventione cum notis integris Lambini, Vrſini, Gronovii, Bruti, Oudendorpii, & ſelectis aliorum, & animadverſionibus Grævii curante P. Burmanno Sec. *Huic porro editioni addentur Marii Victorini Antiqui Rhetoris expoſitio in libros de Inventione, cum*

notis

notulis Cl. Capperonnerii, & Rangii, & integræ notæ Manutii. VOLVMINA II.

DE ORATORE cum adnotationibus Zach. Pearcii, *quibus addemus notas integras Victorii, Lambini, Vrſini, Turnebi, Manutii, Gronovii, & ſelectas Lud. Strebei, Gruteri, Iac. Prouſt, & Ioſ. Anton. Cantova, e cujus commentario nonnulla ſeligemus latinitate donata*. VOLVMEN I.

BRVTVS, SEV DE CLARIS ORATORIBVS, ORATOR AD BRVTVM, TOPICA AD TREBATIVM, PARTITIONES ORATORIÆ, DE OPTIMO GENERE ORATORVM, cum notis integris Manutii, Lambini, Vrſini, Victorii, Corradi, Majoragii, G. Vallæ, Goveani, Achillis Statii, Gronovii, Gruteri, & aliorum. Textus diligentiſſima fiet recenſio, & accedet Boethii comment. in Topica. VOLVMINA II

QVÆSTIONES ACADEMICÆ, DE FINIBVS, DE NATVRA DEORVM, TVSCVLANÆ, DE DIVINATIONE, DE FATO, ET DE LEGIBVS, cum commentariis, & notis P. Fabri, Camerarii, Victorii, Lambini, Pauli Manutii, Vrſini, Turnebi, Io. Walcheri, Rich. Bentleii, & Io. Daviſii (quorum notas ubi omiſit Daviſius, eas ibi bona fide reddemus). *In noſtra vero editione addemus Indicem Chronologicum Philoſophorum, de quibus Cicero ſepiuſcule meminit. Præterea in libros de Finibus adnotationes M. A. Mureti, & Th. Bentleii; in libros de Natura Deorum adnotationes Zach. Pearcii, in Tuſculanas adnotat. Camerarii, Fr. Fabritii, Mureti, & Bouhieri e Gallico Latine redditas; in de Divinatione, & de Fato adnotat. Regn. Deſmarais, e Gallico in Latinum translatas, & Achillis Statii; in de Legibus adnotationes Goveani, quibus etiam præmittemus Diſſertationem Chronologicam de ætate librorum Ciceronis de Legibus auctore Io. Chapman. In his libris recenſendis adhibebimus in conſilium Thomæ Wopkenſii Lectiones Tullianas, quibus ut plurimum textus integritatem adverſus criticorum, ac præcipue Daviſii audaciam defendit: nec undique ex inſtituto conquiſitas criticorum obſervationes omittemus*. VOLVMINA VI.

ARATI PHÆNOMENA A CICERONE LATINE FACTA, VERSIO, ut ſupereſt, TIMÆI PLATONICI, Græcis Arati, & Platonis adjectis, ET CETERA CICERONIS FRAGMENTA, *cum notis Manutii, Lambini, Victorii, Ioach. Perionii, H. Grotii, Car. Sigonii, Andr. Patricii, & aliorum. Auctiora hæc poſt Patricium, & denuo recenſa dabuntur*. VOLVMEN I.

His autem abſolutis operæ duximus pretium, neglectis ceteris omnibus Indicibus, qui in ipſum Ciceronis textum elaborati ſingulis voluminibus in aliis editionibus adjecti proſtant, ERNESTI CLAVIM CICERONIANAM adnectere, utpote quæ & faciliorem ad Ciceronem aditum dabit, & pleniorem Ciceroniani penoris intelligentiam. Neque Lexicon vocum Græcarum, quas Cicero interpretatus eſt, ab H. Stephano confectum deſiderabitur. Tum vero quæ apud interpretes animadverſione digna occurrent, in unum generalem Indicem conjiciemus. VOLVMINA II.

Separatim volumen edemus nonnullos libros ad Ciceronis intelligentiam neceſſarios complectens, *Vitam nimirum Ciceronis a Fr. Fabritio per Conſules deſcriptam, Andr. Schotti Ciceronem a Calumniis vindicatum, Seb. Corradi Quæſturam, Logicam Ciceronis, Ant. Schultingii Orationem de Ciceronis juris prudentia, & nonnullas Bened. Averani Diſſertationes Ciceronem illuſtrantes*. VOLVMEN I.

Adno-

Digitized by Google

Adnotationes, quas ad Libros de Officiis, de Senectute, de Amicitia, & ad Paradoxa dedit Grævius,

Integræ	Selectæ
DIONYSII LAMBINI	M. A. MVRETI
FVLVII VRSINI	IANI GRVTERI
CAROLI LANGII	HIER. WOLFII
FRANC. FABRITII MARCODVRANI	I. GVILIELMII
IO. FRID. GRONOVII	XYSTI BETVLEII
IO. GEORGII GRÆVII	PET. SVFFRIDI
	FR. SYLVII, ET ALIOR.

CÆLII CALCAGNINI *Diſquiſitiones in Libr. de Officiis.*
M. ANT. MAIORAGII *Deciſiones XXV. contra Calcagninum.*
IAC. GRIFFIOLI *Defenſiones Ciceronis contra Calcagninum.*

IN NOVA HAC EDITIONE ADIECTÆ

Integræ	Selectæ
SAMVELIS RACHELII, cum ejuſdem Prolegomenis.	IACOBI FACCIOLATI
ZACHARIÆ PEARCII	ALEX. SYMM. MAZOCHII in Cap. XV. Lib. III. de Officiis ex ejus Comment. in Tab. Heracleenſes.
IO. CHAPMANNI	
IO. WALCHERI	
FRANCISCI SAVI	
IO. BENTLEII in Paradoxa.	

Digitized by Google

Codices unde variantes lectiones hauſit Zacharias Pearcius.

Cant. ſignificat MSum in Bibliotheca publica Cantabrigienſi, qui notatur in Catalogo 70.

Mill. MSum Edwardi Mills, nitidum; & ex codice bonæ notæ deſcriptum an. 1410.

Lambth. MSum in Bibliotheca Lamethana, ſive Lambethana, Archiepiſcoporum Cantuar.

Norf. pr. MSum in Bibliotheca Norfolcenſi Regiæ Societatis Londin. ubi eſt & alius ejuſdem operis MSus, ſed eorum neuter ob vetuſtatem magni faciendus.

Mead. pr. MSum Richardi Mead. in folio, omnium, quos vidi optimum, (ut quibuſdam viſum eſt) 700. annos habentem.

Mead. sec. MSum ejuſdem clariſſimi viri, pulcre, & accurate plerumque, ſed non antiqua manu, deſcriptum.

Reg. pr. MSum, de quo Cl. Rich. Bentleius ſic in margine Grævianæ editionis, quæ me penes eſt, *Collatum cum codice regio 600. annorum Londini*. Deficit vero ab initio cap. 3, libri ſecundi uſque ad finem tertii. Hunc MSum in Bibliotheca Regia non potui invenire.

Reg. sec. MSum in eadem Bibliotheca ſervatum, bonæ notæ, & annorum (ut putant) 600. multa in hoc volumine una colligantur; primo vero occurrit Ciceronis dialogus de Amicitia.

Reg. tert. MSum in eadem Bibliotheca inveniendum, annorum 500. in initio dicitur eum fuiſſe *de librario Sti Auguſt. Cantuar.*

Reg. quart. MSum in eadem Bibliotheca aſſervatum, ejuſdem ætatis: in prima pagina occurrit, *Liber Sanctæ Mariæ de Bellalanda*.

Hi tres poſtremi in Catalogo Regio ſic numerantur 15. A, viii. vi. xx.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS
DE OFFICIIS
AD MARCVM FILIVM
LIBER PRIMVS.

I. QVamquam te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet præceptis, inſtitutiſque philoſophiæ, propter ſummam & doctoris auctoritatem, & urbis; quorum alter te ſcientia augere poteſt, altera exemplis: tamen, ut ipſe ad meam utilitatem ſemper cum Græ-

D*E Officiis*) *Officiorum* alii. Sed hanc inſcriptionem Cicero ipſe Attico ſcribens probavit & conſtituit, quare mutari non debet. IOACHIM. CAMERAR. Cujus etiam diſſertationem contra illos, qui hanc inſcriptionem reprehendunt, vide calci horum librorum ſubjectam. Officium eſt id, quod quemque facere decet. Græci *καθηκον* vocant, & de eo plerique Stoici libros ſcripſerunt. Citatur Chryſippus a Plutarcho in VI. *περι καθηκοντος*, & in VII. comment. de Stoicorum contrariet. Scripſit & Cleanthes libros tres, teſte Laertio; Panætius, quem præcipue ſecutus eſt Cicero, item tres. Citatur & Poſidonius *περι καθηκοντος* ab eodem Plutarch. & a Cic. XVI. ad Attic. Sed & Seneca in epiſtolis citat librum Bruti *περι καθηκοντος*. S. Ambroſius Ciceronem imitatus tres libros eadem de re ſcripſit. De officio, & officioſo nugatur Egnatius, ex loco Senecæ in præfatione quarta declamationum de Aterio. Super hac inſcriptione duo in dubium vocata ſunt. Unum, ecquid *καθηκον* recte diceretur *officium*; alterum cur *de officiis*, non *de officio*. Cicero: *Quod de inſcriptione quæris, non dubito, quin το καθηκον officium ſit, niſi quid tu aliud: ſed inſcriptio plenior de officiis*. Et in alia epiſtola: *Sed ut aliud ex alio: mihi non eſt dubium, quin, quod Græci καθηκον, nos officium. Id autem quid dubitas, quin etiam in rempublicam præclare cadat? nonne dicimus conſulum officium, ſenatus officium? præclare convenit, aut da melius*. Ratio dubitandi erat: *Ego omni officio, ac potius pietate*, &c. & ſimilia. Nomen *καθηκοντος* inductum a Zenone, de quo alibi. Cicero ipſe ait, pleniorem videri hanc inſcriptionem. Sic *de finibus* maluit, quam *de fine*. Calcagninus contra, & adfert hæc argumenta, quod non ad aliquarum perſonarum officia ſe obſtringat, ſed de hominis officio univerſe diſſerat. Inde factum eſt, ut ipſe libentius *de ſitu terræ, quam de ſitu terrarum* diceret. Inepte faceret. *De Imperatoris officio*, non *Imperatorum*; non eadem ratio. Eodem modo reprehendit inſcriptionem *de finibus*, ſed æque male: Chryſippus quoque ſcripſerat *περι κατορθωματων*. Similes ineptiæ legulejorum, cur *de judiciis*, non *de judicio*. Et ajunt; quia de criminali agitur, & civili. Inepte; nam cur non & *de juſtitia, & juribus*? Cur *de pactis*, cur *de tranſactionibus, de pignoribus*, vel *hypothecis*? *Quibus modis pignus, vel hypotheca ſolvantur, in jus vocati ut eant* &c: *Si quis in jus vocatus non ierit*. Cur *de verborum obligationibus*? Stulta hæc ſunt. De his libris Plinius in præfatione: *Quæ vol-*

Græcis Latina conjunxi ; neque id in philoſophia ſolum , ſed etiam in dicendi exercitatione feci : idem tibi cen-

mina ejus ediſcenda, non modo in manibus habenda noſti. Incepit eos ſcribere mortuo Cæſare, cum ſolus conſul eſſet Antonius, epiſt. 13. lib.XV. ad Attic. Sed abſolvit, Hirtio, & Panſa coſſ. paulo ante mortem ſuam, ut cognoſcitur e libro XVI. earumdem epiſtolarum. MURET. Græcos tamen etiam libros ſuos inſcripſiſſe περι καθηκοντων, non ſolum περι καθηκοντος, oſtendit Lucianus in Herodoto: Ὅσα ἠδη ανεγνωκε βιβλια περι αξιωματων, περι συλλογισμων, περι καταληψεως, περι καθηκοντων, και αλλα ποικιλα. *Quos libros jam legit, de axiomatibus, de ſyllogiſmis, de comprehenſione, de officiis, aliaque varia*. GRÆV.

Quamquam te, Marce fili) Etſi videri poſſum in ſilvam, ut ajunt, ligna ferre, qui hoc tempore hæc ad te, tamen &c. MURET.

Annum jam) Statim enim, interfecto Cæſare, eum Athenas miſerat. IDEM. Annus jam elapſus fuerat, ex quo Marcus filius, victo interfectoque Pompeio, Athenas profectus erat. Marcus autem pater poſt Cæſaris necem, cum de Rep. deſperaſſet, omnemque concordiæ ſpem amiſiſſet, in otium ſeceſſit, ut hos de Officiis libros ſcriberet, A. ab V. C. DCCIX. & DCCX. FACCIOLAT.

Cratippum) Cic. filius ad Tironem lib.XVI. ad famil. *Cratippo me ſcito non ut diſcipulum, ſed ut filium eſſe conjunctiſſimum; nam cum audio illum libenter, tum etiam ejus propriam ſuavitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo: noctiſque ſæpe numero partem. Exoro enim, ut mecum quam ſæpiſſime cœnet; hac introducta conſuetudine, ſæpe inſcientibus nobis, & cœnantibus obrepit: ſublataque ſeveritate philoſophiæ humaniſſime nobiſcum jocatur. Quare da operam, ut hunc talem, tam jucundum, tam excellentem virum videas quam primum*. Secundo horum librorum ait, eum eſſe iis ſimillimum, qui iſta præclara pepererunt. Et in Timæo, Peripateticorum omnium, quos quidem ipſe audiverit, ſuo judicio facile principem. Plutarch. Κικερων Κρατιππῳ τῳ περιπατητικῳ διεπραξατο Ρωμαιῳ γενεσθαι παρα Καισαρος αρχοντος ηδη· διεπραξατο δε την εξ αρειυ παγυ βυλην ψηφισασθαι και δεηθηναι, μενειν αυτον εν Αθηναις, και διαλεγεσθαι τοις νεοις, ὡς κοσμυντα την πολιν. *Cicero Cratippo Peripatetico impetravit a Cæſare jam rerum potito civitatem Romanam. Perfecit præterea, ut Senatus Areopagitarum per decretum peteret ab eo, ſicut ornamento urbis, ut Athenis remaneret, & inſtitueret juventutem*. Mitylenæus autem erat Cratippus. IDEM.

Idque Athenis) Quas vocabant Ἑλλαδος μυσειον, Ἑλλαδος Ἑλλαδα, Athenæus, Iſocrates, Plato, Ariſtides. Eas Cicero I. de Oratore omnium doctrinarum inventrices vocat. Ibi eſſe domicilium ſtudiorum, III. de Oratore. Et in Oratore, Athenienſium ſemper fuiſſe prudens ſincerumque judicium, ut nihil audire poſſent, niſi incorruptum, & elegans. Et in libro de Fato: *Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici. Craſſum Thebis. Itaque pingues Thebani, & valentes*. Conjungit autem tria, doctorem, tempus, locum. Hippocrates εν νομῳ. Ὁκοιον ἡ γαρ των εν τῃ γῃ φυομενων θεωριης, τοιηδε και της ιατρικης ἡ μαθησις. ἡ μεν γαρ φυσις ἡμεων, ὁκοιον ἡ χωρη. τα δε δογματα των διδασκοντων, ὁκοιον τα σπερματα, ἡδε παιδομαθιη, το καθ᾽ ὡρην αυτα πεσεειν εις την αρυραν. ὁ δε τοπος εν ᾡ ἡ μαθησις, ὁκοιον ἡ εκ τυ περιεχοντος ηερος τροφη γενομενη τοισι φυομενοισιν· ἡ δε φιλοπονιη εργασιη· ὁ δε χρονος ταυτα ενισχυσει παντα, ὡς τραφηναι τελεως. *Qualis enim eorum, quæ terra producit, conſideratio eſt, ejuſmodi etiam diſciplinæ medicinæ per omnia ſimiliter exſiſtit. Natura enim noſtra veluti ager eſt: dogmata præceptorum velut ſemina ſunt: inſtitutioni a puero cum eo convenit, quod opportuno tempore ſemina in arvum cadere oportet. Locus autem, in quo diſciplina contingit, eſt velut ambiens aer, a quo e terra naſcentibus nutrimentum accedit: induſtria autem cultura eſt: tempus poſtremum hæc omnia corroborat, ut perfecte enutriantur*. IDEM.

Quorum alter) Quamvis proxime præceſſerit vox *urbis*, non dicitur *quarum altera*, ſed *quorum alter*, quia vox *doctoris*

Digitized by Google

cenſeo faciendum, ut par ſis in utriuſque orationis facultate. Quam quidem ad rem, nos, (ut videmur) magnum attulimus adjumentum hominibus noſtris, ut non modo Græcarum litterarum rudes, ſed etiam docti, aliquantum ſe arbitrentur adeptos & ad dicendum, & ad judicandum. Quamobrem diſces tu quidem a principe hujus ætatis philoſophorum, & diſces, quamdiu voles: tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit. Sed tamen noſtra leges non multum a Peripateticis diſſidentia: quoniam utrique, & Socratici, & Platonici eſſe volumus: de rebus ipſis utere tuo judicio: nihil enim impedio:

Utris maſculini generis eſt, ideoque dignioris. PEARCE.

Semper cum Græcis Latina conjunxi; neque id in philoſophia ſolum, ſed etiam in dicendi exercitatione feci) In meo veteri libro deeſt *feci*; & poteſt ſane commode abeſſe. GRÆV.

Item tibi cenſeo faciendum) Sic prorſus legendum eſt: atque hanc lectionem & ratio poſtulat, & libri veteres comprobant: quorum plerique habent partim *itidem*, partim ut vulg. *idem*. Quod ad rationem attinet, ſic loquuntur Latini, ut ego facio, ita, ſeu, tu item facere debes; licet tamen etiam legere, *itidem*. LAMBIN. Malebat Guilielmus *itidem*, ſecutus fidem Suffridi Petri, qui ita in MSis ſuis reperiſſe teſtatus eſt. At Lambinus præponebat *item*, nos adhærebimus vulgato cum noſtris Palatinis. Ceterum meminerit lector, me tantum conſuluiſſe Palatinos duos, cum innumeros haberet bibliotheca Electoralis, duos inquam, notæ optimæ. Guilielmus vero citat Colonienſem, & Fabricianum; item V. & D. per Merulam collatos, ut & excerpta Carionis, denique Crucianum exemplar. GRUTER.

Et ad dicendum, & ad judicandum) I. e. ad artem Oratoris, & Philoſophi: illius enim eſt *dicere*; hujus, de rebus *judicare*. PEARCE.

Non pœnitebit) I. e. quamdiu ſatis tibi patebit te proficere. Docti obſervarunt, hanc vocem *pœnitet* aliquando idem ſignificare, quod *parum videtur*. Sic Servius ad Virg. Eclog. II. 34. *Nec te pœniteat calamo triviſſe labellum*, ait, *non tibi parum videatur*. Terentius: (ſc. in Heaut. I. 1. 20.) *at enim me quantum hic operis fiat, pœnitet: id eſt, parum videtur*. Repetit idem ad Virg. Æn. I. 552. Porro notarunt Petr. Marſus, & Fr. Maturantius, Livium ita locutum fuiſſe in Lib. I. *cum jam virium haud pœniteret*, hoc eſt, cum non parvæ vires viderentur. Adeatur etiam Gellii Noct. Attic. XVII. 1. IDEM.

Sed tamen noſtra legens) In antiquo codice Wolfius reperit, *ſed tamen noſtra leges*, quod & in meo reperitur, in quo quidem ſcribitur *legens*, ſed ut n duobus punctis ſit ſic notatum n̈, quo, ut infinitis aliis in locis illius libri, ſignificatur, hanc litteram debere deleri. Delendam autem eſſe vidit quoque I. Frid. Gronovius ὁ πάνυ; & ratio docet: nihil enim ſequitur, unde pendet *legens*. GRÆVIUS. At ſi voces *quoniam utrique, & Socratici, & Platonici eſſe volumus*, uncis parentheſeos includantur, iſtud *legens* pendebit a verbis ſequentibus, *de rebus ipſis utere tuo judicio*. PEARCE.

Quoniam utrique, & Socratici, & Platonici eſſe volumus) Sic habent libri manuſcr. noſtri: neque aliter edidit Langius: ſed propterea quod hunc locum vulgo non intelligi, atque idcirco depravari video, libet mihi eum paucis explicare. Sic igitur eum explano, *ſed tamen noſtra legens* &c. *noſtra*, nempe Academica: Cicero enim erat Academicus. Neque eſt, quod quiſquam mihi dicat, eum hic ſecutum eſſe Panætium

Digitized by Google

pedio :. orationem autem Latinam profecto legendis noſtris efficies pleniorem. Nec vero arroganter hoc dictum exiſtimari velim. Nam philoſophandi ſcientiam concedens multis, quod eſt oratoris proprium, apte, diſtincte, ornate dicere, quoniam in eo ſtudio ætatem conſumſi, ſi id mihi aſſu-

Stoicum: nam hoc eſt eſſe Academicum, nunc hoc, nunc illud tueri, & quod in quaque re ac diſciplina inſit probabile, id defendere. Iam hæc, quæ deinceps ſequuntur, *non multum a Peripateticis diſſidentia*, illuc pertinent. Multis locis oſtendit Cicero, Academicos eoſdem fere fuiſſe, atque Peripateticos: *utrique volumus eſſe Socratici, & Platonici* &c. *utrique*, id eſt nos Academici, & vos Peripatetici (Cratippus enim erat Peripateticus) volumus eſſe Socratici, & Platonici, id eſt, Socratis, & Platonis decreta tueri volumus: Philoſophiam moralem Platonicam a Socrate acceptam ſequimur. Lambin. *Vtrique Socratici, & Platonici volumus eſſe*) Quomodo hæc Langius edidit, & Lambinus in ſuis manuſcriptis libris habere ait, itidem in noſtris leguntur. Fr. Fabrit. Cicero hoc nomine Socraticus haberi voluit, quia novam Academiam ſequebatur, quæ ſe inſtituto Socratis nihil affirmare prædicabat, ſed contra ea, quæ alii ponerent, diſputabat. Ex eo quod ſe Platonicum dicit, Peripateticum eſſe ſignificat, cum a Platone Peripatetici, auctore Ariſtotele, exorti ſint. Turneb. Hunc locum corruptum eſſe viderunt alii dudum, & mihi eſt perſuaſiſſimum. Primo non loquitur in hac periodo de Academicis, & Peripateticis, ut vult Lambinus, nec de ſe, & Cratippo, ut alii cenſent, ſed de ſe ſolo. Quamvis, inquit, audias Cratippum Peripateticum, leges tamen noſtra, ſive meos de philoſophia libros, qui non multum diſcrepant a Peripateticis; tum rationem reddit, cur ſua ſcripta non multum diſſideant a Peripateticis, quoniam æque Socraticus, ac Platonicus eſſe volo. *Vtrique* ſemper de duobus dicitur, non de uno, cum tamen de ſe uno tantum loquatur. Itaque cenſeo cum Gronovio, Tullium ſcripſiſſe: *quoniam utrumque, & Socratici, & Platonici eſſe volumus*. Vtrumque, hoc loco Tullium poſuiſſe dicit, ut *αμφοτερον* Homerus,

> *Αμφοτερον βασιλευς τ᾽ αγαθος, κρατερος τ᾽ αιχμητης.*
>
> *Vtrumque, & bonus rex, & fortis bellator.*

Sed quinam ſunt illi Socratici a Platonicis diverſi? Nam Turnebi explicatio minime poteſt ſatisfacere accuratius eam expendentibus. Platonicos, ſeu Academicos numerari quoque in Socraticis philoſophis, nemo neſcit; & Cicero cum alibi, tum III. de Oratore clare docet: *Cum eſſent plures orti fere a Socrate, quod ex illis variis, & diverſis, & in omnem partem diffuſis diſputationibus alius aliud apprehenderat, proſeminatæ ſunt familiæ diſſentientes, & multum disjunctæ, & diſpares, cum tamen omnes ſe philoſophi Socraticos & dici vellent, & eſſe arbitrarentur. Ac primo ab ipſo Platone Ariſtoteles, & Xenocrates; quorum alter Peripateticorum, alter Academiæ nomen obtinuit: deinde ab Antiſthene, qui patientiam & duritiam in Socratico ſermone maxime adamarat, Cynici primum, deinde Stoici*. Vide, quæ ibi ſequuntur. Non longe poſt: *Fuerunt etiam alia genera philoſophorum, fere qui ſe omnes Socraticos eſſe dicebant, Eretricorum, Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum*. Vides igitur omnium antiquiorum Philoſophicarum familiarum auctores, & ſectatores voluiſſe Socraticos dici, & ſic dictos eſſe. Hinc *Socraticæ chartæ* Horatio ſunt libri philoſophici, de arte poetica:

> *Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ.*

Et Propert. II. eleg. 34.

> *Quid tua Socraticis tibi nunc ſapientia libris*
>
> *Proderit, aut rerum dicere poſſe vias?*

Et ipſe noſter Cic. in Tuſc. Socraticum libellum vocat philoſophicum, a quacunque ſecta ſit profectus: *Et ſi quem*

aſſumo, videor id meo jure quodam modo vindicare. Quamobrem magnopere te hortor, mi Cicero, ut non ſolum ora-

quem tuorum affectum mærore videris, huic aſpenſerem potius, quam aliquem Socraticum libellum dabis. Vnde alibi Ariſtippum; alibi Xeuophontem Socraticum dicit. Quî ergo Socraticis hic opponuntur quaſi antiſophiſtæ Platonici, cum illi in Socraticorum albo primum facile locum tenerent? Idem Tullius in eodem libro III.° de Orat. *Reliqui ſunt Peripatetici, & Academici; quamquam Academicorum nomen eſt unum, ſententiæ duæ. Nam Speuſippus Platonis ſororis filius, & Xenocrates, qui Platonem audierat, & qui Xenocratem Polemo, & Crantor nihil ab Ariſtotele, qui una audierat Platonem, magnopere diſſenſit: copia forſaſſe, & dicendi varietate pares non fuerunt. Arceſilas primum, qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris, ſermonibuſque Socraticis hoc maxime arripuit, nihil eſſe certi, quod aut ſenſibus, aut animo percipi poſſet*. Socratici ſane, de quibus loquitur lib. II. ad Att. ep. 3. ſunt Academici: *In qua σωκρατικως εις εκατερον. Sed tamen ad extremum, ut illi ſolebant, την αρεσκουσαν*. Hi qui alii ſunt, quam nihil affirmantes Academici, ſed id ſtatuentes, quod ſibi videbatur veri ſimile? Apud Horatium Socraticis quaſi opponuntur Stoici, & quidem ille Panætius, quo auctore his in libris utitur Tullius, lib. I. carm. 29.

Cum tu coemtos undique nobiles
Libros Panæti, Socraticam & domum
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis?

Socratica domus ſignificat libros a Socraticæ familiæ hominibus ſcriptos, hoc eſt aut ab Academicis, aut Epicureis, aut aliis Philoſophis Socraticis, a quibus ſejungit Stoicos. Cum tu, inquit, vendas Stoicorum, & Socraticorum libros, & pro iis emas loricas Hiſpanicas. Mihi itaque certum eſt, Platonicos eſſe Academicos, quos alias ſequitur, & in aliis libris Socraticos dicit, ut vidimus ante. Qui ergo dicere poteſt, ſe utrumque eſſe voluiſſe, Platonicum, & Socraticum; perinde eſt, ac ſi ſcripſiſſet, utrumque ſe velle eſſe, Peripateticum, & Ariſtoteleum. Hæc cum ſint abſurda, mihi perſuaſi, apud Ciceronem hoc loco pro *Socratici* legendum *Stoici*, quia in his de officiis libris Panætii Stoici veſtigiis inſiſtit. Per Socraticos Ciceronem Stoicos intellexiſſe, quæ Manutii eſt ſententia, quis animum inducere poteſt, ut credat? Stoici volebant quidem dici, & eſſe Socratici, ſed æque ut Platonici, ſeu Academici, Peripatetici, Cynici, Epicurei: ſed Stoicos per excellentiam dictos ab antiquis ſcriptoribus Socraticos nemo legit, & audivit umquam. Quin e contrario Stoicos, & Socraticos tamquam diverſas hæreſes ſejungit Horatius. Platonici præcipue dicebantur Socratici, & quia Plato, & Xenophon diſputationes Socratis litteris conſignarant, & quia profecti a Platone Academici in utramque partem more Socratis diſputabant. Academicos vero maxime probaſſe Ciceronem, cum alii ejus libri fidem faciunt, tum ipſe fatetur in prœmio libri ſecundi, cap. 2. ubi docet, quomodo cum Academicus ſit, poſſit diſputare de officiis. Tandem ſubjicit: *Tibi autem, mi Cicero, quamquam in antiquiſſima, nobiliſſimaque philoſophia, Cratippo auctore, verſaris, iis ſimillimo, qui iſta præclara pepererunt, tamen hæc noſtra*, (quæ ſcilicet ex Panætio Stoico promſimus) *finitima veſtris, ignota eſſe nolui*. Dicit igitur, ſe utrumque eſſe voluiſſe, Stoicum, & Academicum, quorum doctrina de officiis non multum diſcrepet a Peripateticorum præceptis, quæ nunc Athenis apud Cratippum imbibat. Sic paullo inferius cap. ſequenti dicit Stoicorum, & Academicorum, & Peripateticorum propriam eſſe præceptionem de officiis. GRÆVIUS. *Utrique, Socratici*) Rationem hic Noſter reddit, cur ea, quæ ipſe Academicus de Philoſophia ſcripſit, non multum diſſiderent ab iis, quæ Peripatetici ſcribere ſolerent. Quoniam (inquit) utrique nos, tum Academici, tum Peripatetici, cupimus haberi ſectatores non Socratis ſolum, ſed etiam Platonis. *Plures* (ut ait Cicero de Orat. III. 16.) *quaſi familiæ Philoſophorum a Socrate ortæ ſunt, & profeminatæ*; & quam-

Digitized by Google

orationes meas, ſed hos etiam de philoſophia libros, qui jam illos fere æquarunt, ſtudioſe legas. Vis enim dicendi major

quam multum *inter ſe diſſenſerint*, tamen *omnes ſe Socraticos dici voluerunt*, *& eſſe arbitrabantur*. Vnam illarum familiarum effecit Plato, ejuſque diſcipuli *Ariſtoteles*, *& Xenocrates*, *quorum alter Peripateticorum*, *alter Academiæ, nomen obtinuit*, ib. c. 17. Sequitur igitur, Peripateticos, & Academicos tam *Platonicos*, quam *Socraticos* fuiſſe: quin ii Socratis diſcipuli erant, qui ex Platonis familia originem haberent. Huic ſimile eſt, quod Cicero dicit in Tuſcul. Diſp. I, 23. *Qui a Socrate*, *& Platone*, *& ab ea familia diſſident*, *plebeii philoſophi appellandi videntur*. Et ib. in II. 3. *Platonem*, *reliquoſque Socraticos*, *& deinceps eos*, *qui ab his profecti ſunt*, *legunt omnes*. Vides jam (opinor) Lector, non neceſſe eſſe, ut aut (quod Grævius voluit) mutemus *Socratici* in *Stoici*; aut (quod alii voluerunt) pro *utrique* reponamus vel *utique*, vel *utrumque*. PEARCE.

Qui jam ſe illis fere æquarunt) Veteres aliquot libri, *qui jam illis fere æquarunt*. LANG. *Qui jam illos fere æquarunt*) Cum in tribus libris manuſcr. partim ita ſcriptum reperiſſem, *qui ſe jam illis fere æquarunt*: partim ſic, *qui jam illis fere æquarunt ſe*, & aliquanto poſt tempore acceſſiſſet codex a Cujatio noſtro item manuſcr. mihi ad hoc negotium conficiendum commodato miſſus, in unoque duntaxat abeſſe provocabulum, *ſe*, animadvertiſſem: non putavi olim mihi a vulgata lectione diſcedendum; quin mihi hoc loco riſum movit quorumdam ſemidoctorum arrogantiſſimum ſupercilium, qui ubi aliquid in quovis codice manuſcr. repererunt a vulgata lectione diſcrepans, etiam abſurdiſſimum, ſtatim damnata lectione recepta, affirmant, atque adeo adjurant deos omnes, ita, ut in illo neſcio quo codice ſcriptum eſt, eſſe legendum; quod fieri non debet: tractandi enim ſunt libri veteres cum judicio. Atque ut non temere vulgata & recepta lectio damnanda eſt, etiam ſi nonnulli codices veteres ab ea diſſentiant; ita non eſt mordicus retinenda, neque pertinaciter defendenda, etiam ſi eam libri veteres adjuvent, cum ratio & veritas reclamant. Nunc autem libris veteribus retractatis, non ſolum iis, quos olim adhibueram, ſed etiam aliis multo pluribus, & fortaſſe melioribus, in quibus fere omnibus provocabulum, *ſe*, non comparet, hanc in opinionem diſceſſi, omnino, ſi quid ſit mutandum, legendum eſſe, vel, *qui jam illos fere æquarunt*; ſic enim Cæſar loquitur, lib. V. *longarum navium curſum adæquarunt*; & ipſe Cicero in Timæo: *ut deorum vitam poſſint adæquare*; vel, *qui jam illis fere æquantur*. LAMBIN. *Qui ſe jam illis fere æquarunt*.) Hæc eſt vulgata lectio hujus loci, quam ab omnibus, qui hos libros emendarunt, retentam eſſe video. Langius tantum, & Lambinus notant varietatem in pronomine, *ſe*; quod ab optimo libro noſtro abeſt, in eoque legitur: *Qui jam illos fere æquarunt*; itaque ſic omnino legendum cenſeo. Hujus enim libri bonitas mihi jampridem in Tuſculanis diſputationibus, ac nonnullis orationibus, quæ in eo exſtant, eſt perſpecta: in Miloniana id jam dudum oſtendimus; nunc adducam unum locum ex Catilinariis: is eſt oratione prima, ubi novum genus orationis libri fere omnes, etiam ii, quos Muretus emendavit, probant: *Quod mihi latere valeat in tempore*. Lambinus inſolentia orationis, puto, commotus edidit: *Quod mihi patere non ſoleat in tempore*; in noſtro eſt, *quod me latere valeat in tempore*; itaque ſine dubio legendum. Cum vulgata tamen lectione hujus loci facere videtur illud Cæſaris lib. II. de bello civili: *Pari conditione e muro ac turribus bellandi data*, *virtute ſe noſtris adæquare non poſſe intelligunt*. Vetuſtam lectionem probat illud lib. V. de bello Gallico: *Longarum navium curſum adæquarunt*. Et illud Ciceronis in Timæo: *ut deorum vitam poſſint adæquare*. Verbum *æquarunt*, quod Eraſmus ad quantitatem refert, Manutius interpretatur, parem fere laudem conſecuti ſunt. FR. FABRIC. Vocabulum *ſe* non exſtat etiam in Palat. primo, putatque delendum Guilielmus,

Digitized by Google

major eſt in illis: ſed hoc quoque colendum eſt æquabile, & temperatum orationis genus. Et id quidem nemini video Græcorum adhuc contigiſſe, ut idem utroque in genere laboraret, ſequereturque & illud forenſe dicendi, & hoc quietum diſputandi genus: niſi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi poteſt, diſputator ſubtilis, orator parum vehemens: dulcis tamen; ut Theophraſti diſcipulum poſſis agnoſcere. Nos autem quantum in utroque profecerimus, aliorum ſit judicium: utrumque certe ſecuti ſumus. Equidem & Platonem exiſtimo, ſi genus forenſe dicendi tractare voluiſſet, graviſſime, & copioſiſſime potuiſſe dicere:

mus, item Giſanius in Indice Lucretiano, ad verbum *locare*, ut capiatur *æquare* παθητικως, quemadmodum *augere*, *maturare*, alia trecenta. GRVTER. Hoc παθητικον nihili eſt, & dudum exploſum; nec, quod ex ſuo codice Fabritius in Catilinaria pro *mihi latere*, reponit *me latere*, hodie vel mediocriter docto probabit. Conſtat enim nunc veteres ſemper dixiſſe, *latet hoc mihi*, ut *patet hoc mihi*; ſed *latet me* Græciſmum eſſe, λανθανει με. Vulgata ſcriptura hujus loci poteſt, ut vides, defendi. Quoniam tamen ſunt multi codices, in quibus *ſe* deſideratur, nec nulli, in quibus ſcribitur, *illos ſere æquarunt*, facile his ſubſcribo. Male Manutius interpretatur. Parem fere laudem conſecuti ſunt, cum dicat, numero fere Philoſophicos æquare, quas edidit, orationes, ſeu tot fere Philoſophicos libros ſcripſiſſe, quot orationes. Plurimos enim illis temporibus publici juris fecit de philoſophicis rebus, uti liquet ex proœmiis illorum librorum, qui ſuperſunt, inprimis Topicorum. GRÆVIVS.

Vtroque in genere laboraret) Sic legendum, *elaboraret*, inquam, non, ut vulgo, *laboraret*; quamvis reclament codices: nam, *e*, verbi *elaboraret*, abſorptum eſt a poſtrema vocali eadem vocis antecedentis, *genere*. LAMBIN. Facile ſane fieri potuit, ut ultima littera vocis præcedentis eamdem primam ſequentis abſorpſerit. Frequentius enim apud Ciceronem legitur *elaborare in aliquo*, quam *laborare*. Sed tamen quia omnes libri ſtant pro vulgata, nec alterum genus loquendi ſit inſolens plane, nam in II. de Nat. Deorum legitur: *in enodandis nominibus, quod mirandum ſit, laboratis*, non auſim repudiare, quod libri omnes præ ſe ferunt. GRÆV.

Demetrius Phalereus) Omnium, qui mollius & remiſſius dicendi genus ſectati ſunt, politiſſimum ſibi videri, dicit Antonius II. de Orat. Et Cic. III. de Legibus: *Poſt a Theophraſto Phalereus ille Demetrius, de quo feci ſupra mentionem, mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum, otioque non modo in ſolem, atque pulverem, ſed in ipſum diſcrimen, aciemque produxit. Nam & mediocriter doctos, magnos in republica viros, & doctiſſimos homines, non nimis in republica verſatos, multos commemorare poſſumus: qui vero utraque re excelleret, ut & doctrinæ ſtudiis, & regenda civitate princeps eſſet, quis facile præter hunc invenire poteſt?* MVRET.

Theophraſti) Cic. in Bruto: *quis Ariſtotele nervoſior? Theophraſto dulcior?* MVRET. Huic Tyrtamus proprium fuiſſe nomen dicitur, ſed Ariſtoteles eum appellavit Theophraſtum δια το ευς φρασεως θεσπεσιον, vel (ut Noſter in Orat. c. 19.) *divinitate loquendi nomen invenit*. Cui ſimile eſt illud Quinctiliani (Inſt. Orat. X. 1.) *In Theophraſto tam eſt eloquendi nitor ille divinus, ut ex eo nomen quoque traxiſſe dicatur*. PEARCE.

Si genus forenſe dicendi) Prius editi *ſi genus id forenſe*, ſed contra bigam Palatinorum, & Guilielminos tres,

in

re: & Demoſthenem, ſi illa, quæ a Platone didicerat, tenuiſſet, & pronuntiare voluiſſet, ornate, ſplendideque facere potuiſſe. Eodemque modo de Ariſtotele, & Iſocrate judico: quorum uterque ſuo ſtudio delectatus, contemſit alterum.

2. Sed cum ſtatuiſſem aliquid hoc tempore ad te ſcribere, & multa poſthac, ab eo ordiri volui maxime, quod & ætati tuæ eſſet aptiſſimum, & auctoritati meæ. Nam cum multa ſint in philoſophia & gravia, & utilia, accurate, copioſeque a philoſophis diſputata, latiſſime patere videntur ea, quæ de officiis tradita ab illis & præcepta ſunt. Nulla enim vitæ pars, neque publicis, neque privatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt: in eoque colendo ſita eſt vitæ honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo. Atque hæc quidem quæſtio communis eſt omnium philoſophorum; quis eſt enim, qui nullis officii præ-

in quibus iſta vocula non reperiebatur. Grvter. nec in Græviano conſpicitur. Græv.

Contemſit alterum) Ariſtoteles videlicet oratorium dicendi genus, Iſocrates philoſophicum contemſit: neque enim ad æmulationem, quæ nulla inter eos fuit, iſtud referendum eſt; ut male quidam hic annotarunt. Lang. Miror, Langium ſic hoc interpretari: contemſit Ariſtoteles oratorium dicendi genus, Iſocrates philoſophicum; nam hæc interpretatio linguam Latinam ignorantis eſt. Si enim Cicero eam, quam vult ille, ſententiam exprimere voluiſſet, ita locutus eſſet: quorum uterque ſuo ſtudio delectatus, contemſit alterius, ſeu contemſit alienum, nempe ſtudium; nunc ita loquitur, uterque contemſit alterum, id eſt, Ariſtoteles contemſit Iſocratem, & Iſocrates Ariſtotelem, ſuo uterque ſtudio delectatus. Sic omnino locus hic intelligendus, quod pace Langii dixerim; non enim ut eum reprehenderem, (quamquam in hoc reprehenſione dignus eſt) ſed ut incautos admonerem, ne ejus auctoritate adducti, in fraudem atque in errorem impellerentur, hæc adſcripſi. Lamb. Hoc eſt argutari. Quippe ni latine dicas contemſit alterum dicendi genus, Ariſtoteles forenſe, & oratorium, Iſocrates philoſophicum, ut bene Langius? Contemſit autem eſt, noluit tractare. Sicut Iulus apud Flor. l. I. *Lavinium patris Æneæ contemſerat*, id eſt noluerat in illa urbe habitare. Græv.

Ab eo ordiri) *Ordiri*, non *exordiri*, eſt in duobus manuſcriptis noſtris, & impreſſo Victorii libro (& Græv. MSo). Verbum autem *graviſſimum*, quod in ſequenti verſu Manutius retinuit, id & ſupervacaneum eſſe, Laurentius Valla lib. VI. cap. 8. ſcribit, & a libris antiquis abeſſe. Balduinus jampridem admonuit; ut mirer eſſe, qui id tolerari poſſe nunc dicere audeant. Fr. Fabrit.

Traditæ ab illis præcepta ſunt) Vulgo *tradita ab illis, & præcepta ſunt*, quod ferri poteſt. Sed lectionem, quæ delet conjunctionem *&*, habet Victorius, quæ Ciceroni uſitatior videtur: ſic enim paullo infra: *Qui nullis officii præceptis tradendis philoſophum ſe audeat dicere . . . . . neque ulla officii præcepta firma, ſtabilia, conjuncta naturæ tradi poſ-*

Digitized by Google

præceptis tradendis philoſophum se audeat dicere? Sed ſunt nonnullæ diſciplinæ, quæ propoſitis bonorum, & malorum finibus officium omne pervertunt: nam qui ſummum bonum inſti-

poſſunt; ita etiam in ſeq. cap. *Quorum autem officiorum præcepta traduntur*. Pearce.

Nonnullæ diſciplinæ) *Diſciplinæ* ſunt αἱρέσεις, ſectæ Philoſophorum. Cic. III. de Finibus: *Ceteræ philoſophorum diſciplinæ omnino, aliæ magis, aliæ minus, tamen omnes, quæ rem ullam virtutis expertem aut in bonis, aut in malis numerent*. Sic alibi ſæpius. Græv.

Propoſitis bonorum, & malorum finibus) Ingenioſe quidem vir eruditus: *præpoſteris bonorum, & malorum finibus*, ſed contra codicum omnium fidem. *Propoſitis finibus* eſt, *finibus illis bonorum, & malorum*, quos propoſuerunt ſibi, aliiſque ſuæ ſectæ hominibus, conſtitutis finibus bonorum, & malorum. Grævius.

Propoſitis) Languidum quiddam, ac inſulſum effert τὸ *propoſitis*, cum emphaſi omni careat; nec in se ullam reprehenſionis notam prodat in *Fines* iſtos, qualem certe, ni fallor, Cicero inuſtam eis voluit. Mallem itaque *præpoſteris* legi, quam *propoſitis*, literarum facili mutatione, & ſenſu loco aptiſſimo. In illa enim voce inſunt acres quidam aculei, qui iſtiuſmodi *Fines bonorum, & malorum* configunt, ac diſerte indicant lectori, unde iſtæ *diſciplinæ officium omne pervertunt*. Neque verbum eſt Noſtro aut inſolens, aut obſcurum, uti cernere eſt ex Amicit. c. 22. *Præpoſteris utimur conſiliis*. Or. pro Rab. Poſth. c. 13. *Quid tam inſolens, tam perverſum præpoſterumque dici, aut excogitari poteſt?* Or. in Piſon. c. 38. *Noſter hic præpoſterus imperator*. Chapman. Grævius notarat, eruditum quemdam virum ingenioſe legendum conjeciſſe *præpoſteris*, ſed contra omnium codicum fidem: at video Davilium in notis ad Lactantii Epitom. c. 33. hoc loco citato, dicere: *Lege* præpoſteris, *ut diſerte repræſentat MSus Elienſis: quod eo monendum duxi, ne certiſſima viri docti conjectura, tamquam codicibus haud nixa, cum Grævio rejicula cenſeatur*. Non multum inter se differunt voces *præpoſteris*, & *propoſitis*, cum in MSis contractius ſcribantur. Pearce.

Bonorum, & malorum finibus) Finis bonorum (Cicerone ipſo explicante in Lib. IV. de Fin.) eſt id, *quod ultimum, quod extremum eſt, & quo ſint omnia bene vivendi, recteque faciendi conſilia referenda: quod ſequitur natura, ut ſummum in rebus fugiendis: quod fugit, ut extremum malorum*. Ideo autem videtur Noſter eos, quos citavi, libros inſcripſiſſe *de finibus bonorum, & malorum*, non *de fine &c.* quia de duplici re locutus eſt, (tam de Malis, quam de Bonis) & utriuſque ſuus eſt finis. Idem.

Officium omne pervertunt) Ita Pall. Malebat tamen Guilielmus *pervertant* inventum in ſuis quatuor. Gruter.

Qui ſummum bonum inſtituit) Legendum *qui ſummum bonum ſic inſtituit*: quam particulam *ſic*, quæ vulgo exſulat, reſtituendam cenſeo auctoritate MSorum Reg. Mead. duorum, Cant. Mill. omnium etiam Oxonienſium, ceterorumque fere, quotquot inveniuntur; itemque Editionis Victorii, & aliarum veterum. Cicero hæc de iis loquitur, qui ſequebantur Epicurum. Primus apud Græcos Socrates dicitur *Philoſophiam e cælo* ad terram *devocaſſe*, i. e. a tractatione quæſtionum de Aſtronomia, Origine Mundi, aliiſque rebus phyſicis traduxiſſe ad ea, quæ *de vita, & moribus, rebuſque bonis, & malis quærerentur*. (Tuſc. Diſp. V. 4.) Ex illo tempore inter philoſophos agitabatur, quid eſſet ſummum & maximum bonum; quid etiam ſummum malum: ſed, *cum ex Socratis variis, & in omnem partem diffuſis diſputationibus alius aliud apprehenderat, plures quaſi familiæ philoſophorum diſſentientes inter ſe, & multum disjunctæ, & diſpares, proſeminatæ ſunt*. (de Orat. III. 16.) Hinc Peripatetici, & Academici, a Platone Socratis diſcipulo profecti, ſummum bonum poſuerunt in honeſtate maxime, ſed non ſola, eaque propter ſe expetenda: *Stoici* vero, qui ab Antiſthene ejuſdem So-

Digitized by Google

inſtituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum, idque ſuis commodis, non honeſtate metitur, hic, ſi ſibi ipſe conſentiat, & non interdum naturæ bonitate vincatur, neque amicitiam colere poſſit, nec juſtitiam, nec liberalitatem; fortis vero, dolorem ſummum malum judicans, aut temperans, voluptatem ſummum bonum ſtatuens, eſſe certe nullo modo poteſt. Quæ quamquam ita ſunt in promptu, ut res diſputatione non egeat, tamen ſunt a nobis alio loco diſputata. Hæ diſciplinæ igitur, ſi ſibi conſentaneæ eſſe velint, de officio nihil queant dicere; neque ulla officii præcepta firma, ſtabilia, conjuncta naturæ tradi poſſunt, niſi aut ab iis, qui ſolam, aut ab iis, qui maxime honeſtatem propter se dicant expetendam. Itaque propria eſt ea præceptio Stoicorum, & Academicorum, & Peripateticorum: quoniam Ariſtonis, Pyrrhonis, Herilli jam pridem exploſa ſententia eſt: qui tamen haberent jus ſuum diſputandi de officio, ſi rerum aliquem dilectum reliquiſſent,

Socratis auditore orti, & Cynici erant reformati, docuerunt, honeſtatem ſolam eſſe expetendam: *Epicurei* autem, qui Cyrenaicam Philoſophiam, ab Ariſtippo altero Socratis diſcipulo profectam, paululum immutando defenderunt, & voluptate omnia metiebantur, eam ſummum bonum eſſe ſtatuerunt, dolorem vero ſummum malum. PEARCE.

Idque ſuis commodis, non honeſtate metitur) Hoc eſt, qui jus omne metiuntur utilitate, ex qua manaſſe opinantur ſocietatem, ejuſque jura; quæ ſententia fuit Carneadis, ut Lactantius oſtendit V. Inſtit. c. 16. aliique, de quibus vide H. Grotii Prolegom. ad librum de Iure Belli & Pacis. GRÆV.

Hic, ſi ſibi ipſe conſentiat, & non interdum naturæ bonitate vincatur, fit, ut nec amicitiam colere poſſit) Ita legendus hic locus, cum in vulgatis deſint illa duo verba *fit ut*. F. VRSIN. Si ſemper eodem modo ſentiat, & vivat, quemadmodum ſentit; nec, natura ipſa monente, revocetur aliquando ad honeſtatem. FACCIOLAT.

Alio loco) IV. Tuſcul. Quæſt. & libris de Finibus bonorum, & malorum. GRÆV.

Conjuncta naturæ) Quæ conſentiant naturæ humanæ. Honeſtatis originem deducunt Stoici a natura, ſecundum quam vivere, bene vivere eſt. Neque quidquam fieri poteſt ſecundum naturam, quod fiat repugnante ratione, ut docet IV. Tuſcul. & Seneca non uno loco. GRÆV.

Qui ſolam) Sine adjunctione rerum exterarum: vid. Tuſcul. V. Hi vero ſunt Stoici: ut illi, qui honeſtatem propter se, hoc eſt, propter ſuam vim, & naturam dicunt expetendam, ſunt Academici, & Peripatetici. IDEM.

Ariſtonis, Pyrrhonis, & Herilli) Ariſto Chius, & Herillus Carthaginienſis fuerunt Zenonis Cyttiei auditores, qui, ut & Pyrrho, diſcrimen veri, & falſi, boni, & mali ſuſtulerunt, de quibus libro VII. Diogenes Laertius agit. Manutium ratio fefellit, cum alios hic innui a Cicerone, quam illos, quos Laertius ibi deſcribit, exiſtimat. Vtriuſque dogmata, quæ Ciceronis aliis ex libris copioſe Manutius collegit ipſe ad hunc locum, illa ipſa ſunt, quæ iis tribuit Diogenes. IDEM.

Si rerum aliquem dilectum reliquiſſent) Toties diximus, *dilectum* dixiſſe veteres

Digitized by Google

ſent, ut ad officii inventionem aditus eſſet. Sequemur igitur hoc quidem tempore, & hac in quæſtione potiſſimum Stoicos, non ut interpretes; ſed, ut ſolemus, e fontibus eorum, judicio, arbitrioque noſtro, quantum, quoquo modo videbitur, hauriemus. Placet igitur, quoniam omnis diſputatio de officio futura eſt, ante definire, quid ſit officium: quod a Panætio prætermiſſum eſſe miror. Omnis enim, quæ a ratione ſuſcipitur de aliqua re, inſtitutio, debet a definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur.

3. Omnis

teres pro eo, quem vulgus, *delectum*, dicit, & ita ſcriptum eſſe in libris manuſcr. ut verear, ne lectorem obtundam *ταυτολογιαι*; ſed tamen etiam hoc loco teſtatum volui, ita habere eos omnes libros veteres, quibus uſi ſumus. LAMB. *Si rerum aliquem dilectum*) *Dilectum*, veteres dixiſſe pro eo, quem vulgus, *delectum*, dicit, cum aliis locis innumeris, tum hic quoque libri veteres probant. Vide Scholia Victorii in epiſt. 3. libr. XI. ad familiar. FR. FABRIC.

Definire quid ſit Officium) Non loquitur de definitione propria, plena, & perfecta, quam vulgares Logici *eſſentialem* dicunt; ſed talem quamdam deſcriptionem intelligit, quæ ſatis ſit ad tollendas nominis ambiguitates; *ut inter quos diſſeritur* (de Fin. Lib. II. cap. 1.) *conveniat, quid ſit id, de quo diſſeratur*. Nihilo plus requiritur in diſputationum principiis. Itaque corruit. Cœlii Calcagnini diſquiſitio, in qua Ciceronem accuſat, quod Officium non definierit per genus, & differentiam. FACCIOL. *Ante definire, quid ſit officium*) Niſi multum fallor, Cicero in his libris nullam officii definitionem adduxit, quamvis plerique Interpretes valde laborent, ut id eum feciſſe contra oſtendant. Video equidem Noſtrum in ſequente capite definiviſſe, quid ſit *perfectum* officium, quid item ſit *medium*, non autem, quid ſit ipſum *officium*. Nos igitur (cum bona Lectoris venia) conemur huic rei, quam Cicero omiſit, ſatisfacere. Vox *officium* contracte dicitur pro *opificium*, ut *officina* (quæ ab *opifex* derivatur) dicitur pro *opificina*. *Officium* igitur in prima ſua ſignificatione idem ſonat, quod *Actio*: cum vero *officium* eam hominis actionem velit, quæ ad mores ſpectat, ſic definiri (opinor) recte poterit: *Id, quod natura, ratioque docet, ab unoquoque homine vel ſibi, vel aliis præſtandum eſſe*. Vel juxta Pufendorffium in lib. de offic. Hom. & Civ. *Actio hominis eſt pro ratione obligationis ad præſcriptum legum recte attemperata*. Vel (ut cum Cœlio Calcagnino loquar) *Officium eſt actio in omni vita, cum virtute, & ratione conjuncta*. Hæc actio, ſi *omnes* (ut Stoici dicunt) *numeros habet*, i. e. ſi nulla vel minima pars, quæ in ea ineſſe debet, non inſit, tum *perfectum, & rectum officium* vocatur; quod in neminem (iſtorum judicio) præter ſapientem cadere poteſt. *Medium* vero officium, ſive id, quod *commune* eſt, quodque in multos cadere poteſt, ſic recte Cicero definit: *quod, cur factum ſit, ratio probabilis reddi poteſt*: i. e. actio, quæ, quamvis non ſit omnibus ſuis partibus expleta & cumulata, habet tamen cauſſam, rationemque, cur poſſit probari. Meminerit Lector Ciceronem in his libris de ſecundo ſolo Officiorum genere paſſim dicere, quæ *media* vocat, quæque (ut ait III. 3.) *ingenii bonitate multi aſſequuntur, & progreſſione diſcendi*. Vox *media* hic idem valet, quod mediocria: ut in Vell. Paterc. II. 29. (notante Grævio) dicitur fuiſſe Pompeius *innocentia eximius, ſanctitate præcipuus, eloquentia medius*. PEARCE.

Omnis

3. Omnis de officio duplex eſt quæſtio. Vnum genus eſt, quod pertinet ad finem bonorum: alterum, quod poſitum eſt in præceptis, quibus in omnes partes uſus vitæ conformari poſſit. Superioris generis hujuſmodi exempla ſunt: Omnia

Omnis de officio duplex eſt quæſtio) Cur non ſtatim definit officium? Quia cum officiorum non unum genus ſit, una communis officii definitio tradi non poteſt. Prius igitur docendum fuit, de quo genere officiorum diſputaturus eſſet, quam officium definiretur. Certi autem officii, antequam in propoſitam diſputationem ingrediatur, definitionem tradit, ut paullo ante faciendum præcepit. Sed quia duplex eſt quæſtio, id eſt, ratio quærendi, ac diſputandi de officio, ideo prius admonet, utram in his libris ſequi ac tenere decreverit. Vnum igitur genus diſputationis eſt *δογματικον*, quod pertinet ad finem bonorum, id eſt, ut ait Seneca, ad conſtitutionem ſummi boni: ut, cum docetur, Nihil eſſe bonum, niſi quod eſt honeſtum: Nihil malum, niſi quod vitioſum: Omnia minima, maxima divino conſilio ac providentia adminiſtrari: Mundum hunc civitatem quamdam eſſe deorum, hominumque communem: Omnes homines ita inter ſe eſſe natura conjunctos, quaſi unius corporis membra: Liberos a Deo creatos ac genitos eſſe animos noſtros, quare nefas eſſe eos a nobis rebus externis, ut opibus, honoribus, corpori in ſervitutem addici: Curanda nobis eſſe, quæ a nobis ſunt, quæ extra nos, negligenda: In nobis eſſe opinionem, impetum, appetitionem, declinationem, uno verbo, quæcumque opera noſtra ſunt: Extra nos, poſſeſſiones, honores, imperia, corpus ipſum: Quæ in nobis ſint, ea natura libera eſſe, neque prohiberi poſſe, neque impediri: quæ extra nos, imbecilla, ſervilia, aliena. Hæc, & ſimilia vocabant Stoici *δογματα*, id eſt, ut Seneca interpretatur, ſcita, decreta, placita philoſophiæ. Tale autem diſputationum genus Cicero hoc loco ait ad finem bonorum, id eſt, ad veram, ac perfectam ſummi boni cognitionem & intelligentiam pertinere. MVRET.

Vnum genus eſt) Prima quæſtio quodammodo theoretica eſt; quæritur enim, quinam ſit finis ultimus expetendorum, quod ſummum bonum dicitur. FACCIOL.

Alterum, quod poſitum eſt in preceptis) Hoc genus Græci, ut eſt apud Senecam, *παραινετικον* vocant, in quo *μετριως* docetur, quid patriæ, quid parentibus, quid liberis, quid amicis præſtare debeamus. Ad hæc duo genera Poſidonius addebat *χαρακτηρισμους*, quos etiam jocans Seneca, publicanorum verbo *εικονισμους* vocari poſſe ait, id eſt, virtutum, ac vitiorum, & hominum, qui eis præditi ſunt, deſcriptiones: & tales ſunt ii, qui Theophraſti nomen præferunt, *χαρακτηρες*. Hos quoque Seneca fatetur ex uſu eſſe. Quia enim facilius omnia notamus, & animadvertimus in aliis, quam in nobis, prodeſt ſpectare illas imagines, ex quibus aliquid in nos transferamus, aut demus operam, ne tales ſimus, quales ii, quos aut contemnimus, aut averſamur. Hujus tertii generis, quod *χαρακτηριστικον* vocemus licet, Cicero hoc loco non meminit: ſed illa tantum duo ponit notiora, & celebriora. MVRET. Dogmata Latini vocant *decreta*. Vide de doctrina hac duplici dogmatica, & parænetica Lipſ. manuduct. ad Stoicam philoſophiam lib. II. cap. 12. GRAV. *In preceptis*) Altera quæſtio de Officio ad praxim refertur, quomodo vitæ rationes, moreſque inſtitui debeant. FACCIOL.

Quibus in omnis partes uſus vitæ conformari poſſit) *Conformari*, Lambinus recte: pro quo ceteræ editiones omnes, *confirmari*, habent: at vero præceptis, quæ ad inſtitutionem vitæ communis pertinere Cicero ait, vita conformatur, non confirmatur; quod etiam Paulus Manutius animadvertit. FR. FABRIT. *Confirmari* habent veteres editiones, quatuor Regii MSi, omneſque (opinor) alii, duobus exceptis a Paulo Manutio excuſſis, in quibus legitur con-

Omnia ne officia perfecta ſint: num quod officium aliud alio majus ſit: & quæ ſunt generis ejuſdem. Quorum autem

conformari. Hanc poſtremam vocem recentiores Editores in textum receperunt: quid enim ajunt? num præceptis vita *confirmatur*? nonne potius *conſtrmatur*? At meminerit Lector Ciceronem hoc non de vita, ſed de *uſu vitæ* dicere. Senſus eſt: His præceptis ii mores, qui inter homines uſu ſunt recepti, confirmantur. Natura (inquit Anonymus) ad officium ducit; præceptis *confirmatur*, quod illa inchoaverat, *rectique cultus pectora roborant*, ut ait Horatius in Carm. IV. IV. 34. PEARCE.

Omnia ne officia perfecta ſint: num quod officium aliud alio majus ſit) His verbis ſubvereor equidem ne inſit aliquid vitii. Numquam enim legi, diſputatum eſſe a Stoicis, *omnia ne officia perfecta ſint*: ac ne videtur quidem, ſi ſibi conſtare ac conſentire vellent (conſtantiæ autem in dogmatis ſuis laus eis præcipua tribui ſolet) ea de re diſputare potuiſſe. Certe enim ita ab ipſis traditur, officium aliud perfectum eſſe, quod κατορθωμα, aliud inchoatum, & imperfectum, quod generis nomine καθηκον vocant. Vt igitur, ſi quis cum poneret, animal aliud eſſe rationis capax, aliud rationis expers, ſi quærere vellet, omnia ne animalia rationis capacia eſſent, merito irrideretur: ita Stoici, cum hoc in ipſis doctrinæ ſuæ principiis ponant, officium aliud perfectum eſſe, aliud imperfectum, non videntur poſſe hanc quæſtionem tractare: *omnia ne officia perfecta ſint*. Suſpicor igitur, pro *perfecta*, legendum, *paria*. Fuit enim hæc diſputatio in Stoicorum ſcholis decantata: *Num paria eſſent omnia officia, an unum alio majus*. Sed dicet aliquis, non hæc jam duo exempla fore, ſed unicum. Idem enim eſt quærere, *num omnia officia ſint paria, & num eorum aliud ſit alio majus*. Cui reſpondeo, putare me id ipſum corrumpendo loco cauſſam dediſſe, cum vererentur homines nimis ſuperſtitioſi, ne Cicero bis idem dicere videretur; eſt enim hoc unicum problema, *Num paria ſint omnia officia, an aliud alio majus*. At Cicero non *exemplum*, ſed *exempla* dicit; ut plura propoſuiſſe videatur. Imo vero ait, hoc problema, & quæ ſunt generis ejuſdem, eſſe exempla ejus generis, quod pertinet ad finem bonorum, quod δογματικον vocari diximus. Omnia igitur officia perfecta, id eſt, omnes actiones cum virtute conjunctas pares eſſe dicebant. Omnes enim virtutes æquales eſſe: ideoque æqualia etiam earum επιγεννηματα, id eſt, actiones, quæ ex eis enaſcerentur. Laertius in Zenone: Αρεσκει τε αυτοις ισα ηγεισθαι τα ἁμαρτηματα, καθα φησι Χρυσιππος εν τῳ τεταρτῳ των ηθικων ζητηματων, και Περσαιος, και Ζηνων. ει γαρ αληθες αληθους μαλλον ουκ εστιν, ουδε ψευδος ψευδους, ουτως ουδε απατη απατης, ουδε ἁμαρτημα ἁμαρτηματος. *Peccata item paria exiſtimant, ut Chryſippus ait in IV. Naturalium quæſtionum, Perſæuſque, & Zeno. Nam ſi verum vero majus non eſt, nec falſum falſo majus erit, ita nec fraus fraude, nec peccato peccatum*. Cicero in Paradoxis: *Quod ſemper unum, & idem eſt, quæ ex eo naſcuntur, æqualia ſint oportet. Quod ſi virtutes pares ſunt inter ſe, paria eſſe & vitia neceſſe eſt. Atqui pares eſſe virtutes, nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec ſapiente ſapientiorem poſſe fieri, facile poteſt perſpici. An virum bonum dices, qui depoſitum, nullo teſte, cum lucrari impune poſſet, auri pondo decem reddiderit, ſi idem in decem millibus non idem fecerit? aut temperantem eum, qui ſe in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? Vna virtus eſt conſentiens cum ratione, & perpetua conſtantia. Nihil huc addi poteſt, quo magis virtus ſit: nihil demi, ut virtutis nomen relinquatur. Etenim ſi benefacta recte facta ſunt, & nihil recto rectius: certe ne bono quidem melius quidquam inveniri poteſt. Sequitur igitur, ut & omnia vitia ſint paria; ſiquidem pravitates omnes recte vitia dicuntur. Atqui quoniam pares virtutes ſunt, recte etiam facta, quando a virtutibus proficiſcuntur, paria eſſe debent; itemque peccata, quoniam ex vitiis manant, ſint æqualia, neceſſe eſt*. Seneca epiſt. 71. *Virtus*

Digitized by Google

tem officiorum præcepta traduntur, ea, quamquam pertinent ad finem bonorum, tamen id minus apparet, quia magis ad inſtitutionem vitæ communis ſpectare videntur: de quibus eſt nobis his libris explicandum. Atque etiam alia di-

tus non poteſt major, aut minor fieri. Unius ſtaturæ eſt. Et in eadem: *Non intenditur virtus. Idem eſſe dicebat Socrates veritatem, & virtutem; quomodo illa non creſcit, ſic nec virtus quidem. Habet numeros ſuos: plena eſt.* Plut. ϛωικ. εναντ. ait Chryſippum tradere, *μητε κακιαν κακιας, η αμαρτιαν αμαρτιας υπερεχουσαν ειναι, μητε αρετην αρετης, η κατορθωσιν κατορθωσεως. Neque vitium vitio majus eſſe, neque peccatum peccato: neque virtutem virtuti, neque perfectum officium perfecto officio præſtare.* Et alibi; neque magnum κατορθωμα ειναι ανδρειως δηγμα μυιας ενεγκειν, *Maximum* ſcilicet *officium fortiter muſcæ morſum ferre*, atque perferre ea, quæ pertulit Regulus. *απεχεσθαι σωφρονως γραος, temperanter abſtinere a vetula, quæ cum morte conflictatur*, & a formoſiſſima virgine. Audire ſine perturbatione animi, tria non eſſe quatuor, & eum, qui nuntiet, patriam ab hoſtibus captam teneri. Muret. Cauſſæ, cur ſibi vir politiſſimus ab omnium librorum ſcriptura recedendum putavit, juſtæ ſane nullæ ſunt. Nam res eodem redit, ſive Cicero ſcripſerit, num omnia officia ſint perfecta, ſive num omnia officia ſint paria. Nam ſi omnia ſunt officia perfecta, quod ſentiebant Stoici, ſunt utique omnia paria. In illa igitur doctrina, quæ pertinebat ad dogmata, quærebatur, num omnia officia ſint perfecta, an vero aliud alio majus, quod Peripatetici, aliarumque familiarum Philoſophi exiſtimabant; nec aliud Cicero voluit. In illo argumento cum verſarentur, quærebatur, *omnia ne officia ſint perfecta*. Hoc argumentis adſtruebant Stoici, dein examinabantur aliorum Philoſophorum rationes, qui diverſa ſtatuebant: quærebant itaque cum illis, *num quod officium aliud alio majus ſit*. In his non ſibi adverſabantur Stoici, ſed hæc expendebant, ut ſuam ſententiam munirent firmius. Nec abſurdus ſit, qui ponat, num omnia animalia ſint rationis capacia, an vero aliud animal ſit rationis capax, aliud rationis expers. Græv.

Perfectum officium, rectum, opinor, vocamus, quod Græci κατορθωμα) Quod conveniebat iis, qui credebantur Stoicis υπερ φυσιν ζην, ſupernaturalem quaſi quamdam vitam vivere, tamquam exceſſiſſent communem hanc vivendi rationem, & proximi Diis eſſent, imo Dii. Nam Stoici ſuum ſapientem Deum eſſe perſuaſum habebant. Qui vero ad hunc perfectæ ſapientiæ gradum erant evecti, dicebantur θεωρητικοι, quorum animi ab omni fæce motuum humanorum purgati, & ab omni terrena labe mundati, quam ſimillimi ſint redditi menti illi divinæ, cujus contemplationi toti incumbunt; hinc & dicti ſunt θεωρητικοι. Vide Simplicii proœm. in Epictet. Græv. *Rectum* vocant, id eſt, nullo modo inclinatum, nullaque ex parte deficiens, quod uno modo se habet, nec cadit, niſi in hominem ex Stoica diſciplina ſapientem. Hoc genus Officii tam rarum eſt, quam rara ſapientia Stoica. Facciol. In proxima ſententia Cicero dixit, Græcos, vel Stoicos definiviſſe, id eſſe *perfectum*, quod *rectum* ſit. Credaſne igitur illum hic ante voluiſſe *recti* mentionem facere, quaſi idem ſignificantis, quod *perfectum*? Suſpicor, Noſtrum ſcripſiſſe, *perfectum officium recte* (*opinor*) *vocemus &c.* vel (quod magis placet) *Perfectum officium* (*opinor*) *vocemus &c.* omiſſa voce *rectum*; quæ ex gloſſa nata videtur cujuſdam interpretantis vocem κατορθωμα. Nam in III. 3. dicitur, *illud officium, quod rectum Stoici appellant, perfectum & abſolutum eſt*: & in III. de Fin. c. 7. *Quæ nos aut recta, aut recte facta dicamus, illi* (Græci) *appellant κατορθωματα*. Hanc meam conjecturam confirmare videtur Ambroſius in Officior. I. 11. qui ad hunc Ciceronis locum reſpiciens dicit: *Hoc eſt igitur perfectum officium, quod κατορθωματα dixerunt Græci*: ubi nihil

Digitized by Google

diviſio eſt officii. Nam & medium quoddam officium dicitur, & perfectum. Perfectum officium, rectum (opinor) vocemus, quod Græci κατορθωμα, hoc autem commune καθηκον vocant. Atque ea ſic definiunt, ut rectum quod ſit, id perfe-

nihil de *recto* memoratum videmus. PEARCE.

Hoc autem commune, quod καθηκον vocant) Qui hoc ſequuntur, dicuntur *κατα φυσιν ζην*, ſecundum naturam vivere, & *πρακτικοι*, qui in agendo tantum, quod bonum eſt, verſantur, virtutibus moralibus, ac politicis contenti. Quæ virtutes civiles, moraleſque hominem quidem probum reddunt, ſed non eum, ut *θεωρια*, inducunt in ſemitam divinarum virtutum, quæ τον θεωρητικον Deo aſſimilabant. Θεωρητικῳ non ſcripta eſſe hæc præcepta, quippe qui iis non indigeat, ſicut nec præceptis, quæ in Enchiridion Epicteti contulit Arrianus, oſtendit in commentario in proœmium illius Enchiridii Simplicius, qui ait, iſta præcepta ad *πρακτικους*, ſeu qui ſecundum naturam vitam inſtituunt, pertinere. Vid. Simplic. & in illum Salmaſium. GRÆV.

Quod καθηκον vocant) Sic legendum arbitror, libris omnibus invitis, in quibus vox Græca καθηκον non reperitur. Eam enim puto eſſe a ſcriptore librario prætermiſſam: quod ſæpe illi fecerunt, præſertim in vocabulis Græcis. Omnino ſententia poſtulat, ut ita legatur. Perfectum officium, rectum, opinor, vocare poſſimus: hoc autem commune, officium ſubintell. vocemus, quód illi καθηκον vocant. Quid autem abſurdius, quam ita dicere, Græci commune, & medium officium, officium vocant? quaſi vero Græci Latinis nominibus utantur. At res ſpectatur, non verbum, dicet aliquis. Atqui hic agitur de nominibus, & verbis, qualia Latina Græcis reſpondere, & paria eſſe poſſint. Præterea cur ſupra rectum officium, dixit a Græcis *catorthoma* appellari, Græco nomine: commune officium vero, officium dixit ab iis nominari vocabulo Latino? Unde igitur nata eſt vox Latina, officium? ex gloſſa. Ita factum ut ſcriptores librarii, *officium*, pro *cathecon* ſcripſerint. LAMB. Plerique libri: *Hoc autem commune officium vocant*. Dicitque Cicero hoc medium, ut paullo ante vocarat. Maturantius affirmat, ſe in quodam ſpectatæ fidei libro reperiſſe interpoſitum καθηκον, ut lectio talis eſſet, *hoc autem commune officium καθηκον vocant*. Quod quis non videt, quanto expoſitionem planiorem reddat? Idque nos annotavimus, cum in Veneto quoque exemplo Græcam vocem non reperiſſemus. Καθηκον autem primum nominaſſe Zeno traditur. I. Camerar. Lambin. Pall. & Guilielm. ut & meus MS. necnon editio optima Caroli Langii: *hoc autem commune officium vocant*. Sed quia Maturantius in optimo codice invenit καθηκον, nihil certius eſt, quam expungendum *quod*, ut ante deleverunt codicum ope *ii*, quod in editis pleriſque reperitur, ſcribendumque: *hoc autem commune καθηκον vocant*, Græci nimirum. GRÆVIUS. *Mihi non eſt dubium* (dicit. Noſter in Epiſt. ad Att. XVI. 14.) *quin quod Græci καθηκον, nos officium*. De Fin. III. 6. *primum eſt officium* (*id enim appello καθηκον*) *ut ſe conſervet*. PEARCE. *Καθηκον vocant*) Alii tollunt hæc duo verba, alii alia in hoc membro movent. Ego totum exiſtimo aliunde adſcitum; imo & ſuperius. Cur enim opus erat, ut Cicero diceret ſe opinari, *perfectum* officium vocari *rectum*, ſi ſtatim docet, ita prorſus a Stoicis definiri, ne vocula quidem addita, aut mutata? Attamen nihil movere auſim, quod D. Ambroſius locum hunc imitatus videatur in lib. III. de Offic. c. 2. *Hoc catorthoma, quod perfectum & abſolutum Officium eſt &c. cui ſecundum eſt commune officium*. Niſi forte ex hoc ipſo Ambroſii loco facta eſt additio Ciceroni. FACCIOL.

Ut rectum quod ſit, id perfectum officium definiunt) Alibi in hoc opere definit κατορθωμα, *quod perfectum atque abſolutum eſt, &, ut Stoici dicunt, omnes numeros habet*. Et in Oratore: *Illud* no-

fectum officium eſſe definiant : medium autem officium id eſſe dicant , quod cur factum ſit , ratio probabilis reddi poſſit. Triplex igitur eſt , ut Panætio videtur , conſilii capiendi deliberatio. Nam , honeſtum ne factu ſit , an turpe , dubitant , id quod in deliberationem cadit : in quo conſiderando ſæpe animi in contrarias ſententias diſtrahuntur . Tum autem aut anquirunt , aut conſultant ad vitæ commodi-

cui nihil addi poſſit , *quod ego ſummum & perfectiſſimum judico* . Quod nemo præſtare poteſt, niſi ſapiens Stoicus, quem illi fingunt *ακωλυθον* , *ανεκβιαστον* , *απαραποδιστον* , *ελευθερον* , *ευπορον* , *ευδαιμονα* , nimirum *ſolutum* , *inviolatum* , *minime implicitum* , *liberum* , *divitem* , *felicem* , ut eſt apud Gellium . Quæ verba libro III. de Finibus Cicero magna ex parte interpretatus eſt : *Cum hoc ſit extremum* , *congruenter naturæ* , *convenienterque vivere* , *neceſſario ſequitur*, *omnes ſapientes ſemper feliciter* , *abſolute*, *fortunate vivere : nulla in re impediri* , *nulla prohiberi*, *nulla egere* . Sed hæ ideæ Platonicæ ſunt, ut & forma illa Oratoris , quem Cicero ut deſcribat, totum librum conſumſit . H. Wolfius . Vide Lipſ. lib. III. Manuduct. ad Philoſoph. Stoicam . Grævius. *Definiant*) Suſpectam habeo hanc vocem : conſtructio eſt enim , *ſic definiunt* , *ut definiant* ; quod vix Ciceronis eſſe puto . MSus Laud. omittit verbum *definiant*, quod & commode abeſſe poſſe video, cum ex ſequente ſententia verbum *dicant* hic ſubintelligi poſſit . Pearce.

Medium autem officium id eſſe dicant , *quod cur factum ſit* , *ratio probabilis reddi poſſit*) Idem hoc eſt , quod Stoici apud Diogenem Laertium affirmant , *καθηκοντα ειναι* , *όσα λογος αιρει ποιειν*, *officia eſſe* , *quæ ratio facienda ſuaſerit* . Vide Suidam in *καθηκον* . *Medium* autem officium hoc , quod præſtatur a bonis viris, vocatur, quia *medius* Latinis eſt mediocris . *Sic media bella* . Liv. V. 37. *Dilectum nihilo accuratiorem*, *quam ad media bella haberi ſolitus erat* , *extenuantes etiam famam belli* , *habebant*. Bella media ſunt bella mediocria . Sic *media plebs* . Ovid. xi. Metam.

---- Media quoque commoda plebi
Noſtra patent.

Vell. Paterc. II. 29. *Innocentia eximius*, *ſanctitate præcipuus* , *eloquentia medius* . Grav.

Triplex igitur eſt , *ut Panætio videtur*, *conſilii capiendi deliberatio*) Reprehendit hoc loquendi genus Henricus Steph. II. Schediaſmat. cap. 25. & arguit pleonaſmi , ac ſi non multum diſcriminis intercederet inter conſilium capere , & deliberare . Hæret quoque & dubitat Wolfius . Sed *conſilium capere* hic eſt exſequi deliberatum , rem facere, de qua deliberabatur . Liv. XXV. 34. *Dux cautus & providens Scipio* , *victus neceſſitatibus temerarium capit conſilium* , *ut nocte Indibili obviam iret* . I. Fr. Gronovius .

Tum autem aut anquirunt) Quidam libri , *inquirunt* , alii *acquirunt* ; ſed boni, *anquirunt*, cum hic , tum mille aliis locis integrum & antiquum verbum ſervaverunt , ut Tuſc. V. *Studioſe ab his ſiderum magnitudinis intervalla anquirebantur* . Iterum : *Vera illa honeſtas* , *quam unam maxime natura anquirit* . I. de Legib. *Ne nimis diligenter anquiras in ea* , *quæ iſto modo memoriæ ſint prodita* . de Aruſp. reſp. *Atque in eum* , *quid agat* , *quemadmodum vivat* , *anquiritur* . Varro lib. V. de lingua lat. citat M. Sergii M. F. Quæſtoris vetus commentarium anquiſitionis, qui capitis accuſavit T. Quintium Trogum . Salluſt. in Iug. *Et quaſi dolens ejus caſum* , *anquirere cœpit* , *quem exitum tantis malis ſperarent*. Sic apud Livium : *capite anquirere* ; *pecunia anquirere* . Et libro I. *Ne ſemper armis opes anquirerentur* . Meminit Sex. Pompeius, & Victorinus in orthographia . Eſt autem *anquirere* diligenter percunctari ; quaſi am , id eſt circum quaque quærere . Lang. *Tum autem aut anquirunt*) Hoc verbo Ciceronem multis locis uſum eſſe, admonui

Digitized by Google

modìtatem jucunditatemque, ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus & ſe poſſint juvare, & ſuos, conducat id, necne, de quo deliberant: quæ deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus eſt, cum pugnare videtur cum honeſto id, quod videtur eſſe utile. Cum enim utilitas ad ſe rapere, honeſtas contra revocare ad ſe videtur, fit ut diſtrahatur deliberando animus, afferatque ancipitem curam cogitandi. Hac diviſione (cum præterire aliquid, maximum vitium in dividendo ſit) duo prætermiſſa ſunt. Nec enim ſolum, utrum honeſtum, an turpe ſit, deliberari ſolet, ſed etiam, duobus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius: itemque duobus propoſitis utilibus, utrum utilius. Ita, quam ille triplicem putavit eſſe rationem, in quinque partes diſtribui debere reperitur. Primum igitur eſt de honeſto, ſed dupliciter: tum pari ratione de utili; poſt de comparatione eorum diſſerendum.

4. Principio generi animantium omni eſt a natura tributum,

mui in Annotationibus in Tuſcul. IV. quod hic in optimis libris antiquis legi, ante Langium Balduinus annotavit, ex quibus non ſolum hic, ſed & alibi ſæpe Victorius in ſua editione hoc verbum repoſuit: ut & lib. I. de Oratore: *Omnes enim ſive artis ſunt loci, ſive ingenii cujuſdam, atque prudentiæ, qui modo inſunt in ea re, de qua ſcribimus, anquirentibus nobis omnique acie ingenii contemplantibus oſtendunt ſe, & occurrunt*. Anquirere autem proprie eſt circum quærere, ut Feſtus ſcribit: a quo, inquirere, diverſum eſt; qui igitur circumquaque omnia ſcrutans quærit, is *anquirere* latine & Ciceroniane dicitur: hoc idem verbum habes infra ſæpius. FR. FABRIT.

Afferatque ancipitem curam cogitandi) Forte legendum: *afferatque ancipitem curam cogitatio*. Nam ſic fere mavult Cicero, qui ſæpe jungit *animus*, & *cogitatio*. I. FR. GRONOV. Non dicitur, cui animus afferat illam ancipitem curam, quod dicendum videtur. Nec vulgata igitur lectio *cogitandi* placet, nec Gronoviana *cogitatio*. Fortaſſe ſcripſit Cicero, *afferatque ancipitem curam cogitanti*, i. e. animus ita diſtractus afferat eam curam illi, qui de ea re cogitat, & deliberat. Potior tamen videtur conjectura amici cujuſdam mei, *afferantque ancipitem curam cogitandi*, i. e. utilitas & honeſtas eam animo afferant. Cum proxime præceſſerit *diſtrahatur* verbum ſingularis numeri, Librarii ideo videntur *afferantque* in *afferatque* commutaſſe, ut copula *que* verba ſimilium numerorum connecteret. PEARCE.

Principio generi) Cum doctrina hæc ad finem bonorum pertineat, hoc eſt ad vitam beatam referatur; quidquid enim hic præcipitur, ea de cauſſa præcipitur, ut qui obtemperat, beatus fiat, conſtetque inter philoſophos beate vivere, eſſe naturæ convenienter vivere; ante omnia naturæ humanæ vis inquirenda, ut conſtet, quid homini commune ſit cum ceteris animalibus, & quid proprium & ſuum habeat. Vim ſe tuendi, & genus propagandi communem habet cum brutis: ratio vero, & mens propria eſt hominis. Ex

butum, ut ſe, vitam, corpuſque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque, quæcumque ad vivendum ſint neceſſaria, anquirat, & paret, ut paſtum, ut latibula, ut alia generis ejuſdem. Commune autem animantium omnium eſt conjunctionis appetitus, procreandi cauſa, & cura

ea igitur petendum ſummum hominis bonum. H. Wolfivs.

Corpuſque tueatur) H. Wolfius, & qui eum bona fide deſcribit, Aldus Manutius hic *tueatur* exponunt, vim vi repellat, ideoque ajunt munita eſſe animalia ad ſe tuendum variis armis. Sed *tueri* longe latius patet, & ſignificat quovis modo ſalutem ſuam conſervare. Hinc, quod vulgo conſervatio ſui vocatur, Cic. in Topicis dicitur *tuitio ſui*, ubi ait æquitatem naturalem duas habere partes, tuitionem ſui, & jus ulciſcendi. Hinc *tueri ſe* eſt ſe ſuſtentare. Paullo poſt in hoc capite: *Quos caros habeat, tuerique debeat*. Iuſtin. II. 1. *Vt non modo primæ generare homines, ſed ne advenas quidem recipere ac tueri poſſent*. Macrob. II. Saturn. 2. *Quo artificio ſe tueretur*. Sic *tutela* eſt ſuſtentatio. Valer. Max. VII. 1. *Vnum aut alterum jugum boum, facilis tutelæ*, eſt quos facile poſſumus alere. Opponit enim impenſas voraces. Græv.

Declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque quæcumque ad vivendum ſint neceſſaria anquirat, & paret) De hac ſcriptura non ambigerem, niſi aſpera illa & perquam ingrata, & a Tullii ſuavitate aliena repetitio ſyllabarum *que* & *que*, in tam paucis verbis, & libri veteres, vellerent aurem, aliter hæc verba concepiſſe Ciceronem. Sic igitur ex illorum veſtigiis ea refingo: *declinet ea, quæ ei nocitura videantur, omnia, quæcumque ad vivendum ſint neceſſaria, anquirat, & paret*. Sententia eſt eadem, ſed iis, qui teretes aures habent, & Tullianis numeris adſuetas, facile hanc lectionem probabo. Ceterum de hoc naturali animalium ſe tuendi amore pulchre, præter multos alios, Seneca Ep. 121 *Primum ſibi conciliatur animal, debet enim aliquid eſſe, ad quod alia referuntur. Voluptatem peto, cui? mihi. Ergo mei curam ago. Dolorem refugio, pro quo? pro me. Ergo mei curam ago. Si omnia propter curam mei facio, ante omnia eſt mei cura. Hæc animalibus ineſt cunctis: nec inſeritur, ſed innaſcitur. Producit fetus natura, non abjicit; & quia tutela certiſſima ex proximo eſt, ſibi quiſque commiſſus eſt. Itaque, ut in prioribus dixi, tenera quoque animalia e materno utero vel quoquo modo effuſa, quid ſit infeſtum ipſis protinus norunt, & mortifera devitant: umbram quoque tranſvolantium reformidant obnoxia avibus rapto viventibus*. Vide ibi plura. Græv.

Omniaque, quæ ſunt ad vivendum neceſſaria, anquirat, & paret) Sic optima editio Caroli Langii, ſic & in duobus codicibus invenit Guilielmus, teſte Grutero, eoque alludunt veteres libri alii Palatini, ut & meus, & Pithœanus, in quo legitur *adquirat*, ſive *acquirat*, ut & editio Fr. Fabritii. Vide quæ ſupra ad caput præcedens ſunt notata. Græv. Sequor Victorium, Langium, duos MSos Guilielmi, quatuor meos, cum vulgo edatur *omniaque quæcumque ſint*. Hoc quidem non inuſitatum eſt Ciceroni, qui dicit in II. 2. de Orat. *Omnia, quæcumque in hominum diſceptationem cadere poſſunt &c.* Et ibid. *Non omnia, quæcumque loquimur, mihi videntur &c.* In Tuſcul. Diſp. V. 6. *Qui omnia humana, quæcumque accidere poſſunt &c.* At in vulgata lectione iteratio ſyllabarum *que*, *que*, & *que* in duabus vocibus auribus ita inſuavis eſt, ut ea a Cicerone profecta eſſe non videatur. Pearce.

Commune autem animantium) Legendum omnino videtur: *Commune item animantium*; de alio enim, ſed non contrario, animantium appetitu Cicero dicturus eſt. Iſta vox *item* exſtat in Editione Leodegarii a Quercu, & Lambini: itaque legendum eſſe monuit Daviſius in nota quadam ad lib. II. de Divinat. c. 1. Idem.

Conjunctionis appetitus) Hinc Lucret. lib. I. ad Venerem:

Omnibus incutiens blandum per pectora amorem
Efficis, ut cupide generatim ſecla propagent.

Nam

cura quædam eorum, quæ procreata ſunt. Sed inter hominem, & belluam hoc maxime intereſt, quod hæc tantum, quantum ſenſu movetur, ad id ſolum, quod adeſt, quodque præſens eſt, ſe accommodat, paululum admodum ſentiens præteritum, aut futurum. Homo autem, quod rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, cauſas rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non igno-

Nam natura eſt blanda conciliatrix, & quaſi ſui lena, ut loquitur II. de Nat. Deor. Quomodo autem differat coniunctio animalium, & hominum matrimonium docet Salmaſius de Vſuris cap. 9. GRAEVIUS.

Sed inter hominem, & belluam hoc maxime intereſt) Aliud diſcrimen oſtendit Plutarchus περι της εις τα εγγονα φιλοστοργιας. Ἡ φυσις ὥσπερ εν φυτοις αγριοις, οιον οινανθαις, ερινεοις, κοτινοις, αρχας απεπτους και ατελεις ἡμερων καρπων ενεφυσε. τοις μεν αλογοις το προς τα εγγονα φιλοστοργον, ατελες και ου διαρκες προς δικαιοσυνην, ουδε της χρειας προσωτερω προερχομενον εδωκεν. ανθρωπου δε, λογικου και πολιτικου ζωου, επι δικης και νομων εισαγωγην και θεων τιμας, και πολεων ἱδρυσεις και φιλοφροσυνην, γενναια και καλα και φερεκαρπα τουτων σπερματα παρασχε, την προς τα εγγονα χαριν και αγαπησιν, ακολουθουσα ταις πρωταις αρχαις· αὑται δε ησαν εν ταις των σωματων κατασκευαις. *Natura ſicut in plantis ſilveſtribus, ut labruſcis, caprificis, oleaſtris principia fructuum mitium cruda & imperfecta gignit; ita brutis quoque amorem fœtus inſevit imperfectum, & non pertinentem ad juſtitiam, neque ultra utilitatem ſe proferentem. Homini vero, quem protulit, ut animal eſſet ratione præditum, ac civile, juſtitiamque, leges, & Deum coleret, urbeſque conderet, & amice cum aliis viveret, ſemina quoque harum rerum præclara, pulchra, & fructum latura inſevit, amorem ſcilicet prolis; ſecuta in hoc prima principia, quæ in ipſa corporis ſunt conſtructione.* Vide ibi plura. GRAEV.

Quod hæc tantum, quantum ſenſu movetur) Ariſtoteles lib. I. Pol. Και ὁ κοινωνων λογυ τοσουτον, ὁσον αισθανεται. *eo uſque rationis particeps, quoad eam ſentiat.* FUL. VRSIN.

Ad id ſolum quod adeſt, quodque præſens eſt ſe accommodat: paululum admodum ſentiens præteritum aut futurum) De hoc etiam Seneca ep. 124. *Tempus tribus partibus conſtat, præterito, præſente, & futuro. Animalibus tantum quod breviſſimum eſt in tranſcurſu datum, præſens: præteriti rara memoria eſt, nec unquam revocatur, niſi præſentium occurſu. Non poteſt ergo perfectæ naturæ bonum imperfectæ eſſe naturæ. At naturam habet. Hoc habet, quod habent & ſata.* Sic hic locus legendus, & interpungendus ex veſtigiis antiquorum librorum. Vulgo ſine ſenſu verba ultima leguntur: *Aut ſi natura habet, hoc habet, quod habent & ſata.* GRAEV.

Homo autem, quod rationis eſt particeps) Hanc rationem Epicharmus vocat θειον λογον, quæ nimirum jus illud naturale conſtituit, quod proprium eſt hominum, ſicut ſimplicem illam ratiocinationem, qua homines utuntur circa victum, & res ad vitam neceſſarias comparandas, quæ ipſis cum beſtiis eſt communis, vocat λογον, & λογισμον. Vide Salmaſ. de uſuris cap. 9. Iuven. Sat. 15. Ratio

ſeparat hæc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile ſoli
Sortiti ingenium, capiendiſque artibus apti,
Senſum a cæleſti demiſſum traximus arce,
Cujus egent prona & terram ſpectantia. Mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque: mutuus ut nos
Adfectus petere auxilium, & præſtare juberet. GRAEV.

Cauſſas rerum videt, earumque progreſſus) Progreſſus ſcriptum reperi in tribus antiquiſſimis codicibus: quo modo item Adr. Turnebus ſe in uno ſcriptum vidiſſe mihi aſſeveravit, ut de ſcripturæ veritate non ſit dubitandum, cum præſertim nomen, *anteceſſiones*, quod

ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adjungit, atque adnectit futuras: facile totius vitæ curſum videt, ad eamque degendam præparat res neceſſarias: eademque natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ ſocietatem: ingeneratque in primis

ſequitur, probet ita legendum eſſe. Lambin. *Earumque prægreſſus*) Optimus quoque noſter in contextu, *progreſſus*, & ſupra, *prægreſſus*, ſcriptum habet; atque ita legendum eſſe, nomen, *anteceſſiones*, quod ſequitur, probat. Fr. Fabrit. Vide & Turneb. Adverſ. XXVI. 32. Sed nihil mutandum. *Progreſſus* hic dicit, quæ in præcedentibus appellat *conſequentia*, uti *anteceſſiones*, quas *cauſſas rerum* dixit, quæ ſolent rem antecedere. Nimirum aliis vocabulis, ut ſæpe ſolet, eamdem rem explicat. Rerum progreſſus videt, eſt, videt, ut res proceſſura ſit, ſeu itura, ut loquitur XIV. ad Att. ep. 15. *Incipit res melius ire, quam putares*. Item Lælio: *Quod quidem, ut ire cœpit, haud ſcio, an aliquando futurum ſit*. In lib. IV. ad Famil. ep. 2. curſus rerum vocat: *Neque ſolum ea perſpicis, quæ geruntur, quæque jam geſta ſunt, ſed etiam qui curſus rerum, qui exitus futurus ſit*. Græv. *Earumque prægreſſus*) Hæc vox exſtat in MSis Mead. pr. Mert. pr. Pal. ſec. in uno Giſanii, Turnebi tribus, & uno Lambini. Vulgo legitur *progreſſus*: ſed vox *anteceſſiones*, quæ proxime ſequitur, & huic copula annectitur, ſatis oſtendit, Ciceronem ſcripſiſſe *prægreſſus*, non *progreſſus*; aliter enim (opinor) ordinem verborum mutaſſet, dixiſſetque *earumque quaſi anteceſſiones & progreſſus non ignorat*. Notandum eſt etiam, per vocem *earum* hic intelligi debere, non *rerum*, ſed *cauſſarum rerum*: ut Cicero dicit in c. 19. de Fato: *Dicent, ſi omnia fato fierent ejuſmodi, ut nihil fieret, niſi prægreſſione cauſſæ, confitendum eſſe fato fieri omnia*. Maturantius recte explicaſſe hunc locum videtur: Non ſolum (inquit) ipſas rerum cauſſas videt, quæ plerumque apertæ ac manifeſtæ ſunt, ut nimia aeris intemperies cauſſa eſt peſtilentiæ: ſed, ſi quid eſt, quod ipſas cauſſas antecedat, ut, cum ex ſignis quibuſdam & prognoſticis futuram percipit aeris intemperiem, quæ peſtilentiæ cauſſa ſit. Pearce.

Similitudines comparat) Libri manuſcripti habent: *Sed ſimilitudines comparat*. Totus locus ex II. de Finibus fiet clarior. *Homines*, inquit, *etſi multis aliis, tamen hoc uno plurimum differunt, quod rationem habeant a natura datam, mentemque & acrem & vigentem, celerrimeque multa ſimul agitantem, &, ut ita dicam, ſagacem; quæ & cauſſas rerum, & conſecutiones videat, & ſimilitudines transferat, & disjuncta conjungat, & cum præſentibus futura copulet, omnemque complectatur vitæ conſequentis ſtatum*. Langius. *Similitudines comparat*) Totus hic locus ex Polybio ſumptus eſt, cujus verba ſunt ex lib. VI. Του γαρ γενους των ανθρωπων ταυτη διαφεροντος των αλλων ζωων, ᾗ μονοις αυτοις μετεςι νου και λογισμου, φανερον ὡς ουκ εικος παρατρεχειν αυτους την προειρημενην διαφοραν, καθαπερ επι των αλλων ζωων, αλλ' επισημαινεσθαι το γινομενον, και δυσαρεςεισθαι τοις παρουσι, προορωμενους το μελλον. και συλλογιζομενους, και παραπλησιον ἑκαςοις αυτων συγκυρησει. *Quoniam enim homo a ceteris animantibus hoc differt, quod mentis & rationis ſit particeps, non eſt profecto ſimile veri, ipſos hanc voluntatum diverſitatem inobſervatam prætermiſſuros, quod faciunt aliæ animantes: ſed admiſſum delictum revocaturos ad animum, & præſentem ſtatum damnaturos: at qui futura proſpicientes, facile ſibi quoque eadem eſſe eventura intelligant*. F. Ursin.

Hominem conciliat homini) Eſt, amicum reddit. Fuit proprium philoſophorum verbum in hac re; vide Senecæ ep. 121. qui de conciliatione ſui multis diſputat. Hoc eſt quod toties inculcat M. Antoninus εν τοις εις ἑαυτον homines eſſe φυσει φιλους, natura amicos. Grævius.

Et ad orationis, & ad vitæ ſocietatem) Ad ſermonem conferendum, & ſimul vivendum. Natura ſocietatem appetimus, hinc & inſtrumentum ſocietatis colendæ nacti ſumus orationem; vide Ari-

Digitized by Google

mis præcipuum quemdam amorem in eos, qui procreati ſunt: impellitque, ut hominum cœtus, & celebrationes eſſe, & a ſe obiri velit: ob eaſque cauſas ſtudeat parare ea, quæ ſuppeditent & ad cultum, & ad victum: nec ſibi ſoli, ſed conjugi, liberis, ceteriſque, quos caros habeat, tuerique debeat. Quæ cura exſuſcitat etiam animos, & majores ad rem gerendam facit. In primiſque hominis eſt propria veri

Ariſtot. I. Polit. 1. Vnde M. Antoninus lib. X. *ἐςι το λογικον ευθυ και πολιτικον*, *quod ratione utitur, neceſſario & ſocietatem appetit*. Vide Senec. IV. de Beneſ. c. 18. IDEM. Primum conſideravit hominem, ut animal eſt; deinde ut rationale; nunc ut ſociale conſiderat: inprimiſque ad partem hanc virtutum officia revocat, & omnem honeſti rationem inde ortam. Lib. II. de Finib. cap. 14. *Eademque ratio hominem fecit hominum appetentem, cumque his natura, & ſermone, & uſu congruentem, ut profectus a caritate domeſticorum, ac ſuorum, ſerpat longius, & ſe implicet primum civium, deinde omnium mortalium ſocietate.* Hinc apparent prima honeſti ſemina, quæ ad juſtitiam pertinent. FACCIOLAT.

Ingeneratque in primis præcipuum quemdam amorem in eos) Craſſus apud Cic. II. de Orat. *Neque boni eſt, neque liberalis parentis, quem procrearit & eduxerit, eum non veſtire & ornare, præſertim cum locupletem ſe negare non poſſet.* Vide etiam Catonem apud Cicer. III. de Fin. GRÆV.

Vt hominum cœtus & celebrari inter ſe, & a ſe obiri velit) Libri aliquot veteres ſine verbo, *celebrari*, ſic habent, *ut hominum cœtus & eſſe, & a ſe obiri* &c. nonnulli *ut hominum cœtus & celebrationes & eſſe, & a ſe obiri velit*: quos ſequor. LAMBIN. Hic locus eleganter reſtitutus eſt de duobus manuſcriptis exempl. per cœtus (quod vocabulum a coeundo venit, unde *cœtus Lunæ* vocatur a Chalcidio pro coitu) quoſvis conventus ſignificat: celebrationes eas *πανηγυρεις* interpretatur, quibus ſpectacula, ludique ſolemnes ad alliciendos & conciliandos vicinos populos exhibebantur: quo nomine valde eas commendat Iſocrates. Tuſcul. V. *Item nos quaſi in mercatus quamdam celebritatem de urbe aliqua, in hanc vitam ex alia vita & natura profectos, alios gloriæ ſervire, alios pecuniæ*; ſignificat etiam frequentationem, ut pro Sulla: *Quæ domus? quæ celebratio? quæ familiaris dignitas? quæ ſtudia amicorum?* C. LANG. *Vt hominum cœtus & celebrari inter ſe, & a ſe obiri velit)* Hæc eſt vera lectio, quæ in vulgatis editionibus, etiam Victorii & Manutii, in quibus legitur, *& ſibi obediri velit*, plane depravata eſt; nam Cicero vult hominem a ratione impelli, ut velit cœtus, & concilia tum inter ipſos homines celebrari, ac frequentari, tum ab unoquoque noſtrum non negligi, ſed obiri. Langius ex duobus antiquis edidit, *ut hominum cœtus & eſſe, & a ſe obiri velit*. Petrus Balduinus, & Guilielmus Morelius teſtantur ſe in vetuſtis libris ſcriptis inveniſſe, *ut hominum cœtus & celebrationes & eſſe, & a ſe obiri velit*. Ad hæc juſtitiæ fundamenta pertinet illud libro ſecundo de Finib. *Eademque ratio facit hominem hominum appetentem, cumque his natura, & ſermone, & uſu congruentem*: ad finem quoque hujus libri, homines dicuntur natura congregati, quod lib. III. de Fin. a Catone pluribus diſputatur. FR. FABRIT. Edidit quidem ſic Langius, ut Fabritius teſtatur, in priore editione, ſed vitio librariorum *celebrationes* omiſſum fuiſſe notæ ejus docent, in quibus explicat, quid ſit *celebratio*; in poſteriore vero recte hanc mendam correxit. Hanc lectionem aſſerit quoque codex Erphordenſis, & primus illam ex antiquis codicibus reponendam eſſe docuit Turnebus Adverſ. XXVI. 32. GRÆV.

Majoreſque ad rem gerendam facit) Neſcio quid hic faciat, ubi loquitur de tuitione ſui, ſuorumque, *res gerere*. De fortitudine poſtea loquetur, cui hic nihil loci. Valde blanditur conjectura doctoris mei ex *ἀεὶ* Ioannis Friderici Gronovii, qui dubitabat, an non legendum ſit: *majoreſque ad rem*

veri inquiſitio, atque inveſtigatio. Itaque cum ſumus neceſſariis negotiis, curiſque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiſcere: cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium ad beate vivendum neceſſariam ducimus: ex quo intelligitur, quod verum, ſimplex, ſincerumque ſit, id eſſe naturæ hominis aptiſſimum. Huic veri videndi cupiditati adjuncta eſt appetitio quædam principatus, ut nemini parere animus bene a natura informatus velit, niſi præcipienti, aut docenti, aut utilitatis cauſa,

quærendam facit. Cura nos noſtroſque tuendi exacuit, inquit Cicero, animos ad artes excolendas, quibus rem faciamus. Manil. lib. I.

Et labor ingenium miſeris dedit: & ſua quemque
Advigilare ſibi juſſit fortuna premendo.

Vide Virgil. I. Georg. 120. prolixe. Græv.

In primiſque hominis eſt propria veri inquiſitio) Sequitur prudentia, ad quam refertur cognitio omnis. Ait igitur, maxime propriam hominis curam eſſe, ut verum inquirat, quod probat ex curioſitate videndi, audiendi, diſcendi. Hanc quoque honeſtatis partem ad hominem ut ſociabilem pertinere, docet in lib. III. de Fin. cap. 20. *Impellimur natura, ut prodeſſe velimus quamplurimis, inprimis docendo, rationibuſque prudentiæ tradendis*. Facciolat.

Avemus aliquid videre, audire, addiſcere) In vulgatis eſt, *ac diſcere*, pro quo Victorius, Langius, & Lambinus *addiſcere* ex antiquis repoſuerunt: id quod duo ex noſtris comprobant, in quibus, *ad beate vivendum*, ut Victorius edidit, non *ad bene beateque vivendum*, etiam legitur, quod Lambinus quoque admonuit. Sic & Pithœi, aliique codices. Fr. Fabrit. Vide de hac naturali hominum diſcendi cupiditate plurimis diſputantem Ciceronem V. de Fin. 18. Grav.

Ad bene beateque vivendum) Codices manuſcripti habent, *ad beate vivendum* tantum, quos ſequor. Lamb.

Quod verum, ſimplex, ſincerumque ſit) Hinc veri ſermo dicitur eſſe ſimplex, & infucatus: Euripides Phœniſſis:

Ἁπλους ὁ μυθος της αληθειας εφυ
Κ' ου ποικιλων δειτ' αν διχ' ἑρμηνευματων
Εχει γαρ αυτα καιρον· ὁ δ' αδικος λογος
Νοσων εν αυτω φαρμακων δειται σοφων.

hoc eſt, interprete Grotio,

Simplex, & infucata veri oratio eſt,
Nil indiget res æqua ſermonum ambitu,
Manifeſta per ſe cauſſa: ſed juris ſui
Vitio laborans, quæris a verbis opem.

Grav.

Ex quo intelligitur) Hinc apparet, fraudem, malitiam, perjurium hominis naturæ repugnare. Facciolat.

Huic veri videndi cupiditati adjuncta eſt appetitio quædam principatus) Hoc quoque ait proprium eſſe homini, ut velit inter ſuos excellere, & ceteris imperare, ſi animus bene ſit a natura informatus, hoc eſt, formatus, fictus, ſi non eum ita natura neglexit, ut nihil ſublime, nihil homine dignum cogitet unquam, ſed vitam ſilentio velut bellua tranſeat, abjectus ad victum tantum, & veneris, & gulæ oblectamenta; ſive non natus ſervus ſit, hoc eſt, ſervili ingenio: de hominibus iſtis ad ſervitutem natis vide Ariſtot. Polit. I. 5. & Galeni libellum, quod animi ſequuntur temperamentum corporis, cap. ult. Tales fuerunt Phryges, Cappadoces. Animam alia reddi perfectiorem cum propter patriam, tum propter alia docet Tertull. de Anima c. 20. Grævius.

Niſi præcipienti, aut docenti, utilitatis cauſſa juſte & legitime imperanti) Hinc Ariſtot. I. Polit. 5. dicit ſapientem natura imperare deteriori, ac minus ſapienti. Exemplo ſit Eumenes. Victus ab Antigono confugiebat ad Argyraſpidas, qui illum recipere nolebant, poſt Alexandrum Magnum, omnes duces dedignantes. Tandem multis precibus fati-

ſa, juſte & legitime imperanti : ex quo animi magnitudo exiſtit, humanarumque rerum contemtio. Nec vero illa parva vis naturæ eſt, rationiſque, quod unum hoc animal ſentit, quid ſit ordo; quid ſit quod deceat, in factis dictiſque

fatigati illum receperunt non tamquam ducem, ſed tamquam commilitonem. *Receptus hac lege*, inquit Iuſtin. XIV. 3. *paulatim imperium primum monendo ſingulos, mox quæ perperam facta erant, blande corrigendo uſurpat: nihil in caſtris ſine illo agi, nihil adminiſtrari ſine ſolertia illius poterat*. GRAVIVS. *Niſi præcipienti, aut docenti*) *Præcipienti* ut Medico, vel Patri, *docenti* ut Magiſtro. MATVRANTIVS. Sed mihi potior videtur iſta lectio, quam Verburgius notavit aliis placuiſſe, *niſi aut præcipienti, & docenti &c.* PEARCE.

Aut utilitatis cauſſa juſte, & legitime imperanti) Nimirum, qui legitime magiſtratus eſt conſtitutus: ad diſcrimen tyrannorum, qui vi & malis artibus, non ſuorum civium voluntate ac ſuffragiis, aut legibus patriæ poteſtatem eam ſunt conſecuti. GRÆV.

Humanarumque rerum contemtio) Falluntur qui legendum putant, *humanarumque rerum contentio*, a verbo *contendo*, referentes ad contentionem, quæ oritur inter homines de rebus utilibus, ut de potentia, & imperio, & honore, & ceteris fortunæ bonis; quo nihil abſurdius excogitari poteſt, & miror, hoc eis veniſſe in mentem. Nam primum pugnantia loqueretur Cicero, & diceret res inter ſe contrarias ex eadem re oriri, nempe virtutem, & vitium: dicit enim ex appetitione principatus, laudabili ſcilicet & honeſta, oriri animi magnitudinem, quæ eſt virtus: & humanarum rerum contentionem, ut vult ille, quæ eſt vituperabilis & vitioſa. Deinde contentio humanarum rerum non pure æque Latine dici poſſe, ut honorum contentio; quoniam hoc eſt uſitatum: illud non item. Induxit illum, quod exiſtimat, apud Ciceronem nolle alteri parere niſi præcipienti &c. eſſe vitioſum, cum M. Tullius ipſe oſtendat, eſſe laudabile his verbis: *animus bene a natura informatus*. Poſtremo demonſtrabo ſic eſſe legendum, ut edidi, & ut habent omnes aliæ editiones, niſi quod habent litteram *p* ante *m*; quam ſcripturam vulgatam ſcio eſſe pravam & perverſam. Sed oſtendamus, id quod polliciti ſumus. De ſimili igitur humanarum rerum contemtione loquitur hic Cicero, atque infra non longe admodum, ibi: *Reliquis autem tribus, neceſſitates propoſitæ ſunt ad eas res parandas, tuendaſque, quibus actio vitæ continetur, ut & ſocietas hominum conjunctioque ſervetur: & animi excellentia cum in augendis opibus, utilitatibuſque & ſibi, & ſuis comparandis, tum multo magis in his deſpiciendis eluceat*. Et infra eodem libro: *Intelligendum eſt autem, cum propoſita ſint genera quatuor, e quibus honeſtas, officiumque manaret, ſplendidiſſimum videri, quod animo magno, elatoque, humanaſque res deſpiciente factum ſit*. Et infra ab eo loco non longe admodum: *In eo enim eſt illud, quod excellentes animos, & humana contemnentes facit*. Et infra, a proximo loco non longe: *Capeſſentibus autem rempub. nihilominus, quam philoſophis, haud ſcio an magis etiam, & magnificentia, & deſpicientia adhibenda eſt rerum humanarum*. Et libro tertio: *Etenim multo magis eſt ſecundum naturam celſitas animi, & magnitudo, itemque communitas, juſtitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiæ: quæ quidem contemnere, & pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi, magni animi eſt & excelſi*. LAMBIN. Frequentiſſime apud Ciceronem celſitas animi cum rerum humanarum deſpicientia conjungitur. Magnus enim animus externa omnia infra ſe poſita ducit. Et hæc quidem prima eſt & potiſſima fortitudinis nota. FACCIOLAT.

Quid ſit ordo, quid ſit, quod deceat, in factis dictiſque qui modus) Langius edidit, *qui ſit ordo*. In optimo noſtro eſt, *quid ſit ordo*. FR. FABRIC. Nihil aliud ſignificat, quam hoc quoque proprium eſſe hominis, quod ſolus inter omnia animalia norit, judicetque quid in omni actione ſermoneve ſit obſervandum

ctiſque qui modus. Itaque eorum ipſorum, quæ adſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venuſtatem, convenientiam partium ſentit: quam ſimilitudinem natura, ratioque ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulchritudinem, conſtantiam, ordinem in conſiliis, factiſque conſervandis putat: cavetque, ne quid indecore, effeminateve faciat: tum in omnibus & opinionibus, & factis, ne quid libidinoſe aut faciat, aut cogitet; quibus ex rebus conflatur, & efficitur id, quod quærimus honeſtum: quod etiam ſi nobilitatum non ſit, tamen honeſtum ſit: quodque vere dicimus, etiam, ſi a nullo laudetur, natura eſſe laudabile.

5. Formam quidem ipſam, Marce fili, & tamquam faciem honeſti vides: quæ ſi oculis cerneretur, mirabiles amores (ut ait Plato) excitaret ſapientiæ. Sed omne quod hone-

dum, quod deceat. Hic eſt ille modus, de quo Horatius:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum. Græv.

Quam ſimilitudinem natura &c.) Senſus eſt: Id quod fit in iis rebus, quæ ſub aſpectum oculorum noſtrorum cadunt, natura & ratio homini data imitando facit in aliis etiam rebus, quæ animo ſolo cernuntur. Simile eſt, quod Noſter dicit in I. de Legib. 8. *Artes innumerabiles repertæ ſunt, docente natura; quam imitata ratio res ad vitam neceſſarias ſollerter conſecuta eſt*; & quod in II. de Fin. 14. *Cujus ſimilitudine perſpecta in formarum ſpecie ac dignitate, tranſitum eſt ad honeſtatem dictorum & factorum.* Pearce.

Conſiliis) Quod antea Tullius *dictis* vocarat, hic vocat *conſiliis*, poſtea vero *opinionibus*: idem tamen ubique intelligendum eſt. Idem.

Cavetque, ne quid indecore.) Scilicet Natura & Ratio cavet, ſeu potius, illud animal natura rationali præditum cavet, ne faciat quid indecore aut effeminate. Idem caſus nominativus etiam ſubintelligendus eſt ante *faciat* & *cogitet* in ſequente ſententia. Idem.

Ne quid libidinoſe aut faciat, aut cogitet) Hinc Iuvenal. Sat. XIII. 209.

Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

Vnde Democrates in ſententiis: *Αγαθον ου το μη αδικειν, αλλα το μηδεν εθελειν. Bonum eſt non ſolum ab injuria, ſed etiam a voluntate lædendi abſtinere.* Nam, ut idem ait: *Δοκιμος ανηρ και αδοκιμος ουκ εξ ων πρασσει μονον, αλλα και εξ ων βουλεται. Vir probus aut improbus non ex operibus tantum, ſed etiam ex voluntate ſpectatur.* Quin & legibus Romanis non tantum facta, ſed & conſilia, & voluntas puniebantur; vide Cujac. Obſervat. XV. 25. Grævius.

Quibus ex rebus) Ex juſta Societatis cura, ex recta inveſtigatione veri, ex rationabili appetitione præſtandi, ex ordine & modo in factis dictiſque omnibus, id eſt ex juſtitia, prudentia, fortitudine, temperantia, efficitur honeſtum; & ex honeſto oritur officium. Facciolat.

Quod etſi nobilitatum non ſit) Et ſi notum non ſit, & prædicetur a nemine. Inferius in lib. II. *Phalaris, cujus eſt inter ceteros nobilitata crudelitas.* II. Tuſc. *Clari & nobilitati labores.* Græv.

Amores, ut ait Plato, excitaret ſapientiæ) Pro *ſapientiæ* Faernus reponebat *ſui*: confirmabatque eam lectionem Platonis

honeſtum eſt, id quatuor partium oritur ex aliqua; aut enim in perſpicientia veri, ſollertiaque verſatur; aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique, & rerum contractarum fide: aut in animi excelſi atque invicti magnitudine, ac robore: aut in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine, & modo, in quo ineſt modeſtia, & temperantia. Quæ quatuor quamquam inter ſe colligata, atque

tonis auctoritate, apud quem eſt ἑαυ-της, & loco ſimili ex lib. II. de Fin. in quo ſcriptum eſt: *Quam illa ardentes amores excitaret ſui, ſi videretur*. Platonis verba ex Phædro, unde hæc Ciceronis tranſlata ſunt, ſubjecimus. δεινους γαρ αν παρειχεν ερωτας, ειτι τοιουτον ἑαυτης εναργες ειδωλον παρειχετο εις οψιν ιον. F. Ursin. *Excitaret ſapientiæ*) Sunt qui hanc lectionem, quam conſenſus omnium librorum tuetur, damnent, rectiuſque legi judicent, *excitaret ſui*. Sed Plato de ſapientia in Phædro dixit, quod Cicero hic ad honeſtatem, quæ a ſapientia tamquam fonte manat, accommodat. Platonis verba ſunt hæc: Οψις ἡμιν οξυτατη των δια του σωματος ερχεται αισθησεων, η φρονησις ουχ ὁραται. δεινους γαρ αν παρειχεν ερωτας, ειτι τοιουτον ἑαυτης εναργες ειδωλον παρειχετο εις οψιν ιον. Quæ Cicero lib. II. de Finib. ſic interpretatur: *Oculorum, inquit Plato, eſt in nobis ſenſus acerrimus: quibus ſapientiam non cernimus; quam illa ardentes amores excitaret ſui, ſi videretur*. Fr. Fabric. Sed ne hæc Faerni conjectura, quamvis vulgatæ anteponenda, omnem ſententiæ labem tollit. Nam Plato hoc non dixerat de *forma & facie honeſti*, ad quam vox *ſui* referenda eſt, ſed de *ſapientia*. Mihi igitur videtur locum ſic legendum eſſe, *quæ, ſi oculis cerneretur, mirabiles amores* (*ut ait Plato de ſapientia*) *excitaret ſui*. Ubi voces iſtæ, *ut ait Plato de ſapientia*, idem ſonant, quod ſequentes, *ut ait Plato, excitaturam mirabiles amores ſui ſapientiam, ſi ea poſſet oculis humanis cerni*. Pearce.

Sed omne quod honeſtum eſt, id quatuor partium oritur ex aliqua) De diviſione virtutum variæ ſunt ſententiæ veterum Philoſophorum. Vt taceam, quod Laertius de Ariſtone memorat, illum ſcilicet, neque, ut Zenonem, multas induxiſſe virtutes, neque, ut Megaricos, unam, quæ nominibus multis vocetur, ſed dixiſſe ſolum, eam eſſe quodammodo ad aliquid: itemque quod habes de Apollophane, aſſeruiſſe ſcilicet illum unicam virtutem, prudentiam: conſtat vulgatiſſimam eſſe, quam Epicurus quoque agnovit, virtutis diviſionem in quatuor ſpecies celebres, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, & juſtitiam. Ipſe Ariſtoteles egit quidem in Ethicis, neque uno ſane loco tantum, de hiſce quatuor virtutibus: verum ſic præterea diſſeruit de manſuetudine, liberalitate, animi magnitudine &c. tamquam de ſpeciebus virtutis diſtinctis, ſed earum numerum non definit. Ante Ariſtotelem autem Plato, tametſi viſus interdum fuerat hiſce ſpeciebus addere alias, nihilominus lib. IV. & VI. de Repub. numerum virtutum in civitate neceſſariarum hiſce quatuor circumſcripſit, ſapientia, ſeu prudentia, fortitudine, temperantia, juſtitia, quod & Laertius libro III. adſtruit. Deinceps quoque licet Stoici varii virtutem varie diviſerint, Poſidonius tamen inter ceteros, eadem quatuor genera ſtatuit, ut apud eumdem eſt Laertium. Vnde Cicero videtur partim ex Platone, partim ex Stoicis, Epicuroque ipſo ſumſiſſe, quod de quatuor his virtutibus hoc loco tradidit. P. Gassendus de morali Philoſophia Epicuri.

Quæ quatuor quamquam inter ſe colligata atque implicita ſunt) Eſt hoc Stoicorum dogma, τας αρετας ανταχολουθειν αλληλας, και τον μιαν εχοντα πασας εχειν, *virtutes eſſe inter ſe nexas, ut omnes habeat, qui unam habeat*. Et Chryſippus ſpeciatim apud Plutarchum, *eſſe virtu-*

atque implicita ſunt, tamen ex ſingulis certa officiorum genera naſcuntur: velut ex ea parte, quæ prima deſcripta eſt, in qua ſapientiam & prudentiam ponimus, ineſt indagatio, atque inventio veri: ejuſque virtutis hoc munus eſt proprium. Vt enim quiſque maxime perſpicit, quid in re quaque veriſſimum ſit, quique acutiſſime, & celerrime poteſt & videre, & explicare rationem, is prudentiſſimus & ſapientiſſimus rite haberi ſolet; quocirca huic, quaſi materia, quam tractet, & in qua verſetur, ſubjecta eſt veritas. Reli-

virtutes connexas docet non ſolum, quod qui unam habet, omnes habet; verum etiam, quod qui ſecundum unam aliquid, idem agat ſecundum omnes, & neque vir perfectus ſit, qui non omnes virtutes habeat, neque actio perfecta, quæ non fiat ſecundum omnes; vide Ciceron. II. Tuſcul. & Senec. ep. 67. P. Gassendus, qui de morali Philoſophia Epicuri pluribus de hoc ſcito Stoico agit.

Quæ primo deſcripta eſt) Longe venuſtius Pithœanus codex: *quæ prima deſcripta eſt*, ut fit editio C. Langii: Fr. Fabricius. *Deſcripta* vero non eſt, ut vulgo accipiunt, definita, ſed collocata, & ordinata primo loco. Cic. de petit. conſuli. *Etſi hominibus ſtudioſis noſtri gratioſiſſime ſuum cuique munus deſcripſimus*. Horat. de Arte poet. *deſcriptas ſervare vices*, hoc eſt impoſitam perſonam recte gerere. Sic *deſcriptio* in hujus libri cap. 7. *Similiſque eſt privatarum poſſeſſionum deſcriptio*, eſt aſſignatio. Sic *deſcripte* eſt ordine, & opponitur τῷ *confuſe* apud eundem Cicer. I. de Invent. Rhet. *In præſentia tantummodo numeros & modos & partes argumentandi confuſe & permixte diſperſimus, poſt deſcripte & electe in genus quodque cauſſæ digeremus*. Et *deſcriptus* eſt apte diſpoſitus, ordinatus in III. de Finib. *Quid enim in natura, qua nihil eſt aptius, nihil deſcriptius, aut in operibus manu factis tam compoſitum*. Acceperunt hoc loquendi genus Latini a Græcis, quibus καταγράφειν in eadem ponitur notione. Grævius.

In qua ſapientiam, & prudentiam ponimus) Sapientia & prudentia hic eadem eſt virtus, ut ſæpe alias Ciceroni, & Platoni, aliiſque. Ariſtoteles cum σοφίαν, ſapientiam, vocat ſcientiam rerum multarum & mirabilium: prudentiam vero virtutem, quæ rebus ad vitam utilibus incumbit. *Ex quo fit*, inquit VI. Eth. 7. *ut Anaxagoram, Thaletem, ceteroſque id genus viros, ſapientes quidem eſſe dicant, prudentes vero minime, quod ignorare illos ea, quæ ſibi ſunt utilia, obſervent: callere vero interim eximia quædam, admirandaque & difficilia, atque divina, ſed nihilominus inutilia, quia quæ ſunt bona humana non quærunt*. Agit hic Cicero non de ſublimi illa ſapientia, quæ in occultis rerum cauſſis perveſtigandis tota eſt, ſed de prudentia illa, quæ omnes vitæ actiones moderatur recte, & bona a malis, utilia a noxiis diſcernit, quæ, quid ſequi, fugereve oporteat, præſcribit, hominemque ad bene vivendum inſtituit. Hanc ſapientiam quoque dixit Afranius tritis illis:

Vſus me genuit; mater peperit memoria:
Σοφίαν vocant me Graii, vos ſapientiam.

Gassendus.

Vt enim quiſque maxime perſpicit, quid in re quaque veriſſimum ſit, &c.) Talis fuit Themiſtocles, qui, ut C. Nepos in ejus vita ait, *celeriter, quæ opus erant, reperiebat: quod & de inſtantibus, ut ait Thucydides, veriſſime judicabat, & de futuris callidiſſime conjiciebat. Nec minus in rebus gerendis promtus, quam excogitandis erat*. Sic hunc locum trajectione verborum laborantem in editis bene Auguſtus Buchnerus conſtituit. Grævius.

Subjecta eſt veritas) Prudentia poſita eſt in cognitione, juſtitia, fortitudo, temperantia in actione. Nam prudentia ſpectat veritatis notitiam, juſtitia ſocietatis conſervationem, fortitudo animi in agendo celſitatem, temperantia

Reliquis autem tribus virtutibus neceſſitates propoſitæ ſunt ad eas res parandas, tuendaſque, quibus actio vitæ continetur: ut & ſocietas hominum, conjunctioque ſervetur: & animi excellentia magnitudoque cum in augendis opibus, utilitatibuſque, & ſibi, & ſuis comparandis, tum multo magis in his ipſis deſpiciendis eluceat. Ordo autem, & conſtantia, & moderatio, & ea, quæ ſunt his ſimilia, verſantur in eo genere, ad quod adhibenda eſt actio quædam, non ſolum mentis agitatio. His enim rebus, quæ tractantur in vita, modum quemdam & ordinem adhibentes, honeſtatem & decus conſervabimus.

6. Ex quatuor autem locis, in quos honeſti naturam, vimque diviſimus, primus ille, qui in veri cognitione conſiſtit, maxime naturam attingit humanam. Omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis, & ſcientiæ cupiditatem: in qua excellere pulchram putamus: labi autem, errare, neſcire, decipi, & malum, & turpe ducimus. In hoc genere & naturali, & honeſto, duo vitia vitanda ſunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hiſque temere aſſen-

rantia ordinem, conſtantiam, moderationem in rebus omnibus, quæ tractantur in vita. FACCIOLAT.

Reliquis autem tribus virtutibus neceſſitates propoſitæ ſunt ad eas res parandas, tuendaſque, quibus actio vitæ continetur) Ceteræ tres virtutes, ut juſtitia, fortitudo, temperantia verſantur in rebus neceſſariis conſervandis, parandis, & ſine quibus vitam agere commode civilem non poſſumus. Hoc quomodo fiat, & officia ex his virtutibus manantia, quid ad vitam facile tegendam, & ſocietatem tuendam conferant, in ſequentibus oſtendet. GRÆV.

Primus ille) Cum Honeſtum in quatuor partes diſtinxerit Cicero, de iis ſingulis præcepta daturus eſt: Hic primam partem, nempe veri cognitionem tractat: Secundam, qua *Juſtitia* continetur, ab initio c. 7. uſque ad medium c. 18. Tertiam, in qua ineſt *Fortitudo*, a medio c. 18. ad finem c. 26. Quartam vero, ad quam referendus eſt *Ordo*, *Conſtantia*, & *Moderatio*, ab initio c. 27. uſque ad finem c. 42. PEARCE.

Naturam attingit humanam) I. e. naturæ humanæ maxime convenit & accommodatus eſt: ſic in c. 22. *Hæc quidem res non ſolum ex domeſtica eſt ratione, attingit etiam bellicam*: i. e. bellicæ rationis vim habet, eique quodammodo convenit. IDEM.

Omnes trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem) Seneca de otio ſapientis cap. 32. *Hoc non erit probatum, ſi ſe unuſquiſque conſuluerit, quantam cupiditatem habeat ignota noſcendi, quam ad omnes fabulas excitetur? Navigant quidam, & labores peregrinationis longiſſimæ una mercede perpetiuntur, cognoſcendique aliquid abditum remotumque. Hæc res ad ſpectaculum populos contrahit, hæc cogit præcluſa rimari, ſecretiora exquirere, antiquitates evolvere, mores barbararum audire gentium. Curioſum nobis natura ingenium dedit: & artis ſibi ac pulchritudinis ſuæ conſcia ſpectatores nos tantis rerum ſpectaculis genuit, perditura fructum ſui, ſi tam magna, tam ſubtiliter ducta, tam nitida, & non uno genere formoſa ſolitudini oſtenderet.* Vide ibi plura. GRÆV.

Ne

Digitized by Google

aſſentiamus; quod vitium effugere qui volet, (omnes autem velle debent) adhibebit ad conſiderandas res & tempus, & diligentiam. Alterum eſt vitium, quod quidam nimis magnum ſtudium, multamque operam in res obſcuras, atque difficiles conferunt, eaſdemque non neceſſarias: quibus vitiis declinatis, quod in rebus honeſtis, & cognitione dignis operæ curæque ponetur, id jure laudabitur: ut in aſtrologia C. Sulpicium audivimus: in geometria Sex. Pompeium ipſum cognovimus: multos in dialectica, plures in jure civili; quæ omnes artes in veri inveſtigatione verſantur: cujus ſtudio a rebus gerundis abduci contra officium eſt; virtutis enim laus omnis in actione conſiſtit: a qua tamen ſæpe fit intermiſſio: multique dantur ad ſtudia reditus:

Ne incognita pro cognitis habeamus, hiſque temere aſſentiamus) Balduinus annotat in vetuſtis libris legi, *aſſentiamus*, quod ego in tribus inveni, itaque Manutius, Cratander, & Langius ediderunt. Sic cum alibi, tum in Conſolatione dixit: *Aſſentiamus eorum ſapientiæ, quorum ingeniis & inventis omnem vitam legibus & inſtitutis excultam conſtitutamque habemus*: ita manuſcriptus liber Lactantii cap. 15. lib. I. Fr. Fabrit. Hoc, quod hic Cicero præcipit, M. Antoninus Imperator a Junio Ruſtico in tenera ætate ſe didiciſſe gaudet lib. I. των εις ἑαυτον. Και το ακριβως αναγιγνωσκειν· και μη αρκεισθαι περινοουντα ὁλοσχερως· μηδε τοις περιλαλουσι ταχεως συγκατατιθεσθαι. *Accurate legendum, neque conſiderationem confuſam & generalem ſatis putandam, neque celeriter aſſentiendum temere garrientibus*. Et hoc patrem ſuum præſtitiſſe memoriæ prodidit idem eodem libro: Και το ζητητικον ακριβως εν τοις συμβουλιοις, και επιμονον, αλλ' ου το προαπεστη της ερευνης αρκεσθεις ταις προχειροις φαντασιαις. *In conſiliis accurate quid conducere poſſet, ac diu inquirebat, neque obviis quibuſque cogitationibus contentus finem conſultandi faciebat*. Grævius.

Multamque operam in res obſcuras & difficiles conferunt) Hujus nomine diis gratias agit M. Antoninus lib. I. των εις ἑαυτον. Οπως επεθυμησα φιλοσοφιας, μη εμπεσειν εις τινα σοφιστην, μηδε αποκαθισαι επι του συγγραφεις η συλλογισμους αναλυειν, η περι τα μετεωρολογικα καταγινεσθαι. *Quod cum animum ad Philoſophiam adjunxiſſem, non incidi in ſophiſtam aliquem, nec vulgaribus ſcriptoribus legendis tempus trivi, nec ſolvendis ſyllogiſmis, nec cæleſtibus curioſe perſcrutandis detentus ſum*. Grævius.

In veri veſtigatione) Veſtigationis nomen Langius hic recepit, & Lambinus retinuit: pro quo in aliis compoſitum, *inveſtigatione*, legitur. *Veſtigator*, ait Varro, a *veſtigiis ferarum*, quas indagatur. Fr. Fabrit. Sane prima quoque editio: *veri veſtigatione*; ſed vereor ne primam ſyllabam ultima præcedentis abſorpſerit. Nam *inveſtigatione* legitur etiam in Pithœano, & meo MSo. Grævius.

A qua tamen ſæpe fit intermiſſio) A qua ſc. actione. Senſus horum & ſequentium verborum videtur hujuſmodi eſſe: Ab actione ſæpe liberi & vacui eſſe poſſumus, non ſolum cum ad Muſea noſtra recedamus, ibique ſtudia recolamus, ſed etiam cum non eo nos recipiamus; nam *mentis agitatio* (ſive communis ejus ab aliis ad alias res curſitatio) efficiet, ut *ſine opera noſtra* (i. e. cum non id ex profeſſo, ut in Muſeis, facimus) *contineamur in ſtudiis cogitationis*, ſive in iis ſtudiis, quæ cogitationem requirunt, quibuſque actio opponitur. Duo horum ſtudiorum cogitationis genera Cicero hic profert: unum, quod *in conſiliis capiendis de honeſta*

Digitized by Google

ditus: tum agitatio mentis, quæ nunquam acquieſcit, poteſt nos in ſtudiis cogitationis etiam ſine opera noſtra continere.

ulto verſatur; alterum, quod *in ſtudiis ſcientiæ cognitioniſque*: utrumque eſt *ſtudium cogitationis*, h. e. id genus ſtudii, in quo cogitatio exercetur: utrumque ab actioue, in qua omnis virtutis laus, disjunctum eſt. Nihil igitur opus eſt, ut in ſequentibus hiſce, *poteſt nos in ſtudiis cogitationis*, aut cum Grævio deleamus vocem *cogitationis*, aut cum Lambino eam vocem in *cognitionis* mutemus. Non multum diſſimile eſt id, quod Noſter dicit de Africano in III. 1. *Ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione, inveſtigationeque earum rerum, quas cogitando conſequebatur, nec otioſum, nec ſolum eſſe*. PEARCE.

Poteſt nos in ſtudiis cognitionis) Sic legendum eſt, vel libris omnibus reclamantibus: non ut vulgo, *cogitationis*; nam primum abſurdum eſt ita dicere, agitatio mentis poteſt nos continere in ſtudiis agitationis, ſeu cogitationis. Deinde cum cogitatio verſetur vel in conſiliis capiendis de rebus ad bene beateque vivendum pertinentibus, vel in ſtudiis cognitionis: ſtudia cogitationis a ſtudiis cognitionis differant neceſſe eſt; ſic enim & ſtatim loquitur, aut in ſtudiis ſcientiæ, cognitioniſque. LAMBIN. Lambini emendationi ſuffragantur variæ lectiones, quas Paulus Manutius ante annos XX. divulgavit. Idem Manutius operam hic intelligi ait, cum legimus, ſcribimus, diſputamus, audimus. FR. FABRIT. Multis contra hanc Lambini conjecturam diſputat Aldus Manutius. Sed ratio nullius eſt momenti, qua tueri lectionem vulgatam ſtudet. Tria enim eſſe diverſa contendit, virtutis actionem, cognitionis ſtudia, & mentis agitationem. Hanc non ad unam cognitionem referri, ſed tum ad conſilia de bene vivendo, tum ad inquirendum verum: quæ quis negat? ſed hunc ſenſum quis ex his verbis exprimat: agitatio mentis poteſt nos in ſtudiis cogitationis continere? quod quid aliud eſt, ut recte Lambinus animadvertit, agitatio mentis, ſeu cogitatio continet nos in ſtudiis cogitationis? Quid enim eſt agitatio mentis aliud, quam cogitatio; ut ipſe explicat in ſequentibus verbis, *cogitatio, motuſque animi*? Præterea, quæ ſunt ſtudia cogitationis? quæ forte cogitando & meditando extundimus. Sed hæc eſt cognitio, quam parit cogitatio ſeu meditatio. Nihil huc pertinet locus elegans, quem ex VI. ad Fam. ep. 1. affert: *De te autem ipſo*, Torquate, *eſt tuum, ſic agitare animo, ut non adhibeas in conſilium cogitationum tuarum deſperationem, aut timorem*; hoc eſt, de te autem ſic te decet cogitare, ut non cogites de deſperatione, aut metu mortis, ſive de tuis rebus cum cogitas, non debes cogitare deſperata eſſe omnia, & extrema tibi metuenda. Vides igitur quam longe ſit diverſus ab iſto, quem hic expendimus, loco, in quo legitur, agitatione mentis ſtudia agitationis contineri; quod eſt abſurdiſſimum, & nullius ſententiæ. Cenſeo igitur, aut *cogitationis* eſſe interpretationem, quæ ex margine in contextum irrepſit, cum quis expoſuiſſet hac voce, quid eſſet agitatio mentis, dein cum idem ſentirent eſſe cogitatio, & agitatio mentis, τὸ *cogitatio* protruſa eſt ad vocem *ſtudiis*: inde nata eſt hæc inſulſa ſcriptura *ſtudia cogitationis*: aut Lambini conjectura eſt approbanda, quam ſane, ſi ei vetuſtior liber ſuffragaretur, reciperemus. In variis tamen lectionibus, quas Robertus Stephanus editioni minori hujus libelli, quæ 1546. Pariſiis prodiit, ſubnectit, legitur quidem *ſtudiis cognitionis etiam*, ſed in fronte libri ſignificat, eas lectiones non ſolum ex libris manuſcriptis, ſed & ex ingenio hauſtas. Nihil itaque, invitis libris, auſus ſum novare. Quamvis perſuaſiſſimum mihi ſit, Ciceronem ſcripſiſſe *cognitionis*, ſicque Ambroſium iis, quibus utebatur, inveniſſe codicibus, qui hæc verba ut pleraque alia in ſuos de officiis libros tranſtulit. Sic enim in cap. 27. lib. I. in quo de hoc ipſo argumento agit: *Omnibus igitur hominibus*, inquit, *ineſt ſecundum naturam humanam verum inveſtigare, quod ad ſtudium cognitionis & ſcientiæ trahit*. Mens Ciceronis hæc eſt, Res ſunt gerendæ: a

quibus

re. Omnis autem cogitatio, motuſque animi; aut in conſiliis capiendis de rebus honeſtis, & pertinentibus ad bene, beateque vivendum, aut in ſtudiis ſcientiæ, cognitioniſque verſatur. Ac de primo quidem officii fonte diximus.

7. De tribus autem reliquis latiſſime patet ea ratio, qua ſocietas hominum inter ipſos, & vitæ quaſi communitas continetur; cujus partes duæ ſunt: juſtitia, in qua virtutis ſplendor eſt maximus: ex qua boni viri nominantur: & huic conjuncta beneficientia, quam eamdem vel benignitatem,

quibus nimium rerum abſtruſarum ſtudium nos non debet avocare, præſertim, cum, ſi illo tenemur, ſæpe poſſimus a rerum actione ad illud reverti, horis nimirum ſubſicivis, aut cum *aliquæ venient feriæ, quæ nos ſoluto pectore ad ſtudium vocent*. Præterea mentis agitatio, ſeu meditatio poteſt nos etiam ſine labore corporis, etſi Muſeo non ſimus affixi, nec legendo, ſcribendove demus operam, in balneis, in itinere, in lecto, exercere in ſtudiis. Nam *continere* proprie de magiſtris dicitur, qui exercent adoleſcentes, ut I. Frid. Gronovius olim docuit. Cic. VII. ad Fam. 19. *Ut vero ipſi tibi loci propoſita quæſtione occurrant, exercitatione conſequere, in qua quidem nos te continebimus*. Petron. *Nondum juvenes declamationibus continebantur*. Gell. XIX. 1. *Quem ego Athenis cognovi non parvi virum auctoritate, ſatiſque attente diſcipulos juvenes continentem*. Phædrus: *Exemplis continetur Æſopi genus*. Graevius.

Omnis autem cogitatio) Duplex eſt cogitationis ratio: prima verſatur in conſultando & deliberando de officio, hoc eſt in delectu bonorum, & malorum: altera refertur ad ſcientiam & cognitionem. Prima dicitur prudentia, ſecunda ſapientia: utraque tamen pertinet ad unam eamdemque honeſti partem, & pro virtute una hoc loco ſumitur. Facciolat.

Ac de primo quidem officii fonte diximus) In manuſcripto eſt *ſatis diximus*; in impreſſis autem deeſt *ſatis*, quod tamen videtur non eſſe ſupervacaneum. F. Ursin.

Latiſſime patet ea ratio, qua ſocietas) Abſoluto loco de ſapientia & prudentia, tranſit ad ſecundam partem honeſtatis, quæ pertinet ad tuendam & conſervandam hominum ſocietatem, cujus partes duas eſſe dicit, juſtitiam, & liberalitatem. Iuſtitia nemini ſuum eripit, liberalitas etiam aliis de ſuo ſponte largitur. Iuſtitia nemini nocet; liberalitas ſponte aliis prodeſt. Bipartita igitur hæc diſputatio futura eſt. Primum enim de juſtitia dicetur, dein de liberalitate. In juſtitia ait, virtutis ſplendorem eſſe maximum, convenienter ei, quod apud Ariſtot. legitur, οὔθ' ἕσπερος οὔθ' ἑῷος οὕτως θαυμαστὸς εἶναι, *neque veſperum, neque luciferum tanta homines admiratione afficere*: & ex ea bonos viros nominari, πᾶς γάρ ἀνὴρ ἀγαθός, Κύρνε, δίκαιος ἐών, *omnis enim vir bonus eſt, Cyrne, juſtus qui eſt*, ait Theognis. Muretus.

Vitæ quaſi communitas) Eſt ſocialis iſta vita, quæ hominibus præ ceteris animalibus eſt propria; male nonnulli hæc explicant. Cicer. III. de Finib. *Quemadmodum membris utimur, priuſquam didicimus, cujus ea utilitatis cauſſa habeamus, ſic inter nos natura ad civilem ſocietatem conjuncti & conſociati ſumus*. Ibid. *Præclare Chryſippus cetera nata eſſe hominum cauſſa & deorum, eos autem communitatis & ſocietatis ſuæ*. Paullo poſt: *Homines natos eſſe ad congregationem hominum, & ad ſocietatem communitatemque generis humani*. Graev.

Conjuncta beneficientia) Antiqui libri *beneficientia*, quo modo *beneficientiſſimus* in Lælio ſcribitur; quod eſt ſecundum analogiam: diceretur enim *beneficiens*. Sic *deſpicientia* dixit infra, ut *proſpicientia* in Philipp. VII. ubi tamen ſcioli *providentia* repoſuerunt. C. Langius.

Cum

Digitized by Google

tem, vel liberalitatem appellari licet. Sed juſtitiæ primum munus eſt, ut ne cui quis noceat, niſi laceſſitus injuria: deinde ut communibus utatur pro communibus, privatis ut ſuis.

Cum & Langius teſtetur ſuos codices habere, *beneficientia*, & noſtri itidem habeant, non putavi mihi crimen temeritatis eſſe pertimendum, ſi tot librorum conſenſum ſecutus eſſem. Lambin. In Pall. & Guilielm. quatuor, nec non in Grævii Mss. *beneficientia* quoque legitur. Probat quoque Giffanius in indice Lucretiano in *deſipientia*, & Voſſius in II. de Analog. 25. Grævius.

Ne cui quis noceat) Hoc vere & præclare dictum eſt. Cum enim juſtitia bonum quiddam ſit, & boni ea vis ac natura ſit, ſemper prodeſſe, nunquam nocere, neceſſario efficitur, juſtum nemini nocere. Itaque Deus, qui ſumme juſtus eſt, aut ipſa potius ſumma juſtitia, nunquam nocet, ſed ſemper etiam, cum ulciſcitur, prodeſt. Muret.

Niſi laceſſitus injuria) Huic primo præcepto juſtitiæ, nemini nocere, additur exceptio, ut, qui injuria laceſſitus ſit, is juſte ei, a quo laceſſitus eſt, viciſſim nocere poſſe videatur. Ideo Lactantius hunc ipſum locum reprehendit lib. VI. cap. 18. Vir bonus quidem nunquam quidquam facere debet, ne laceſſitus quidem, ut noceat alteri: poteſt tamen factam ſibi injuriam ſine vitio ulciſci. Omnes, qui ſe ulciſci volunt, aut ſua cauſſa id faciunt, aut aliena. Sua tribus modis. Aut enim, ut ſibi expleant animum reponendo dolore ei, a quo læſi ſunt: quaſi facilius laturi dolorem ſuum, ſi ei quoque, qui eum attulit, male eſſe viderint: aut ex ultione commodum ſibi & emolumentum aliquod quærunt: ut ſi tu mihi centum per injuriam abſtuleris, ego quoque totidem a te auferre cupiam, aut etiam pœnæ nomine aliquanto amplius: aut ſibi cavere in poſterum & proſpicere volunt, metuentes, ne in contemtum adducantur, neve aut ab eo ipſo, qui læſit, aut ab aliis, quaſi per ludibrium alias injurias accipiant. Scitum enim eſt illud: *Veterem ferendo injuriam invitas novam*. Aliena autem cauſſa ulciſci ſe ſtudent duobus modis. Aut enim ipſius cauſſa qui læſit, ut ei quaſi medeantur, eumque modeſtiorem efficiant: aut etiam reip. cauſſa, ut ejus, quem ulciſci volunt, exemplo coerceantur alii, & ab injuria abſterreantur, ſitque, ut Iuriſconſulti loquuntur, pœna unius, metus multorum. Ita Deum peccata hominum ulciſci dixerat Chryſippus lib. I. de Iuſtitia. Ἵνα τῶν πονηρῶν κολαζομένων οἱ λοιποὶ παραδείγμασι τούτοις χρώμενοι, ἧττον ἐπιχειρῶσιν ὅμοιόν τι ποιεῖν. *Ut improborum, qui pœnas dederunt, exemplis ceteri edocti minus audeant honum quid perpetrare*. Muret. Sed vide Grotium lib. II. de Iure Belli & Pacis cap. 1. Nec tamen ex Stoicorum ſchola. Horum enim ſcitum eſt, neminem lædi, niſi a ſe ipſo. Non poteſt ergo ſapiens Stoicus laceſſi injuria, aut ulla alterius injuria impelli ad ei nocendum. Sed hæc ſcribi præcipique non ſapientibus, ſed viris bonis, ſuperius dixit Tullius. Præterea hæc, laceſſito injuria laceſſenti nocere fas eſſe, intelligenda ſunt de ratione, qua non aliter poſſum arcere injuriam. Nam in civitate, ubi jure licet agere, legibus, & judici res committenda eſt, qui inferentem injuriam puniat. Qui explendi animi cauſſa ſe ulciſcuntur, merito damnantur ab omnibus. Vide Senec. III. de Ira 32. Iuvenal. Sat. XIII. 180. H. Grot. II. de Iure Belli & Pacis c. 20. §. 5. Græv. Hæc qui legat, meminerit ea, quæ Cicero dicit in c. 11. *Haud ſcio an ſatis ſit, eum, qui laceſſierit, injuriæ ſuæ pœnitere: ut & ipſe, ne quid tale poſthac, & ceteri ſint ad injuriam tardiores*. Meminerit etiam hæc de illo dici, qui in ſtatu (ut vocant) naturæ vivit, non in civitate, ubi leges & judicia conſtituta ſunt, quæ injurioſos pœna afficiant. Pearce.

Ut communibus utatur pro communibus) Modus utendi communibus explicatur in lib. III. de Finib. cap. 20. *Theatrum non commune ſit, recte tamen dici poteſt, ejus eſſe eum locum, quem quiſque occupavit*. Id ipſum pluribus oſtendit per eque-

ſuis. Sunt autem privata nulla natura: ſed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt: aut victoria, ut qui bello potiti ſunt: aut lege, pactione, conditione,

equeſtria Seneca in lib. VII. de Beneſ. cap. 12. FACCIOLAT. *Ut communibus utatur*) Sc. omnis homo: in ſuperiore ſententia dixerat *ne quis*: ex iſtis igitur negativis vocibus ſubintelliguntur hic affirmativæ. Vide quæ annotavi ad Ciceronem de Oratore I. 51. PEARCE.

Sunt autem privata nulla natura) Ut in initio rerum, cum eſſent omnia communia & indiviſa omnibus, veluti unum cunctis patrimonium eſſet, ut Iuſtinus loquitur XLIII. 1. ut quiſque hominum ad ſuos uſus arripere poſſet, quod vellet, & quæ conſumi poterant, conſumere. Horat. II. Sat. 2.

Nam propriæ telluris herum natura neque illum,
Nec me, nec quemquam ſtatuit, nos expulit ille,
Illum aut nequities, aut vafri inſcitia juris,
Poſtremum expellet certe vivacior heres.
Nunc ager Umbreni ſub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erit nulli proprius, ſed cedet in uſum
Nunc mihi, nunc alii.

Seneca ep. 90. *Hæc* (philoſophia docuit) *& inter homines conſortium: quod aliquamdiu inviolatum manſit, antequam ſocietatem avaritia diſtraxit, & paupertatis cauſſa etiam his, quos fecit locupletiſſimos, fuit. Deſierunt enim omnia poſſidere, dum volunt propria. Sed primi mortalium, quique ex his geniti, naturam incorrupti ſequebantur. Conſortium* eſt indiviſa bonorum communitas; vide & Plin. proœm. Hiſt. Nat. 23. & H. Grot. de Mari libero cap. 5. & II. de Iure Belli & Pacis cap. 2. Sententiam hanc nonnulli quidem impugnarunt, ſed nihil ea certius. Proprium ortum eſt ex pacto & conventu hominum. Cum omnia eſſent communia, & in medio poſita, ex eorum uſu vero lites orirentur, ut inter Lothi, & Abrahami familiam, convenit inter eos uſus ſingulorum, non quia Deus uſquam hoc præceperat, ſed quia id e re ſocietatis humanæ videbatur eſſe. GRÆVIUS.

Aut veteri occupatione) Vide H. Grot. II. de Iure Belli & Pacis c. 2. §. 2. IDEM.

Aut victoria) Unus liber habet: *aut bello, ut qui victoria potiti ſunt*; recte: nam in aliis libris perverſo ordine voces ſunt poſitæ. LAMBIN. Victoria ait fieri e communibus privata: nam quibus belli impetu potimur, ea vi & jure victoriæ poſſidemus. Eſt ergo hic *bello potiri*, in bello occupare, & nobis vindicare: neque neceſſe, ſententiæ explicandæ cauſſa locum integrum pervertere cum Lambino, invitis præſertim libris omnibus, quos ego aut alii viderint. GUILIELM.

Aut lege) Cum nimirum ager publicus, aut ab hoſte captus deſcribitur in cives, ut lege Lycurgi diviſus eſt æqualiter ager Laconicæ, aut cum lege aut naturæ, aut gentium, aut etiam civili meum fit, ut hereditas, quæ ab inteſtato venit; vide Grot. de Iure Belli & Pacis II. 7. Pertinet huc etiam, ut bene Rachelius notat, uſucapio, de qua Grot. II. de Iure Belli & Pacis cap. 4. GRÆVIUS.

Pactione, conditione) Indulgent ignaviæ grammaticorum, qui ad eorum munus pertinere negant, inquirere atque explicare, quid ſit, *Conditio*: quam interpres Terentii in Andriam ita definit, *Conditio eſt pactio certam legem in ſe continens*. Cicero in Topicis: *Si quæratur, a natura ne ſit jus, an ab alia quaſi conditione & pactione hominum.* Quod autem vulgo hic legitur, *Aut victoria, ut qui bello potiti ſunt*: id aperte mendoſum, & a Lambino ex libri veteris auctoritate recte emendatum eſt. FR. FABRIC. Proprietatem quæri Cicero dicit, aut venditionis *lege*, aut *pactione* aliqua & contractu; etiam *conditione*, ſi quid feceris, aut dederis, interdum dominium acquiritur, cum ita convenit: poſtremo *ſorte*, ut in coloniis deducendis cum aſſignabantur agri, centuriæ ſingulæ certo militum numero, miſſis in urnam eorum nominibus: nam quæ pars cuique evenerat, ſortitio ejus cenſebatur. Turnebus Adverſar. XXVI. 32. PEARCE.

Ex

Digitized by Google

ne, ſorte: ex quo ſit, ut ager Arpinas Arpinatum dicatur, Tuſculanus Tuſculanorum. Similiſque eſt privatarum poſſeſſionum deſcriptio; ex quo, quia ſuum cujuſque ſit eorum, quæ natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quiſque teneat: ex quo ſi quis ſibi appetet, violabit jus humanæ ſocietatis. Sed quoniam, (ut præclare ſcriptum eſt a Platone) non nobis ſolum nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria vindicat, partem amici: atque, (ut placet Stoi-

Ex quo ſit, ut ager Arpinas Arpinatum) Varro in *Age modo* apud Nonium: *Terra culturæ cauſſa attributa olim particulatim, ut Etruria Thuſcis, Samnium Sabellis*. GRÆV.

Ex quo ſi quis ſibi appetet) *Appetere* proprie eſt amplius petere, demum vehementer velle, atque etiam vi invadere, ut *appetere regnum*; *homo appetens* pro avido contra Rullum; *animus appetens*, de Oratore. Sic infra: *Ne cupide quid agerent, ne appeterent*. Livius lib. I. *Creſcebat interim urbs munitionibus alia atque alia appetendo loca*; quam verbi hujus proprietatem, qui ignorarunt, locum corruperant. Hoc enim vult dicere: ex eo, quod alterius ſit, neminem appetere ſine injuria poſſe. Nam plus velle, vel plus quærere, quam poſſideas, cur ſit injuſtum, dum id fiat abſque dolo malo? ut puta occupatione vacui, juſto bello, aliove quo non illicito pacto? LANG. *Eo ſi quis ſibi plus appetet*) Secutus ſum libros vulgatos; nam etiam noſtri ſic habent, ut ii, quibus eſt uſus Langius, *ex quo ſi quis ſibi appetet*, &c. LAMB. Cur recedamus a codicibus antiquis cauſſa nulla eſt. Egregie Langius illorum ſcripturam tuetur. GRÆV. *Eo ſi quis ſibi plus appetet*) I. e. *ſi quis appetit ſibi plus eo, quod cuique obtigit, & quod ſuum cujuſque ſit*: Ita legunt Victorius, Manutius, & Lambinus, quibus aſſentitur prima Editio Mogunt. & MSi Mill. Reg. ſec. tert. & quartus: in margine MSi Mead. pr. notatur *eo* pro variante lectione. Vulgo legitur *ex quo ſi quis ſibi appetet*, ſed, cum fere omnes MSi habeant *plus*, opinor eam lectionem reponendam eſſe. Quod ſi fit, quid velint voces *ex quo*? non recte dicitur *plus ex quo*: nec voces *ex quo* ſignificant inde concludi, violatum eſſe jus humanæ ſocietatis; ex præcedentibus enim ea concluſio non ſequitur. PEARCE.

Ortuſque noſtri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici) Has duas dictiones, *Partem parentes*, in libro manuſcripto nullo reperi: ut fortaſſis ex Platone a ſtudioſo aliquo ad marginem adſcriptæ, poſtea irrepſerint in litteram. II. de Finibus contractius extulit: *Atque ut ad Architam ſcripſit Plato, non ſibi ſoli ſe natum, meminerit, ſed patriæ, ſed ſuis, ut perexigua pars ipſi relinquatur*. LANG. *Partem parentes*) Conſenſus omnium librorum veterum facit, ut aſſentiar iis, qui has duas voces ex Platonis epiſtola ad Architam in Ciceronis libros invectas eſſe arbitrantur; Platonis verba ſunt: Εκαςος ἡμων ουκ αυτῳ μονον γεγονεν· αλλα της γενεσεως ἡμων το μεν τι ἡ πατρις μεριζεται, το δε τι οἱ γεννησαντες, το δε λοιπον οἱ φιλοι. *Nullus noſtrum ſibi ſoli natus eſt: ſed ortus noſtri partem ſibi patria vindicat, partem parentes, partem amici*. FR. FABRIT.

Atque ut placet Stoicis, quæ in terris gignuntur) Particula *ut* delenda eſt. Quod hic in genere dicit Stoicis probari, id Chryſippo nominatim tribuit, ſub finem libri tertii de Finibus: *Præclare enim*, inquiens, *Chryſippus, cetera nata eſſe hominum cauſſa & deorum, eos autem communitatis & ſocietatis ſuæ, ut beſtiis uti ad utilitatem ſuam poſſint ſine injuria. Quoniamque ea natura eſſet hominis, ut cum genere humano quaſi civile jus intercederet; qui id conſervaret, eum juſtum; qui migraret, injuſtum fore*. PET. BALDVIN. Vide pulcherrimam de hac re diſputationem apud Cic. II. de Nat. deorum c. 62. GRÆV. Lactantius de ira Dei

Digitized by Google

Stoicis) quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari, homines autem hominum cauſa eſſe generatos, ut ipſi inter ſe, aliis alii prodeſſe poſſent: in hoc naturam debemus ducem ſequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo: tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem. Fundamentum eſt autem juſtitiæ fides:

Dei cap. 13. *Vera eſt ſententia Stoicorum, qui ajunt, noſtra cauſſa mundum fuiſſe conſtructum. Omnia enim, quibus conſtat, quæque generat ex ſe mundus, ad utilitatem hominum accommodata ſunt.* FACCIOL.

Atque ut placet Stoicis) Cum ſequantur in fine hujus ſententiæ duo verba infinitivi modi *creari* & *eſſe*, neceſſe videtur, ut verbum aliquod præcedat, a quo regi poſſint: at conjunctio *ut* facit, ut a verbo *placet* regi nequeant. Manutius igitur cenſuit, delendam eſſe vocem *ut* auctoritate duorum MSorum. At mihi (fateor) non placet hæc conjectura, qui obſervaverim, Ciceronem in initio alicujus ſententiæ non ſolitum eſſe uti *atque*, niſi voce ſequente, quæ primam literam vocalem habet. Lambinus aliam emendationis ſecutus viam, pro *ut* legendum eſſe voluit *ita*. At ne hoc quidem eſt dare Ciceroni ſuum uſitatum loquendi genus. Potius dixiſſet, opinor, *atque etiam* (ſive *item*) *placet Stoicis &c.* Forſaſſe ſyllaba quædam e textu excidit, ſcripſitque Cicero, *conſtatque* (*ut placet Stoicis*) *quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari &c.* Ita enim Lactant. in Div. Inſtit. VII. 4. *Quoniam conſtat (id quod Stoici ajunt) hominum cauſſa mundum eſſe fabricatum.* Opiniones philoſophorum ſunt *placita* eorum. Hinc dicitur c. 34. *Placet igitur aptiora eſſe naturæ ea officia &c.* Et de Fin. III. 5. *Placet his, quorum ratio mihi probatur, ſimul atque animal ſit natum, ipſum ſibi conciliari & commendari.* PEARCE.

Ad uſum hominum omnia creari) Creari non eſt parari, aut κτασθαι; ſed naſci, gigni, γινεσθαι, ut Tuſcul. I. *Principium exſtinctum nec ipſum ab alio renaſcetur, nec a ſe aliud creabit*: quod Plato dixit: Αρχης απολλυμενης ουτε αυτη ποτε εκ του, ουτε αλλο εξ εκεινης γενησεται. *Nam principium exſtinctum, nec ipſum ab alio renaſcetur, nec a ſe aliud creabit.* FR. FABRIT.

Homines autem hominum cauſa eſſe generatos) Hoc inculcant ubique Stoici. Hinc Marcus Antoninus εις ἑαυτον lib. VIII. Οἱ ανθρωποι γεγονασιν αλληλων ἑνεκα, *homines nati ſunt alter alterius cauſa*. Seneca de ira lib. I. c. 5. *Homo in adjutorium mutuum generatus eſt*, & ſic multis aliis in locis: vide ep. 48. & 95. GRAV.

Mutatione officiorum) Plerique libri veteres habent *mutuatione*, nonnulli tamen, *mutatione*, ut vulgati. LAMB.

Mutuatione officiorum) Sic habere pleroſque libros manuſcriptos, locuples teſtis eſt Lambinus. Ego tamen, ut nunc eſt, eos ſequor, in quibus, *mutatione*, legitur; omnino enim vocabulum hic requiro, quod αλλαγην ſignificet: cujuſmodi eſt mutationis verbum, quod in mutuis commerciis uſurpari notum eſt. Mutuatio vero, mutui ſumptionem ſignificat, dationem non item. FR. FABRIT. *Mutare officia* honeſte dicitur, non item *mutuari*; rectius ergo, ut in omnibus meis eſt, *mutatione*, quam *mutuatione*, Lambini invento. GVILIELM. Optime *mutatione*. Eſt translatio a mutatione mercium, cum officia tamquam merces mutamus, aliis officia præſtando, ut viciſſim nobis præſtent. Ovid.

Latum mutandis mercibus æquor arat.

Hinc mutator eſt mercator. Auſon. ep. 25.

Et mercium quoque foro venalium
Mutator ad Græcam fidem.

Sic videtur locus affectus peſſime in editis ſanandus eſſe. Reſpexit illud Plauti Auſonius, *Græca mercari fide*. GRAV.

Dicto-

ſides: id eſt, dictorum, conventorumque conſtantia, & veritas; ex quo, quamquam hoc videbitur fortaſſe cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui ſtudioſe exquirunt, unde verba ſint ducta: credamuſque, quia fiat, quod dictum eſt, appellatam fidem. Sed injuſtitiæ genera duo ſunt: unum eorum, qui inferunt: alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſint, non propulſant injuriam. Nam, qui injuſte impetum in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, is quaſi manus afferre videtur ſocio; qui autem non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ; tam eſt in vitio, quam ſi parentes, aut amicos, aut

Dictorum, conventorumque conſtantia, & veritas) Eſt, cum, quæ dicuntur, promittuntur, & convenerunt, præſtantur, & ſervantur vere, ſincereque. Cum non aliud in lingua promtum, aliud clauſum in pectore habent, ſive ambitione, ſive avaritia, ſuorumque commodorum ſtudio incenſi. GRAV.

Quia fiat, quod dictum eſt, appellatam fidem) Sic quidem Cicero, more Stoicorum, ut ſuo ſerviat inſtituto. Recte autem docuit Salmaſius de uſuris ex Græco πεῖσις, pro quo Æoles dixerunt πεῖτις, Latinum eſſe *fides*. Sicuti ex antiquo πεῖνος, pro quo poſteriores dixerunt πόνον, natum eſſe *fœnus*. GRÆVIVS. *Credamus, quia fiat*) Vulgo *credamuſque, quia fiat*. Sed Victorius bene omittit iſtam copulam *que*, &, præcedentibus per parentheſin poſitis, recte dicitur *ex quo credamus, quia fiat &c.* Notandum etiam eſt in MSis Mead. pr. Reg. tert. & quart. & Groning. ut & in Editionibus Mog. pr. & Rom. pr. occurrere *fit* pro *fiat*: quod mihi ſe ſatis commendat: nec aliter Cicero in Lib. IV. de Rep. (ut apud Nonium eſt) *Fides nomen ipſum mihi videtur habere, cum fit quod dicitur.* PEARCE.

Aut aliqua perturbatione) Vox *aliqua* hic idem valet ac *alia qua*, aut *ulla alia*. Vide hac de re notam meam ad II. 42. de Orat. IDEM.

Qui autem non defendit) Horat. I. Serm. 4.

. . . . *Abſentem qui rodit amicum,*
Qui non defendit, alio culpante &c.
. . . *Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.*

Diod. Sic. lib. I. Hiſt. apud Ægyptios legem latam narrat, *ἐάν τις ἐν ὁδῷ κατὰ τὴν χώραν ἴδῃ φονευόμενον ἄνθρωπον, ἢ τὸ καθόλου βίαιόν τι πάσχοντα, μὴ ῥύσηται δυνατὸς ὢν, θανάτῳ περιπεσεῖν ὀφείλειν. Si quis in via hominem interfici, aut quamlibet vim ſuſtinere videat, cum poſſet, non vindicaſſet, capitali ſupplicio obnoxius erit.* Addit poſtea, ſi quis per infirmitatem non potuiſſet opitulari oppreſſo, indicari tamen latrones, & actione perſequi lege teneri. GRÆV.

Tam eſt in vitio) *Eſſe in vitio*, pro vitioſum eſſe, non eſt inuſitatum, ut Eraſmus putavit: ſic enim infra quoque cap. 19. loquitur; & lib. V. de Finib. *Et ſi hoc quidem*, inquit, *eſt in vitio, diſſolutionem naturæ tam valde perhorreſcere*. Similiter Tuſcul. IV. dicit: *Ut igitur metus, ſic reliquæ perturbationes ſunt in malo*. FR. FABRIT. Hic Cicero reprehenditur & erroris arguitur, quod tradat eum, qui non defendat, ſi poſſit, inſontem, cui injuria fit, æque graviter peccare, ac ſi parentem, aut patriam deſerat: putaturque Stoicorum placito, peccata eſſe æqualia, in hunc errorem incidiſſe. Sed qui ſic ſentiunt, ipſi falluntur. Non enim Cicero dicit, æque graviter peccare, qui hominem non defendat, ac ſi parentem non defendat; ſed æque peccare in juſtitiam, qui injuriam a quocumque poteſt non propulſat, ac illum, qui parentem, aut patriam deſerat: injuſtum eſſe utrumque; ſed uter ſit injuſtior, uter gravius peccet,

Digitized by Google

aut patriam deſerat. Atque illæ quidem injuriæ, quæ nocendi cauſa de induſtria inferuntur, ſæpe a metu proficiſcuntur; cum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne, niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo. Maximam autem partem ad injuriam faciendam aggrediuntur, ut adipiſcantur ea, quæ concupiverunt: in quo vitio latiſſime patet avaritia.

8. Expetuntur autem divitiæ cum ad uſus vitæ neceſſarios,

cet, hic Cicero non definit. In hac locutione, *tam eſt in vitio*, vocula *tam* non quantitatem; ſed qualitatem potius notat. Sicuti tam in vitio eſt, denarium furari, ac decies ſeſtertium, quamvis peccata differant plurimum, ut multis diſputarunt Majoragius, & Griffolus contra Cœlium Calcagninum. Plato puniendum cenſet, qui vim alteri illatam non arcet IV. de Legibus, quod & Ægyptiorum legibus cavebatur. Vide Grotium II. de Iure Belli & Pacis cap. 25. §. 6. & 7. Grævius.

Quam ſi parentes, aut amicos, aut patriam deſerat) Sic MSi Pith. Langii, Manutii, Græv., aliique, nec non meliores editiones. Gruteri vero, Lambini, aliæque, *quam ſi parentes, aut patriam, aut ſocios deſerat.* Idem.

Sæpe a metu proficiſcuntur) Vide Grotium II. de Iure Belli & Pacis cap. 1. §. 2. ubi copioſe hoc explicat, & oſtendit ſimul, quando per juſtum metum nobis liceat occupare injuriam illaturum. Idem.

Niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo) Videtur hoc accepiſſe ab Ariſtotele ex lib. V. Pol. *Δια δε φοβον στασιαζουσιν οἱ τε ηδικηκοτες, δεδιοτες μη δωσι δικην, και οἱ μελλοντες αδικεισθαι, βουλομενοι φθασαι πριν αδικηθηναι. Propter metum autem ſeditionem commovent, & qui injuriam fecerunt, ne dent pœnas; & qui ſuſpicantur futurum, ut injuria afficiantur, volentes antevertere, atque occupare, priuſquam injuſte lædantur.* F. Ursin.

Maximam autem partem) Senſus eſt: quoad maximam partem hominum injuſtorum, illi ad injuriam faciendam impelluntur, ut ea, quæ concupiverunt, adipiſcantur. Similem locutionem Ald. Manutius notavit in Cæſaris lib. IV. de Bell. Gall. *Maximam partem lacte & caſeo vivunt.* Helléniſmus eſt (ut ait Budæus in Comment.) cum Cicero hic utitur accuſativo caſu, quaſi Græce dixiſſet *ὡς τα πολλα, επι το πλειστον*, &c. Vix aliter etiam in Tuſc. diſp. IV. 5. *Chryſippus, & Stoici, quum de animi permotionibus diſputant, magnam partem in his partiendis & definiendis occupati ſunt.* Et in Ep. ad Att. XVI. 6. *Remis enim magnam partem navigavi.* Pearce.

Ad injuriam faciendam aggrediuntur) Dictio, *nonnulli*, a ſciolis adſcripta, in bonis libris non extat. Eſtque hic familiariſſimus Ciceroni, aliiſque veteribus dicendi modus, cum de hominibus loquantur infinite in tertia plurali; ſed indocti fere adjecerunt nunc, *plerique*, nunc *homines*, nunc quid ſimile. Sic infra: *Aut inimicitias ſuſcipere nolunt.* Iterum: *Ex quo fit, ut neque diſceptatione vinci ſe, nec ullo publico ac legitimo jure patiantur.* Rurſus: *Domitoribus tradere ſolent.* Et in Lælio: *Ut ne nimis cito diligere incipiant.* Lang.

In quo vitio latiſſime patet avaritia) Nam *avaritia fidem, probitatem, ceteraſque artes bonas ſubvertit: pro his ſuperbiam, Deos negligere, omnia venalia habere docuit.* Salluſt. Avaritia enim juris fines tranſilit ſemper. Inde Horatius de avaro lib. II. carm. 18.

Quid quod uſque proximos
Revellis agri terminos, & ultra
Limites clientium
Salis avarus? Græv.

Ad uſus vitæ neceſſarios) Unde dicta ſunt *χρηματα*. Horat.

Quo mihi fortunas, ſi non conceditur
uti? Idem.

rios,

Ad

Digitized by Google

rios, tum ad perfruendas voluptates. In quibus autem major eſt animus, in iis pecuniæ cupiditas ſpectat ad opes, & ad gratificandi facultatem: ut nuper M. Craſſus negabat, ullam ſatis magnam pecuniam eſſe ei, qui in rep. princeps vellet eſſe, cujus fructibus exercitum alere non poſſet. Delectant etiam magnifici apparatus, vitæque cultus cum elegantia, & copia: quibus rebus effectum eſt, ut infinita pecuniæ cupiditas eſſet. Nec vero rei familiaris amplificatio nemini nocens vituperanda: ſed fugienda ſemper injuria eſt. Maxime autem adducuntur plerique, ut eos juſtitiæ capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum, gloriæ cupiditatem inciderunt. Quod enim eſt apud Ennium:

Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt,

id latius patet: nam, quidquid ejuſmodi eſt, in quo non poſſint plures excellere, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum ſit, ſanctam ſervare ſocietatem. Declaravit id modo temeritas C. Cæſaris, qui omnia jura divina, atque humana pervertit, propter eum, quem ſibi ipſe opinionis errore finxerat, principatum. Eſt autem in hoc genere moleſtum, quod in maximis animis, ſplendidiſſimiſque

Ad perfruendas voluptates) Ariſtoteles lib. I. Pol. *Ὅσοι δε και τȣ ευ ζην επιβαλλονται, το προς τας απολαυσεις τας σωματικας ζητουσι. Quicunque autem etiam ab bene vivendum curam ſuam conferunt, quærunt unde ſuas cupiditates explere, & voluptatibus corporis perfrui poſſint.* F. VRSIN. Gallus Aſinius apud Tacitum II. Ann. 33. *Diſtinctos ſenatus & equitum cenſus, non quia diverſi naturæ, ſed ut locis, ordinibus, dignationibus antiſtent, aliiſque, quæ ad requiem animi, aut ſalubritatem corporum parentur: niſi forte clariſſimo cuique plures curas, majora pericula ſubeunda, delinimentis curarum & periculorum carendum eſſe.* IDEM.

Ad opes & ad gratificandi facultatem) Vt fiant potentes, & multorum voluntates alliciant, ſibique plurimis ſubveniendo illorum animos devinciant, ut fecit Milo, qui tres amplas profudit hereditates, quas impendit in populi ſtudio captando: ſic & Iulius Cæſar, vide Sveton. in Iul. c. 10. 13. GRÆV. *Spectat ad opes*) Sc. ut in ſuo populo ſive civitate potentes ſint: vox *opes* enim hic (ut alibi ſæpe.) idem valet, quod potentia. PEARCE.

Rei familiaris amplificatio nemini nocens) Quæ ſiut rationes rem familiarem amplificandi ſine alterius injuria, vide apud Hug. Grot. II. de Iure Belli & Pacis c. 11. & Salmaſium de Vſuris cap. 24. GRÆV.

Nulla ſancta ſocietas nec fides regni eſt) Quidam codex: *Societas nulla ſancta regni eſt, nec fides*, ut ſit ſenarius Iambicus. PET. BALDVIN. Aliam & quidem maximam violandæ juſtitiæ cauſſam docet eſſe ambitionem & principatus cupiditatem. GRÆV.

Declaravit id modo temeritas C. Cæſaris) Sic eſt etiam in noſtris manuſcr. omnibus; quo modo Lambinus, Lang. ac reliqui fere omnes ediderunt. Hoc autem verbo ſignificatur temerarium factum C. Cæſaris, qui temere, imprudenter, ac ſine conſilio ad principatum & dominatum ruit. In Manutianis pro, *temeritas*, legitur, *tempeſtas*:

Digitized by Google

miſque ingeniis plerumque exſiſtunt honoris, imperii, potentiæ, gloriæ cupiditates; quo magis cavendum eſt, ne quid in eo genere peccetur. Sed in omni injuſtitia permultum intereſt, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis eſt, & ad tempus, an conſulto, & cogitata fiat injuria. Leviora enim ſunt, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata & præparata inferuntur. Ac de inferenda quidem injuria ſatis dictum eſt.

9. Prætermittendæ autem defenſionis, deſerendique officii plures ſolent eſſe cauſæ. Nam aut inimicitias, aut laborem, aut ſumtus ſuſcipere nolunt: aut etiam negligentia, pigritia, inertia: aut ſuis ſtudiis quibuſdam, occupationibuſve ſic impediuntur, ut eos, quos tutari debeant, deſer-

peſtas? quod vocabulum ad reip. perturbationes transferri, notius eſt, quam ut ſit admonendum. FR. FABRIT.

Utrum perturbatione aliqua) Vid. Ariſtot. IV, Nicom. c.8. Cic. in Topicis: *Cadunt in ignorantiam atque imprudentiam perturbationes animi, quæ, quamquam ſint voluntariæ, objurgatione enim atque admonitione dejiciuntur, tamen habent tantos motus, ut ea, quæ voluntaria ſunt, aut neceſſaria interdum, aut certe ignorata videantur.* Hinc etiam D. Hadrianus in reſcripto, quod Marcianus in XIV. Inſtitut. tranſtulerat, nunc vero habetur in Pandectis in l. I. §. 3. ad legem Corneliam de ſicariis & veneficis, quæ ſic legenda eſt, ut pulchre & erudite eam emendavit Cl. Iuris Anteceſſor in L. Batava Academia Gerardus Noodt: *Divus Hadrianus reſcripſit, eum, qui hominem occidit, ſi non occidendi animo hoc admiſit, abſolvi poſſe. Et qui hominem non occidit, ſed vulneravit, ut occidat, pro homicida damnandum. Et ex re conſtituendum hoc. Sed ſi clavi percuſſit, aut cucuma, aut ferro in rixa, quamvis percuſſerit, tamen non occidendi animo, leniendam pœnam ejus, qui in rixa caſu magis, quam voluntate homicidium admiſit.* In rixa enim videtur perturbatione animi abreptus occidiſſe, non conſilio. *Conſilium autem uniuſcujuſque non factum puniendum eſt*, ut Paullus ait. Demoſth. orat. contra Midiam: Ποια γαρ προφασις; τις ανθρωπινη και μετρια σκηψις φανειται των πεπραγμενων αυτω; οργη νη Δια; και γαρ τουτο τυχον λεξει. αλλ' α μεν αν τις αφνω τον λογισμον φθασας εξαχθη τι πραξαι, καν υβριστικως τουτο ποιηση, δι' οργην γ' ενι φησαι πεποιηκεναι. α δ' αν εκ πολλου συνεχως επι πολλας ημερας παρα τους νομους πραττων τις φωραται, ου μονον δηπου του μη μετ' οργης απεχει, αλλα και βεβουλευμενος ο τοιουτος υβριζων εστιν ηδη φανερος. *Quæ cauſa eſt? quæ humana ſaltem ac mediocris excuſatio facinoris illius proferetur? ira nimirum? nam hoc fortaſſe dicet. Verum ad quæ aliquis ſubito, non expectato conſilio mentis facienda impulſus fuerit, etiamſi contumelioſe fecerit, per iram tamen eſſe facta dicere poteſt. Quæ vero diu ante meditatur continenter per multos dies contra leges facere palam deprehenditur, non modo abeſt ab eo ut iratus fecerit, ſed nemini dubium eſſe debet, quin de induſtria, dataque opera talis homo contumeliam fecerit.* Vide plura in hanc ſententiam in illa oratione. GRÆV.

Conſulto & cogitata) Pervetuſtus codex Petri Balduini: *conſulto & cogitatu*. Sed meus, Pithœan. Palatini, & quatuor Guilielmi, nec non edit. prima: *an conſulto & cogitata fiat injuria*: quod non erat immutandum. Cogitata injuria eſt, de qua inferenda diu cogitavimus; ut cogitatum ſcelus in Philipp. 2. *Attuleras domo meditatum & cogitatum ſcelus*. Suet. Tib. 19: *Trepidatione* de-

Digitized by Google

deſertos eſſe patiantur. Itaque videndum eſt, ne non ſatis ſit id, quod apud Platonem eſt in philoſophos dictum: quod in veri inveſtigatione verſentur, quodque ea, quæ plerique vehementer expetunt, de quibus inter ſe digladiari ſolent, contemnant, & pro nihilo ducant, propterea juſtos eſſe. Nam-

detecta tormentis expreſſa confeſſio eſt cogitati facinoris. Et in Galig. 12. *Ipſum poſtea, & ſi non de perfecto, at certe de cogitato quondam parricidio profeſſum.* Antea putavi Ciceronem ſcripſiſſe *cogitate*, ut pro Arch. *accurate cogitateque ſcripſiſſet*, & Plaut. Pœn. V. 4. *Ut pudice verba fecit, cogitate, commode*. Sed nunc præfero veterum codicum ſcripturam. GRÆV.

Itaque videndum eſt, ne non ſatis ſit id) Sic omnes quidem libri habent: ſed ego iis reclamantibus legendum putarim, *verendum eſt, ne*, &c. LAMBIN.
Itaque verendum eſt) Sic eſſe legendum putat Lambinus, reclamantibus omnibus libris, qui habent: *Itaque videndum eſt, ne non ſatis ſit*, &c. quibus verbis modeſta quædam reprehenſio ſententiæ Platonicæ cum addubitatione Academicis propria ſignificatur. Similiter Tuſcul. II. inquit: *Atqui vide, ne, cum omnes recte animi affectiones virtutes appellentur, non ſit hoc proprium nomen omnium*. FR. FABRIT. Male Lambinus & Fabritius. *Videndum eſt* ſæpe vim eandem habet, quod verendum eſt, ut dudum monuit Giſſanius. Cic. lib. XIV. ad fam. ep. 14. *Reliquum eſt, quod ipſæ optime conſiderabitis, veſtri ſimiles feminæ ſint ne Romæ: ſi enim non ſunt, videndum eſt, ut honeſte vos eſſe poſſitis.* Caius IC. l. 30. D. de pact. *In perſona filii familias videndum eſt, ne aliquando eſſe pactus ſit, ne ageret, valeat pactio*. GRÆVIUS.

In philoſophos dictum) *In philoſophos*: *in*, ad laudem ſpectat, ut I. de Legib. *Quod item ad contrariam laudem in virtutem dici poteſt*. Et III. de Divination. *Dilexit municipem tuum Ruſtium, in quem etiam illud eſt ejus*, &c. Et in Bruto, *in legem Cæpionis*. Locus eſt apud Platonem in VI. de Rep. ſed optime explicatur in III. de Finibus a Catone, cur Dialectica, & Phyſica virtutum appellatione veniant apud Stoicos. CAR. LANG. Sic in I. 19. de Leg. *Quod item ad contrariam laudem in virtutem dici poteſt*; & alibi. Sic etiam *in* hic uſurpatur cum caſu ablativo in c. 39. *quod in multis licet dicere*: & in II. 61. de Orat. *Quod idem in bono ſervo dici ſolet*. Hæc notatu digna eſſe videntur, quia Ciceroniana ſunt, quamvis rarius occurrant. PRAECR.

Quod in veri inveſtigatione verſentur) Epicuri dogma fuit ſapientem ν πολιτεύεσθαι, non accedere ad rempublicam; quam ſententiam exagitat Cic. Orat. pro Sext. ubi dicit, Epicureos docere: *Sapientes omnia ſua cauſſa facere: rempublicam capeſſere hominem bene ſanum non oportere: nihil eſſe præſtabilius otioſa vita, & plena & conferta voluptatum: eos autem, qui dicerent dignitati eſſe ſerviendum, reip. conſulendum, officii rationem in omni vita, non commodi eſſe ducendam, ſubeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam, vaticinari, atque inſanire*. Stoici autem ſapientes ad remp. accedere poſſe & debere, niſi quid impedierit, credebant. Sed vide Senecam de Otio ſapientis cap. 30. ubi multis tuetur hanc ſententiam, quam impugnat Cicero, cum docet ſapientem magis prodeſſe generi humano, cum illud erudit, & verum, quod in otio perveſtigavit, docet, quam ſi remp. adminiſtraret: *Quo animo ad otium ſapiens ſecedit? ut ſciat, ſecum quoque ea acturum, per quæ poſteris proſit. Nos certe ſumus, qui dicimus Zenonem & Chryſippum majora egiſſe, quam ſi duxiſſent exercitus, geſſiſſent honores, leges tuliſſent; quas non uni civitati, ſed toto generi humano tulerunt*; vide ibi plura. In cap. præcedente illos tamen laudat quoque philoſophos, qui utriuſque reip. magnæ, qua dii atque homines continentur, & minoris, in qua vivimus, curam gerunt. GRÆV.

Pro nihilo ducant, propterea juſtos eſ-

ſe)

Nam alterum juſtitiæ genus aſſequuntur, inferenda ne cui noceant injuria; in alterum incidunt. Diſcendi enim ſtudio impediti, quos tueri debent, deſerunt. Itaque eos ad remp. ne acceſſuros quidem putant, niſi coactos: æquius autem erat id voluntate fieri; nam hoc ipſum ita juſtum eſt, quod recte fit, ſi eſt voluntarium. Sunt etiam, qui aut ſtudio rei familiaris tuendæ, aut odio quodam hominum, ſuum ſe negotium agere dicant, ne facere cuiquam videantur injuriam: qui altero injuſtitiæ genere vacant; in alterum incur-

ſe) Vetus codex *pro nihilo putent*, *propterea juſtos eſſe*, ut in Lælio: *Itemque cetera, quæ quibuſdam admirabilia videntur, permulti ſunt, qui pro nihilo putent*. Bald. *Pro nihilo ducant*) Balduinus admonet, in ſcripto codice legi: *pro nihilo putent*. Legitur ita hic in duobus noſtris, & infra in omnibus eſt: *Quod gloriam contemnant, & pro nihilo putent*; & Philipp. 10. *An vero hoc pro nihilo putas?* & aliis locis permultis. Fr. Fabrit. Meus quoque codex hanc lectionem firmat. Pithœanus autem, & editiones vetuſtiores, ut Petri Balduini ſatis dilucide hujus lectionis veſtigia retinent: *Pro nihilo ducant, putant propterea juſtos eſſe*. Nimirum *ducant* eſt interpretatio τȣ *putant*: poſt utrumque irrepſit vocabulum, dein alterum fuit denuo rejectum. Sed perinde eſt, utrum retineatur: nec quidquam hic notaſſem, niſi veteres libri, & editionum varietas aurem vellicaſſent. Grav.

Nam alterum juſtitiæ genus aſſequuntur, inferenda ne cui noceant injuria) Hic libri vet. admodum variant. Duo alioqui optimi: *Nam alterum juſtitiæ genus aſſequuntur in inferunda injuria, ne cui noceant: in alterum incidunt*. Tres alii: *Nam cum alterum juſtitiæ genus aſſequuntur in inferunda, ne cui noceant, injuria, in alterum incidunt*. Sed exemplar Abbatiæ Parcenſis: *Nam cum alterum juſtitiæ genus aſſequuntur in non inferunda injuria, ne cui noceant, in alterum injuſtitiæ incidunt*. Incidimus in vitia, non in virtutes. Poſſet etiam legi *ferunda injuria*, id eſt, toleranda, dum cedere violentiæ, aut contentionibus malunt, quam pro iis rebus, quæ alii magni putent, digladiari; quod tamen ad fortitudinem potius, quam ad juſtitiam ſpectaret, niſi adjiceret, ideo id eos facere, ne cui facerent injuriam; idque ex nonnullorum ſtulta perſuaſione, arbitrantium ſe aliis facere injuriam, ſi ſuum jure vel tueantur, vel repetant. C. Lang. *Nam alterum juſtitiæ genus, &c.*) Hic locus, qui in libris vulgatis fœdum in modum corruptus eſt, ope librorum veterum præclare a nobis emendatus eſt. Eſt autem ejus ſententia hæc. nam philoſophi alterum quidem juſtitiæ genus aſſequuntur, ne cui noceant in inferenda alteri injuria: id eſt, eo quod nemini injuriam inferant, juſti ſunt: ſed alterum juſtitiæ genus non colunt, quod diſcendi ſtudio impediti, non tuentur eos, quos debent tueri. Langius negationem addidit, quam in nullis noſtris exemplaribus manuſcr. reperimus: neque ille, opinor, in ullis reperit. Omnino nulla negatio adſcribi debet: & ita, uti ego explicavi, locus eſt intelligendus, quamvis aliter ille. Lambin. Non eſt quod *in* cum Lambino inſeras. Nam hac ellipſi nihil apud Ciceronem frequentius. Nihil autem refert, ut recte Wolfius notat, ſive *inferenda*, ſive *non inferenda injuria* legas: ne cui noceant inferendo injuriam: vel ne cui noceant non inferendo injuriam. Pro lectione, quam recepit Gruterus, ſtat quoque Pithœanus codex. Grav. Non video, quid ſignificent hæc verba: *in alterum incidunt*. Num Cicero hoc vult, *in alterum injuſtitiæ genus incidunt*? ita quidem nonnulli ediderunt: ſed, cum in prima ſententiæ parte ille dixerat: alte-

Digitized by Google

incurrunt; deſerunt enim vitæ ſocietatem, quia nihil conferunt in eam ſtudii, nihil operæ, nihil facultatum. Quoniam igitur duobus generibus injuſtitiæ propoſitis, adjunximus cauſas utriuſque generis, eaſque res ante conſtituimus, quibus juſtitia continetur: facile, quod cujuſque temporis officium ſit, poterimus, niſi noſmetipſos valde amabimus, judicare. Eſt enim difficilis cura rerum alienarum; quamquam Terentianus ille Chremes humani nihil a ſe alienum putat. Sed tamen, quia magis ea percipimus, atque ſentimus, quæ nobis ipſis aut proſpera, aut adverſa eveniunt, quam illa, quæ ceteris: quæ quaſi longo intervallo interjecto videmus: aliter de illis, ac de nobis, judica-

alterum genus juſtitiæ aſſequuntur, hoc poſterius *alterum* non poteſt eſſe genus *injuſtitiæ*. Num igitur Cicero hoc vult, *in alterum juſtitiæ genus incidunt*? at inde exſurget ſenſus quovis ſcriptore, ne dicam Cicerone, prorſus indignus, cum nihil aliud contineat poſtrema pars ſententiæ, quam quod in prima dicatur. Adde, quod huic ſenſui omnino se opponunt ſequentia verba, *diſcendi enim ſtudio impediti &c.* His rationibus adductus lector, cum vulgatam lectionem rejiciendam eſſe viderit, fortaſſe mecum ſentiet, vocem *non*, quæ in nonnullis exemplaribus ante vocem *inferenda* male collocatur, alium locum occupare debuiſſe, legendumque eſſe, *in alterum non incidunt*, i. e. in alterum juſtitiæ genus non incidunt: quamvis enim *incidere in vitia* uſitatius, quam *in virtutes*, latine dicatur, tamen non deſunt exempla, quæ probant latine dici poſſe *in virtutes incidere*: ut in II. 21. de Orat. *Omnino in illud genus eum Craſſi magnificum atque præclarum natura ipſa ducebat: ſed ea non ſatis proficere potuiſſet, niſi eodem ſtudio atque imitatione incidiſſet*. Hæc vero conjectura, ſi cui non arrideat, videat, an non alia aggrediendum ſit via. Cum MSus Cant. omittat vocem *juſtitiæ* in priore parte ſententiæ, malo equidem (hoc & ſequente verbo omiſſo) ſic legere: *Nam dum alterum aſſequuntur, inferenda ne cui noceant injuria, in alterum incidunt: diſcendi enim ſtudio impediti, quos tueri debent, deſerunt*. In hac lectione, ut poſterior vox *alterum* reſpicit ad ſequentia, *diſcendi enim ſtudio impediti &c.* ita prior ad ea, quæ ipſam ſequuntur, *inferenda ne cui noceant injuria*. Quod cum ignorarent librarii, videntur verba *juſtitiæ genus* inter lineas, interpretamenti loco, collocaſſe, anſamque dediſſe aliis ea poſtea in textum inſerendi. PEARCE.

Facile quod cujuſque temporis officium ſit, poterimus, niſi noſmetipſos valde amabimus, judicare) Facile quid nobis ſit habita temporum ratione faciendum, quid noſtri ſit officii in alienis negotiis pro diverſitate temporum, facile videbimus, niſi nimis noſtræ quietis commodorumque ſtudioſi fuerimus, ut laborem moleſtiamque, aut ſumtum alterius cauſſa ſuſcipere nolimus. Hæc eſt prudentia temporum, quam Græci Philoſophi prudentiam περιστατικὴν *ad circumſtantias pertinentem* appellant. GRÆVIUS.

Judicare. Eſt enim) Ni fallor, exciderunt quædam verba inter *judicare*, & *eſt enim*: nam quæ ſequuntur nullam continent rationem eorum, quæ præceſſerant; imo potius iis contrariantur. Rectius ne legemus? *Eſt quidem &c.* PEARCE.

Humani nihil a ſe alienum putat) Putat ad ſe ſuamque curam pertinere aliorum hominum curas, moleſtias, negotia. Sic hunc verſum intelligendum eſſe, non ſolum ex ipſo Comico patet, & hoc Ciceronis loco, ſed &

Digitized by Google

dicamus. Quocirca bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites, æquum ſit, an iniquum. Æquitas enim lucet ipſa per ſe, dubitatio cogitationem ſignificat injuriæ.

10. Sed incidunt ſæpe tempora, cum ea, quæ maxime videntur digna eſſe juſto homine, eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntque contraria, ut reddere depoſitum, promiſſum facere, quæque pertinent ad verita-

& ex alio Tullii, & ex Seneca. In primo de Legibus inquit ille: *Quod ſi, quomodo eſt natura, ſic judicio homines, humani, ut ait poeta, nihil a ſe alienum putarent, coleretur jus æque ab omnibus*. Et Seneca ep. 95. *Iſte verſus in ore & in pectore ſit: Homo ſum, humani nihil a me alienum puto. Habeamus in commune quod nati ſumus. Societas noſtra lapidum fornicationi ſimillima eſt, quæ caſura, niſi invicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinetur*: quam inepta vulgo ſententia huic verſui affingatur, hinc licet videre. GRÆV.

Qui vetant quidquam agere, quod dubites) Hinc & Hebræi magiſtri dicunt *abſtine te a re dubia*. Plin. l. XVIII. *Illud cautiſſimi cujuſque præceptum: quod dubitas, ne feceris*. Vide de hoc loco & dubiis caſibus pulchre diſputantem Hug. Grotium II. de Iure Belli & Pacis cap. 23. §. 1. 2. & ſeqq. & ejuſdem libri cap. 24. §. 4. IDEM.

Dubitatio cogitationem ſignificat injuriæ) Si quis enim facit, quod, an æquum ſit, dubitat, eum apparet ab inferenda injuria non abhorrere, cupiditatemque ſuam juſtitiæ anteferre. Recte Plutarchus in Timoleonte: *Δει γ μονον την πραξιν ειναι καλην και δικαιαν, αλλα και την δοξαν αφ' ης πραττεται μονιμον και αμεταπτωτον, ινα πραττωμεν δοκιμασαντες. Requiritur non modo ut quod agitur ſit honeſtum, juſtumque, ſed firma, ac conſtans adſit perſuaſio, unde fiat actio, ut, quod fit, fiat ideo quod animus ita faciendum judicaverit*. GRÆV. Qui dubitat ac deliberat, num aliquid ſibi liceat, cupit licere; qui cupit, facile inducitur, ut credat. Itaque ipſa quoque dubitatio, & deliberatio in re gravi criminis loco eſt. Dubitanti Veſpaſiano, num ſe Imperatorem appellari pateretur adverſus Vitellium, ita Mutianus apud Tacitum lib. II. Hiſtor. cap. 77. *Qui deliberant, deſciverunt*. Vide plura hac de re in lib. III. cap. 8. FACCIOLAT.

Sed incidunt ſæpe tempora, cum ea, quæ maxime videntur digna eſſe juſto homine, eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntque contraria) Tale tempus illud erat, quo Cato ipſe ſuadebat civibus eſſe pecuniam contra leges ambitus dandam, ne Lucceius cum Cæſare crearetur conſul. Vide Sveton. in Iul. cap. 19. & quæ ibi notat Caſaubonus. Tale fuit tempus, cum Cicero judicaret in equeſtris ordinis vitiis connivendum eſſe, poſtulante id illorum temporum ratione, contra Catonis ſententiam, quæ id quidem quod juſtum erat, ſtatuerat, ſed quod propter temporum rationem noxium reip. erat; de quibus Cic. II. ad Att. 1. *Catonem noſtrum non tu amas plus, quam ego; ſed tamen ille optimo animo utens, & ſumma fide, nocet interdum reipublicæ: dicit enim tamquam in Platonis πολιτειᾳ, non tamquam in Romuli fæce, ſententiam. Quid verius, quam in judicium venire, qui ob rem judicandam acceperit? cenſuit hoc Cato: aſſenſit Senatus, Equites curiæ bellum, non mihi: nam ego diſſenſi; quid impudentius publicanis renunciantibus? fuit tamen retinendi ordinis cauſſa faciunda jactura: reſtitit & pervicit Cato; itaque, nunc conſule in carcere incluſo, ſæpe item ſeditione commota, adſpiravit nemo eorum, quorum ego concurſu, itemque Conſules, qui poſt me fuerunt, remp. defendere ſolebant*. Pertinent hæc ad prudentiam temporum. GRÆVIUS.

Ut reddere depoſitum, promiſſum facere) In omnibus exemplaribus etiam manu-

Digitized by Google

ritatem, & ad fidem, ea migrare interdum, & non ſervare, ſit juſtum. Referri enim decet ad ea, quæ propoſui in principio, fundamenta juſtitiæ, primum, ut ne cui nocea-

nuſcriptis hic locus erat corruptus; auſus vero ſum conjectura tres has voces expungere, *Etiam ne furioſo*; quod eas credam ab aliquo ſtudioſo ad marginem adſcriptas per ſpeciem quæſtionis, deinde aſſutas a librariis; quamquam fuit, cum legerem: *Vt reddere depoſitum etiam furioſo, facere promiſſum*; quod ne nunc quidem diſplicet. Verbum, *migrare*, in omnibus vet. libris reperi, id ſignificat ſecedere, tranſgredi, modeſta ſignificatione, quod infra etiam *declinare* dixit, alibi *proficiſci*. Sic III. de Finibus: *Quoniamque ea natura eſſet hominis, ut cum genere humano quaſi civile jus intercederet; qui id conſervaret, eum juſtum; qui migraret, injuſtum fore*. Vtitur eadem ſignificatione I. de Divination. & III. de Legib. & ante eum Plautus. C. LANG. *Vt non reddere depoſitum: etiam prom. non f.*) Sic nunc edendum eſſe exiſtimavi, ſententiam Ciceronis ex iis, quæ antecedunt, & quæ ſequuntur, odoratus, quæ talis eſt: Sed incidunt ſæpe tempora, cum ea, quæ juſta ſunt, & juſti hominis, non ſunt facienda: ut reddere depoſitum, facere promiſſum, & ſimilia juſta, & juſti hominis ſunt, & viri boni; ſed hæc temporibus fiunt injuſta, & injuſti hominis, & ea migrare interdum, id eſt, ea tranſgredi, & negligere, ſeu violare, & non ſervare, fit interdum ut ſint juſti hominis, & viri boni. Duæ voces, quæ ſunt in contextu, *ut furioſo*, natæ ſunt ex gloſſa, ſeu adnotatione, cum aliquis adſcripſiſſet ad hæc verba, *depoſitum non reddere*, &c. *ut furioſo*. Quæ poſtea conjecta ſunt in contextum, & pro cujuſque arbitratu commutata. Quod & Carolo Langio jam venerat in mentem. LAMBIN. Hujus loci varietas multos viros doctos exercuit. Simpliciſſimum eſt, ut, vocibus illis, *etiam ne furioſo*, ejectis, (quas Langius temere in contextum receptas eſſe, non abſque cauſa ſuſpicatur) reliqua ex libris antiquis ita legantur: *ut reddere depoſitum, facere promiſſum, quæque pertinent ad veritatem, & ad fidem, ea migrare interdum, & non ſervare, ſit juſtum*. Proponit enim Cicero duo facta ſpecialia, addita generali comprehenſione, qua ea complectitur, quæ cum digna ſint viro juſto, tempore ita commutantur, ut ea *migrare*, i. e. tranſgredi, & tranſilire, ac non facere ſit juſtum. FR. FABRIT. Probarunt hanc ſcripturam Giſfanius, And. Schottus, Gruterus, aliique. Seneca IV. de Benef. 10. *Depoſitum reddere per ſe res expetenda eſt: non tamen ſemper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore; aliquando nihil intereſt, utrum inficier, an palam reddam. Intuebor utilitatem ejus, cui redditurus ſum, & nociturum illi depoſitum negabo*. GRÆV.

Promiſſum ſervare) Vide H. Grot. II. de Iure Belli & Pacis cap. 11. ubi diſſerit de promiſſis. IDEM.

Ea migrare) Omnes antiqui libri pro *negare migrare* habent: quam rectam eſſe lectionem cenſeo, ut *migrare* hic agendi vim & ſignificationem habeat, poſitumque ſit pro tranſgredi, & tranſilire, quemadmodum etiam idem verbum uſurpavit in lib. III. de Finibus, cum inquit: *Quoniamque ea natura eſſet hominis, ut cum genere humano quaſi civile jus intercederet, qui id conſervaret, eum juſtum; qui migraret, injuſtum fore*. Sic autem legitur in pervulgatis etiam codicibus: quamvis nonnulli depravare eum quoque locum tentaverint, eamdem pro illa vocem, quæ huc etiam irrepſerat, reſtituentes. Quare puto, cum alibi etiam inveniatur Cicero ſic locutus, hic omnino, ut eſt in priſcis exemplaribus, *migrare*, non *negare* legendum. P. VICTORIVS. His adde locum de Divin. I. 5. *Ne communia jura migrare videatur*: tum de Leg. III. 4. *Quod quis earum rerum migraſſit, noxiæ pœna par eſto*. PEARCE. *Ea migrare interdum*) Sic legendum eſt, non, ut vulgo, *ea negare* &c. quod jam ante Langius, veteres cod. ſecutus, occupavit; utitur eodem verbo lib. III. de Le-

noceatur: deinde, ut communi utilitati ſerviatur, ea cum tempora commutantur, commutatur officium; & non ſemper eſt idem; poteſt enim accidere promiſſum aliquod & conventum, ut id effici ſit inutile, vel ei, cui promiſſum ſit, vel ei, qui promiſerit. Nam ſi, ut in fabulis eſt, Neptu-

Legib. & de Divin. ut idem notavit: valet autem hoc loco, & iis, quæ commemoravi, tranſgredi, *παραβαίνειν*, non ſervare. Lambin.

Ea cum tempore commutantur) Pithœi codex, edd. Car. Lang. & Lambini: *ea cum tempora commutantur*. Sic procul dubio Langius invenit in ſuis optimis codicibus. Cum nihil viderent, quo vox *ea* poſſet referri, *tempora* mutarunt in *tempore*. Sed tamen, ſi quis accuratius hunc locum expenderit, intelliget, ne ſic quidem ſanæ ſententiæ quidquam exprimi poſſe. Quæ ſunt *ea*, quæ cum tempore mutantur? Non ſane fundamenta juſtitiæ, nemini nocere, communi utilitati ſervire, de quibus in proxime præcedentibus verbis egit, & ad ea referri præcepit, quæ migrare propter temporis rationem debemus. Hæc numquam mutantur. Ad hæc tamen *ea* pertinent; ad priora, quæ præceſſerunt hanc periodum, pertinere non poſſunt. Nemo enim ſanus ſic loquitur. In animum igitur induxi plane, ut credam τὸ *ea* ex proximis verſibus huc irrepſiſſe, idque delendum eſſe. Tum conſtabit veterum librorum, qui *tempora* præ ſe ferunt, ſcriptura. Scripſit itaque Tullius: *Cum tempora commutantur, commutatur officium*. Vide quam rotunda hæc ſint, & quam pulchra ſit ſententia, *ea* ſane non poteſt referri ad remotiora, nimirum ad officia reddendi depoſitum, promiſſum faciendi, (*illa* ſcripſiſſet Cicero, ſi *tempore* ſcripſiſſet) ſed ad proxima, nemini nocere, communi utilitati ſervire: Verum nihil tum ſtultius dici poſſet. Sed licet referri poſſet τὸ *ea* ad illa, quæ ſuperius ſunt poſita, abſurda tamen eſſet ſententia. Quid enim? Credis ne Ciceronem, aut ullum ſanæ mentis ſic locuturum: Ea, nimirum reddere depoſitum, promiſſis ſtare, cum commutantur tempore, commutatur officium? Quî enim illa commutantur tempore? Nunquam illa commutantur. Sed officium tantum commutatur, cum tempora mutantur. Puto liquere omnibus *ea* expungendum eſſe, præſertim libris antiquis manu quaſi ad veram ſcripturam reponendam ducentibus, ſi Tullium non inepte ſcripſiſſe velimus exiſtimare. Particulas iſtas, *ea*, *quæ*, & ſimiles ſæpe contra veterum librorum fidem inculcatas eſſe a ſciolis, docet Gronovius ad Liv. lib. XL. c. 55. & ad alia illius loca. Græv. *Ea cum tempore commutantur*) Vulgo tempora; ſed Victorii lectionem ſequor, quam tuentur omnes MSi, Codice Pithœi excepto: & ita olim legiſſe videtur Ambroſius in Offic. I. 50. *Sed interdum commutatio fit aut tempore, aut neceſſitate, ut non ſit officium reddere, quod acceperis*. Nec fuit, cur vox *ea* ſuſpecta eſſet Grævio, cum ad remotiora commode referri poſſit verba, ſc. *ea*, *quæ maxime videntur digna eſſe juſto homine &c.* Quaſi dixiſſet Cicero: *ea* (*inquam*) *cum tempore commutantur, commutatur officium*. Per vocem *tempus* Cicero ſæpe ſignificat ſtatum, conditionem, ſive fortunam vel Reipublicæ, vel (ut c. 9. antecedenti) ſingulorum hominum: vide etiam, quæ dicturus ſum ad II. 1. Interim notetur, Ciceronem in II. 4 dicere: *Sæpe enim tempore fit, ut quod plerumque turpe haberi ſoleat, invenitur non eſſe turpe*. Et III. 6. *Quæſtiones omnes eæ, in quibus ex tempore officium exquiritur*. Virgilius etiam eodem modo dixit in Æn. VII. 37.

Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum,
Expediam. Pearce.

Vel ei, qui promiſerit) Scilicet, ut ipſe paullo poſt explicat, ſi ipſi plus nocet, quam ei prodeſt, cui promiſerat. Vid. Grot. lib. II. de Iure Belli & Pacis cap. 11. Græv.

Nam ſi, ut in fabulis eſt, Neptunus quod Theſeo promiſerat, non feciſſet) Videtur

Neptunus, quod Theſeo promiſerat, non feciſſet, Theſeus filio Hippolyto non eſſet orbatus. Ex tribus enim optatis, ut ſcribitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit, quo impetrato in maximos luctus incidit. Nec promiſſa igitur ſervanda ſunt ea, quæ ſint iis, quibus promiſeris, inutilia: nec, ſi plus tibi noceant, quam illi proſint, cui promiſeris. Contra officium eſt, majus non anteponi minori: ut, ſi conſtitueris te cuipiam advocatum in

detur reſpexiſſe ad locum Platonis, qui eſt in III. de Legibus: Και όταν γε ό πατηρ ων γερων, η και σφοδρα νεανιας, μηδεν των καλων και των δικαιων γιγνωσκων, ευχηται μαλα προθυμως εν παθημασιν αδελφοις ων τοις γενομενοις Θησει προς τον δυστυχως τελευτησαντα Ιππολυτον, ό δε παις γιγνωσκη, τοτε, δοκεις, παις πατρι συνευξεται; *Imo etiam quando pater ſive ſenex, ſive admodum juvenis, cum nec honeſtorum, nec juſtorum quidquam cognoſcat, ſic affectus, ut Theſeus erga infelicem Hippolytum impenſius imprecatur, filius autem cognoſcit, putas ne tunc filium cum patre eadem oraturum?* F. URSIN.

Hippolyto) Fabula de Hippolyto ex Euripide nota eſt. FR. FABRIT. Vide Diod. Sic. lib. V. D. Ambroſius offic. lib. III. cap. 12. ad hoc ſcitum confirmandum utitur exemplo Herodis, qui filiæ ſaltatrici præmium turpiter promiſit, crudeliter ſolvit; & Iephte, ex lib. II. Iudicum. GRÆV.

Ex tribus enim optatis) Vid. Meurſii de Theſeo librum, cap. I. IDEM. Tria optaverat a Neptuno Theſeus, ut Minotaurum occideret, ut ad inferos ſibi aditus aperiretur, ut filius Hippolytus periret. Porro tertium hoc imprudens optaverat, quod novercæ criminationibus temere crediediſſet: ideoque obtinere non debebat. FACCIOLAT.

Quæ ſint iis, quibus promiſeris, inutilia) In manuſcript. eſt, *ſi ſint iis* &c. F. URSIN. Hæc vero debent pendere non a judicio promiſſoris, ſed cui promiſſum eſt: vid. Grot. lib. II. de Iure Belli & Pacis c. 11. GRÆV.

Majus anteponere minori) Sic nunc edidi, & vocem, *damnum*, delevi, ut ſuppoſitam, & ex gloſſa natam: quod ego manibus & oculis deprehendi; nam multi ex noſtris codicibus eam non habent: multi, qui habent, habent alia manu ſcriptam, idque intra contextum verborum Ciceronis, ſupra vocem, *majus*. Præterea, *anteponere* potius, quam *anteponi*, excudendum curavi, emendatiores, & plures codices ſecutus. Accedit ratio, quæ hoc poſtulat; ſequitur enim, *non ſit contra officium, non facere, quod dixeris*; non dixit, *non fieri quod dixeris*, ſed, *non facere* &c. Quare hic quoque ſic legendum: *nec ſit contra officium, majus anteponere minori*. Sed fugit me admonere lectorem novitium, & minus eruditum, hæc, *majus anteponere minori*, ſic intelligendo, majus damnum, minori commodo anteponere. LAMBIN. Duo optimi libri habent, *contra officium majus eſt anteponere minori*. LANG. Legendum: *majus non anteponi minori*, ut Langii editio ſecunda, codex Palat. prim. & meus præ ſe ferunt, probante Guilielmo, & Grutero; & merito: exigit enim hanc lectionem ſententia: *damnum*, quod pro *non* legitur in pleriſque, nullius eſt ſenſus, mirum id a Grutero quoque toleratum. GRÆV. *Cui promiſeris, contra officium eſt majus anteponi minori*) Ita edendum cenſeo, ſenſu loci poſtulante, & Lambino præeunte. Vulgo legitur, *cui promiſeris. Contra officium eſt; majus non anteponi minori*: ſed illud *non* abeſt ab omnibus MSis, ſi excipias Pal. pr. & unum Grævianum. Qui particulam negantem in textum induxerint, ideo hoc eos feciſſe opinor, quia peſſime interpunctum locum ante oculos ſuos habuerunt: *majus* reſpicit ad verba, *ſi ſibi plus noceant*. PEARCE.

Si conſtitueris te cuipiam advocatum in rem

in rem præſentem eſſe venturum, atque interim graviter ægrotare filius cœperit, non ſit contra officium, non facere quod dixeris, magiſque ille, cui promiſſum ſit, ab officio diſcedat, ſi ſe deſtitutum queratur. Iam illis promiſſis ſtandum non eſſe, quis non videt, quæ coactus quis metu, quæ deceptus dolo promiſerit? Quæ quidem pleraque jure prætorio liberantur, nonnulla legibus. Exſiſtunt etiam ſæpe injuriæ calumnia quadam, & nimis callida, ſed malitioſa juris

rem præſentem venturum) Senec. de Benef. IV. 35. *In rem præſentem venturus ſui, ſed æger filius, ſed puerpera uxor tenet.* Proprie dicitur, cum judex, ſeu arbiter in locum, de quo controverſia eſt, venit, ut ille apud Terentium in Heautontim. III. 1.

Simus, & Crito
Vicini noſtri hic ambigunt de finibus;
Me cepere arbitrum: ibo ac dicam, ut dixeram.
Operam daturum me, hodie non poſſe his dare.

Hoc eſt, me non poſſe in rem præſentem venire. Cic. pro Cæcin. *Placuit Cæcinnæ de amicorum ſententia conſtituere, quo die in rem præſentem venirent.* Liv. XLVIII. *Eodem anno inter populum Carthaginienſem, & Regem Maſiniſſam in re præſenti diſceptatores Romani de agro fuerunt.* De re ipſa vide Senecam IV. de Benef. c. 35. GRÆV.

Quæ coactus quis metu, quæ deceptus dolo promiſerit) Si promiſſum jurejurando fuerit firmatum, ſervandum id eſſe contendit Grotius III. de Iure Belli & Pacis c. 19. §. 5. quia homo non homini tantum, ſed Deo obſtringitur. Vide & lib. II. c. 13. §. 14. INSM.

Iure prætorio liberantur) Per prætores in integrum reſtituuntur. Ius prætorium, & leges opponuntur. Leges enim proprie Romanis dicebantur, quæ ſuffragiis populi ferebantur. Ius prætorium eſt quod dicitur l. 2. ff. de Orig. Iur. & l. 7. de Iuſtit. & Iure *jus honorarium*, quia prætor, qui jus dicebat inter cives, *honorarius* dicebatur. Nihil autem erat jus prætorium, quam edicta prætorum. Quilibet prætor cum iniret magiſtratum, proponebat edictum, ex edictis deceſſorum ſuorum in id transferens, hinc vocatur etiam *jus tranſlatitium*, quod juſtum & æquum putabat, nova etiam interponebat, veteribus repudiatis. Ceterum de promiſſis, quibus dolo deceptus ſe obſtrinxit, vide Grot. II. de Iure Belli & Pacis cap. 11. §. 7. & cap. 17. §. 17. GRÆVIUS. At mihi videtur *jus Prætorium* etiam aliud quid in ſe continere, nempe Prætorum ſingulorum Sententias, ſive Iudicia in cauſſis, in unum quaſi corpus Iuris collecta & litteris mandata. In temporibus Ciceronis (ut ait ipſe de Leg. I. 5.) *plerique juris diſciplinam hauriendam putabant a Prætorum edicto, ſuperiores vero a duodecim tabulis.* Huic loco illuſtrando ſuam operam confert id, quod dicit idem in III. 15. hujus libri: *Dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela duodecim tabulis, & circumſcriptio adoleſcentium lege Lætoria, &, ſine lege, judiciis* (Prætorum) *in quibus additur, ex fide bona.* PEARCE.

Nonnulla legibus) Quærunt viri docti, quæ ſint illæ leges de dolo, cum quæ in codicibus legum Romanarum leguntur, diu ſint poſt Ciceronem latæ. Sed Cicero ipſe docet lib. III. quas hic leges ſignificet: *Iſte*, inquit, *dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela XII. tabulis, & circumſcriptio adoleſcentium lege Lætoria, & ſine lege judiciis, in quibus ex fide bona agitur.* Et lib. III. de Nat. deorum: *Inde judicium publicum rei privatæ lege Lætoria: inde everriculum malitiarum omnium judicium de dolo malo, quod C. Aquilius familiaris noſter protulit.* GRÆV.

Calumnia) *Calumnia* eſt lis, quam alicui quis ſine cauſa intendit, ut ei moleſtiam & periculum creet: fraudi igitur conjunctior eſt. Sic Noſter in Or. pro Mil. c. 27. Qui (Clodius) non

juris interpretatione. Ex quo illud, *ſummum jus, ſumma injuria*, factum eſt jam tritum ſermone proverbium. Quo in genere etiam in republica multa peccantur, ut ille, qui, cum triginta dierum eſſent cum hoſte pactæ indutiæ, noctu populabatur agros, quod dierum eſſent pactæ, non noctium indutiæ. Nec noſter quidem probandus, ſi verum eſt, Q. Fabium Labeonem, ſeu quem alium (nihil enim præter auditum habeo) arbitrum Nolanis, & Neapolitanis de finibus a ſenatu datum, cum ad locum veniſſet, cum utriſque ſeparatim locutum, ne cupide quid agerent, ne appetenter; atque ut regredi, quam progredi mallent. Id cum utrique feciſſent, aliquantum agri in medio relictum eſt. Itaque illorum fines, ſicut ipſi dixerant, terminavit: in medio relictum quod erat, populo R. adjudicavit. Decipere hoc

non calumnia litium alienos fundos petebat. Et in Or. pro Domo c. 14. *Illud in primis, neque calumnia, neque fraus, ne quis dolus adhibeatur*. PEARCE.

Nimis callida, ſed malitioſa) Manutius, Lambinus, Car. Stephanus, aliique ediderunt *& malitioſa*, quos, niſi omnes MSi mei vocem *ſed* exhiberent, ideo ſequendos eſſe ducerem, quod τὸ *ſed* in hoc loco videtur innuere, nihil turpe ſignificatum fuiſſe præcedentibus verbis *nimis callida*, contra id, quod certe Cicero voluit. At doctiſſimo *Chapmanno* videtur legendum eſſe *ſed & malitioſa*: IDEM.

Summum jus ſumma injuria) Colum. lib. I. *Nec eſt ſane nobis vindicandum quidquid licet. Nam ſummum jus antiqui putabant ſummam crucem*. Eſt autem ſummum jus τὸ ακριβοδικαιον. De hoc Menander:

Καλον οἱ νομοι σφοδρ' εἰσιν, ὁ δ' ὁρων αυτους λιαν
Ακριβως συκοφαντης γινεται.

Leges res præclaræ ſunt: ſed qui eas accuratius, quam par eſt, intuetur, calumniator eſt. H. WOLFIUS.

Cum hoſte indutiæ pactæ) Vetus codex unus ex noſtris habet, *indutiæ factæ*. LAMBIN. *Indutiæ pactæ*) *Factæ*, eſſe in lib. antiquis, Balduinus annotat. Habent ita quatuor noſtri: verum in uno litura adparet. Lambinus quoque ſic in uno veteri codice reperit. Vetus quoque lib. in Verr. V. ſic legit: *Iam vero ex Hyblenſium pactionibus intelligitis, quæ factæ ſunt*, ubi in vulgatis eſt, *pactæ ſint*. Ibid. lege *Neapolitanis*. Quod autem Lambinus edidit *de finibus agri*, & in quibuſdam legitur, *de finibus agrorum*, ſatis arguit, potius ſequendos eſſe libros veteres eos, in quibus, *de finibus*, tantum abſque genitivo legitur. FR. FABRIC. De triginta dierum induciis Ephorus apud Strabonem Thraecum commentum dicit adverſus Bœotos: vide Proverb. Θρακια παρευρεσις. LAMB.

Nec noſter quidem probandus) Nam ille, qui induciarum fidem violavit, Græcus fuit, ſive Cleomenes, ſive alius. FACCIOLAT.

Ne cupide quid agerent, ne appetenter) Sic primus hunc locum emendavit Turnebus in Adverſariis, Guilielmi MSis approbantibus, ut & Pall. & Pithœano, niſi quod in hoc vitioſe ſcriptum ſit *appetentur*: vulgo inſulſe, *nec appeterent*. GRÆV. Sed cum nonnulli MSi Oxonienſes habent *neque appeterent*, & MSus Mill. *ne quid appeterent*, reponendum eſſe cenſeo, *ut ne cupide quid agerent, ne quid appetenter*. PEARCE.

Sicuti ipſi dixerant) Quid, ſi ubi dixerant? illi ſane non dixerant, ibi ponendos eſſe terminos, quo Labeo poſt poſuit. Lege cum Pithœano, *ſicut ipſi diſceſſerant*; nimirum quo utrique receſ-

Digitized by Google

hoc quidem eſt, non judicare: quocirca in omni re fugienda eſt talis ſollertia.

11. Sunt autem quædam officia etiam adverſus eos ſervanda, a quibus injuriam acceperis. Eſt enim ulciſcendi, & puniendi modus: atque haud ſcio, an ſatis ſit, eum, qui laceſſierit, injuriæ ſuæ pœnitere, ut & ipſe ne quid tale poſthac, & ceteri ſint ad injuriam tardiores. Atque in republica maxime conſervanda ſunt jura belli. Nam cum ſint duo genera decertandi, unum per diſceptationem, alterum per vim; cumque illud proprium ſit hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore. Quare ſuſcipienda quidem bella ſunt ob eam cauſam, ut ſine injuria in pace vivatur: parta autem victoria, conſervandi ii, qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt, ut majores noſtri Tuſculanos, Æquos, Volſcos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt: at Carthagi-

receſſerunt. Græv. *Sicut ipſi dixerant*) I. e. Sicut ipſi ſibi fines conſtituerant, ut *diem dicere* ſignificat *diem ſtatuere*, *conſtituere*: vel, ſicut ipſi se regrediendo utrinque feciſſe dixerant, hortante Labeone; finibus, quibus futuri erant contenti, nominatis. Non opus eſt igitur, ut cum Codice Pithœano legamus *ſicut ipſi diſceſſerant*, quamvis hoc ſuadeat Grævius. Pearce.

Eſt enim ulciſcendi & puniendi modus) De pœnis & pœnarum modis, quæ in bello ſumuntur ab hoſtibus, vid. Grot. II. de Iure Belli & Pacis cap. 20. & lib. III. cap. 11. Græv.

Ut ipſe ne quid tale poſthac) Verbum, *committas*, quod hic ante legebatur, in bonis libris deeſt: recte. Sunt enim utiles in præceptis præciſæ orationes. Sic alibi: *Ne quid temere, ne quid crudeliter*. Eſt autem ex formula illa, qua delicta liberi deprecari ſolent ad parentes. Pro Ligario: *Cauſas Cæſar egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum; certe nunquam hoc modo, ignoſcite, judices, erravit; lapſus eſt; non putavit; ſi unquam poſthac: Ad parentem ſic agi ſolet: Ad judices, non fecit; non cogitavit; falſi teſtes, fictum crimen*. Sic Terentius in Phorm. I. 11. 92. *Poſthac ſi quidquam, nihil precor*. Et Plautus extrema Caſina. C. Lang. Sic & Pithœan. Palat. plurimique alii & princeps editio. Terent. *Si unquam poſthac, occidito*. Hoc vero, quod præcipit Cicero, veteres Romanos feciſſe Salluſtius in Catilin. prodit: *Neque victis præter injuriæ licentiam eripiebant*. Hinc Liv. lib. XXX. *Plus pene parcendo victis quam vincendo imperium auxiſſe*. Et vere Ariſtot. dicit VII. de rep. 141. πολεμον ειναι ειρηνης χαριν, ασχολιαν δε σχολης, *bellum pacis, & negotium ocii cauſa inſtitutum*. Græv.

Conſervanda ſunt jura belli) Liv. XXXI. 30. *Eſſe quædam belli jura, quæ ut facere, ita pati ſit fas*. Idem.

Confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore) Vide Grot. II. de Iure Belli & Pacis c. 23. §. 6. ubi agit de rationibus bellum avertendi, antequam arma capiantur. Idem.

Parta autem victoria conſervandi ii) Vid. Grot. III. de Iure Belli & Pacis c. 11. Idem.

In civitatem etiam acceperunt) Liv. lib. XLI. 46. *Non modo ſimultates, ſed bella quoque finiuntur. Ex infeſtis hoſtibus plerumque ſocii fideles, interdum etiam cives*

Digitized by Google

thaginem, & Numantiam funditus ſuſtulerunt; nollem Corinthum, ſed credo aliquid ſecutos, opportunitatem loci maxime, ne poſſet aliquando ad bellum faciundum locus ipſe adhortari. Mea quidem ſententia, paci, quæ nihil habitura ſit inſidiarum, ſemper eſt cōnſulendum. In quo ſi mihi eſſet obtemperatum; ſi non optimam, at aliquam rempublicam, quæ nunc nulla eſt, haberemus. Et cum iis, quos vi deviceris, conſulendum eſt, tum ii, qui, armis poſitis, ad Imperatorum fidem confugient, quamvis murum aries percuſſerit, recipiendi ſunt: in quo tantopere apud noſtros juſtitia culta eſt, ut ii, qui civitates, aut nationes devictas bello in fidem recepiſſent, earum patroni eſſent,

cives ſiunt. Albani, diruta Alba, Romam traducti ſunt: Latini, Sabini in civitatem accepti. Tac. Ann. V. *Conditor noſter Romulus tantum ſapientia valuit, ut pleroſque populos eodem die hoſtes, deinde cives habuerit.* Vide Grot. III. de Iure Belli & Pacis c. 15. IDEM.

Sed credo aliquid ſecutos) *Aliquid*, loco adverbii hic poſitum eſt. Vt pro Dejotaro: *Non enim jam metuo, ut illi tu ſuccenſeas; illud vero, ne illum tibi ſuccenſere aliquid ſuſpicere.* Terent. *Subtriſtis viſus eſſe aliquid.* Græcis eſt frequentius. C. LANG. Langius poſitum putat, *aliquid*, Græcorum more, τι, id eſt, κατα τι, quod mihi non videtur; itaque disjunctionis notam adſcribo poſt *ſecutos*: ut ſit hæc ſententia: puto eos non crudelitate impulſos Corinthum evertiſſe, ſed aliquam rationem ſecutos, maxime loci opportunitatem, &c. Quod autem quidam ajunt ſe in nonnullis libris ſcriptum reperiſſe, *ob opportunitatem loci max.*, eamque lectionem probant: ea vero inepta eſt, nec ferri poteſt: *ob*, autem natum ex prima ſyllaba vocis ſequentis. LAMB. *Sed credo aliquid ſecutos, opportunitatem loci max.*) Ita hæc ſcripta eſſe in veteribus libris, Balduinus jampridem admonuit, & ego nunc video. Langius quoque recte edidit, ſed male diſtinxit. Excuſat enim M. Tullius majores, qui, ut Corinthum excinderent, non crudelitate ſint adducti, ſed aliam aliquam rationem ſecuti ſint, & maxime opportunitatem loci. FR. FABRIT. *Credo aliquid*) Ita Victorius, Langius, & editorum recentiorum maxima pars, lectione non improbanda, ſi faverent MSi: ſed editio Mog. pr. & Rom. pr. ceteræque veteres, ut & omnes MSi, habent *aliquos*, quam vocem editores ſupradicti conjectura mutarunt in *aliquid*, ut ſententia ſe rectius haberet. Interim ſi conjecturæ detur locus, judicet lector, annon potius iſta vox *aliquos* in MSis malo omine nata ſit ex duabus vocibus, & legendum ſit, *credo aliqua eos ſecutos, opportunitatem loci maxime &c.* Cicero ſatis innuit non unam ſolam, ſed plures fuiſſe iis Romanis conſilii rationes, cum dicat *opportunitatem loci* potiorem iis fuiſſe rationem. Vox *aliqua* eo ſenſu, quo *quædam*, aliquando occurrit; quamvis non ſit uſitate uſurpata in numero plurali. Sic in Iuven. Satyr. VI. 14.

Multa pudicitiæ veteris veſtigia forſan,
Aut aliqua, extiterint & ſub Iove.
PEARCE.

Et cum iis, quos vi deviceris, conſulendum eſt) Vid. H. Grot. III. de Iure Belli & Pacis cap. 11. GRÆV.

Tum ii, qui armis poſitis ad imperatorum fidem confugient, quamvis murum aries percuſſerit) Dicit Cicero ex militari lege, qua, ubi mœnia quati ariete cœperunt, oppidani in deditionem fidemque non recipiebantur: id & e Cicerone, & e commentariis Cæ-

ſaris

Digitized by Google

eſſent, more majorum. Ac belli quidem æquitas ſanctiſſime fetiali populi Rom. jure perſcripta eſt. Ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum ante ſit & indictum. Pompilius imperator tenebat provinciam, in cujus exercitu Catonis

ſaris cognoſcimus, in quorum lib. II. Bell. Gall. ſic ſcribitur: *Cæſar Aduaticis denunciat, ſe eorum civitatem conſervaturum, ſi priusquam aries murum attigiſſet, ſe dedidiſſent*. Quod veteres obſervavere in ariete, id hodie nos bombarda tenemus: ut non ſine direptione fortunarum & captivitate in deditionem pleramque recipiantur, quorum mœnia tormentis quaſſata ſunt. TURNEBUS. Vide Grot. III. de Iure Belli & Pacis cap. 11. §. 14. GRÆV.

Sanctiſſime) I. e. verbis lege ſancitis. PEARCE.

Fetiali jure) Romani veteres non niſi conſulto collegio fetialium ad id inſtituto, Imperatores Chriſtiani vix niſi auditis Epiſcopis bella ſuſcipiebant, ut, ſi quod eſſet, quod religionem poſſet injicere, ejus monerentur. H. Grot. II. de Iure Belli & Pacis c. 23. GRÆV.

Rebus repetitis geratur) Rerum repetitarum nomine jus fetiale comprehendebat non tantum vindicationem ex jure dominii, ſed & perſecutionem ejus, quod ex cauſſa civili aut criminis debetur, ut recte explicat Servius. Inde illud in formulis, *reddi*, *ſatisfieri*, *dedi*; ubi dedi intelligendum eſt, ni punire ſontem malint ipſi, qui conveniuntur. Hanc rerum repetitionem dictam eſſe *clarigationem* teſtis eſt Plinius. H. Grot. de Iure Belli & Pacis lib. III. cap. 3. IDEM.

Aut denunciatum ante ſit) Vide de jure denunciationis Grot. III. de Iure Belli & Pacis cap. 3. §. 5. 6. 7. IDEM.

Pompilius imperator) Lego *Popilius*, ut habet ſcriptus codex, *m* littera extrita. Hic fuit C. Popilius Lænas Coſ. anno primo belli Macedonici ſecundi, quod hic Perſicum dicitur a Perſeo, ſeu Perſe Macedonum Rege, quem quinto ejus belli anno Paullus Æmilius ſuperavit, quo tempore quam ſtrenuum militem præſtiterit hic Catonis Cenſorii filius, tradit Plutarchus in Paulli Æmilii vita. In Popilii autem exercitu tiro fuerat. In Lælio, ſive de Amicitia, bellum Perſicum aliter dicitur, nempe pro eo quod cum Perſis geritur. PET. BALDVIN. *M. Popillius Imperator*) M. Popillius Lænas Coſ. Liguriam ſortitus provinciam ibi res bene geſſit. Livius. Id factum eſt quarto anno antequam ad bellum Macedonicum Paullus Æmilius Coſ. II. profectus eſt, quod eo bello M. Catonis filius tiro militaverit, ex hoc loco conjicere quis poſſit. Nam alibi non memini legere. Certe bello Macedonico eum adoleſcentem militaſſe hic Cicero teſtatur, & a Plutarcho repetitum eſt cum in Catone, tum in Æmilio, cujus poſtea filiam Tertiam nomine uxorem duxit, ut idem refert Plutarchus, exque ea ſuſcepit C. Catonem, de quo Cicero in Bruto. Diu me torſit hic locus, nec adhuc in eo mihi placeo. Nam in Liguria hæc accidiſſe non poſſunt videri, alioqui eadem & in Macedonia eveniſſe dicendum eſſet. Itaque ſuſpicatus aliquando ſum, ſi pro *Popillius*, *Paullus Æmilius* ſcribi deberet. Nam *M.* prænomen in veteribus libris aliquot non reperi. Sed ne hic quidem conſiſto, qui Macedoniam ſciam XX. demum anno poſt bellum Perſicum provinciæ nomen adeptam, devicto per Q. Metellum, qui inde Macedonicus dictus eſt, Andriſco, cum tamen provinciam tenuiſſe dicatur. Videndum quoque eſſet, an Paullus, qui tam paucis menſibus bellum illud confecit, ullam legionem interea potuerit dimittere. Scio etiam, M. Popillium eumdem illum & jam conſularem, Tribunum militum fuiſſe Paullo Æmilio in Macedonia: id enim novum non fuit; nam & L. Albinus etiam conſularis ibi tribunatu militum functus eſt, utrumque teſtante Livio. Sed iterum obſtat Cicero,

Digitized by Google

tonis filius tiro militabat. Cum autem Pompilio videretur unam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimiſit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remanſiſſet, Cato ad Pompilium ſcripſit, ut, ſi eum pateretur in exercitu remanere, ſecundo eum obligaret

cero, quo minus hic locus de M. Popillio in Macedonia tribunum agente intelligatur. Nam non modo provinciam tenuiſſe, ſed etiam imperatorem fuiſſe ſcribit. Igitur vel Cicero non eſt exacte ſecutus hiſtoriam, vel vocabulis militaribus abuſus eſt, quod non libenter conceſſerim. Hæc volui monere: alius meliora afferat, vel de ingenio, vel de exemplaribus. G. LANG. Iacobus Perizonius, vir ſummo ingenio ac doctrina, Animadverſion. Hiſtoricarum cap. 10. cenſet pro *Popillius*, reponendum eſſe *Hoſtilius*, qui in eo bello & in ea provincia imperator fuerit, & in primis collapſam in exercitu diſciplinam reſtituerit: quam ad rem pertinere queat, quod a Cicerone dicatur, unam demiſiſſe legionem. GRÆVIVS. *M. Popillius Imperator*) Sic edidit Langius, & ſcribit, hunc eſſe M. Popillium Lænatem, qui coſ. ann. urbis 582. Liguriam obtinuit, ac rem proſpere illic geſſit, de quo Livius lib. XLII. Balduinus quoque ex ſcripto codice legit, *Popillium*: ſed C. Popillium Lænatem intelligit, qui anno proximo poſt Marcum conſul fuit. Verum quia non ſolum in libris impreſſis, ſed & manuſcriptis permultis, *Pompilius* legitur, & Plutarchus in vita Catonis Cenſorii ſcribit, ejus filium cum Paullo Æmilio militaſſe, Paullo Manutio pro *Pompilius*, legendum videtur, *Paullus Æmilius*. FR. FABRIT. Langius & Schottus, deleto *Popillio*, *Paulum Æmilium* legendum eſſe volunt & hic, & in ſequentibus: Iac. vero Perizonius *Hoſtilium*: ex ingenio nimirum omnes, non ex libris manuſcriptis: Et utramcunque ex iſtis lectionem prætuleris, magnæ ſane orientur difficultates. Nam horum quempiam in bello Macedonico (ut illi volunt) *legionem unam ex ſuis dimiſiſſe*, neque Livius uſpiam prodit, qui res tamen Macedonicas fuſe perſequitur, neque res ipſæ eorum temporum id fieri patiebantur ante Perſeum devictum, ut ſatis conſtat ex Liv. lib. XLII. XLIII. XLIV. XLV. Namque ab anno V. C. 578. quo arma Romanorum adverſus Perſeum moveri cœpta ſunt, uſque ad ann. 585. quo penitus ſubacti erant Macedones, non modo non dimitti legiones ex Macedonia, verum etiam annis ſingulis novas ſcribi, vel repleri veteres compertum eſt. Quid quod ipſum Catonem filium per ea tempora militaſſe ſub L. Æmilio Paulo refert Plutarchus in Catone majore, & Æmilio Paulo: itemque Iuſtinus XXXIII. 2. & Frontin. Strat. IV. 5. 17. Neque tamen de miſſo identidem Catone, aut repetito ſacramento, aut epiſtola Catonis Patris ad Conſulem, quidquam innuunt. Id quod mirum in Plutarcho videatur, qui inſigne quoddam Catonis juvenis factum diſerte inibi commemorat, atque etiam Patris Epiſtolam in laudem Filii ob virtutes bellicas. Κατωνος αυτε φερεται τις επιςολη προς τον ὑιον, ὑπερφυως επαινουντος την περι το ξιφος φιλοτιμιαν αυτε και σπεδην. *Ipſius Catonis exſtat ad filium epiſtola, qua ſupra modum extollit contentionem ejus de gladio & curam*. Plut. in Cat. maj. Ex quibus ſane liquet fruſtra quærendum eſſe ſub *A. Hoſtilio*, vel *Æmilio* id, quod refert Noſter de legione dimiſſa. Neque aliam facile provinciam *Hoſtilii*, vel *Æmilii* invenias, qua illud contigerit *legioni*, vel *Catoni* filio. Nam Hoſtilio legiones nullæ, niſi in bello (de quo ſupra) Macedonico, cum Conſul eſſet V. C. 583. neque ullæ Æmilio (ni fallor) ab eo anno, quo Ligures debellavit V. C. 569. cum nondum pueritiam Cato filius depoſuerat: quippe qui mortuus eſt in prætura V. C. 598. (Liv. Epit. 48.) quique etiam ad V. C. 582. μειράκιον & νεανίας a Plutarcho dictus eſt

garet militiæ ſacramento, quia, priore amiſſo, jure cum hoſtibus pugnare non poterat. Adeo ſumma erat obſervatio in bello movendo. Marci quidem Catonis ſenis epiſtola eſt

eſt in Cat. maj. & in Æmil. Paulo. Quidni itaque ſcripturam veterem amplectamur *Pompilium* vel *Popilium*? Nam leve quidem eſt, quod objicit Perizonius, *Pompilium* nullum exſtitiſſe per ea tempora. Satis enim eſt, *Popilios* ea certe tempeſtate floruiſſe, & *Marcum* & *Caium*, cum imperio tum Conſulari, tum Proconſulari. *M. Popilius Lenas* Conſul fuit circa ann. V.C.579. *Caius* autem anno ſequente. Et utrique legiones decretæ adverſus Ligures, & res geſtæ memorabiles (vid. Livii lib. XLII.). Quin & Cato per ætatem in utriuſvis exercitu tiro eſſe potuerit (quamvis id quidem, quod Cicero refert, ſilentio prætermiſerunt ſcriptores ceteri), cum nihil quod ſciam in *Popiliorum* hiſtoria repugnet. His accedat, quod *Popilii* alias ſæpe in MSis *Pompilii* nuncupantur. Ita *Caius* exhibetur in codd. Val. Max. VI. 4. 3. ubi vide Glarean. & Turrent. in edit. optima 1726. Ita etiam in Iuſtini codd. XXXIV. 4. Necnon *Marcus Pompilius* in nonnullis exemplaribus & editis Livii XLI. 28. ut ex ipſo nomine litem movere ſit plane frivolum: præſertim cum Ioann. Sariber. jam olim in ſuis codd. ita legerat hunc locum Ciceronis, ut patet ex Polycrat. lib. VI. cap. 7. CHAPMAN.

Sacramento) Scilicet eo juramento, quo militaturi se ſua ſponte obligare ſolebant. Formulam quamdam juramenti (notante Manutio) habemus apud Aul. Gell. XVI. 4 Livius in II. 45. cum memorat Centurionem quemdam juraſſe in hæc verba: *Victor revertar ex acie*; addit: *ſi fallat, Iovem patrem, Gradivumque Martem, alioſque iratos invocat Deos*. Monendus eſt tamen lector, eumdem Livium XXII. 38. ſacramentum a jurejurando ſic diſtinguere: *Milites tunc* (ann. V. C. 536.) *quod nunquam antea factum erat, jurejurando a tribunis militum adacti, juſſu conſulum conventuros, neque injuſſu abituros: nam ad eum diem nil præter ſacramentum fuerat; & ubi ad decuriatum, aut centuriatum conveniſſent, ſua voluntate ipſi inter ſe equites decuriati, centuriati pedites conjurabant, ſeſe fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine receſſuros, niſi teli ſumendi aut petendi, aut hoſtis feriendi, aut civis ſervandi cauſa: id ex voluntario inter ipſos fœdere a tribunis ad legitimam jurisjurandi adactionem translatum*. PEARCE.

Adeo ſumma erat obſervatio in bello movendo) Vox *movendo* mihi ſuſpecta eſt, velimque, ea deleta, legi: *Adeo ſumma erat obſervatio in bello. Marci quidem, &c.* LAMBIN. Sarisber. lib. VI. Polycr. cap. 7. adducit hunc locum, ſed a quo abeſt gloſſa hæc: *Adeo ſumma erat obſervatio in bello movendo*, quæ in textum Ciceronis imprudenter irrepſit. Bongarſius ad Iuſtin. XXXIII. 1. GRÆV.

Marci quidem Catonis ſenis) Hæc quidem, ſi a Cicerone ipſo profecta ſunt, aliam (ut puto) a ſuperiore & tempore, & loco hiſtoriolam exhibent. Et fortaſſe ad A. Hoſtilii Conſulis factum referenda ſunt; qui (ut narrant legati apud Liv. XLIII. 13.) *exercitum infrequentem* reddiderat, *commeatibus vulgo per ambitionem datis*: unde, *quia fama erat, multos ex Macedonicis legionibus ab exercitu abeſſe* (circa ann. V.C. 580.581.) Cenſores *edixerunt, ut, qui in Patris aut Avi poteſtate eſſent, eorum nomina ad ſe ederentur*: miſſorum *quoque cauſſas ſe cognituros eſſe; & quorum ante emerita ſtipendia gratioſa* miſſio *ſibi viſa eſſet, eos milites fieri juſſuros. Quo edicto, tanta multitudo juniorum Romam convenit, ut gravis Vrbi turba inſolita eſſet*. ib. c. 16. Hinc evenire potuit, ut Cato pater, cum hujuſmodi quiddam de ſuo etiam filio audierat, id ipſum monuerit, quod hoc loco memoratur. Verumtamen, ne quid diſſimulem, tota hæc pericope mihi gloſſatoris ingenium ſapere, atque ex margine videtur in textum irrepſiſſe. Nam Cicero, cum antea de *Catone* verba fecerat, interjectis etiam verbis *Adeo ſumma erat &c.* non (opinor) eumdem iterum exhiberet tam pravo exordio, *Marci quidem Catonis*, quo alium a priore induci exiſtimes, ſed iſtiuſmodi copula leniori, *Ejuſdem quoque*

Digitized by Google

eſt ad M. filium, in qua ſcripſit, ſe audiſſe, eum miſſum factum eſſe a conſule, cum in Macedonia Perſico bello miles eſſet. Monet igitur, ut caveat, ne prœlium ineat, negat enim jus eſſe, qui miles non ſit, pugnare cum hoſte.

12. Equidem illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis vocaretur, lenitate verbi triſtitiam rei mitigatam. Hoſtis enim apud majores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus: indicant duodecim tabulæ, AVT STATVS DIES CVM HOSTE. Itemque, ADVERSVS HOSTEM ÆTERNA AVCTORITAS. Quid ad hanc manſuetudinem

quoque Catonis &c. Neque mirum ſane, ſi aliena alicubi irrepſerint, cum Operis hujus codices MSi complures, quorum ipſi nonnullos vidimus, marginalibus gloſſis referti ſint per ſingulas fere paginas. CHAPMAN.

In qua ſcripſit) *Scribit*, edidit Langius, atque ita quidam manuſcripti libri habent. Catonis epiſtola ad filium citatur a Priſciano lib. VII. Tu vide Plutarchum in Quæſtionibus Romanis. FR. FABRIT. *Scribit*) Sic Langius & Victorius: ſic & MSi Mead. pr. Cant. & tres Regii, cum tribus aliis: recte; nam ſequentia verba *monet* & *negat* ſatis probant, Ciceronem hic uſum eſſe præſenti tempore: vulgo *ſcripſit*. PEARCE.

Perſico bello) *Perſæo* Wolfius mavult, quod ſignificetur bellum, non cum Perſis, ſed cum Perſeo rege Macedonum geſto. Verum hoc etiam bellum Romani Perſicum appellarunt, quod non ſolum hic omnes libri Ciceronis, ſed & Faſti Capitolini convincunt: in quibus poſt conſulatum C. Popillii Lænatis & P. Ælii Liguris ſubſcriptum invenitur, *Bellum Perſicum*. FR. FABRIT.

Negat enim jus eſſe, qui miles non ſit, pugnare cum hoſte) Hoc Plutarchus pluribus explicat in problematibus, ex quo intelligimus nefas fuiſſe hoſtem feriri ab alio, quam qui ſacramento militari dixiſſet, qui ſecus feciſſet, eum cædis reum viſum fuiſſe. Vide Grot. lib. II. c. 25. §. 9. 10. GRÆVIUS.

Qui proprio nomine perduellis eſſet) Varro VI. de Latina Lingua: *Apud Ennium: Quin inde invictis ſumſerunt perduellibus: perduelles ſunt hoſtes: ut perficit, ſic perduellum, duellum, id poſtea bellum. Ab ea cauſſa facta Duellona, Bellona*. Plaut. Amphit. I. 1. *Perduelles penetrant ſe in fugam*. IDEM.

Is hoſtis vocaretur) Varro IV. de Latina Lingua: *Multa verba aliud nunc oſtendunt, aliud ante ſignificabant, ut hoſtis: nam tum eo verbo dicebant peregrinum, qui ſuis legibus uteretur, nunc dicunt eum, quem tum dicebant perduellem*. Sic Herodotus in Vrania teſtatur, Lacedæmonios appellaſſe Perſas peregrinos, ξεινυς γαρ εκαλεον τους βαρβαρυς. IDEM.

Aut ſtatus dies cum hoſte) Feſtus: *Status dies vocatur, qui judicii cauſſa eſt conſtitutus cum hoſte, id eſt, peregrino. Ejus enim generis ab antiquis hoſtes appellabantur, quod erant pari jure cum populo Romano: atque hoſtire ponebatur pro æquare. Plautus Curculione:*

Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies,
Tamen eſt eundum, quo imperant, ingratiis. IDEM.

Adverſus hoſtem æterna auctoritas) Adverſus peregrinum ſemper civi Romano ſalvum manet jus dominii, peregrinus nihil quod eſt civis Romani poteſt uſucapere. Auctoritas hic eſt jus dominii, ut in lege XII. Tab. *Uſus auctoritas fundi biennium eſto, ceterarum omnium rerum uſus auctoritas annum eſto*. Et in lege Atinia apud Gell. XVII. 7. *Quod ſubreptum erit, ejus rei æterna auctoritas eſto*: hoc Paullus lib. LIV. ad edictum ſcribens ſic explicat: *Quod autem dicit lex Atinia, ut res furtivæ non uſucapiatur, niſi in poteſtatem ejus, cui ſubrepta eſt, revertatur, ſic acceptum eſt, ut in domini poteſtatem debeat reverti*.

Digitized by Google

dinem addi poteſt? eum, qui cum bella geras, tam molli nomine appellari? Quamquam id nomen durius jam effecit vetuſtas, a peregrino enim jam receſſit, & proprie in eo, qui arma contra ferret, remanſit. Cum vero de imperio decertatur, belloque quæritur gloria, cauſas omnino ſubeſſe tamen oportet eaſdem, quas dixi paullo ante juſtas cauſas eſſe bellorum. Sed ea bella, quibus imperii gloria propoſita eſt, minus acerbe gerenda ſunt. Vt enim cum civi aliter contendimus, ſi eſt inimicus, aliter, ſi competitor,

Qui cum bellum geras) Vulgo *bella*; ſed, cum præceſſerit *eum*, rectius ſe habet nomen ſingularis numeri; nam cum ſingulis non *bella*, ſed *bellum* gerit miles. MSi etiam Cant. duo Mead. tres Regii, excerpt. Pith. & editio Victorii habent *bellum*. Pearce.

Qui arma contra ferret) Sic noſtri vet. cod. aliquot; alii, *qui ferret arma contra*, &c. & ita Langius. Lambin. *Qui ferret arma contra*) Sic Langius hoc edidit: ſic & noſtri libri cum Victorianis habent: *Qui arma contra ferret.* Sic infra: *Qui arma contra ferant*. Fr. Fabrit.

A peregrino enim receſſit) Errore ediderunt recentiores, *a peregrino enim jam receſſit*: vox *jam* ſupervacanea eſt, ne dicam inepta, cum proxime præceſſerit: nec eam agnoſcunt Victorius & Lambinus; nec MSi Mead. pr. tres Regii Mill. aliique. Pearce.

Ea bella, quibus imperii gloria propoſita eſt, minus acerbe gerenda ſunt) Plato V. de Rep. Ελληνας μεν αρα βαρβαροις, και βαρβαρους ἑλλησι πολεμειν μαχομενους τε φησομεν, και πολεμιους φυσει ειναι, και πολεμον την εχθραν ταυτην κλητεον. ἑλληνας δε ἑλλησιν, ὁταν τι τοιουτον δρωσι, φυσει μεν φιλους ειναι, νοσειν δε εν τῳ τοιουτῳ την ἑλλαδα και στασιαζειν· και στασιν, την τοιαυτην εχθραν κλητεον. *Quoties Græcia adverſus barbaros, vel contra Græcos barbari ipſi pugnabunt, bellum gerere aſſeremus, & hoſtes eſſe natura, & has inimicitias bellum vocabimus. Quando vero Græci adverſus Græcos inſurgent, dicemus eos natura quidem amicos eſſe, morbo autem laborare in hoc Græciam, & ſeditionibus agitari, & ſeditionem has inimicitias appellabimus*. Vide ibi plura, quanta mala incumbant populo, ſi in ſeditione adverſariorum agros populentur & domos incendant. Quod præcipit Cicero, præſtiterunt egregie Ptolemæus, & Demetrius. Iuſtin. XV. 1. *In quo prælio major Ptolemæi moderationis gloria, quam ipſius victoriæ fuit. Siquidem & amicos Demetrii non ſolum cum ſuis rebus, verum etiam additis inſuper muneribus dimiſit, & ipſius Demetrii privatum omne inſtrumentum ac familiam reddidit, adjecto honore verborum: Non ſe propter prædam, ſed propter dignitatem iniſſe bellum*. Cap. ſequente: *Demetrius filium Ptolemæi Leontiſcum, & fratrem Menelaum, amicoſque ejus cum privati inſtrumenti miniſterio, pari provocatus ante munere, Ægyptum remittit, & ut appareret, eos non odio, ſed dignitatis gloria accenſos, donis muneribuſque inter ipſa bella contendebant. Tanto honeſtius tunc bella gerebantur, quam nunc amicitiæ coluntur*. Vide Grot. III. de Iure Belli & Pacis cap. 15. Græv.

Vt enim cum civiliter aliter contendimus) Mendum hujus loci, de quo jampridem Anœmecius admonuit, in optimis quibuſque editionibus hærere diutius ferendum non eſt. Sic igitur repone, *Vt enim cum civi aliter contendimus, ſi eſt inimicus*. Peccarunt librarii ignoratione antiquitatis: quæ in concurſu vocalem alteram ſæpe omiſit; pro, *civi aliter*, *civiliter* ſcriptum fuit. Iam Ciceronem ablativo, *civi*, ſæpiſſime uſum eſſe, ex libris antiquis, & Grammaticis veteribus certum eſt. Fr. Fabrit. *Vt enim cum civi aliter contendimus, ſi eſt inimicus, aliter, &c.*) Sic prorſus legendum eſt: quod vidit Franciſcus Fabricius Marcodurænus; nam

titor, cum altero certamen honoris, & dignitatis eſt, cum altero capitis & famæ: ſic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum, ut cum inimicis gerebatur, uter eſſet, non uter imperaret. cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho de imperio dimicabatur, Pœni fœdifragi, crudelis Hannibal, reliqui juſtiores. Pyrrhi quidem de captivis reddendis illa præclara:

Nec mi aurum poſco, nec mi pretium dederitis,
Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes:
Ferro, non auro vitam cernamus utrique.

Vos

nam hoc, *civiliter*, corruptum eſt: & ex, *civi aliter*, factum *civiliter*. Sententia autem, & veritas ita legendum eſſe pervincunt. LAMBIN. Fabritii, & Lambini lectionem, quamvis ſenſui optime conveniat, nequaquam tamen probo, cum cunctis MSis ſe opponat. *Civiliter contendere* ſignificat iis modis, artibus, viis contendere, quibus (ſalvis legibus) cives cum civibus certantes uti ſolent. Simile eſt illud Ciceronis in Ep. ad Fam. VIII. 14. *Homines in diſſenſione domeſtica debent, quamdiu civiliter ſine armis certetur, honeſtiorem ſequi partem*. PEARCE.

Nec cauponantes bellum) Καπηλεύειν μάχην dixit Æſchylus in ea tragœdia, quæ inſcribitur, Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, unde Cicero ſumpſiſſe videtur. F. VASIN Viri docti, qui putant Ennium eadem mente verbum *cauponari* hic accepiſſe, qua καπηλεύειν μάχην Æſchylus accepit, errant vehementer. Καπηλεύειν μάχην apud Æſchylum eſt, nullam moram in pugna capienda facere, ſtatim prælium ingredi. Pyrrhus apud Ennium præ ſe fert, ſe non quæſtus gratia & lucri belligerare cum Romanis, ſed regni tantum & gloriæ cupiditate. Idcirco ſe nolle ab illis pretium pro captivis accipere, quos gratis reddebat. Non enim *ſe cauponari bellum*, hoc eſt, lucrum ſectari in bello, ſed ſimpliciter bellum gerere SALMASIVS. Cum in vulgatis editionibus poſt præcedens verbum *dederitis* ponatur comma, & poſt *belligerantes* in hoc verſu colon, vox *cauponantes* ſuam propriam vim habere non videtur. *Cauponari* enim dicuntur, qui cum lucro vendunt; non qui pretium offerentes emunt: hoc vero poſterius ſolum Romanis convenit, de quibus Pyrrhus loquitur; & qui pretium iſti Regi pro reddendis captivis obtulerant. Hac ratione adductus Cl. Ric. Bentleius ſic legendum eſſe locum cenſuit,

Non mi aurum poſco, nec mi pretium dederitis
Non cauponanti bellum, ſed belligeranti.

Sed conjectura iſta non opus erit, ſi ſequamur interpunctionem Victorii, & aliorum veterum editorum, qui primum verſum a ſecundo diſtinguunt; ſecundum vero tertio adjungunt:, ſic enim interpungendo vox *cauponantes* referri poteſt ad vocem *utrique*. Senſus eſt: Nec meum eſt nunc *cauponari bellum*, captivis ob pretium vobis reddendis; nec veſtrum eſt id poſtea facere, ſi qui de meis, fortuna belli, apud vos captivi fuerint. PEARCE.

Vitam cernamus utrique) *Vitam cernere*, locutione quadam priſca dictum crediderim minimeque obvia. In Medea eodem genere orationis uſus fuerat,

Nam ter ſub armis malim vitam cernere,
Quam ſemel parere.

Quod Euripides in Medea dixit, ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαξ. Hic cernere vitam, eſt dimicare, pugnare; id enim *cernere* Latinis eſt, quod Græcis κρίνεσθαι. Cernit autem vitam, qui eam conſtituit in dimicationem, & diſcrimen adducere, & qui de eo paratus eſt diſceptare, & de vita, ut Varro lib. VI exponit, decernere. TVRNEBVS. Sic & Virg. *Inter ſe coiiſſe viros & cernere ferro*. Salluſt. Catil. 59. GRÆVIVS.

 Quid-

Digitized by Google

Vos ne velit, an me regnare hera, quidve ferat ſors,
Virtute experiamur; & hoc ſimul accipe dictum:
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorumdem me libertati parcere certum eſt:
Dono, ducite, doque, volentibu' cum magnis diis.

Regalis ſane, & digna Æacidarum genere ſententia.

13. At-

Quidve ferat fors) Exemplar ſcriptum habet, *quidve ferat fors*. P. Baldvin. *Quidve ferat ſors*) Sic habent libri MSi, atque ita ſine dubio legendum, non ut in vulg. *ferat ſors*; quod non eſt ab aliis emendatum. Supra autem, ne quis erret, legendum, *vitam cernamus*, non *vita*. Lambin. *Quidve ferat fors*) *Fors*, non *ſors*, habent libri manuſcripti, ut etiam Balduinus admonuit: atque ita ſine dubio legendum. Quam multa vero optimorum ſcriptorum loca hoc mendum occupaverit, Lambinus noſter in Commentariis in Horatium demonſtravit. Fr. Fabrit. Recte vidit ὁ πάνυ I. Fr. Gronovius poſt *hera* virgulam diſtinctionis eſſe delendam, & *hera* ac *fors* jungenda. Nihil certius. Voſne velit regnare, an me hera fors, ſive domina fortuna, quidve ferat illa, quem ſucceſſum ſit habitura res. Ceterum verſus Ennii in editione Gruteri ſunt turbati peſſime. Hic eſt illorum ordo:

Nec mi aurum poſco, nec mi pretium dederitis:
Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes
Ferro, non auro, vitam cernamus utrique,
Vos ne velit an me regnare hera quidve ferat fors
Virtute experiamur; & hoc ſimul accipe dictum:
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorumdem me libertati parcere certum eſt.
Dono, ducite, doque volentibus cum magnis diis. Grævius.

Hoc ſimul accipe dictum) Pyrrhus in his verſibus Ennianis duos vel plures alloquitur, quod oſtendunt verba *dederitis*, *vos*, *ducite &c.* Cur igitur hic occurrit *accipe*, verbum ſingularis numeri? Tres legatos ad Pyrrhum miſerant Romani, ſi hiſtoricis fides ſit. Quocirca doctus vir Iortinus ſuſpicatur legendum eſſe: *hoc ſimul accipite dictum*; quod pronuntiandum, quaſi ſcriptum eſſet *accpite*, vel *acpite*; ut pro *porrigite* contracte dicitur *pergite*, more antiquo, in Virg. Æn. VIII. 274. & pro *ſurripite* dicitur *ſurpite* in Horat. Serm. II. iii. 283. Pearce.

Me libertati parcere certum eſt) *Certum eſt* non modo accipitur pro *manifeſtum eſt*, ſed etiam pro *deliberatum & conſtitutum eſt*. In quo ſecundo ſenſu plerumque adjungitur dativus cum infinito. ut *certum eſt mihi ire in Hiſpaniam*. Nonnunquam dativus ſubintelligitur, ut apud Virg. Eclog. X. 52.

Certum eſt in ſylvis, inter ſpelæa ferarum
Malle pati . . . i. e. mihi.

Hæc Valla in Eleg. L. Lat. v. 27. quibus addi poteſt Terent. Andr. II. i. 11. & Eunuch. II. iii. 97. Lexicographi notant vocem *certum*, per metatheſin factam eſſe ex *cretum*, a *cerno*, quod idem eſt ac *decerno*, *conſtituo*. Fortaſſe Ennius ſcripſit *mi libertati*, non *me libertati*: i. e. certum eſt mihi parcere libertati eorumdem. Idem.

Dono, ducite) Paſſeratius diſtinguendum cenſet, poſt *Dono*, ut ſit verbum, dono, as, cui aſſentior. Lamb. *Dono ducere*, ut dono promittere Plaut. Moſtellar. Gvilielm. Sed rectius Paſſeratius, cui & Manutius adſtipulatur. Grævius.

Doque volentibus cum magnis Diis) Sic omnino legendum, non, *volentibus id magnis diis*. Sic enim loquebantur veteres. Plautus Milite glor. *Agite, ite cum diis bene volentibus*. Lambin. Hæc quoque vetus eſt locutio. Sic enim & Cato cap. 141. locutus eſt: *Cum divis volentibus, quodque bene eveniat, mando tibi Mani, uti illace ſuovitaurilia, fundum, agrum, terramque meam, quota ex parte ſive circumagi, ſive circumferenda cenſeas, uti cures luſtrare*. Tvrnebvs. Quod alii repererunt *volentibus id magnis diis*, id vero perſpicue adulterinum eſt. Hoc enim modo ſemper Latini.

Digitized by Google

13. Atque etiam ſi quid ſinguli, temporibus adducti, hoſti promiſerint, eſt in eo ipſo fides conſervanda: ut primo Punico bello Regulus captus a Pœnis, cum de captivis commutandis Romam miſſus eſſet, juraſſetque ſe rediturum, primum, ut venit, captivos reddendos in ſenatu non cenſuit: deinde, cum retineretur a propinquis, & ab amicis, ad ſupplicium redire maluit, quam fidem hoſti datam fallere. *Secundo autem Punico bello, poſt Cannenſem pugnam, quos decem Hannibal Romam adſtrictos miſit jurejurando ſe redituros eſſe, niſi de redimendis iis, qui capti erant, impetraſſent: eos omnes cenſores, quoad quiſque eorum vixit, qui pejeraſſent, in ærariis reliquerunt: nec minus illum, qui jurisjurandi fraude culpam invenerat. Cum enim Hannibalis permiſſu exiſſet de caſtris, rediit paulo poſt, quod ſe oblitum neſcio quid diceret. Deinde egreſſus e caſtris, jurejurando ſe ſolutum putabat: & erat verbis, re non erat. Semper autem in fide, quid ſenſeris, non quid dixeris, cogitandum. Maximum autem exemplum eſt juſtitiæ in hoſtem a majoribus noſtris conſtitutum. Cum a Pyrrho perfuga ſenatui eſt pollicitus, ſe venenum regi daturum, & eum necaturum: ſenatus, & C. Fabricius perfugam Pyrrho dedit. Ita ne hoſtis quidem, & potentis, & bellum ultro inferentis, interitum cum ſcelere approbavit.* Ac de bellicis quidem officiis ſatis dictum

tini. Plaut. Perſ. III. 1.

Sequere hac, mea gnata, me cum diis volentibus. GVILIELM.

Si quid ſinguli, temporibus adducti, hoſti promiſerint, eſt in eo ipſo fides conſervanda) Hæc in primis illuſtrat H.Grot. III. de Iure Belli & Pacis c.23. GRÆV.

Secundo autem bello Punico) Quæ hoc ſigno includuntur, in unico Parcenſi exemplari reperi. Germani certe ea ediderunt. An Ciceronis ſint non contendo: referuntur infra fere eadem. C. LANG. *Secundo autem bello Punico*) Hæc omnia, quæ diſſimilibus litteris impreſſa ſunt, abſunt a veteribus libris, & nonnullis vulgatis. LAMBIN. *Secundo autem bello*) Hæc Lambinus diſſimilibus litteris imprimi voluit, quod abſint a veteribus libris, & nonnullis vulgatis. Balduinus quoque, & Anemæcius Auguſtanus ea in ſuis libris non habuerunt. Langius in unico reperit, ſicut & nos in optimo noſtro. FR.FABRIT. Non habentur in editione prima Moguntina, nec in Victoriana, Manutiana, Roberti Stephani minore, quæ prodiit 1540. aliiſque vetuſtioribus omnibus, nec in MSis Pall. Pithœano, Grævii. GRÆVIVS. Hæc & ſequentia uſque ad *interitum cum ſcelere approbavit*, licet a plurimis MSis abſint, tamen inveniuntur in uno Langii, altero Fabritii in marg. Reg. tertii, & in tribus Oxonienſibus: nec indigna videntur, quæ a Ciceronis manu profecta eſſe cenſeantur. Certe non hic audiendus eſt Langius, qui ideo ea rejicienda eſſe voluit, quod infra in III. 22. & 32. eadem fere a Noſtro dicuntur. Nam & ea, quæ Cicero antea in hoc

Digitized by Google

ctum eſt. Meminerimus autem, etiam adverſus infimos juſtitiam eſſe ſervandam. Eſt autem infima conditio, & fortuna ſervorum: quibus, non male præcipiunt, qui ita jubent uti, ut mercenariis: operam exigendam, juſta præbenda. Cum autem duobus modis, id eſt, aut vi, aut fraude fiat injuria, fraus, quaſi vulpeculæ; vis, leonis videtur: utrumque homine alieniſſimum: ſed fraus odio digna majore. Totius autem injuſtitiæ nulla capitalior eſt, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni eſſe videantur. De juſtitia ſatis dictum eſt.

14. Dein-

hoc capite de Regulo dixerat, iterum aliis verbis memorat in III. 26. ut etiam ea, quae de Theſeo dixerat in cap. 10. repetuntur in III. 25. Pearce.

Eſt autem infima conditio & fortuna ſervorum) Vix inter homines numerabantur. Iuven. Sat. VI.

O demens, ita ſervus homo eſt!

Flor. III. 20. vocat *ſecundum genus hominum*, hoc eſt deterioris & vilioris notæ homines.

Ἥμισυ γὰρ τε νου ἀμείρεται εὐρύοπα Ζεὺς
Ἀνδρῶν εὖτ' ἂν δὴ κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσι.

Tollitur huic hominum generi pars altera mentis
Ab Iove, ſervilem voluit quos ducere vitam,

ut vertit H. Grot. Græv.

Operam exigendam, juſta præbenda) Huic loco ſuus nitor eſt redditus. Præbendi verbum ad annonam ſpectat, maxime dum capitatim ſua cuique portio tribuitur, ut in exercitu, in familia, ut in annonæ difficultate: ea portio *præbendorum* appellatione venit Livio & aliis. Diviſores ipſi appellantur *præbitores*. Quin *præbere* ab eodem uſu, ad cœnas refertur: antiqua enim parſimonia ſua cuilibet convivæ portio præbebatur, eaque pro ratione inſtituti convivii vel prolixa, vel tenuis. Horat. in Satyr. *Præter eum, qui præbet*. C. Lang. *Operam exigendam, juſta præbenda*) In libris vulgaris mendoſe, & contra fidem veterum legitur: *Ad operam exigendam, & juſta præbenda*. Sic homines imperiti paſſim aliena multa ſuppleverunt, atque inculcarunt, itaque Victorius, Balduinus, Langius, & Lambinus recte hic particulas illas deleverunt. *Iuſta* vero ſunt, quæ more, merito, & quaſi jure quodam tribuuntur: ut ſunt quaterni modii frumenti in menſem, quod demenſum dicebatur. Fr. Fabrit.

Vtrumque homine alieniſſimum) Sic eſt in Pall. & Guilielmianis. Editi enim: *utrumque alieniſſimum a homine*. Gruter.

Totius autem injuſtitiæ nulla capitalior eſt, quam eorum, &c.) Hinc etiam Chriſtus tantopere Phariſæos, & quos ſacri ſcriptores hypocritas vocant, deteſtatur; & Plato, Lucianus, Iuvenalis, aliique Philoſophos, *qui vultum, & triſtitiam, & diſſentientem a ceteris habitum peſſimis moribus prætendebant*, ut loquitur Fabius. Talem erga ſe fuiſſe Hortenſium queritur Cic. I. ad Q. Fratr. *Me*, inquit, *ſua ſimulatione amoris, ſuaque aſſiduit te quotidiana ſceleratiſſime inſidioſiſſimeque tractavit*. Græv.

Capitalior) I. e. pejor, deteſtabilior, & magis quaſi capitis ſupplicio expianda. Sic in II. 21. dicitur, *capitalis oratio, & ad æquationem bonorum pertinens*. Notandum eſt poſt vocem *nulla* in hoc loco poni caſum genitivum; conſtructio enim eſt, *nulla totius injuſtitiæ*, i. e. ex omnibus generibus injuſtitiæ nullum genus eſt &c. Sic in c. 17. dicitur: *omnium ſocietatum nulla eſt gravior*. De Nat. Deor. I. 35. *Elephanto belluarum nulla prudentior*, & alibi ſæpius. Pearce.

Qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni eſſe videantur) Particulam

tum,

14. Deinceps (ut erat propoſitum) de beneficientia, ac liberalitate dicatur, qua quidem nihil eſt naturæ hominis accommodatius: ſed habet multas cautiones. Videndum eſt enim primum, ne obſit benignitas, & iis ipſis, quibus benigne videbitur fieri, & ceteris: deinde, ne major benignitas ſit, quam facultates: tum, ut pro dignitate cuique tribuatur. Id enim eſt juſtitiæ fundamentum, ad quam hæc referenda ſunt omnia. Nam & qui gratificantur cuipiam, quod obſit illi, cui prodeſſe velle videantur, non benefici, neque liberales, ſed pernicioſi aſſentatores judicandi ſunt: & qui aliis nocent, ut in alios liberales ſint, in eadem ſunt injuſtitia, ut ſi in ſuam rem aliena

tum, quam nec Pal. nec Pithœan. agnoſcit, expunxi, volentibus Muſis, & Gratiis. GRÆV.

Qua quidem nihil eſt naturæ hominis accommodatius) Lactant. lib. VI. Inſtitut. c. 11. *Verum eſt illud Ciceronis, quod ait, hominem naturæ obedientem homini nocere non poſſe: ergo ſi nocere homini contra naturam eſt, prodeſſe homini ſecundum naturam ſit, neceſſe eſt. Quod qui non facit, hominis ſe appellatione deſpoliat, quia humanitatis officium eſt, neceſſitati hominis ac periculo ſubvenire.* IDEM.

Sed habet multas cautiones) Inuſitato, opinor, ſenſu hic dicitur *cautio* pro cavendi præcepto. Vult Cicero neceſſe eſſe, ut multa dicantur, ne in hac re homines non ſatis cauti ſint. PEARCE.

Ne obſit benignitas & iis ipſis, quibus benigne videbitur fieri, & ceteris) Senec. II. de Benef. 14. *Sunt quædam nocitura impetrantibus: quæ non dare, ſed negare beneficium eſt.* Vide ibi plura. GRÆV.

Ne major benignitas ſit quam liberalitas) *Ambitio enim, & jactantia, & quidvis potius quam liberalitas exiſtimanda eſt, cui ratio non conſtat.* Plinius Paneg. 38. Seneca II. de Beneficiis 15. *Nunquam in turpitudinem noſtram reditura tribuamus. Cum ſumma amicitiæ ſit amicum ſibi æquare, utrique ſimul conſulendum eſt. Dabo egenti, ſed ut ipſe non egeam. Succurram perituro, ſed ut ipſe non peream, niſi ſi futurus ero magni hominis, aut magnæ rei merces.* Vide ibi plura. IDEM.

Tum ut pro dignitate cuique tribuatur) Seneca d. l. *Æſtimanda eſt ejus perſona, cui damus: quædam enim minora ſunt, quam ut exire a magnis viris debeant: quædam accipiente majora ſunt. Vtriuſque igitur perſonam confer:* vide quæ ibi ſequuntur, & cap. ſequ. *Nihil per ſe quemquam decet: refert, quid, cui, quando, quare, ubi & cetera, ſine quibus facti ratio non conſtabit,* & : *Habeatur perſonarum ac dignitatum proportio: & cum ſit ubique virtutis modus, æque peccat, quod excedit, quam quod deficit.* IDEM.

Qui gratificantur cuipiam) Plenius dixiſſet, *qui gratificantur quid cuipiam, quod &c.* PEARCE.

Pernicioſi aſſentatores) Itaque aſſentator eſt non ſolum qui verbo, ſed etiam qui re blanditur, & fovet alterius levitatem: eaque illi tribuit, quibus vel mores, vel res familiaris corrumpatur. FACCIOLAT.

Qui aliis nocent, ut in alios liberales ſint) Plinius Paneg. 27. *Nihil largiatur Princeps, dum nihil auferat; non alat, dum non occidat.* dein: *Nihil magis in tua tota liberalitate laudaverim, quam quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo: neque a te liberi civium, ut ferarum catuli ſanguine & cædibus nutriuntur. Quodque gratiſſimum eſt accipientibus, ſciunt dari ſibi, quod nemini eſt ereptum, locupletatiſque tam multis, pauperiorem eſſe factum principem tantum.* Senec. de Benef. *Non eſt magni animi,* qui

aliena convertant. Sunt autem multi, & quidem cupidi ſplendoris, & gloriæ, qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur. Hique arbitrantur ſe beneficos in ſuos amicos viſum iri, ſi locupletent eos quacumque ratione. Id autem tantum abeſt officio, ut nihil magis officio poſſit eſſe contrarium. Videndum eſt igitur, ut ea liberalitate utamur, quæ proſit amicis, noceat nemini. Quare L. Sullæ, & C. Cæſaris pecuniarum translatio a juſtis dominis ad alienos non debet liberalis videri. Nihil eſt enim liberale, quod non idem juſtum. Alter erat locus cautionis, ne benignitas major eſſet, quam facultates: quod, qui benigniores volunt eſſe, quam res patitur, primum in eo peccant, quod injurioſi ſunt in proximos; quas enim copias his & ſuppeditari æquius eſt, & relinqui, eas transferunt ad alienos. Ineſt autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapien-

qui de alieno liberalis eſt, ſed ille, qui quod alteri donat, ſibi detrahit. Græv.

Alienam) Ita Victorius, & Editio pr. ut & MSi Mead. duo, Mill. Reg. tert. & quatuor Oxonienſes, quorum & melior mihi videtur lectio, quam vulgata *aliena*, quo magis voci *ſuam* reſpondet. Pearce.

Sunt autem multi, & quidem cupidi ſplendoris, & gloriæ, qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur) Talis fuit Caligula, de cujus perverſa liberalitate vide Suetonium Calig. 37. & inde ſecuta rapacitate, c. 38. Talis fuit Nero, vid. Suet. in ejus vita c. 31. & 32. & Domitianus: Suet. Dom. c. 9. & 12. ac innumeri alii. Græv.

In ſuos amicos viſum iri) In antiquiſſ. libro, *viſu iri*, ſcribitur, de qua locutione Pet. Victor. in Catonem. C. Lang. Habuerim vocem *amicos* pro ſpuria. Gruter.

Id autem tantum abeſt ab officio) Vet. *id autem tantum abeſt officio*. C. Lang. Libri veteres habent, *tantum abeſt officio*, quod probo: talia ſunt illa: *adigere arbitrum*, apud eumdem: *propugnat nugis*, apud Horatium, &: *hæc animum advertere*, pro ad hæc, apud Lucretium lib. I. Lambin. Sic & Guilielmiani, & Pal. Sec. & Græv. Græv.

C. Cæſaris) Senecæ locum Manutius in notis ad hæc verba, de prodigalitate Cæſaris, qui una cœna conſumſerit *centies ſeſtertium*, male intelligit de Iulio Cæſare; cum de Caligula loquatur Seneca. Idem.

Primum in eo) Huic particulæ *primum* reſpondet membrum alterum in illis verbis: *Videre etiam licet* &c. veluti ſi dicat: primum injurioſi ſunt in propinquos, deinde vani. Facciolat.

Quod injurioſi ſunt in proximos) MSi *proximis*; illud autem uſitatius, quod retineo: neque tamen non & hoc modo locuti ſunt veteres. Ita de Somn. Scip. cap. 3. Noſter: *Iuſtitiam colo & pietatem, quæ cum magna in parentibus & propinquis, tum in patria maxima eſt*. Vt enim illic *pietas in propinquis*, ita hic *injuria in proximis*, qua afficiuntur proximi. Gvilielm. Sic paullo ante Pithœani MSi, *ut in aliis liberales ſint*: in editis eſt, *ut in alios liberales ſint*. Ceterum recte dixit injurioſos eſſe in proximos, hoc eſt liberos, cognatos, qui inconſulta prodigalitate ſua profundunt, quia his, ut Cicero dicit, *neceſſaria preſidia vitæ debentur maxime*. Hinc & Ambroſ. in I. de offic. *Eſt enim illa probanda liberalitas, ut proximos ſeminis tui non deſpicias*. Græv.

Ineſt autem in tali) Adnotat Manutius hoc ſubjunctum eſſe pro, *deinde*: quia

Digitized by Google

rapiendi, & auferendi per injuriam, ut ad largiendum ſuppetant copiæ. Videre etiam licet pleroſque non tam natura liberales, quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur, facere multa, quæ proficiſci ab oſtentatione magis, quam a voluntate videantur. Talis autem ſimulatio vanitati eſt conjunctior, quam aut liberalitati, aut honeſtati. Tertium eſt propoſitum, ut in beneficientia delectus eſſet dignitatis: in quo & mores ejus erunt ſpectandi, in quem beneficium conferetur, & animus erga nos, & communitas, ac ſocietas vitæ, & ad noſtras utilitates officia ante collata: quæ ut concurrant omnia, optabile eſt; ſin minus, plures cauſæ, majoreſque, ponderis plus habebunt.

15. Quoniam autem vivitur non cum perfectis hominibus,

quia dixerit, *Primum in eo peccant*. Primum *ἀνανταπόδοτον* (*redditionem non habens*) ſæpe eſſe ad Tuſcul. V. adnotavi, & locum ex Lucullo adſcripſi, in quo vulgo, *primum*, mutarunt in *plurimum*. Similiter libro II. de Finib. *Primum in noſtra poteſtate eſt, quid meminerimus. Theomiſtocles quidem* &c. & lib. V. *Primum, quæ contra voluptatem dicta ſunt, eadem fere cadunt contra vacuitatem doloris*: quibus locis voci, *primum*, non ſubjicitur, *deinde*, vel ſimile adverbium ordinis; ſicut neque hic, neque paullo poſt, ubi eſt: *Primum illud eſt in officio*, &c. nec quod inferius legitur: *Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc primum habet viam*, & aliis locis multis. Itaque non puto mutandum eſſe illud Tuſcul. V. *Qui primum per ſe ipſi plerumque conficiunt hominem. ſin forte longinquitate producti*, &c. nam ita quoque ſcribit ad Cœlium ep. 10. lib. II. ad Famil. *Quare, mi Rufe, vigila, primum ut mihi ſuccedatur: ſin id erit, ut ſcribis, & ut ego arbitror, ſpiſſius*, &c. FR. FABRIT.

Quam quadam gloria ductos) *Vt ſunt ii, qui nihil honeſtum putant, niſi quod in vulgus glorioſum*, ſecundum Ciceronem IV. Academ. *Sed majore animo honeſtatis fructus in conſcientia, quam in fama reponatur*, monente Plinio lib. VIII. quod Ariſtonem facere idem prodit ep. 22. lib. I. *Nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam refert, recteque facti non ex populi ſermone mercedem, ſed ex facto petit*. Vide Epictet. apud Arrian. Diſputat. III. 24. quando vero quis dat ſine vanitate, id M. Anton. lib. IX. vocat *καταληκτικῶς διδόναι*, cum quis in dando nihil reſpicit niſi benefaciendi voluntatem, cum quis dat, ut daret, ut Seneca loquitur I. de Benef. c. 2. Eadem ſunt de liberalitate præcepta Chriſti apud Matthæum c. VI. 1. 2. & ſequ. GRÆV.

Ab oſtentatione magis quam a voluntate) Senec. I. de Benef. 6. *Non quid fiat, aut quid detur, refert, ſed qua mente. Quia beneficium non in eo, quod fit, aut datur, conſiſtit, ſed in ipſo dantis aut facientis animo*. Vide ibi plura. IDEM.

Tertium eſt propoſitum) Hanc tertiam cautionem, quam Noſter Beneficientiæ neceſſariam eſſe judicat, in quatuor genera dividit, quæ omnia in ſe habent delectum quemdam dignitatis. Fortaſſe ſcripſit Cicero: *Tertium erat propoſitum*; ſequitur enim, *ut in beneficientia delectus eſſet dignitatis*: & ita in initio capitis legimus: *Deinceps, ut erat propoſitum* &c. PEARCE.

Communitas ac ſocietas vitæ) Hoc ipſum eſt, quod monet Apoſtolus, ut in omnes ſimus benefici, præcipue tamen religionis conſortes. Vid. Grot. de Iure Belli & Pacis lib. II. cap. 15. §. 10. GRÆVIVS.

Digitized by Google

bus, pleneque ſapientibus, ſed cum iis, in quibus præclare agitur, ſi ſunt ſimulacra virtutis: etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino eſſe negligendum, in quo aliqua ſignificatio virtutis appareat: colendum autem eſſe ita quemque maxime, ut quiſque maxime his virtutibus lenioribus erit ornatus, modeſtia, temperantia, hac ipſa, de qua jam multa dicta ſunt, juſtitia. Nam fortis animus, & magnus in homine non perfecto, nec ſapiente, ferventior plerumque eſt: illæ virtutes, virum bonum videntur potius attingere. Atque hæc in moribus. De benevolentia autem, quam quiſque habeat erga nos, primum illud eſt in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligimur: ſed benevolentiam non adoleſcentulorum more, ardore quodam amoris, ſed ſtabilitate potius, & conſtantia judicemus. Sin erunt merita, ut non ineunda, ſed referenda ſit gratia: major quædam cura

Sed cum iis, quibus præclare agitur) Alii *quibuſcum*, alii *cum quibus*, ſed lib. vallis S. Lambert. habet quo modo edidi, & quidem eleganter. Notandum quoque in opt. libris, *planeque*, per primam vocalem ſcribi. C. Lang.

In quibus, præclare agitur, ſi inſunt ſimulacra, &c.) Sic habent noſtri codices veteres, & recte: ſententia autem eſt hæc, in quibus ſi inſunt ſimulacra virtutis, præclare agitur. Lambin.

Sed cum iis, in quibus præclare agitur) Ordo & ſententia verborum perſpicua eſt, nempe hæc: Vivitur cum iis hominibus, in quibus ſi inſunt ſimulacra virtutis, præclare agitur. Cui ſimile eſt illud ad Plancium ep. 14. lib. IV. ad Fam. *Agiturque præclare, ſi noſmetipſos regere poſſimus.* Quibus in locis, *Præclare agitur*, abſolute dicitur: quod qui non attenderunt, ii contra libros antiquos legendum putant, *Cum quibus præclare agitur*: in qua ſententia video eſſe Eraſmum, Balduinum, Nannium, & alios. Langius unius libri auctoritate adductus, edidit: *Quibus præclare agitur*, idque eleganter dici affirmat: verum ubi, aut cujuſmodi iſta elegantia ſit, equidem non aſſequor. Fr. Fabrit.

Etiam hoc intelligendum puto) In Pithœan. *puto* non legitur. Vereor ut ſit a ſciolis intextum, ut plura hujus generis emblemata non bella, *dicunt*, *ajunt*, *puto*, quæ a viris doctis ſunt ex optimis ſcriptoribus ejecta. Græv.

Nec ſapiente) Credo has duas dictiones, *nec ſapiente*, ex præcedentibus hic aſſutas. Nam Pariſienſis manuſcriptus non habet. C. Langius.

Videntur potius attingere) Guilielmius maluit *propius attingere*: at mutatione iſta non opus eſt; nam in cap. 6. dicitur: *Maxime naturam attingit humanam*; non *proxime*: conſulatur nota ad loc. cap. 22. *Attingit etiam bellicam*. Vide etiam cap. 44. Pearce.

Atque hæc in moribus conſiderantur) Hæc poſtrema dictio non eſt in vetuſtis exemplaribus, quæ adjecta videtur, ut plerumque fit, ad explendam ſententiam. P. Balduin. Nec in Pithœan. nec in Guilielm. nec in Pall. nec in edd. antiquis melioribus hæc vox conſpicitur. Græv.

Ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligimur) Qui nos amat, a nobis viciſſim amatur, ſecundum illud vetus: *ſi vis amari, ama*. Quem autem amamus, quia nos amat, ejus cauſſa maxi-

Digitized by Google

ra adhibenda eſt. Nullum enim officium referendæ gratiæ magis neceſſarium eſt. Quod ſi ea, quæ utenda acceperis, majore menſura, ſi modo poſſis, jubet reddere Heſiodus: quidnam beneficio provocati facere debemus? an imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt? Etenim ſi in eos, quos ſperamus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre: quales in eos eſſe debemus, qui jam profuerunt? Nam cum duo genera liberalitatis ſint, unum dandi beneficii, alterum reddendi; demus, necne, in noſtra poteſtate eſt: non reddere, viro

maxime volumus, neceſſarioque ei plurimum ut tribuamus efficitur. IDEM.

Nullum eſt officium referendæ gratiæ magis neceſſarium) Ariſtoteles: Ευεργετῃ ανταποδοτεον χαριν μαλλον η εταιρῳ δοτεον. *Potius eſt gratiam referri ei, qui benefecit, quam amico conferre beneficium.* Et IX. Eth. cap. 2. docet benefactori potius ſubveniendum, quam amico, ſi uterque pari neceſſitate teneatur, ſicut mutuum reddendum creditori potius, quam amico donandum. IDEM.

Jubet reddere Heſiodus) Cujus hæc ſunt verba in Op. & Dier. I. 347.

Ευ μεν μετρεισθαι παρα γειτονος, ευ δ' αποδουναι,

Αυτῳ τῳ μετρῳ, η λωιον, αικε δυνηαι. *Recta quidem menſura mutuum accipe a vicino, & recta redde, eadem menſura, vel meliore, ſiquidem poſſis.* PEARCE.

An imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt) Elegans affirmandi modus per interrogationem, & Ciceroni perfamiliaris; ſed multo magis Jureconſultis, quod interpretes, qui id non obſervarunt, ſæpe fefellit. C. LANG. *An imitari agros fertiles, &c.*) Sic legendum, & ita habent omnes libri veteres: *an*, autem hoc loco interrogando affirmat, id eſt, reſponſionem ajentem poſtulat. LAMB. In vulgatis eſt, *An non imitari*: verum negationem in libris antiquis nullam eſſe, ego cum Lambino, Langio, & Balduino teſtari poſſum. *An* autem, inquit Lambinus, hoc loco interrogando affirmat, id eſt, reſponſionem ajentem poſtulat. Placet etiam: *Qui multo plus efferunt*, ut Victorius, & Langius ediderant. Sic in Bruto: *Ager, qui multos annos quievit, uberiores efferre fruges ſolet.* FR. FABRIT. Meus quoque codex optimus *efferunt*, probat. Pithœanus *offerunt*, paullo ante hic codex in his verbis: *Quidnam beneficiis provocati facere debemus?* ultima verba *facere debemus* non agnoſcit. Ceterum in ſententiam hujus loci pulchre Seneca II. de benef. 18. *Eligendus eſt, a quo beneficium accipiam. Et quidem diligentius quærendus beneficii quam pecuniæ creditor: huic enim reddendum eſt quantum accepi: & ſi reddidi, ſolutus ſum ac liber; at illi plus ſolvendum eſt, & nihilominus relata gratia cohæremus; debeo enim, cum reddidi, rurſus incipere.* GRÆV. Vox *an* hic idem valet ac *annon*: nec infrequens apud Ciceronem eſt is vocis uſus in interrogationibus. Sic enim in II. 2. de Leg. *Anne eſt illa una patria communis?* i. e. annon eſt illa una patria communis? Sic etiam V. 14. de Fin. *An ea, quæ per vinitorem antea conſequebantur, & per ſe ipſam curabit?* i. e. annon vitis, ſi ad eam ſenſus acceſſerit, ſe ipſa reſecabit, & luxuriantes ramos amputabit? Plura exempla vide in nota, quam appoſuimus ad I. 58. de Oratore. PEARCE.

Officia conferre) Per *officia* hic intelligas ea beneficia, quæ ex officiis recte factis conferuntur. Ita loquitur Noſter in c. 20. de Amic. *Odioſum genus hominum officia exprobrantium, quæ meminiſſe debet is, in quem collata ſunt*: & alibi ſæpius. IDEM.

Non reddere viro bono non licet) Senec. III. de Benef. 1. *Non referre beneficiis gratiam & eſt turpe, & apud omnes habetur, Æbuci Liberalis. Ideo de ingratis*

viro bono non licet, modo id facere poſſit ſine injuria. Acceptorum autem beneficiorum ſunt delectus habendi. Nec dubium, quin maximo cuique plurimum debeatur. In quo tamen in primis, quo quiſque animo, ſtudio, benevolentia fecerit, ponderandum eſt. Multi enim faciunt multa temeritate quadam, ſine judicio, vel morbo, in omnes, vel repentino quodam, quaſi vento, impetu animi incitati: quæ beneficia æque magna non ſunt habenda, atque ea, quæ judicio, conſiderate, conſtanterque delata ſunt. Sed in collocando beneficio, & in referenda gratia,

tis etiam ingrati queruntur. Vide ibi & ſequ. cap. plura. GRÆV.

Nec dubium quin maximo cuique plurimum debeatur) Valer. Max. V. 5. *Vt merito primum amoris vinculum ducitur plurima & maxima beneficia accepiſſe, ita proximum judicari debet ſimul accepiſſe*. GRÆVIUS. *Maximo cuique*) i. e. beneficio accepto. PEARCE.

Quo quiſque animo, ſtudio, benevolentia) Senec. II. de benef. 31. *Qui beneficium dat, quid proponit? prodeſſe ei cui dat, & voluptati ſibi eſſe. Si quod voluit, effecit, pervenitque ad me animus ejus, ac mutuo gaudio affecit, tulit, quod petiit*. Ibid. cap. 34. *Res* (beneficium dare, & gratiam reddere) *inter animos geritur*. Sed vide in primis lib. I. c. 6. GRÆVIUS. MSi Cant. Reg. tert. & quart. tum Mead. pr. habent *animi ſtudio*, ut etiam Victorius. PEARCE.

Sine judicio) Senec. I. de Benef. 2. *Beneficia in vulgus effundenda non ſunt, & nullius rei, minime beneficiorum honeſta largitio eſt: quibus ſi detraxeris judicium, deſinunt eſſe beneficia, in aliud quodlibet incidunt nomen*. Vide & cap. 15. ejuſdem libri, necnon de vita beata cap. 24. GRÆV.

Vel morbo in omnes) Vulgati *vel modo*; ſed alterum illud longe verius, eruitque Guilielmius e tribus MSis: idem Aldus Manutius Nepos affirmat inventum ſibi in tribus MSis; retrahendum autem putabat ante Aldum fere natum Anemœcius fide codicis Auguſtani, neque aliter quoque Pal. Sec. Morbus autem eſt animi vitium inveteratum, ut evelli difficile ſit, quale in prodigis opum perditio. Cicero in Verrem: *Venio nunc ad illius, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium, ut amici ejus, morbum & inſaniam, ut Siculi, latrocinium*. Et Seneca centies *morbum* opponit judicio. Videantur modo animadverſiones noſtræ in eum auctorem. GRUTER. Seneca I. de Benef. 14. *Beneficium, quod quibuslibet datur, nulli gratum eſt. Nemo ſe ſtabularii aut cauponis hoſpitem judicat*. Paullo poſt: *Numquid enim me dignum judicavit? morbo ſuo morem geſſit*; ubi æque profuſionem beneficiorum, ut hic Tullius morbum vocat. Vide ad eum locum Gronovium. GRÆV. *Sine judicio vel modo*) Qui largiuntur nulla accipientium habita ratione, id faciunt *ſine judicio*; qui vero nulla ſuæ rei familiaris habita ratione, ii *ſine modo*. Victorius reliquique veteres editores habent *modo*, cui favet longe maxima MSorum pars. At recentiores ediderunt *morbo*: quod nollem factum, cum hoc verbum (vel Grutero quidem defendente) non ſatis hic ſe tueri poſſit: puta enim hanc vocem *morbum* ſignificare inſaniam, ſeu vitioſam animi affectionem; puta etiam Senecam (ut docet Gruterus) centies opponere *morbum judicio*: at hic voces *ſine judicio vel morbo* idem ſignificabunt, quod *ſine judicio vel ſine morbo*. Qui vero legit *morbo*, potius præpoſitionem *cum*, quam *ſine*, ad ſententiam complendam ſubintelligat, neceſſe eſt. De hoc vero ſatis. In ſequentibus vulgo legitur *vel modo in omnes, vel repentino &c.* Sed cum iſtud *vel* ante *repentino* plane ſententiam turbet, abſitque a MSo Cant. hac auctoritate eam vocem, quæ locum

gratia, ſi cetera paria ſint, hoc maxime officii eſt, ut quiſque maxime opis indigeat, ita ei potiſſimum opitulari: quod contra fit a pleriſque. A quo enim plurimum ſperant, etiamſi ille his non eget, tamen ei potiſſimum inſerviunt.

16. Optime autem ſocietas hominum, conjunctioque ſervabitur, ſi, ut quiſque erit conjunctiſſimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Sed quæ natura principia ſint communitatis, & ſocietatis humanæ, repetendum altius

eum videtur corrumpere, delevi. Interim caveat lector, ne referat voces *in omnes* ad præcedens verbum *faciat*, ut multi faciunt interpretes; cum conſtructio ſit *incitati in omnes*, i. e. erga omnes, ſeu propenſo in omnes animo. Cui ſimile eſt iſtud Trebonii in Ciceron. Epiſt. ad Fam. XII. 16. *Ne putes in Aſia feriatum illum ab iis ſtudiis, in quæ tua exhortatione incitatur, futurum.* PEARCE.

Ut quiſque maxime opis indigeat, ita ei opitulari) Lactant. Inſtitut. divin. VI. 11. *Si virtus mercedem non exigit, ſi propter ſe, ut dicitis, expetenda eſt, ergo juſtitiam principem matremque virtutum ſuo pretio, non tuo commodo æſtima: eique potiſſimum tribue, a quo nihil ſperes. Quid perſonas eligis? quid membra inſpicis? Pro homine tibi habendus eſt, quiſquis precatur, ideo quia te hominem putat.* Et paullo poſt: *Largire cæcis, debilibus, claudis, deſtitutis, quibus niſi largiare moriendum eſt: inutiles ſunt hominibus, ſed utiles Deo, qui eos retinet in vita, qui ſpiritu donat, qui luce dignatur: fove quantum in te eſt, & animas hominum, ne extinguantur, humanitate ſuſtenta. Qui ſuccurrere perituro poteſt, ſi non ſuccurrit, occidit.* Vide & Senec. II. de Benef. 10. Ecquæ alia eſt præceptio Chriſti Luc. XIV. 12.? Præclare quoque Iulianus Imperator in epiſtolæ fragmento: Κοινωνητεον ουν των χρηματων απασιν ανθρωποις· αλλα τοις μεν επιεικεσιν ελευθεριωτερον· τοις δε αποροις και πενησιν, όσον επαρκεσαι τῃ χρεια. φαιην δ' αν ει και παραδοξον ειπειν ότι και τοις πολεμιοις εσθητος και τροφης όσιον αν ειη μεταδιδοναι. τω γαρ ανθρωπινω, και ου τῳ τροπω διδομεν. διοπερ οιμαι και τους εν δεσμωτηριοις καθειργμενους αξιωτεον της τοιαυτης επιμελειας. ουδεν γαρ κωλυσει την δικην ή τοιαυτη φιλανθρωπια. χαλεπον γαρ αν ειη, πολλων αποκεκλεισμενων επι κρισει, και των μεν οφλησοντων, των δε αθωων αποφανθησομενων, μη δια τους αναιτιους οικτον τινα νεμειν (αν) τοις πονηροις· αλλα των πονηρων ένεκα και περι τους ουδεν ηδικηκοτας ανηλεως, και απανθρωπως διακεισθαι. *Quamobrem benigne mortalibus omnibus facere nos oportet; ſed in probos videlicet liberaliores eſſe debemus, egentibus autem & pauperibus eatenus tribuere, ut illorum neceſſitas ſublevetur. Dicam amplius, etſi præter communem opinionem id eſſe videatur, etiam hoſtibus ipſis veſtes, & alimenta largiri fas ſanctumque eſſe. Non enim moribus, ſed hominibus ipſis tribuimus. Quare vel iis ipſis, qui in carcere clauſi ſunt, cura hæc adhibebitur. Neque vero juſtitiæ partes ſuas humanitas iſta præripiet. Etenim nimis illud aſperum eſt, cum ad judicium plures in carceribus aſſerventur, ex quibus aliqui damnandi, aliqui abſolvendi ſunt, nolle propter innocentes malis ipſam miſericordiam tribuere potius, quam propter malos in eos, qui extra crimen ſunt, inhumanitatem ac crudelitatem ſuſcipere.* GRÆV.

Si ut quiſque erit conjunctiſſimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur) Vide Grot. II. de Iure Belli & Pacis cap. 7. §. 10. Pythagoræ carmina aurea:

Τους τε γονεις τιμα, τους τ' αγχις' εκγεγαωτας.

Parentes cole, & proximos neceſſarios. IDEM.

Sed quæ natura principia ſunt) Nonnulli ex noſtris libris veter. habent

altius videtur ; eſt enim primum , quod cernitur in univerſi generis humani ſocietate : ejus autem vinculum eſt, ratio, & oratio : quæ docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, judicando, conciliat inter ſe homines, conjungitque naturali quadam ſocietate . Neque ulla re longius abſumus a natura ferarum , in quibus ineſſe fortitudinem ſæpe dicimus , ut in equis, in leonibus : juſtitiam, æquitatem , bonitatem non dicimus . Sunt enim rationis , & orationis expertes . Ac latiſſime quidem patens hominibus inter ipſos , omnibus inter omnes , ſocietas hæc eſt : in qua omnium rerum , quas ad communem hominum uſum natura genuit, eſt ſervanda communitas : ut quæ deſcripta ſunt

Sed quæ natura, &c. quo modo & Langius edidit : itemque olim edi juſſeram paullo ante , ubi olim operarum culpa excuſum erat , *ita ; eum* , &c. legendum , *ita in eum* , &c. Lambin. Natura , ſexto caſu legendum , ut non tantum Langii liber habet, ſed & Lambinus ex quibuſdam antiquis codicibus edi juſſerat . Fr. Fabrit.

In univerſi generis humani ſocietate) De hac ſocietate Cic. apud Lactant. lib.V. Inſtitut. c. 8. *Sicut una eademque natura mundus omnibus partibus inter ſe congruentibus cohæret , ac nititur , ſic omnes homines inter ſe natura confuſi pravitate diſſentiunt , nec ſe intelligunt eſſe conſanguineos , & ſubjectos omnes ſub unam eamdemque tutelam : quod ſi teneretur , Deorum profecto vitam homines viverent* . Vide Ciceronem quoque de Legibus lib. I. cap. 10. M. Antoninus lib. I. των εις ἑαυτον. Εγω τεθεωρηκως την φυσιν τȣ αγαθȣ , ὁτι καλον , και τȣ κακȣ, ὁτι αισχρον , και την αυτȣ τȣ ἁμαρτανοντος φυσιν , ὁτι μοι συγγενης · ȣχι αἱματος η σπερματος τȣ αυτȣ, αλλα νȣ, και θειας απομοιρας μετοχος · ȣτε βλαβηναι ὑπο τινος αυτων δυναμαι · ȣτε οργιζεσθαι , τῳ συγγενει δυναμαι , ȣτε απεχθεσθαι αυτω , γεγοναμεν γαρ προς συνεργιαν, ὡς ποδες , ὡς χειρες , ὡς βλεφαρα , ὡς οἱ στοιχοι των ανω και κατω οδοντων . Το ȣν αντιπρασσειν αλληλοις , παρα φυσιν . αντιπρακτικον δε το αγανακτειν και αποστρεφεσθαι. Hæc ſic vertit Xylander : *Ego qui naturam boni perſpectam habeo , quod honeſtum ſit , & mali , quod turpe, ipſamque ejus, qui peccat , naturam , quod mihi cognatus ſit , (non quia ejuſdem carnis eſt & ſeminis , ſed mentis & divinæ particulæ particeps) a nullo eorum lædi poſſum . Neque enim me in turpitudinem aliquam quiſquam invitum conjiciet . Et porro quod mihi cognatum eſt , neque iraſci poſſum , neque infenſus eſſe : ut enim alter alterum juvaret in ſuo opere eo nati ſumus , ut manus , ut pedes , ut palpebræ , ut ſuperiorum inferiorumque dentium ordines . Quare contra naturam eſt , ut invicem nobis repugnemus : atqui ſuccenſere & adverſari ſe invicem , id quidem eſt repugnare* . Grævius .

Ejus autem vinculum eſt , ratio) Vide Cic. I. de Legibus cap. 7. Lactant. VI. Inſtitut. 10. *Si ab uno Deo inſpirati omnes & animati ſumus, quid aliud, quam fratres ſumus , & quidem conjunctiores , quod animis, quam qui corporibus? Itaque Lucretius etiam :*

Denique cæleſti ſumus omnes ſemine oriundi :

Omnibus ille idem pater eſt .

Ergo pro belluis immanibus habendi ſunt, qui hominibus nocent . Idem .

Iuſtitiam , æquitatem , bonitatem non dicimus) Iuris enim capax non eſt , niſi natura præceptis utens generalibus , ut ex Heſiodo , aliiſque docet H. Grotius lib. I. de Iure Belli & Pacis cap. 1. §. 11. Et Seldenus de Iure naturæ & gentium lib. I. cap. 4. & 5. Idem .

Sunt enim rationis & orationis expertes)

Digitized by Google

ſunt legibus, & jure civili, hæc ita teneantur, ut ſit conſtitutum: e quibus ipſis cetera ſic obſerventur, ut in Græcorum proverbio eſt: *Amicorum eſſe omnia communia*. Omnia autem communia hominum videntur ea, quæ ſunt generis ejus, quod ab Ennio poſitum in una re, transferri in permultas poteſt:

Homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit:
Nihilominus ipſi lucet, cum illi accenderit.

Vna

tes) Vide Cic. I. de Legibus cap. 7. IDEM.

Vt ſit conſtitutum: e quibus ipſis cetera ſic obſerventur) Malim, *ut ſit conſtitutum legibus ipſis, cetera ſic obſerventur*. GVILIELM. Sed hoc Guilielmius ſine ulla MSorum auctoritate, nullaque (opinor) ratione Ciceroniani ſtili habita. Omnes MSi habent, *e quibus ipſis*; ut videri poſſit hic locus multis retro ſeculis inquinatus fuiſſe. Conjectura ductus arbitror, Ciceronem ſcripſiſſe: *Hæc ita teneantur, ut conſtitutum eſt civibus ipſis: cetera ſic obſerventur &c.* Non dixit (opinor) *ut ſit conſtitutum*, ſed *ut conſtitutum eſt*; ſequitur enim in poſteriore ſententiæ parte, *ut in Græcorum proverbio eſt*, non *ſit*. In MSis, literis *C* & *I* errore conjunctis, deinde cauda literæ *I* producta, fieri facile potuit, ut vox *civibus* verteretur in *quibus*. Quod etiam factum eſt in c. 15. ubi, cum plerique MSi habent *in quibus præclare agitur*, MSus Pal. ſec. habet *cum civibus* pro *cum quibus*. Nec minus proclivis eſt mutatio vocis *eſt* in *e*, cum fere *eſt* ſcribatur *ē*. Senſus eſt; Quemadmodum ea, quæ in civitatibus præſcribuntur legibus & jure civili, ſunt ſervanda eo modo, quo conſtitutum eſt civibus; ita in ceteris rebus ii cives debent omnium rerum communitatem ſervare. PEARCE.

Amicorum omnia eſſe communia) Ariſtoteles lib. II. Pol. Δι' ἀρετην δ' εςαι προς το χρησθαι κατα την παροιμιαν, κοινα τα φιλων. *Propter virtutem vero ad utendi facultatem, bona, ut eſt in proverbio, amicorum erunt communia*. Paullo poſt, *transferri in multas poteſt*, melius in antiquo codice, *per multas*. F. VRSIN. Vide Cic. I. de Legibus c. 12. Proverbium hoc ad Diogenem refert Plutarchus; nomine autem amicorum bonos omnes intelligi vult, in eo opuſculo, quo contendit, ex decretis Epicuri non poſſe ſuaviter vivi. FACCIOLAT.

Transferri in multas) Sic meliores editiones. Lambini, Manutii, aliæque plurimæ *transferri per multas*. Sed optime primus meus: *transferri in permultas*, quod in ſuis quoque inveniſſe Langius videtur, qui hoc ipſum ſecutus eſt in editione ſua, ut & politus ille Franciſcus Fabritius. GRÆV.

Homo, qui erranti comiter) Ita Pall. nec non quatuor alii, Guilielm. (quibus accedunt duo Græviani) omiſſo *ut*, quod præponitur ab aliis. Guilielmius malit *domo qui erranti*. GRVTERVS.

Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit) Diphilus in paraſito:

Αγνοεις εν ταις αραις
Ότι εςιν, ει τις μη φρασει ορθως ὁδον
Μη πυρ εναυσῃ η διαφθερει ὑδωρ.

Neſcis in diris hoc eſſe, ſi quis non recte monſtrarit viam, ignem non paſſus fuerit incendi, aut aquam corruperit. GRÆVIVS.

Nihilominus ipſi luceat) Ennii verſus ita legendus, *nihilominus ut ipſi luceat*. F. VRSIN. Plerique libri habent, *nihilo minus ipſi luceat, cum illi accenderit*, demtis duobus, in quibus, *lucet*, ſcriptum eſt; quos ſum ſecutus. Ratio enim redditur hoc verſu comparationis. Nam nihilo minus, inquit, ipſi lucet: nihil igitur ipſi decedit, ſicut nec tunc, cum erranti etiam

 igno-

Digitized by Google

Vna ex re ſatis præcipitur, ut, quidquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo ſunt illa communia: Non prohibere aquam profluentem: Pati ab igne ignem capere, ſi qui velit: Conſilium fidele deliberanti dare: quæ ſunt iis utilia, qui accipiunt; danti non moleſta. Quare & his utendum eſt, & ſemper aliquid ad communem utilitatem afferendum. Sed quoniam copiæ parvæ ſingulorum ſunt; eorum autem, qui his egeant, infinita eſt multitudo: vulgaris liberalitas referenda eſt ad illum Ennii finem, Nihilominus ipſi lucet: ut facultas ſit, qua in noſtros ſimus liberales. Gradus autem plures ſunt ſocietatis hominum.

17 Vt enim ab infinita illa diſcedatur, propior eſt ejuſdem gentis, nationis, linguæ; qua maxime homines conjungun-

ignoto comiter viam monſtrat. Hic eſt enim finis Ennii, ut ſine ejus, qui faciat, incommodo fiat officium. C. Lang. *Nihilominus ipſi lucet*) Sic Langius recte hunc verſum ex libris veteribus edidit: nam & ſenarii ratio ita poſtulat, & Ennii verba hoc modo paullo poſt iterantur. Fr. Fabritius.

Vna ex re ſatis precipitur) Sic edd. Manut. Lambini, Gruteri, & aliorum. Sed mei duo MSi, & editiones Sebaſtiani Gryphii 1590. Langii, & Fr. Fabritii: *una ex re ſatis præcipit*, ſcilicet Ennius: aut legendum, ſi aliorum librorum, & editorum lectio magis arridet, *ex una re ſatis percipitur*: ſed veterum librorum, quos vidi, ſcripturam præfero conjecturæ. Grævius.

Non prohibere aqua profluente) Hoc quoque recte Langius, & Lambinus; cum in vulgatis legatur, *Non prohibere aquam profluentem*. Eſt autem, *non prohibere aqua profluente*, non arcere a flumine eum, qui haurire velit, ut Balduinus, & Nannius jampridem annotarunt. Theophilo aqua profluens eſt ὕδωρ αεvναον. Fr. Fabrit. Suffragatur Grævii primus, nec excerpta Pithœana refragantur, temere Guilielmius, & Gruterus. Græv. *Prohibere aquam profluentem*) Sic Victorius, & veteres editores fere omnes: ſic etiam MSi Cant. duo Mead. Mill. tres Regii, & omnes Oxonien. cum aliis quamplurimis: ſubintellige ab *iis*, *qui eam haurire volunt*, quomodo Virgil. in Æn. I. 529.

. . . *prohibe infandos a navibus ignes.*
Simili modo Ovidius dicit in Metam. VI. 359.

Quid prohibetis aquas? uſus communis aquarum.

Sic & Noſter in Orat. de Haruſp. reſp. c. 2. *Supplicis a ſociorum mœnibus prohibere non potuerunt*: quamquam ſæpius idem dicit *prohibere aliquem a ſuppliciis*, *rempublicam a calamitate &c.* Pearce.

Vt enim ab illa infinita diſcedatur) Infinita ſocietas (ſic enim ſcribitur in bonis libb.) illa eſt, qua genus humanum inter ſe devinctum eſt, quo modo reliquæ quæque ejuſdem generis inter ſe animantes. C. Lang. *Vt enim ab illa infinita diſcedatur*) *Infinita*, ut & Victorius edidit, & Balduinus in libris vetuſtis legi affirmat, noſtra manuſcripta exempla omnia habent: eſt vero infinita ſocietas illa, qua omnes omnibus ratione, & oratione conjunguntur. In Manutianis, & aliis vulgatis legitur, *infinitate*, quam vocem etſi Eraſmus non admodum frequentem eſſe annotat; ea tamen Ciceronem ſæpius uſum eſſe, & ſignificare anti-

Digitized by Google

junguntur: interius etiam eſt, ejuſdem eſſe civitatis. Multa enim ſunt civibus inter ſe communia, forum, fana, porticus, viæ, leges, jura, judicia, ſuffragia, conſuetudines præterea, & familiaritates, multiſque cum multis res, rationeſque contractæ. Arctior vero colligatio eſt ſocietatis propinquorum; ab illa enim immenſa ſocietate humani generis in exiguum, anguſtumque concluditur. Nam cum ſit hoc natura commune animantium, ut habeant lubidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo conjugio eſt: proxima in liberis: deinde una domus, communia omnia. Id autem eſt principium urbis, & quaſi ſeminarium reip. Sequuntur fratrum conjunctiones: poſt conſobrinorum, ſobrinorumque: qui cum una domo jam capi non poſſint, in alias domos, tamquam in colonias, exeunt. Sequuntur connubia, & affinitates: ex quibus etiam plures propinqui. Quæ propagatio, & ſoboles origo eſt rerum publicarum. Sanguinis autem conjunctio, & benevolentia devincit homines

ἀπειρίαν, vel τὸ ἄπειρον, ſtudioſi ignorare non debent. *Anaximander infinitatem naturæ dixit eſſe, e qua omnia gignerentur*, ait in Lucullo Plutarch. Ἀναξίμανδρος δὲ ὁ μιλήσιος φησὶ τῶν ὄντων τὴν ἀρχὴν εἶναι τὸ ἄπειρον. FR. FABRITIUS.

Interius etiam eſt) In nonnullis libris legitur, *interior eſt*. Sic II. de Oratore in vet. libro: *Item timor incutitur aut ex ipſorum periculis, aut ex communibus: interior eſt ille; ſed hic quoque ad eamdem ſimilitudinem eſt perducendus: par atque una ratio eſt ſpei, & lætitiæ; ſed haud ſciam, an acerrimus longe ſit omnium metus invidiæ*. C. LANG.

Multiſque cum multis res) Sic uterque Grævian. ſic Pithœan. Palat. aliique codices, nec non edd. Langii, Lambini, Fabrit. vulgati *multæque cum multis res*. GRÆV.

Prima ſocietas in ipſo conjugio eſt) Ariſtoteles lib. I. Pol. Ἀνάγκη δὲ πρῶτον συνδυάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι, οἷον θῆλυ μὲν καὶ ἄρρεν, τῆς γενέσεως ἕνεκα. *Neceſſe eſt primum eos conjungi & copulari, quorum alter ſine altero eſſe non poteſt, ut marem, & feminam, procreationis cauſſa*. F. URSINUS.

In alias domos, tamquam in colonias exeunt) Similitudo ſumpta ex Platonis libro VI. de Legibus: Οἷον εἰς ἀποικίαν ἀφικνουμένους αὐτούς. *Quaſi ad coloniam ipſi proficiſcantur*. F. URSIN.

Quæ propagatio & ſoboles) Libri noſtri veteres habent, *ſuboles*, & ita legendum, & ſcribendum eſſe admonuimus in commentariis Horatianis. LAMBIN. *Quæ propagatio, & ſuboles*) *Suboles*, non, *ſoboles*, in libris antiquioribus, & monumentis antiquitatis legitur, cui ſcripturæ notatio nominis ſuffragatur, a *ſub* & *oleſco*, id eſt creſco, de qua Feſtus. Sic etiam in antiquiſſimo libro Mediceo in epiſtola Pollionis ad Ciceronem lib. X. ſcribitur: *Nam & robur, & ſuboles militum interiit*. FR. FABRIT.

Sanguinis autem conjunctio, & benevolentia devincit homines caritate) Hunc locum emaculavit eruditiſſimus & mihi amiciſſimus Perizonius in litteris ad me datis: leve quidem, ſed manifeſtum, inquit, in his ineſſe mendum arbitrer, legerimque, *& benevolentia devincit homines & caritate*. Sic de Amicitia cap. 5. hæc duo iterum conjunguntur: *Quis non cum caritate a-* *liqua*

nes & caritate. Magnum eſt enim, eadem habere monumenta majorum, iiſdem uti ſacris, ſepulcra habere communia. Sed omnium ſocietatum nulla præſtantior eſt, nulla firmior, quam cum viri boni, moribus ſimiles, ſunt familiaritate conjuncti. Illud enim honeſtum, (quod ſæpe dicimus) etiam ſi in alio cernimus, tamen nos movet, atque illi, in quo id ineſſe videtur, amicos facit. Et quamquam omnis virtus nos ad se alliciat, faciatque, ut eos diligamus, in quibus ipſa ineſſe videatur; tamen juſtitia, & liberalitas id maxime efficit: nihil autem eſt ama-

liqua & benevolentia M. Curii memoriam uſurpet? & cap. 9. *Natura gigni ſenſum diligendi, & benevolentiæ caritatem.* Trebonius in Epiſtolis Ciceronis XII. 16. *Cui nos & caritate & amore tuum beneficium præſtaturos*: ut taceam amplius quiddam ſignificari *caritate*, quam *benevolentia*, quod etiam activo, illud paſſivo, ut dicitur, ſenſu plerumque ſumitur. Auctor ad Herennium IV. 39. *Benevolentia conjungi* ſimiliter dixit. Hæc Perizonius veriſſime. GRÆVIUS. Vulgo *Sanguinis autem conjunctio, & benevolentia devincit homines caritate*: & ita omnes, quos vidi, MSi: locus tamen eſt corruptus. Quo enim ſenſu dici poſſit, *benevolentiam devincire homines caritate*? De eo ſolo loquitur, quod efficit *ſanguinis conjunctio*, non quod *benevolentia*; quæ quidem inter eos poſſit eſſe, qui non ſunt ſanguine conjuncti. Facile eſt videre, *benevolentiam* hic memorari debere, ut effectum cujuſdam rei, non ut rem efficientem *caritatis*. Aut igitur cum Gronovio (quem ſequor) legendum eſt, *ſanguinis autem conjunctio benevolentia devincit homines, & caritate*: ut in c. 6. de Amicitia ea dicitur eſſe *omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia, & caritate ſumma conſenſio*. Aut menda ſic tollenda eſt, *ſanguinis autem conjunctio, & benevolentia devincit homines, & caritate*. Niſi malit lector mecum ſentire, Ciceronem ſcripſiſſe, *ſanguinis autem conjunctio, &* (i. e. etiam) *benevolentiæ devincit homines caritate*. Huic poſteriori lectioni favent verba Ciceronis in Amicit. c. 9. *Ipſi autem intelligamus a natura gigni ſenſum diligendi, & benevolentiæ caritatem, facta ſignificatione probitatis.* Ib. c. 8. *Quis eſt, qui C. Fabricii non cum caritate aliqua benevola memoriam uſurpet?* PEARCE.

Quam cum viri boni, moribus ſimiles, ſunt familiaritate conjuncti) Hinc Stoicorum dogma eſt, ſolum ſapientem amicum eſſe, inter alios homines nullam eſſe amicitiam. Seneca ep. 81. *Solus ſapiens ſcit amare, ſolus ſapiens amicus eſt.* Cic. de Amicit. *Hoc primum ſentio, niſi in bonis amicitiam eſſe non poſſe.* Vide Lipſii manuduct. ad Stoicam Philoſoph. III. 16. GRÆV.

Iuſtitia, & liberalitas id maxime efficit) Quia juſti, & liberales non ſuum, ſed alienum negotium agunt, & nemini nocent, ſed omnibus, quod poſſunt, commodant. IDEM.

Nec copulatius) Legendum *copulantius*, ut eſt in libro manuſcripto. F. URSIN. *Nec copulatius*) Conſentiunt in hac voce libri manuſcripti cum impreſſis. Paulus Manutius cum in ſuperioribus editionibus eamdem retinuiſſet, atque in fine libri admonuiſſet, ſibi magis placere, *copulantius*: jam illa ejecta, hanc repoſuit. FR. FABRIT. Omnino legendum eſt cum nonnullis MSis *copulantius*; nam morum ſimilitudo bonorum eſt id, quod copulat, non id quod copulatur. Ejuſdem generis comparativa ex participiis formata ſæpius occurrunt apud Ciceronem, ut *valentius*, *vigilantius*: & eodem fere ſenſu dicit in Amicit. c 20. *Diſpares mores diſparia ſtudia ſequuntur, quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias.* PEARCE.

Nihil autem eſt amabilius, ac copulatius,

amabilius, nec copulatius, quam morum ſimilitudo bonorum. In quibus enim eadem ſtudia ſunt, eædemque voluntates: in his fit, ut æque quiſque altero delectetur, ac ſeipſo: efficiturque id, quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit, ut unus fiat ex pluribus. Magna etiam illa communitas eſt, quæ conficitur ex beneficiis ultro, citro, datis, acceptis: quæ & mutua, & grata dum ſunt, inter quos ea ſunt, firma devinciuntur ſocietate. Sed cum omnia ratione, animoque luſtraris, omnium ſocietatum nulla eſt gravior, nulla carior, quam ea, quæ cum rep. eſt

tius, quam morum ſimilitudo) Quint. declam. *Iungit amicitias ſimilitudo morum: neſcio quomodo inter ſe animorum lumina vident, & agnoſcunt: nec quiſquam amare in altero poteſt, niſi quod tacitus probat*. GRÆV.

Quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit) Hunc locum, ſicut reſtitui, ſic legendum eſſe, ex Nonio fit clarum. *Vltimus*, inquit, *id eſt*, *primus*, Virgil. *Tu ſanguinis ultimus auctor*. Cicer. de Offic. I. *Efficiturque id, quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit, ut unus fiat ex pluribus*. Hactenus ille. Certe *ulo* dicebant veteres pro *ultro*, inde *ulterior*, & *ultimum*, quod longiſſime a nobis abeſt. Livius I. *Ibi Tarquinius maledicta ab ultima ſtirpe orſus*. Et Nepos in Attico, *ſtirpem ultimam* pro vetuſtiſſima dixit. III. de Finibus: *Eorum dico, qui ſummum bonum, quod ultimum appellant, in animo ponerent*. Et lib. V. *Ex quo intelligi debet, homini id eſſe in bonis ultimum, ſecundum naturam vivere*. Sic Græci τὸ τέλειον dicunt, quod eſt extremum, quod ſummum, quod omnibus numeris abſolutum. C. LANG. *Id quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit*) Sic hunc locum legit Nonius, in voce, *ultimus*, ut indicat Langius: qui erudite hunc locum explicat; nam libri veteres cum vulgatis congruunt, qui habent, *vult in amicitia, ut unus*, &c. LAMBIN. *Quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit*) Ita hunc locum ex Nonii Marcelli auctoritate edidit Langius; nam Ciceronis libri etiam manuſcripti habent: *Id quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus*. FR. FABRIT. Approbavit quoque Aldus Manutius. GRÆV.

Vt unus fiat ex pluribus) Plato in Sympoſio: ἐπιχειρῶν ποιῆσαι ἓν ἐκ δυοῖν, *annitens unum ex duobus efficere*. F. VRSIN. Vide quæ prolixe diſſerit in commentario ſuo ad convivium Platonis de amore Marſil. Ficinius. GRÆV.

Ex beneficiis ultro citro datis acceptis) Quidam lib. *datis acceptiſque*; alii *datis, & acceptis*, ego ſuſpicor ſcripſiſſe Ciceronem, *ultro citro datis acceptis*, quo modo, *ſurſum deorſum*; *terra mari*. II. Catilinaria: *factis dictis*: Philipp. III. *dextra ſiniſtra*. Salluſt. *præſente abſente*. Terent. *Prima poſtrema*. Livius: *Ita velit nolit*; *juſta injuſta*: & mille hujuſmodi, quæ librarii fere corrumpunt. C. LANG. Ita liquido ſcriptus liber, ut divinarat Langius. Donatus ad hoc Terentii: *Poſtulo ut mihi tua domus, te abſente præſente, pateat*: *Proverbiale eſt, abſente præſente*: *ut ſurſum deorſum, ultro citro, & cetera hujuſmodi, fanda infanda, juſta injuſta, velit nolit*. GVILIELM.

Quæ & mutua & grata dum ſunt, inter quos ea ſunt, firma devinciuntur ſocietate) Hic ſagaciter fœdam labem, quæ contaminat omnes libros, deprehendit, & ſollerter eluit ingenioſiſſimus Perizonius, dum legit *devinciunt* pro vulgato *devinciuntur*, omiſſo per ἔλλειψιν *eos*, quod additur in Epiſtolis Ciceronis ad Famil. XIII. 29. *Artes, quæ eos, qui voluntate eadem ſunt, etiam familiaritate devinciunt*. Frequens autem eſt ἔλλειψις illa. GRÆV.

Omnium ſocietatum nulla eſt gravior) Quidam lib. *nulla eſt gravior, nulla carior,*

eſt unicuique noſtrum : cari ſunt parentes , cari liberi , propinqui , familiares: ſed omnes omnium caritates patria una complexa eſt : pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere , ſi ei ſit profuturus ? Quo eſt deteſtabilior iſtorum immanitas , qui lacerarunt omni ſcelere patriam , & in ea funditus delenda occupati & ſunt, & fuerunt . Sed ſi contentio quædam, & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum officii , principes ſunt , patria , & parentes , quorum beneficiis maxime obligati ſumus : proximi, liberi, totaque domus, quæ ſpectat in nos ſolos, neque aliud ullum poteſt habere perfugium : deinceps bene convenientes propinqui ; quibuſcum etiam communis plerumque fortuna eſt. Quamobrem neceſſaria præſidia vitæ debentur iis maxime , quos ante dixi : vita autem, victuſque communis , conſilia , ſermones , cohortationes , conſolationes , interdum etiam objurgationes in amicitiis vigent maxime: eſtque

vior , quod placet . C. Lang. In vulgatis libris fere omnibus , *gratior* , legitur : pro quo in antiquioribus eſt , *gravior* , quod Balduinus quoque admonuit , & Langius ſibi placere annotavit . Fr. Fabric. Sic & duo mei, quatuor Guilielm. & Palat. ſecundus . Cic. XIII. ad Fam. 29. *Accedebat non mediocre vinculum, cum ſtudiorum, quod ipſum eſt per ſe grave , tum eorum ſtudiorum* . Graevius .

Omnes omnium caritates patria una complexa eſt) Plato in Critone : *Siccine ſapis , te ut fugerit & matre , & patre , & reliquis progenitoribus omnibus digniorem eſſe patriam , venerabilioremque , & ſanctiorem , & in ſuperiore ſorte , cum apud Deos , tum apud homines mentis compotes , & colendam , & magis obſequendam , ac ſtudiis propitiandam patriam vigiliorem , quam parentem ; & aut diſſuadendum , aut agendum quidquid juſſerit , ac patiendum patienter , ſi quid pati imperaverit : & ſeu verberari , ſeu vinciri coegerit , ſive in bello ſauciari , & necari , faciendum ? Ius enim ita ſtatuit , nec tergiverſandum , nec fugiendum , nec deſerendus ordo : ſed & in bello , & in foro , & ubique exſequendum , quod injunxerit civitas , atque patria : aut certe perſuaſionibus , quatenus licet , occurrendum . Sed vim afferre , neque matri , neque patri fas eſt , minime vero omnium patriæ* . Idem .

Si contentio quædam , & comparatio fiat) Redit ad id , quid officii cuilibet debeatur . Vide Grot. II. de Iure Belli & Pacis 7. §. 10. & in primis Simplic. ad Enchirid. Epicteti c. 37. Idem .

Principes ſunt) Vterque codex meus & editiones optimæ : *principes ſint* : recte . Idem .

Parentes) Vide Simplic. ad d. l. Enchiridii , & Hieroclem in aurea carmina Pythagoræ in verſum quartum . Idem .

Quorum beneficiis maxime obligati ſumus) Prim. meus , & Pithœan. *quorum beneficiis maximis ſumus obligati* , quod & in ſuis reperit Langius , & merito recepit . Idem .

Cohortationes) Hom. Il. λ. 792. Ἀγαθὴ δὲ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρου , *bona admonitio eſt amici* . Idem .

Objurgationes) Vid. IX. Nicom. 3. Plaut. Trinum. I. 1.

Amicum caſtigare ob meritam noxam
Immune eſt facinus , verum in ætate utile ,
Et conducibile . Idem.

Objurgationes in amicis) *In amicis* , id eſt

eſtque ea jucundiſſima amicitia, quam ſimilitudo morum conjugavit.

18. Sed in his omnibus officiis tribuendis videndum erit, quid cuique maxime neceſſe ſit, & quid quiſque vel ſine nobis aut poſſit conſequi, aut non poſſit. Ita non iidem erunt neceſſitudinum gradus, qui temporum. Sunt quædam officia, quæ aliis magis, quam aliis debeantur: ut vicinum citius adjuveris in fructibus percipiundis, quam aut fratrem, aut familiarem; at, ſi lis in judicio ſit, propinquum potius, & amicum, quam vicinum defenderis. Hæc igitur, & talia, circumſpicienda ſunt in omni officio: & conſuetudo, exercitatioque capienda, ut boni ratiocinatores officiorum eſſe poſſimus, & addendo, deducendoque videre, quæ reliqui ſumma fiat: ex quo, quantum cuique

id eſt inter amicos, ἐν τοῖς φίλοις, Lambinus ex Manutianis retinuit: nam mentio perſonarum, non rerum præcedit: noſtri tamen MSi cum aliis habent, *in amicitiis*. FR. FABRIT. Et ſane ſic Grævii quoque, & Pithœi, aliique libri, quod merito docti receperunt. GRÆV.

Quid quiſque nobiſcum, vel ſine nobis, aut poſſit conſequi, aut non poſſit) Pithœi excerpta, & meus ſecund. *quid quiſque, vel ſine nobis a. p. c. a. n. p.* Meus prim. *quid quiſque vel ſine nobis a. p. c. a. n. p.* Priorem ſcripturam in ſuis quoque reperit Langius, & merito recepit, *nobiſcum* enim plane hic nihil ad rem facit. Nimirum honeſta innocentium paupertas levanda, ut fecit Tiberius apud Tac. II. ann. 48. Sin prodigis, aut inertibus datur: *langueſcet induſtria, intendetur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus, aut ſpes; & ſecuri omnes aliena ſubſidia exſpectabant, ſibi ignavi, nobis graves*, ut idem Tiberius dicit II. annal. 39. IDEM. Otioſa hic, ne dicam inepta, & moleſta, videtur conjunctio *vel*, quæ bene abeſt a MSo pr. Grævii. In quibuſdam MSis legitur, *quid quiſque nobiſcum, vel ſine nobis &c.* Unde conjicio in aliis MSis extitiſſe quondam ſolum *quid quiſque nobiſcum*; in aliis rectius *quid quiſque ſine nobis*: iſtud vero *vel* poſitum fuiſſe olim inter lineas, ut oſtenderet duplicem fuiſſe hujus loci lectionem, *nobiſcum*, & *ſine nobis*. PEARCE.

Non iidem erunt neceſſitudinis gradus) Cicero antea dixerat officia primo loco tribuenda eſſe parentibus, tum liberis, deinceps propinquis. Hic vero ait, eos neceſſitudinis gradus non ſemper ſequendos eſſe; ſed aliquando immutandos, ut habeatur ratio temporum, ſive neceſſitatum eorum, quibuſcum vivimus. Vide ſenſum vocis *temporum* in not. ad I. 10. & ad II. 1. IDEM.

Vicinum citius adjuveris in fructibus percipiundis) Vide pulchrum apologum apud Gell. II. Noct. Attic. 29. in quo videbis vicinos vicinis operam commodaſſe in metendo. GRÆV.

Exercitatioque capienda) Docti quidam legi volunt, *exercitatioque adhibenda*. LAMBIN. Nihil temere mutandum, ſed venuſtius forte ſit: *facienda*. GVILIELM. Sed neutra lectio placet: cur non verbum *capere* hic idem valeat, ac *ſuſcipere*? ut in Orat. pro Roſc. Com. Cicero dicit: *Non fuit cauſſa, cur tantum laborem caperes, & ad me venires*. Aliter locutus eſt idem, ſed eodem ſenſu in I. 32. de Orat. *ea exercitatio ſuſcipienda vobis eſt*. PEARCE.

Addendo, deducendoque videre, quæ reliqui ſumma fiat) In omnibus libris, *ducendo* ſcriptum reperi. Sic ad Att. VI. & alibi accipit. Pertinet hoc verbum

que debeatur, intelligas. Sed ut nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum ſine uſu, & exercitatione conſequi poſſunt: ſic officii conſervandi præcepta traduntur illa quidem, ut facimus ipſi: ſed rei magnitudo uſum quoque exercitationemque deſiderat. Atque ab iis rebus, quæ ſunt in jure ſocietatis humanæ, quemadmodum

bum ad rationes. C. Lang. *Addendo, ducendoque*) Sic omnes quidem habent libri veteres: ſed malim legi, *deducendoque*, ſive *ſubducendoque*. Lambin. *Et addendo, ducendoque*) Sic eſſe in omnibus libris veteribus, Langius, & Lambinus annotarunt: quamquam hic compoſitum *ſubducendo* malit. Victorius, Manutius, & alii, *deducendo*, ediderunt, quod verbum non diſplicet; nam & *deducere* detrahere, ſeu imminuere ſignificat, & *deductionem* Aſconius in Verr. imminutionem interpretatur. Fr. Fabrit. *Deducendo* eſt in Pal. prim. & MSis fere omnibus, niſi quod in ſecundo *ducendoque*, in quam vocem inclinabat Guilielmius, ut & ante ipſum Langius. Gruter. *Addendo, deducendoque* optimorum codd. & ipſius Tullii manus eſt. Scio lib. VI. ad Att. legi: *centeſimas ducere; & fœnus ducere quaternis centeſimis*; ſed iſta nihil ad præſentem cauſſam; nec probant *ducere* eſſe imminuere ſummam, & ei aliquid detrahere, ut hic *deducere* accipitur. Liv. lib. VI. *Deducto eo de capite, quod uſuris pernumeratum eſſet.* Poeta vetus lib. I. de Divinat. *De his divitiis ſibi deducunt drachmam, reddunt cetera*. Lib. II. de Leg. *Ut centum nummi deducerentur*. Sed aliter verba Ciceronis cavillatur homo doctiſſimus. (Ioannes Crojus Obſervat. in Novum Fœdus cap. 6.) Non video quomodo aliqua reliqui ſumma addendo fieri poſſit. Seſe accuſet eo nomine. Sed vitium ſit in re, quæ videri, an in perſona, quæ videre debuit, videamus. Deducendo quidem (pergit) hoc poteſt fieri: deductis enim pluribus nummis, ex reliquis nummis, ex aliqua ſumma id, quod reſtat, *reliqui ſumma*, vel *reliqua pars* dicitur: ex additione vero multorum nummorum id, quod colligitur, neque *reliqui ſumma*, neque *reliqui pars* dici poteſt, ſed ſumma dumtaxat dicitur. Primo peccat ſeparando, quæ ſeparari non debent. Non enim dicit Cicero ex additione, vel *addendo* videri, quæ *reliqui ſumma fiat*, ſed *addendo, deducendoque*: hoc eſt, dum utraque pagina, & accepti, & expenſi diſpungitur, & inter se confertur, atque æra æribus modo adduntur, modo deducuntur, apparere, pares ſint rationes, an reliquum ſit, & utrum illud reliquum ſit accepti, quod nondum expenſum ſit, an expenſi, quod nondum acceptum, & quantum illud ſit. Deinde ex additione multorum nummorum colligitur, quæ reliqui ſumma fiat. Finge me accepiſſe, vel debere centum, reddidiſſe autem, aut ejuſdem, cui debebam, nomine ſolviſſe quinquaginta, rurſus alio die viginti quinque, numquid addendo illa XXV. ad quinquaginta non intelligo, quæ ſit ſumma reliqui, nempe XXV.? Parum igitur ſuæ verecundiæ conſuluit vir idem eruditus, cum ſummum oratorem, bonum non fuiſſe nummorum ratiocinatorem colligit: & audet hunc ſolœciſmum appellare. Scilicet qui tantam pecuniam publicam quæſtor, ædilis, conſul, & proconſul, tantam ſuam, tricies quinquies ſeſtertiùm coemta domo, verſavit, cum pueri noſſent aſſem in centum partes diducere, & tam diligenter rationes conficerent omnes patres familias, nummorum malus ratiocinator fuit, & neſcivit verbum eo pertinens ſine ſolœciſmo proferre? I. Fr. Gronov.

Ut facimus ipſi) Ita ſcripſi, Langium & meos MSos ſecutus: antea erat *faciamus*: inepte: *facimus* in his libris ſcilicet, quibus officiorum præcepta tradi-

modum ducatur honeſtum, ex quo aptum eſt officium, ſatis fere diximus.

Intelligendum eſt autem, cum propoſita ſint genera quatuor, e quibus honeſtas, officiumque manaret, ſplendidiſſimum videri, quod animo magno, elatoque, humanaſque res deſpiciente factum ſit. Itaque in probris maxime in promptu eſt, ſi quid tale dici poteſt:

Vos etenim, juvenes, animum geritis muliebrem;
Illa virago viri.

Et ſi quid ejuſmodi:

Salmaci, da ſpolia, ſine ſudore, & ſanguine.

Con-

tradimus. GVILIELM. Adſtipulatur Grævii primus codex. GRÆV.

Ex quo aptum eſt officium) *Aptum* a verbo *apiſcor*, quo Lucretius, Manilius, & ICti uſi ſunt, ex quo *adipiſcor* eſt compoſitum, & *indipiſcor*. Pacuvius Hermiona: *Quod ego in acie celebri objectans vitam bellando aptus ſum*. Cicero *aptus* capit pro eo, quod vulgo dicimus, adaptatus, compoſitus, exornatus. Vt de Finibus II. *Aptum ex tribus illis*, & alibi perſæpe. C. LANG. *Aptum*, non, *ortum*, in noſtris quoque MSis legitur, excepto uno, in quo eſt, *actum*, unde, *ortum*, in vulgatos libros irrepſiſſe videri poſſit. Sed Victorius quoque, *aptum eſt*, edidit, &, *aptum eſt*, quo Cicero ſæpe utitur, ſignificat ἀπήρτηται, ſeu; ut Nonius exponit, connexum, & colligatum eſt. Eamdem vocem ex libro antiquo, & Nonio reſtitui Tuſcul. V. ubi in omnibus libris impreſſis mendoſe legitur: *Fulgentem gladium e lacunari ſeta equina appenſum demitti juſſit*: cum vera lectio ſit, *ſeta equina aptum*. FR. FABRIT. Haud ſecus Aldi nepotis editio, firmatque Palat. ſec. & tres alii. Sic *apta pinnis* poeta vetus. *Aptus* ab *apiſcor*, quo multi veterum uſi: in illis Liv. lib. IV. *Et non præciditur ſpes plebeio quoque, ſi dignus ſit apiſcendi ſummi honoris*. Ibidem: *Vt patricios deſperatio primum irritata plebi apiſcendi honoris*, &c. *deterreret*: ita optimum fragmentum Colonienſe, in vulgatis utrobique *adipiſcendi*. male. GVILIELM.

Honeſtas officiumque) Nam alia ſunt officia non ab honeſtate, ſed utilitate, quæ media dicuntur. GRÆV.

Illa virago viri) Legendum, ut habent libri veteres, *Illa virago*: & ita etiam olim excudi juſſeram, rejecta vulgata lectione, *Illaque virgo viri*: ſi mihi ab operariis iſtis obtemperatum eſſet: proximo verſu autem legendum, ut nunc edidimus, *Salmaci, das ſpolia ſine ſudore, & ſanguine*, non, ut vulgo, *ſine ſanguine, & ſudore*, eſt enim ſenarius: deinde, *das*, in ſecunda perſona, indicativi modi, non, *da*. Quod ſcio jam ante Faerno in mentem veniſſe. LAMBIN. Clœliam virginem intelligit, de qua Valerius Maximus lib. III. cap. 2. n. 2. eamque militibus Romanis opponit. FACCIOL.

Salmaci da ſpolia) *Salmaci da ſpolia* perſpicue ſcriptum eſt in MSis, & ita legendum affirmabat Faernus. De hoc fonte Strabo l. XIV. ita ſcribit: Καὶ ἡ Σαλμακὶς κρήνη διαβεβλημένη οὐκ οἶδ᾽ ὁπόθεν, ὡς μαλακίζουσα τοὺς πίνοντας ἀπ᾽ αὐτῆς. *Item Salmaci fons traduci ſolitus eſt, neſcio quam ob cauſſam, tamquam emolliens eos, qui inde bibant*. F. VRSIN. *Salmaci da*) Duæ voces ſunt, ut ex Feſto cognoſcitur, apud quem in nomine, *Salmacis*, verſus hic Ennianus adducitur. Falluntur igitur, qui, *Salmacida ſpolia*, proverbialiter dici putant, atque ita uſurpare non dubitant. In noſtris MSis etiam legitur, *Sine ſudore, & ſanguine*, quomodo Victorius edidit, & verſus poſtulat. FR. FABRIT. Ad molles, &

effe-

Digitized by Google

Contraque in laudibus, quæ magno animo, & fortiter, excellenterque geſta ſunt, ea neſcio quomodo quaſi pleniore ore laudamus. Hinc rhetorum campus de Marathone, Salamine, Platæis, Thermopylis, Leuctris; hinc noſter Cocles, hinc Decii, hinc Cn. & P. Scipiones, hinc M.Marcellus, innumerabileſque alii: maximeque ipſe populus Romanus animi magnitudine excellit. Declaratur autem ſtudium bellicæ gloriæ, quod ſtatuas quoque videmus ornatu fere militari.

19. Sed

effeminatos pertinet verſus ille in veteri epigrammate:

Vidit ſemivirum fons Salmacis Hermaphroditum.

Obtinuit enim apud veteres, eum fontem effeminatos, & cinædos efficere: unde locus fabulæ de Hermaphrodito. Vnde etiam Ennius videtur dixiſſe *ſalmacida ſpolia*. Non enim disjunctim, ſed ſic legendum *ſalmacida ſpolia*, hoc eſt, victoria non virilis, ſed effeminata. At vetus Gloſſarium *ſalmacidum* interpretatur *ἅλμυρον*. Ita apud Ennium ſalmacida ſpolia, non *θυλικα*, ſed *εὐθήρατα* erant. Nam cum captura marina facilior eſt quam venatio: ideoque *ἀναίμακτος*, cum tamen venatio ferarum, neque *ἀναίμακτος*, neque *ἀκίνδυνος* ſit. Ita igitur apud Ennium interpretandum erit. Ios. Scaliger. Auſon. Lection. I. 28. idem firmat in notis ad Feſtum: ſubſcribit Guilielmius, quia quatuor libri cum Palatino præ ſe ferant *ſalmacida*, idque ſignificet *ἁλμυρα*. Addit a Salmaci eſſe *ſalmacidus*, ut apud Tullium a Threce Threcidicus. Sed mirum, quod Scaligerum potuerit fugiſſe librariorum error; legendum enim in gloſſario pro *ſalmacidus*, *ſalinacidus*, ut recte vidit maximus virorum Salmaſius in Exercitat. Plinian. A *ſalmacis* autem non *ſalmacidus*, ſed *ſalmacidicus*, ut a Chalcis Chalcidicus, & ſimilia formantur. Nihil certius eſt ſcriptura veterum librorum, probante Faerno, Fulvio, & Fabritio, *Salmaci da ſpolia*. Alloquitur hominem mollem, & ignavum, quem ſalmacidem vocat, quod ſalmacide nympha ſit effeminatior. Virg. *O vere Phrygiæ, nec enim Phryges.* Grævius.

Neſcio quomodo quaſi pleniore ore laudamus) Magnum enim videtur in publico civitatis metu, ac trepidatione irruenti sese hoſtium agmini opponere, non tubarum ſonum, non lituorum clangorem, non equorum hinnitum, non armorum fulgorem, non avida ſanguinis tela, non crebris tinctos cædibus gladios extimeſcere, ire imo obviam omnibus, & periculum ab aliis præſenti vitæ ſuæ periculo depellere, pro aris, & focis, pro templis, & mœnibus, pro ſalute, ac libertate communi, ictus, vulnera, mortem denique, ſi res ferat, non excipere tantum, verum etiam ultro appetere. Hæc qui præſtiterant in omni ætate, apud omnes populos clari, illuſtres, honorati fuerunt. Illis ovationes, ſupplicationes, triumphi; illis ſtatuæ, arcus, tropæa; illis monumenta publica; illis denique omnia ſingularia, & divinis honoribus proxima ornamenta decreta ſunt, qualia, aut nunquam, aut perraro temperantiæ, liberalitati, juſtitiæ tributa legimus. Muret.

Leuctris, hinc noſter Cocles) Scio in quibuſdam antiquis legi *ſtratocle*, in aliis *ſterocle*. Ex Antonii Sabellici annotationibus hic reponitur *ſtratoque*, ut inter loca victoriis celebrata Stratos numeretur: de qua Thucidides libro ſecundo. Ego ex veſtigiis exemplaris mei MSi, in quo legitur *ſtercocles* legendum puto *hinc noſter Cocles*. Hunc autem Cicero inter Romanos bellica laude inſignes, ut tempore ita ordine primum recenſet, poſtquam Græcorum loca prœliis nobilitata memora-

19. Sed ea animi elatio, quæ cernitur in periculis, & laboribus, ſi juſtitia vacat, pugnatque non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis, in vitio eſt; non enim modo id virtutis non eſt, ſed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Itaque probe definitur a Stoicis fortitudo, cum eam virtutem eſſe dicunt propugnantem pro æquitate. Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam conſecutus eſt inſidiis, & malitia, laudem eſt adeptus; nihil enim honeſtum eſſe poteſt, quod juſtitia vacat. Præclarum igitur Platonis illud: Non ſolum, inquit, ſcientia, quæ eſt remota a juſtitia, calliditas potius, quam ſapientia eſt appellanda: verum etiam animus paratus ad periculum, ſi ſua

moravit. Sic in I. paradoxo ante Decios poſuit: *Quæ*, inquiens, *Horatium Coclitem contra omnes hoſtium copias tenuit in ponte ſolum? Quæ vis patrem Decium, qui filium devovit?* Antonius Codrus ſermone primo nihil auſus eſt pronunciare. PET. BALDVIN. Libri manuſcripti, quotquot videre mihi contigit, ſic habent: *Leuctris Stercocles, hinc Decii* &c. nec ignoro, Stratoclem contra Philippum ſtrenue pugnaſſe pro libertate Græciæ ad Chæroneam, qua de re Æſchines κατα Κτησιφωντ. Verum quia hic loca tantum nobilia, in quibus Athenienſes victoria potiti ſint, celebrat, vero ſimile eſt, *Strato*, fuiſſe ſcriptum, ad quam urbem Athenienſes victores evaſerunt. Vide Thucid. lib. II. Scio quemdam hic, *Citheris*, reponere: ea eſt Laconicæ inſula, in qua Nicias Spartanos multis cladibus afflixit, ut a Plutarcho eſt relatum, & Diogene Laertio in Chilone: ſed longius abeſt a veſtigiis veterum librorum. C. LANG. *Leuctris: hinc noſter Cocles: hinc Decii*) Sic reſtitui, atque omnino ſic legendum. Nam, *Stratocles*, quod eſt in vulg. non reperitur in libris manuſcriptis, ſed pro eo, *Stercocles*: & deinceps, *hinc Decii*: &c. ita ut facile appareat, hoc, *Stercocles*, eſſe peccatum librarii, qui cum ſcribere deberet, *noſter Cocles*, ſcripſerit, *Stercocles*, omiſſa prima ſyllaba, *no*. Hæc cum olim ſcripſiſſem, neque ſcirem cuiquam mortalium hoc idem veniſſe in mentem, (nam ſi ita eſſet, non diſſimulaſſem, aut tacuiſſem) admonitus ſum poſtea, Petrum Balduinum, quem ego adoleſcens jam grandem natu Lutetiæ cognovi, hoc quoque animadvertiſſe. Quare hujus loci emendatio viro illi doctiſſ. accepta referatur, qui antevenerit, non mihi. LAMBIN. *Leuctris, hinc noſter Cocles*. Sic edidit quoque P. Victorius. Parrhaſius dudum indicarat in libro de Quæſitis per epiſtolam, *Leuctris, hinc ſunt Cocles, hinc Decii*: quæ lectio non aſpernenda. GRVTER.

Si juſtitia vacat, pugnatque non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis, in vitio eſt) Pulchre Philiſcus ad Alexandrum Magnum dixit apud Ælianum Var. Hiſt. XIV. cap. 11. Δοξης φροντιζε, αλλα μη εσο λοιμος, και μη μεγαλη νοσος, αλλα ειρηνη, και υγεια. λεγων το μεν βιαιως αρχειν και πικρως και αιρειν πολεις, και απολλυειν δημους, λοιμου ειναι· το δε υγειας προνοεισθαι και σωτηριας αρχομενων, ειρηνης ταυτα αγαθα. *Gloriæ ſtude, ſed non ut ſis peſtilentia, vel magnus morbus: ſed pax, & ſanitas: innuens, violente, & acerbe imperare, urbes capere, populos exſcindere, peſtilentiæ eſſe; ſanitatis vero, communis civium ſalutis rationem habere, ea vero pacis eſſe bona.* Vide Grot. II. de Iure Belli & Pacis cap. 25. GRÆV.

Calliditas potius, quam ſapientia eſt appellanda) Locus ſumptus ex Epitaphio Platonis: Πασα τε επιστημη χωριζομενη

ſua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habeat, quam fortitudinis. Itaque viros fortes, magnanimos, eoſdem bonos, & ſimplices, veritatis amicos, minimeque fallaces eſſe volumus: quæ ſunt ex media laude juſtitiæ. Sed illud odioſum eſt, quod in hac elatione, & magnitudine animi, facillime pertinacia, & nimia cupiditas principatus innaſcitur. Vt enim apud Platonem eſt, omnem morem Lacedæmoniorum, inflammatum eſſe cupiditate vincendi: ſic, ut quiſque animi magnitudine maxime excellit, ita maxime vult princeps omnium, vel potius ſolus eſſe. Difficile autem eſt, cum præſtare omnibus concupieris, ſervare æquitatem, quæ eſt juſtitiæ maxi-

χωριζομενη δικαιοσυνης, και της αλλης αρετης, πανουργια, ου σοφια φαινεται. *Omnis enim ſcientia ſejuncta a juſtitia, atque aliis virtutibus, calliditas, non ſapientia deprehenditur*. F. Vrsin.

Eoſdem bonos, & ſimplices) Legendum, ut habent libri manuſcripti, &, ut nunc edidi, *eoſdem bonos, & ſimpl.* non, ut vulgo, *eoſdemque bonos, & ſimpl.* Lambin.

Omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum eſſe cupiditate vincendi) Vetus codex habet, *omnem vim Lacedæmoniorum inflammatam*, &c. ſed repugnant Platonis verba ex Lachete, ſive περι ανδρειας, unde Tulliana translata ſunt: Λακεδαιμονιους, οἷς ουδεν αλλο μελει εν τῳ βιῳ, η τουτο ζητειν και επιτηδευειν, ὅ, τι αν μαθοντες και επιτηδευσαντες, πλεονεκτοιεν των αλλων περι τον πολεμον. *Lacedæmones, quibus nihil aliud curæ eſt in omni vita, quam ita ſe in omnibus comparare, ut bello ceteros omnes exſuperent*. F. Vrsin. Videtur ſignificare Platonis in octavo de Republica τον φιλονεικον και φιλοτιμον κατα την λακωνικην ἑστωτα πολιτειαν: *vincendi, & honorum cupidum ſecundum Lacedæmoniam politiam*: ideo enim amant contendere, ut vincant: vel περι ανδρειας, quod notat Fulvius. Non incipiant ipſa Tullii verba in dubium vocare: ſunt enim exquiſite pronunciata pro his: Lacedæmonios omni more, & inſtituto, & ratione ſua inflammatos eſſe hac cupiditate. Nec defuit ipſe præiviſſe ſibi Cicero in oratione pro Ligario cap. 54. *Externi iſti mores uſque ad ſanguinem incitare ſolent odium, aut levitatem Græcorum, aut immanium barbarorum*: hoc eſt, leves Græci, aut immanes barbari, more iſtiuſmodi ſuo, nobis externo, & peregrino, ſolent incitare odium uſque ad ſanguinem, fervere odio uſque ad cædem. Aut, ſi mavis ſcriptorum quatuor Lambini codicum lectionem, *incitari ſolent odio*; etiam ſimilius erit. Nam, ut illic habes: *Omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum eſſe*, Lacedæmonios omni more inflammatos; ita hic, *Mores externos Græcorum, & Barbarorum incitari eſſe*, Græcos, & Barbaros moribus iſtis populo Romano peregrinis incitari. I. Frid. Gronov. *Omnem morem*) I. e. Lacedæmonios in omnibus ſuis moribus inflammatos eſſe cupiditate melius, quam ceteri, faciendi id quod ipſis eſſet faciendum. Omnes MSi uno quaſi ore vocem *morem* proferunt: Iac. Gronovius tamen monuit, legendum eſſe *moram... inflammatam*: quæ enim Latinis cohors, ea fuit *mora* Lacedæmoniis: de qua ſic Cornel. Nep. in Iphicr. c. 2. *Hoc exercitu moram Lacedæmoniorum interfecit: quod maxime tota celebratum eſt Græcia*. Sic in nuperis editionibus Tuſc. diſp. II. 15. legimus: *Noſtram dico, non Spartiatarum, quorum procedit mora ad tibiam*, &c. Pearce.

Vt quiſque animi magnitudine maxime excellit) Admonet Balduinus, in veteri-

maxime propria. Ex quo fit, ut neque diſceptatione vinci ſe, nec ullo publico, ac legitimo jure patiantur; exſiſtuntque in republica plerumque largitores, & factioſi, ut opes quam maximas conſequantur, & ſint vi potius ſuperiores, quam juſtitia pares. Sed quo difficilius, hoc præclarius; nullum eſt enim tempus, quod juſtitia vacare debeat. Fortes igitur, & magnanimi ſunt habendi, non, qui faciunt, ſed qui propulſant injuriam. Vera autem, & ſapiens animi magnitudo, honeſtum illud, quod maxime natura ſequitur, in factis poſitum, non in gloria judicat: principemque ſe eſſe mavult, quam videri. Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non eſt habendus. Facillime autem ad res injuſtas impellitur, ut quiſque eſt altiſſimo animo, & gloriæ cupiditate; qui locus eſt ſane lubricus, quod vix invenitur, qui, laboribus ſuſceptis, periculiſque aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſiderat gloriam.

20. Omni-

teribus libris per ſecundam conjugationem, *excellet*, legi. Ciceronem in ea conjugatione hoc verbum uſurpaſſe, Priſcianus lib. X. teſtatur, quem locum in Annotation. in Tuſcul. II. adduxi. FR. FABRIT.

Nec ullo publico, ac legitimo jure) *Publicum jus* hic non eſt, quod pertinet ad civitatem, ſed ordinarium, quod commune civibus omnibus eſt, ut apud Sueton. Aug. 10. *Ne publicum quidem, & translatitium jus ulla in re ſibi, ſine pactione graviſſimæ mercedis impertiente, ad optimates ſe contulit*. *Legitimum jus* eſt legibus conſtitutum. GRÆV.

Largitores, & factioſi) Eraſmus dicit, vocem *largitores* in malo ſenſu uſurpatam, inuſitatam eſſe. PEARCE.

Sed quo difficilius) Sc. cum præſtare omnibus concupieris, ſervare æquitatem; nam hæc verba ex præcedentibus hic ſubintelligenda ſunt. IDEM.

Honeſtum illud, quod maxime natura ſequitur) Hoc eſt naturale honeſtum, το φυσει καλον ου το δοξῃ, quod plerumque το σεμνον, id eſt, το εξωθεν καλον appellari ſupra diximus. Malim autem, ſi per codices liceat, legere: *quod maxime naturam ſequitur*. WOLFIVS. *Quod maxime natura ſequitur*) Sequitur natura honeſtum, quod illi amicum, & conjunctum eſt, quodque natura ipſa per ſe expetit. Victorius edidit: *Quod maxime naturam ſequitur*, quam lectionem Wolfius antiquæ ſine cauſa præfert. FR. FABRIT.

In factis poſitum, non in gloria judicat) Vide Ciceronis epiſtolam inſignem ad Plancum lib. X. ad Fam. 6. GRÆV.

Vt quiſque eſt altiſſimo animo, & gloriæ cupiditate) Cum in omnibus ad unum libris manuſcr. ſcriptum repeiiſſem, *altiſſimo animo, & gloriæ cupiditate*: quo modo, & quidam eruditi viri se in ſuis reperiſſe teſtantur; atque hanc ſcripturam ferri non poſſe ſatis intelligerem: cogitabam unde ſcriptori librario, qui primus hunc locum depravaſſet, anſa peccandi oblata eſſet: venit mihi tandem in mentem, ſcriptum eſſe a Cicerone, *& gloriæ cupidiſſimo*, deinde ab iis ſcriptoribus librariis, qui Ciceronis ætati erant proximi, ſcriptum eſt, *cupidiſſ.* quo modo nos quoque hodie ſcribere ſolemus: hinc poſteriores librarii, imperiti ex illo *cupidiſſ.* fecerant

20. Omnino fortis animus, & magnus, duabus rebus maxime cernitur: quarum una in rerum externarum deſpicientia ponitur, cum perſuaſum ſit, nihil hominem, niſi quod honeſtum, decorumque ſit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere: nulli que neque homini, neque perturbationi animi, nec fortunæ ſuccumbere. Altera eſt res, ut, cum ita ſis affectus animo, ut ſupra dixi, res geras magnas illas quidem, & maxime utiles, ſed & vehementer arduas, plenaſque laborum, & periculorum cum vitæ, tum multarum aliarum rerum, quæ ad vitam

cerunt *cupiditas*: ex quo alii, quaſi aliquid intelligentes, *cupiditate*. Ita hæſit hoc mendum ad noſtram uſque ætatem in veteribus libris. Hæc eſt mea conjectura. Alii putant legendum, *& gloriæ maxime cupido*, non male illi quidem, ſed plus nimio licenter. Verumtamen judicent eruditi. LAMBIN. *Et gloriæ cupido*) *Cupidus*, eſt in meliore libro antiquo, atque ita Balduinus quoque in vetuſtis quibuſdam ſe inveniſſe teſtatur: ego Ciceronem ſcriptum reliquiſſe puto, *cupidiſſ.* pro cupidiſſimo, quod librarius non intelligens, *cupidus*, deſcripſit. FR. FABRIC. Cum Anemœcius prodiderit extare in MSo Auguſtano, *& gloria, & cupiditate*, quærendum, an non ea lectio potior adhuc ſit priore, utpote quæ duabus quaſi alis inſtruat altiſſimum illum animum. Palat. ſec. præfert *altiſſimo ex gloriæ cupiditate*. GRUTER. Meus primus quoque, *gloria, & cupiditate*, meus ſecundus *gloria cupiditate*, ſed Pithœi excerpta, *gloriæ cupiditate*, ut ceteri, a quibus non eſt recedendum. Eſt ellipſis, ſubauditur, *maxima*, aut *ſumma* gloriæ cupiditate, aut hujuſmodi aliquid. Sic autem veteres nonnunquam locutos eſſe patet ex loco Senecæ, quem doctori meo magno Ioann. Frid. Gronovio debeo, de conſtant. ſap. cap. 11. *Vt quiſque contemtiſſimus, & ludibrio eſt, ita ſolutiſſimæ linguæ*, ut recte MSi, hoc eſt, maxime ludibrio eſt: vide quæ de ſimilibus loquendi generibus notavit idem vir ſummus ad Liv. lib. I. 25. GRÆV. Ordo verborum hic eſt: Vt quiſque eſt altiſſimo animo, facillime impellitur ad res injuſtas, & (i. e. etiam) gloriæ cupiditate. Simile quid dixerat in c. 8. *In maximis animis .... plerumque exiſtunt .... gloriæ cupiditates; quo magis cavendum eſt, ne quid in eo genere peccetur*. At hîc Cicero videtur potius ſcripſiſſe: *facillime autem ad res injuſtas impellitur, ut quiſque altiſſimo animo eſt, gloriæ cupiditate*: & hæc lectio invenitur in MSo Mead. ſec. MSi etiam Mead. pr. & duo Regii omittunt verbum *eſt* ante *altiſſimo*: & ſæpius in MSis confunduntur *eſt* & *et*: certe nihil opus eſt, ut duos, treſve MSos audiamus habentes *& gloriæ cupidus*; vel ut cum Lambino locum audacius paulo immutante legamus *& gloriæ cupidiſſime*. PEARCE.

Neque perturbationi animi) Hæc ex Stoicorum ſchola, qui ſapientem volunt eſſe ἀπαθῆ, hoc eſt nulli perturbationi, quam judicio ſuſtulit, obnoxium; vid. Lipſii manuduct. ad Stoicam philoſophiam diſſert. 7. GRÆV.

Plenaſque laborum, & periculorum tum vitæ, tum multarum aliarum rerum) Sic omnino legendum eſt, & ita habent libri veteres omnes: vox, *cauſa*, autem, quæ reperitur in libris vulgatis ante vocem, *vitæ*, ſuppoſita, & adulterina eſt: cum eam inculcaſſet ſciolus aliquis, qui non videret, unde regeretur generandi caſus, *vitæ*; neque intelligeret regi ab altero generandi caſu, *periculorum*: ut ſit *periculorum vitæ*, &c. nam viri fortis eſt adire pericula vitæ, earumque rerum, quæ ad vitam pertinent. LAMBIN.

Sic

Digitized by Google

vitam pertinent. Harum rerum duarum ſplendor omnis, & amplitudo, addo etiam utilitatem, in poſteriore eſt: cauſa autem, & ratio efficiens magnos viros, eſt in priore; in eo enim eſt illud, quod excellentes animos, & humana contemnentes facit. Id autem ipſum cernitur in duobus, ſi & ſolum id, quod honeſtum ſit, bonum judices, & omni animi perturbatione liber ſis; nam & ea, quæ eximia pleriſque & præclara videntur, parva ducere; eaque ratione ſtabili, firmaque contemnere fortis animi, magnique ducendum eſt; & ea, quæ videntur acerba, quæ multa, & varia in hominum vita, fortunaque verſantur, ita ferre, ut nihil a ſtatu naturæ diſcedas, nihil a dignitate ſapientis, robuſti animi eſt, magnæque conſtantiæ. Non eſt autem conſentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate: nec, qui invictum se a labore præſtiterit,

Sic & Langii, & Guilielmi, & Grævii uterque. IDEM.

Harum rerum duarum ſplendor omnis, & amplitudo, addo etiam utilitatem) Tribuit ſplendorem, & amplitudinem, & utilitatem, quæ ad rempublicam redit, rebus geſtis. Facta enim in oculos hominum incurrunt, & ſenſus: animus autem etſi ſua integritate, & altitudine beatus, non niſi ex actionibus perſpici poteſt ab aliis, ſuo teſtimonio potius, quam aliorum judicio fretus eſt. WOLFIUS. Per *utilitatem* non tantum intelligit res ad utilitatem reip. ſpectantes, ſed ſui, & ſuorum. Inde ſuperius dixit cap. 4. Ratio, per quam conſequentia videt, impellit hominem, ut *ſtudeat parare ea, quæ ſuppeditent ad cultum, & ad victum, nec ſibi ſoli, ſed conjugi, liberis, ceteriſque, quos caros habeat, tuerique debeat. Quæ cura exſuſcitat etiam animos, & majores ad rem gerendam facit*. IDEM.

Cernitur in duobus) Priorem partem deſpicientiam rerum externarum dividit in rectum judicium de bonis & malis, & ἀπάθειαν. IDEM.

Quæ videntur acerba) Opinione enim hominum non recte ſentientium, & imperitorum mala tantum ſunt, ut docet Cicero in Tuſcul. Senec. conſ. ad Marc. 19. *Opinio eſt, quæ nos cruciat: & tanti quodque malum eſt, quanti illud taxavimus*. IDEM.

Ut nihil a ſtatu naturæ diſcedas) Status autem naturæ eſt, ut ſit ſemper ſine perturbatione ob res, quæ ſunt extra nos, æquabilitas, & tranquillitas animi, ut fato, Deique voluntati in omnibus obtemperet. Seneca conſolat. ad Marc. c. 7. *Ut ſcias autem, non eſſe hoc naturale, luctibus frangi, primum magis feminas, quam viros, magis barbaros, quam placidos, eruditæque gentis homines, magis indoctos, quam doctos eadem orbitas vulnerat. Atqui ea, quæ a natura vim acceperunt, eamdem in omnibus ſervant. Apparet non eſſe naturale, quod varium eſt. Ignis omnes ætates, omnium urbium cives, tam viros, quam feminas uret: ferrum in omni corpore exhibebit ſecandi potentiam: quare? quia vires illi a natura datæ ſunt, quæ nihil in perſonam conſtituit. Paupertatem, luctum, orbationem alius aliter ſentit, prout illum conſuetudo infecit: & imbecillum, impatientemque reddit præſumta opinio de non timendis terribilibus. Deinde quod naturale eſt, non decreſcit mora: dolorem dies conſumit*. Vide ibi plura. IDEM.

Nihil a dignitate ſapientis) Ne quid facias, quod non deceat ſapientem, cujus non eſt adverſis fortunæ caſibus moveri, aut ſecundis tolli. IDEM.

Nec qui invictum ſe a labore præſtiterit,

rit, vinci a voluptate. Quamobrem & hæc videnda; & pecuniæ fugienda cupiditas: nihil enim eſt tam anguſti animi, tamque parvi, quam amare divitias: nihil honeſtius, magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, ſi non habeas: ſi habeas, ad beneficientiam, liberalitatemque conferre. Cavenda eſt etiam gloriæ cupiditas, ut ſupra dixi. Eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet

rit, vinci a voluptate) Multi tamen fuerunt viri fortiſſimi, qui quoſvis labores pertulerunt, nulla non pericula ſubierunt, nullo mortis metu a rebus præclare gerendis ſunt deterriti, victi ſunt voluptatibus. Nonne Hercules ille invictus ſerviit Omphalæ? Quid Hannibal? Audi de illo Senecam ep. 51. *Una Hannibalem hiberna ſolverunt: & indomitum illum nivibus, atque Alpibus virum enervaverunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus eſt.* Paullo poſt: *Debellandæ ſunt inprimis voluptates: quæ (ut vides) ſæva quoque ad ſe ingenia rapuerunt.*

Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola nocet animis illapſa voluptas. IDEM.

Et hæc videnda) Veteres libri, *quamobrem & hæc videnda*, &c. Videre enim conſiderare etiam eſt, item cavere. II. de Finib. *Si te amicus tuus moriens rogaverit, ut hereditatem reddas ſuæ filiæ, neque uſquam id ſcripſerit, nec cuiquam dixerit, quid facies? Tu quidem reddes; ipſe Epicurus fortaſſe videret.* Id eſt deliberaret. C. LANG. *Et hæc vitanda*) Etiam libri noſtri habent *videnda*, quod notavit Langius; quæ ſcriptura, ut mihi non diſplicet, (ſic enim explicari poteſt *videnda*, id eſt, cogitanda, conſideranda, animadvertenda, ſubintelligenda ſunt) ita recepta lectio non videtur damnanda; verumtamen multum apud me valet librorum veterum auctoritas. LAMBIN. *Quamobrem & hæc vitanda*) *Videnda* eſt in omnibus manuſcriptis, ut Langius, & Lambinus hic, & ego ſupra admonui. Habet autem hoc verbum ſignificationem cautionis, atque a Petro Victorio hic receptum eſt. FR. FABRIT. Sic & meus uterque & Palat. ac tres Guilielm. ſic ſuperius cap. 14. hujus libri: *Videndum eſt, ne obſit benignitas.* Terent. Phorm. I. 4. *Nam abſque eo eſſet recte ego mihi vidiſſem.* GRÆVIUS.

Si habeas, ad beneficientiam liberalitatemque referre) Sapiens *donabit cum ſummo conſilio, digniſſimos eligens: ut qui meminerit tam expenſorum, quam acceptorum rationem eſſe reddendam.* Et poſt: *Habebit ſinum facilem non perforatum: ex quo multa exeant, nihil excidat.* Seneca de Vita beata c. 23. ubi vide plura. Divitiarum uſum Ariſtoteles ait eſſe *δωσιν, και ληψιν*, recte dare, & recte accipere. B. Chryſoſtomus in Matth. auctor eſt artem bene divitiis utendi eſſe *τεχνην ειναι πασων των τεχνων ανωτεραν*, *artem artium*. IDEM.

Cavenda eſt etiam gloriæ cupiditas) Plato I. de Repub. imperium ait eſſe procurationem rei alienæ; neminem autem eſſe, qui alienis negotiis immiſcere ſe ſtudeat, niſi propter mercedem: mercedem autem in pecunia, aut in honore conſiſtere. Cum vero vir bonus ac ſapiens, neque *φιλαργυρος* ſit, neque *φιλοτιμος*, ſequi, ut publicos honores ne cupiat quidem, niſi forte mali alicujus gravioris cauſſa, ut puta ſi alioqui videret in malorum hominum poteſtatem venturam rempublicam. H. GROT. Vide Iuvenalem Sat. X. 103. & ſequ. IDEM.

Eripit enim libertatem) Si quis uni domino paret, ſervus eſt: quid eum putamus, qui multitudini ſervire cogitur? qui dignos, nobiles, abjectos, notos, ignotos ſalutare, appellare, prenſare, eorum omnium vultus, nutus, geſtus obſervare neceſſe habet, eiſque ſæpenumero ſervilem in modum blandiri, atque adulari, quod, ſi eo morbo careret, ne congreſſu quidem ſatis dignos ſuo duceret?

Si fortunatum, ait Horatius, *ſpecies & gratia præſtat*,

Merce-

debet eſſe contentio. Nec vero imperia expetenda, ac potius aut non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam. Vacandum autem eſt omni animi perturbatione, tum cupiditate, & metu, tum etiam ægritudine, & voluptate animi, & iracundia; ut tranquillitas & ſecuritas adſit, quæ affert cum conſtantiam, tum etiam dignitatem. Multi autem & ſunt, & fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes, a negotiis publicis ſe removerint, ad otiumque perfugerint. In his & nobiliſſimi philoſophi, longeque principes, & quidam homines ſeveri, & graves, nec populi nec principum mores ferre potuerunt; vixeruntque non-

Mercemur ſervum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere.
Quid tali homine miſerius? MURET.

Aut non accipienda) Ut Timoleon regnum Corinthi; C. Nep. vit. Timol. I. Q. Fabius, & T. Manlius Torquatus Conſulatum; Liv. X. 11. & XXVI. 22. Scipio Africanus regnum Hiſpaniæ: Liv. XXVII. 21. I. FR. GRONOV.

Et voluptate animi) Sunt qui poſtremum vocabulum redundare putent: falſo; cum enim de animi perturbationibus agatur, voluptas nulla corporis, ſed animi tantum intelligenda eſt; neque vero gaudium animi hic ſignificatur, cum ratione animus movetur placide & conſtanter: ſed lætitia geſtiens, quæ eſt ſine ratione animi elatio, Tuſc. III. & apud Laertium in Zenone definitur: Ἡδονὴ ἐστὶν ἄλογος ἔπαρσις ἐφ᾽ αἱρετῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν. *Voluptas eſt animi averſa a ratione elatio propter id, quod expetendum videtur.* F. FABRIC.

Ut tranquillitas animi & ſecuritas) Addidi vocem *animi*, (quæ deeſt in vulgatis) auctoritate Victorii, & MSorum quatuor Reg. duorum Mead. & quinque Oxon. Eam vero in præcedentibus velim abeſſe, ut legatur *& voluptate, & iracundia*: nam, cum præcederet *omni animi perturbatione*, & inter alias ejus ſpecies *voluptas* numerata eſſet, non videtur repetenda fuiſſe vox *animi*. Eſt tamen, qui ibi legendum eſſe cenſuit: *& voluptate nimia & iracundia*; ut in c. 29. habemus: *Aut voluptate nimia geſtiunt*. PEARCE.

Tranquillitatem expetentes a negotiis publicis ſe removerint) Sollicito enim atque anxio animo vivere neceſſe eſt, qui, cum multitudinis ingenia tam varia, tamque multiplicia ſint, ſatagit tamen & laborat, ut apud omnes gratioſus ſit, ut ſe omnibus probet, ac venditet, & in leviſſimam etiam leviſſimorum hominum offenſionem incurrere, mortis inſtar putat. Hunc ſordibus, illum cultu ne offendat, veretur: huic ne nimis ſeverus, illi ne nimium diſſolutus videatur, timet: hunc muneribus, illum fictis laudibus ineſcare ſtudet; omnium ſtultitiam ferre, omnium ineptias devorare cogitur, numquam apertus, numquam ſimplex, numquam ſuavis, ut aliquando omnibus imperare poſſit, omnibus interea ſervit. Quæ vero ſtultitia eſt incertam potentiam certa ſervitute mercari? MURET.

In his & nobiliſſimi philoſophi) Ut Socrates, Plato, Ariſtoteles, Epicurus cum ſuis ſectatoribus, qui negabant ſapientem ad rempub. accedere. Vide Gaſſendum ad Diog. Laert. de philoſoph. mor. Epic. p. 1207. & 1478. GRÆV.

Nec populi, nec principum mores ferre potuerunt) Ut Plato apud Cic. I. ad Fam. 9. *Iubet tantum contendere in rep. quantum probare tuis civibus poſſis: vim neque parenti, neque patriæ afferre oportere; atque hanc quidem ille cauſam ſibi ait non attingendæ reipublicæ fuiſſe, quod, cum offendiſſet populum Athenienſem prope jam*

nonnulli in agris, delectati re ſua familiari. His idem propoſitum fuit, quod regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur: cujus proprium eſt, ſic vivere, ut velis.

21. Quare, cum hoc commune ſit potentiæ cupidorum cum iis, quos dixi, otioſis; alteri ſe adipiſci id poſſe arbitrantur, ſi opes magnas habeant; alteri, ſi contenti ſint & ſuo, & parvo; in quo neutrorum omnino contemnenda eſt ſententia: ſed & facilior, & tutior, & minus aliis gravis, aut moleſta vita eſt otioſorum: fructuoſior autem hominum generi, & ad claritatem, amplitudinemque aptior eorum, qui ſe ad rempublicam, & ad res magnas gerendas accommodaverunt. Quapropter & iis forſitan concedendum ſit, rempublicam non capeſſentibus, qui excellenti ingenio, doctrinæ ſeſe dediderunt; & iis, qui

jam deſipientem ſenectute: cumque eum nec perſuadendo, nec cogendo regi poſſe vidiſſet, tum perſuaderi poſſe diffideret, cogi fas eſſe non arbitraretur. Sic & Piſo apud Romanos. Cic. Brut. 67. *Is laborem, quaſi curſum forenſem diutius non tulit, quod & corpore erat infirmo, & hominum ineptias, ac ſtultitias, quæ devorandæ nobis ſunt, non ferebat, iracundiuſque reſpuebat, ſive moroſe, ut putabatur, ſive ingenuo, liberoque faſtidio.* Vide Senec. de otio ſapientis c. 30. Idem.

Ferre potuerunt) Liber Parcenſis, *ferre potentes*, pro *ferre potuerunt*: quod, neſcio quo modo: mollius videtur, ut *potentes* ſit participium. Car. Lang.

Quod Regibus) Regibus enim & fatuis, ut ille dicit, omnia licent. Græv.

Cujus proprium eſt ſic vivere ut velis) Ariſt. lib. V. Pol. Ελευθερον δε και ισον, το, ὁ, τι αν βυληται τις ποιειν, ὡς τε ζῃ εν ταις τοιαυταις δημοκρατιαις ἑκαςος, ὡς βυλεται. *Liberum, & æquum eſt, quidquid velis facere, itaque vivit unuſquiſque in talibus democratiis, ut vult.* F. Vrsin. Cic. Parad. V. *Libertas eſt poteſtas vivendi ut velis.* Græviys.

Cum iis, quos dixi, otioſis) Ita MSi Cant. Mill. & Reg. ſec. cum aliis: at Victorius, editio Mogunt. & MSi Groning. duo Regii, duoque Mead. *cum iis, quos dixi otioſos*: Male. Noſter enim eos non antea dixerat *otioſos*. In vulgata lectione, quam tueor, verba *quos dixi* idem valent, quod *de quibus dixi*. Sic in c. 21. *quam ſæpe dico*, i. e. de qua ſæpe dico: c. 17. *Præſidia vitæ debentur iis, quos ante dixi*. c. 20. *Eam, quam dico, tranquillitatem expetentes*: & alibi ſæpe. Pearce.

Et ſuo, & parvo) Ex illo (ut videtur) Homerico, in Iliad. I. 167. ολιγον τε φιλον τε: nam φιλος idem aliquando ſignificat, quod *meus, tuus*, &c. Vide notam meam ad ſect. X. Longini de Sublim.

. . . . φιλας ανα χειρας εχοντες.
Suas manus ſuſtollentes. Idem.

Qui excellenti ingenio) Quomodo hi poſſint prodeſſe, docet Seneca de tranquillitate animi cap. 3. *Habet, ubi ſe etiam in privato lare explicet magnus animus: nec ut leonum, animaliumque impetus caveis coercetur, ſic hominum, quorum maxime in ſeductu actiones ſunt. Ita tamen delituerit, ut ubicumque otium ſuum abſconderit, prodeſſe velit, & ſingulis, & univerſis, ingenio, voce, conſilio. Nec enim is ſolus reipublicæ prodeſt, qui candidatos extrahit, & tuetur reos, & de pace, belloque cenſet: ſed qui juventutem exhortatur, qui in tanta bonorum præceptorum inopia, virtute inſtruit animos, qui ad pecuniam, luxuriamque curſu ruentes pren-*

Digitized by Google

qui aut valetudinis imbecillitate, aut aliqua graviore cauſa impediti, a republica receſſerunt, cum ejus adminiſtrandæ poteſtatem aliis, laudemque concederent. Quibus autem talis nulla ſit cauſa, ſi deſpicere ſe dicant ea, quæ plerique mirentur, imperia, & magiſtratus, iis non modo non laudi, verum etiam vitio dandum puto. Quorum judicium in eo, quod gloriam contemnant, & pro nihilo putent, difficile factu eſt non probare: ſed videntur labores, & moleſtias, tum offenſionum, tum repulſarum, quaſi quamdam ignominiam timere, & infamiam. Sunt enim, qui in rebus contrariis parum ſibi conſtent: voluptatem ſeveriſſime contemnant, in dolore ſint molliores; gloriam negligant, frangantur infamia: atque ea quidem non ſatis conſtanter. Sed iis, qui habent a natura adjumenta rerum gerendarum, abjecta omni cunctatione, adipiſcendi magiſtratus, & gerenda reſpublica eſt; nec enim aliter aut regi civitas, aut declarari animi magnitudo poteſt. Capeſſentibus autem rempublicam nihilo minus, quam philoſophis, haud ſcio an magis etiam, & magnificentia, & deſpicientia adhibenda ſit rerum humanarum, quam ſæpe dico, & tranquillitas animi,

prenſat, ac retrahit, & ſi nihil aliud, arte moratur, in privato publicum negotium agit. Vide ibidem plura, & Epictet. in Enchiridio cap. 31. GRÆVIUS.

Quibus autem talis nulla eſt cauſa) MSi, & impreſſi antiquiores, *ſit cauſa*. forte *ſit cauſa*. Plaut. Mercat. *Fit cauſa viro: exigitur matrimonio*. GUILIELM. Grævii uterque: *ſit cauſſa*, recte, ut in præcedentibus periodis. GRÆVIUS.

Tum offenſionum, tum repulſarum) *Tum offenſionum, & repulſarum*, ex Victoriana editione, & manuſcriptis noſtris placet. FR. FABRIT. Edit. Lang. *cum offenſionum, tum repulſarum*. GRÆV.

Adipiſcendi magiſtratus) Ariſtot. IV. Nicom. 3. Vide & Senec. de Tranquill. animi c. 3. IDEM.

Regi civitas) Nec recte civitas regi poteſt, niſi ab eo, qui habeat a natura regendi adjumenta; nec ea qui habet, poteſt alia ratione declarare animi magnitudinem. Itaque in lib. III. de Finib. cap. 20. ſcribit, *conſentaneum eſſe naturæ, ut ſapiens velit gerere, & adminiſtrare rempublicam*. FACCIOLAT.

Quam ſæpe dico, & tranquillitas) Quidam lib. *rerum humanarum, & quam ſæpe dico, tranquillitas animi*. C. LANGIUS. Lambinum ſequor, qui ex quibuſdam veteribus codicibus hanc lectionem protulit, *humanarum, & ea, quam ſæpe dico*. Vox *ea* neceſſaria videtur: ut hic paulo ante Cicero dixerat: *Cum iis, quos dixi otioſis*: c. 17. *Præſidia vitæ debentur iis maxime, quos ante dixi*. c. 20. *Qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes*. Adde quod copula *&* videtur potius præponenda eſſe vocibus, *quam ſæpe dico*, quam iis ſubjicienda: bis enim Cicero in præcedenti cap. *tranquillitatis animi, & ſecuritatis* mentionem fecerat, ſemel in his verbis: *Qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes*. Per voces *quam ſæpe dico* intellige *de qua ſæpe dico*, quod & in initio hujus capitis notavi. PEARCE.

Digitized by Google

animi ; atque ſecuritas : ſi quidem nec anxii futuri ſunt , & cum gravitate , conſtantiaque victuri . Quæ eo faciliora ſunt philoſophis , quo minus multa patent in eorum vita , quæ fortuna feriat , & quo minus multis rebus egent : & quia , ſi quid adverſi eveniat , tam graviter cadere non poſſunt . Quocirca non ſine cauſa majores motus animorum concitantur majoraque efficienda , rempublicam gerentibus , quam quietis ; quo magis his & magnitudo animi eſt adhibenda , & vacuitas ab angoribus : Ad rem gerendam autem qui accedit , caveat , ne id modo conſideret , quam illa res honeſta ſit : ſed etiam, ut habeat efficiendi facultatem ; in quo ipſo conſiderandum eſt, ne aut temere deſperet propter ignaviam : aut nimis confidat propter cupiditatem . In omnibus autem negotiis , prius , quam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens.

22. Sed cum plerique arbitrentur , res bellicas majores eſſe,

Tam graviter cadere non poſſunt) Multi enim :

Tolluntur in altum
Vt lapſu graviore ruant.

Contra :

Qui cadit in plano (vix hoc tamen accidit ipſum)
Sic cadit, ut tacta ſurgere poſſit humo .
At miſer Elpenor ſcalis delapſus ab altis
Occurrit Regi flebilis umbra ſuo .

Wolfius.

Majoraque efficienda rempub. gerentibus) In tribus libris ſcriptis eſt : *Majoraque efficiendi*, quomodo Victorius, & Langius ediderunt, & Balduinus in ſuo codice legi teſtatur. In quarto noſtro legitur : *Majorque cura efficiendi* ; verum *majoraque efficienda*, quod eſt in quibuſdam antiquis, & impreſſis Manutianis propter ea , quæ ſequuntur , placet . Fr. Fabrit.

Sed etiam ut habeat efficiendi facultatem) Nam *inſpicere debemus primum noſmetipſos, deinde quæ aggredimur negotia, deinde eos , quorum cauſſa , aut cum quibus agendum eſt . Ante omnia neceſſe eſt ſe ipſum æſtimare : quia fere plus nobis videmur poſſe, quam poſſumus* . Seneca de Tranquillit. animi cap. 4. Grævius.

Adhibendi eſt præparatio diligens) Hoc enim niſi fiat, turpiter ſe proſtituet . Epictet. Enchirid. 34. Ε'κάςε εργε σκοπει τα καθηγεμενα, και τα ακολεθα αυτε, και ὅτως ερχε επ' αυτο. ει δε μη, την μεν πρωτην προθυμως (αρξεις, ἅτε μηδεν) ηξεις μηδεν των ἑξης εντεθυμημενος, υςερον δε αναφανεντων τινων αισχρων αισχυνθηση. *Cujuſcumque rei anteceſſionibus, & conſecutionibus conſideratis, ſic eam aggredere. Alioqui primum alacriter eam ſuſcipies, eorum nullo, quæ conſequuntur expenſo, poſt autem turpitudine aliqua exorta, pudore ſuffunderis*. Sed vide longe pulcherrima in hanc ſententiam , & quæ hunc locum illuſtrant mirifice , in ſequentibus duobus ejuſdem libelli capitibus ; quamvis perperam ſint ab his, quæ attulimus , verbis divulſa : cum iis enim connecti debent , & in unum caput coaleſcere , ut erudite animadvertit inſignis ille doctiſſimi parentis doctiſſimus filius Mericus Caſaubonus , mihi , dum fata ſinebant , peramicus , in notis ad hunc locum . Vide etiam ut Socrates apud Xenoph. III. memorabil. lepide ludat Glaucum , qui latus juvenili temeritate , ſed imparatus rempublicam volebat capeſſere . Locus eſt prolixior , quam ut hic poſſit inſeri , ſed valde illuſtris , & ad hanc diſputationem accommodatus , quem ibi quæres . Idem.

Digitized by Google

eſſe, quam urbanas: minuenda eſt hæc opinio; multi enim bella ſæpe quæſierunt propter gloriæ cupiditatem: atque id in magnis animis, ingeniiſque plerumque contingit: eoque magis, ſi ſunt ad rem militarem apti, & cupidi bellorum gerendorum. Vere autem ſi volumus judicare, multæ res exſtiterunt urbanæ majores, clarioreſque, quam bellicæ. Quamvis enim Themiſtocles jure laudetur, & ſit ejus nomen, quam Solonis, illuſtrius; citeturque Salamis clariſſimæ teſtis victoriæ, quæ anteponatur conſilio Solonis, ei, quo primum conſtituit Areopagitas: non minus præclarum hoc, quam illud, judicandum eſt; illud enim ſemel profuit, hoc ſemper proderit civitati: hoc conſilio leges Athenienſium, hoc majorum inſtituta ſervantur. Et Themiſtocles quidem nihil dixerit, in quo ipſe Areopagum adju-

Multi enim bella quæſiverunt) Vt Mummius Achaicus, M. Craſſus, Iulius Cæſar, multique alii. IDEM.

Quo primum conſtituit Areopagitas) Petrus Victorius, in Variis lectionibus lib. VI. cap. 5. hæc verba ſic accepit, quaſi Cicero velit, Solonem Areopagi conſilium primum inſtituiſſe; quod ſi eſſet, non ſolum ab Ariſtotele, verum etiam ab Euſebio, Apollodoro, Pauſania, & Demoſthene ipſo diſſentiret. Verum non eſt ita: ſed cum Euſebius ſcribat, Cecropem primum, qui urbem Athenarum condidit, Areopagum inſtituiſſe, atque ab urbe condita uſque ad annum tertium Olympiadis XLVI. quo Solon Archon & legislator creatus novis legibus Rempublicam Athenienſium temperavit, anni fere CCCLV. numerentur: dubium non eſt, quin tam longo tempore hoc conſilium labefactatum, & Areopagitarum auctoritas imminuta fuerit, quam Solon reſtituit, & conſilium ipſum conſtituit. Sic in Bruto, *leges, & judicia conſtituta* dicit, non quæ tum primum inſtituta fuerunt, ſed quæ bello civili, ac tumultu labefactata, & intermiſſa, eo tempore repetita, & revocata κατάστασιν ἔλαβον. FR. FABRIT. Vide & ſequentem Langii notam. GRÆV.

Nihil dixerit, in quo ipſe Areopagum adjuverit: at ille vere, ab ſe adjutum Themiſtoclem). Sic omnes libri veteres, demto Parcenſi: in quo ita ſcriptum eſt: *Et Themiſtocles quidem nihil dixerit, in quo Areopagum adjuverit; at illo verum eſt adjutum eſſe Themiſtoclem*. Obſervandum quoque in optimis libris *Areopagetas* ſcribi. Item nec id prætereundum, Ariſtotelem ſcribere in II. Politicorum, Solonem, cum alia pleraque Athenienſium inſtituta abrogaſſet, Areopagi ſenatum, quod popularis eſſet, retinuiſſe; id quod hic etiam Cicero indicat, dum conſtitutum eum Senatum dicit a Solone. Eſt enim conſtituere, confirmare, robur addere; ut in Lucullo: *In eo tanta prudentia fuit conſtituendis, temperandiſque civitatibus, ut hodie ſtet Aſia Luculli inſtitutis ſervandis*. Sic III. VIRI R. P. C. Eadem fere ſignificatione condere accepit Trogus lib. XIX. *Mago Carthaginienſium*, inquit, *Imperator, cum primus omnium ordinata diſciplina militari imperium Pœnorum condidiſſet, vireſque civitatis non minus bellandi arte, quam virtute firmaſſet, defungitur*. Fuit enim ante Solonem concilium Areopageticum, cum ab eo Cephalum Deionii filium, qui Minois Cretenſis temporibus vixit, damnatum ſcribat Apollodorus lib. III. Bibliothecæ. Vide & Pauſaniam. Quæ ideo prolixius recenſui, quod Pet. Victorium videam non conſideraſſe hujus verbi vim, dum credit Areopagetas primum a Solone inſtitutos Ciceronem hic

adjuverit : at ille vere a ſe adjutum Themiſtoclem. Eſt enim bellum geſtum conſilio ſenatus ejus, qui a Solone erat conſtitutus. Licet eadem de Pauſania, Lyſandroque dicere : quorum rebus geſtis quamquam imperium Lacedæmoniis dilatatum putatur; tamen ne minima quidem ex parte Lycur-

hic dicere, quamquam in ea ſententia quoſdam olim fuiſſe Plutarchus referat in Solone. C. Lang. Partim ſic habent noſtri codices : *At ille vere a ſe dixerit adjutum Themiſtoclem*: partim ſic: *At ille vere ſe adjuviſſe Themiſtoclem* : partim ſic : *At ille vere ab ſe adjutum Themiſtoclem* : quo modo edidit Langius, & recte. Mendoſe autem hic operarii iſti fecerunt olim, *dixit adjutum Themiſtoclem*, pro *dixerit* : quod tamen ſi deleatur, neque quidquam de ſententia decedat, & multum venuſtatis accedat. Lamb. *At ille vere a ſe dixit adjutum Themiſtoclem*) Dele verbum *dixit* : eſt enim *dixerit* ſubaudiendum, ut Lambinus ſcribi voluit ; hanc autem lectionem, quam Balduinus, Victorius, & Langius ex libris antiquis ediderunt, nos in tribus libris manuſcriptis reperimus : in Manutianis legitur : *At ille adjuvit Themiſtoclem*. Fr. Fabrit. Liber manuſcriptus habet : *At ille adjuvit Themiſtoclem*. F. Vrsin. Sic & meus primus, & edd. primæ Mogunt. & Roman. nec non Palut. prim. niſi quod *vere* inſerat, ſecundus autem *at ille vero ſe adjutum*; tres Guilielm. *at ille verum eſt eſſe adjutum* ; ut ſatis appareat hæc eſſe interpolata, & veram hujus loci ſcripturam eſſe, quam probarunt Langius, Lambinus, Fabritius. Ellipſis τȣ *dixerit* cauſſa eſt hujus perturbationis. Græviys. *Et Themiſtocles quidem*) I. e. Themiſtocles nihil potuit dicere, nihil proferre a ſe geſtum, factumque, in quo ipſe Areopagum adjuverit : at ille (Areopagus) potuit vere dicere, Themiſtoclem ab ſe eſſe adjutum. Pearce.

Quamquam imperium Lacedæmoniis dilatatum putatur) Dictio *dilatatum* in tribus alioqui optimis libris non legitur, facitque ea certe anheloſam orationem : nec tamen video, ut omitti poſſit, niſi quis exiſtimet, *putatur* dictum pro *æſtimatur*, & tamquam admirationi eſt, aut acceptum refertur ; ut verbum *cenſere*, de quo Budæus in Pandectas. C. Lang. *Quamquam imperium Lacedæm. partum eſt*) Locus eſt non ſincerus ; nam libri veteres emendatiores non habent participium *dilatatum*, ante verbum *putatur* : in nonnullis ſcriptum eſt, ut in vulgatis, *dilatatum putatur*; omnino hoc participium ſuſpectum eſt ; dixiſſet enim potius Cicero, *propagatum*, ſeu *amplificatum*. Præterea Pauſaniæ, & Lyſandri rebus geſtis, ſi verum quærimus, imperium Lacedæmoniis partum eſt. Pauſaniæ, cum primum apud Platæas Mardonium ſatrapam regium, qui præerat neſcio quot barbarorum myriadibus, ſuperavit : deinde cum pari felicitate apud Helleſpontum barbarorum præſidia dejecit, & Græciam liberavit : his enim ſecundis prœliis factum eſt, ut Lacedæmonii ſoli digni haberentur, qui Græciæ imperarent, quod & Demoſthenes teſtatur orat. κατα Νεαιρας, his verbis : Ἐπει δε Παυσανιας ὁ Λακεδαιμονιων βασιλευς ὑβριζειν ανεχειρει ἡμας, και ουκ ηγαπα, ὁτι της ἡγεμονιας μονοι ηξιωθησαν οἱ Λακεδαιμονιοι, &c. id eſt, *poſteaquam autem Pauſanias rex Lacedæmoniorum nos contumelioſe tractare cœpit, neque ſatis habuit, Lacedæmonios ſolos imperio dignos eſſe habitos*, &c. Lyſandri, cum apud Ægos flumen Athenienſium claſſem ducentarum navium, decem, aut novem navibus exceptis, delevit, & Athenienſes in ſuam poteſtatem redegit, atque ita bellum Peloponneſiacum, quod annos viginti ſex productum eſt, confecit. Hæc adſcripſi, quod quidam ſcripſit, verius eſſe, quod ad hiſtoriam attinet, amplificatum eſſe Lacedæmoniis imperium Pauſaniæ, & Lyſandri rebus geſtis, quam partum. Lambin. *Imperium Lacedæmoniis partum putatur*) In aliis libris omnibus pro *partum*, legitur *dilatatum* : quod verbum a tribus optimis libris abeſſe

Digitized by Google

Lycurgi legibus, & diſciplinæ conferendi ſunt. Quin etiam ob has ipſas cauſas & parentiores habuerunt exercitus, & fortiores. Mihi quidem neque pueris nobis, M. Scaurus C. Mario, neque, cum verſaremur in republica, Q. Catulus Cn. Pompeio cedere videbatur. Parvi enim ſunt foris arma, niſi eſt conſilium domi. Nec plus Africanus, ſingularis & vir, & imperator, in exſcindenda Numantia reipubli-

abeſſe Langius annotat; itaque Lambinus, ex libris ne vetuſtis, an ex ingenio *partum* edidit? Lacedæmoniis autem bello Peloponneſiaco confecto, imperium, quod ante penes Athenienſes fuerat, partum non male dicitur. FR. FABRIT. *Dilatatum* non invenitur quoque in duobus Guilielmi. *Putare* æſtimare eſt. In Verrem V. *Si denariis CCCC. Cupidinem illum putaſſet*. Ita hic imperii Spartani magnitudo æſtimatur rebus geſtis Lyſandri, & Pauſaniæ. Famil. epiſt. XV. *Natio hominis me impulit, ut ei recte putarem*. Terent. Adelph. *Num id ſibi laudi putat, ſi filium corruperit?* Salluſt. Catilin. de Cethego: *Maximum bonum celeritate putabat*. Ita MSi Guilielmi, habetque faventes Palatinos noſtros. GRUTER. Legendum videtur ex MSi veſtigiis *imperium Lacedæmoniis delatum*, hoc eſt, comparatum. Philipp. II. 34. *C. Cæſari Dictatori perpetuo M. Antonium Conſulem populi juſſu regnum detuliſſe, Cæſarem uti noluiſſe*. Orat. pro lege Manil. 17. *Ad unum omnia deferri non oportere*. GRONOV. *Dilatatum* in meo primo, & Pithœan. quoque non reperitur, ſed in ſecundo habetur, quod retinebimus cum editionibus melioribus. Facile quidem credo aliam hic vocem extitiſſe, quæ intercidit, ſed tamen ſententia hanc, aut ſimilem deſiderat. Nam quæ Gruterus affert tuendæ codicum illorum lectioni, *quorum rebus geſtis quamquam imperium Lacedæmoniis putatur*, indigna ſunt Grutero; nec exempla, quæ affert, quidquam faciunt ad eam ſtabiliendam. Primum eſt, *ſi denariis CCCC. Cupidinem illum putaſſet*, ſcilicet æſtimandum. Alterum vero fuit: *Natio hominis me impulit, ut ei recte putarem*, ſubauditur, aut ἀπὸ κοινοῦ repetitur, quod ex præcedentibus verbis liquet, me commendare poſſe meum oratorem, quem nimirum Sabino illi perferendum commiſerat. In Salluſtii loco quis non videt vitio ſcriptorum in nonnullis libris, quod omnes meliores præ ſe ferunt, omiſſum eſſe, *in celeritate putant?* Sed *laudi putare*, triſtiſſimum dicendi genus, qui accommodari poteſt ad hunc locum? Pudet his immorari. *Eo partum*, ex ingenio inculcavit Lambinus, nullius veteris libri auctoritate fulcitur. Pithœana excerpta pro *Lacedæmoniis* non male *Lacedæmonis* ſcribunt. GRÆVIUS. Vulgo legitur *Lacedæmoniis dilatatum*, quamvis diu hæc lectio doctis non parum diſplicuerit. Pro *dilatatum* Lambinus legebat *partum*, Gronovius pater *datum*, Gronovius filius *delatum*, i. e. comparatum. Ego vero Victorium ſequendum eſſe puto, qui *Lacedæmonis* edidit, non *Lacedæmoniis*; nam cum illa voce bene conjungitur vox *dilatatum*, quæ tam moleſta videbatur, cum voci *Lacedæmoniis* conjungeretur. *Lacedæmonis* ineſt etiam in MSo Mill. & excerptis Pithœanis. Senſus eſt: Eorum rebus geſtis imperium Lacedæmonis ſive Spartæ creditur fuiſſe ita auctum, & amplificatum, ut non ſuis ſolum civibus, ſed etiam aliis quibuſdam Græciæ civitatibus ipſa imperaret. PEARCE.

Parentiores habuerunt exercitus) *Potentiores* eſt in vulgatis, pro quo Victorius, Anemœcius, Langius, & Lambinus ex libris antiquis *parentiores* repoſuerunt; eam quoque vocem duo ex manuſcriptis noſtris integram retinuerunt; nec video cur ea nonnullis inſolentior videatur: quid enim obſtat, quo minus ut ab *obediens obedientior*, ſic a *parens parentior* dicatur? FR. FABRIT. Adſtipulantur Pall. tres Guilielmi, & Græv. uterque. GRÆVIUS.

P. Na-

publicæ profuit, quam eodem tempore P. Naſica privatus, cum Ti. Gracchum interemit: quamquam hæc quidem res non ſolum ex domeſtica eſt ratione: attingit etiam bellicam, quoniam vi, manuque confecta eſt: ſed tamen id ipſum geſtum eſt conſilio urbano, ſine exercitu. Illud autem optimum eſt, in quod invadi ſolere ab improbis, & invidis audio:

Cedant arma togæ, concedat laurea laudi.

Vt enim alios omittam, nobis rempublicam gubernantibus, nonne togæ arma ceſſere? neque enim in republica periculum

P. Naſica privatus) Ideo tantum *privatus* fuiſſe dicitur, quod nullum eo anno, quo T. Gracchum interenuit, magiſtratum geſſit, cum pluribus quidem antea functus eſſet. Chapmannvs.

In quo me invadi ſolere) Victorius, & Langius ediderunt, *In quo invadi ſolere*. Balduinus admonet in ſcripto codice legi, *In quod invadi ſolere*, quæ lectio cum antehac ſemper placuit, tum nunc maxime placet, quod eam in tribus libris manuſcriptis invenio. Fr. Fabrit.

Concedat laurea linguæ) Sic eſt ſcriptum in codicibus antiquis emendatioribus, & ita admonuimus eſſe legendum, in oratione in Piſonem: mirorque nihil eſſe hac de re a Langio notatum. P. Victorius quidem lib. V. Variar. lect. cap. 24. multis verbis, ut ſolet, oſtendit, ſic, ut edidimus, legendum eſſe. Tantum autem hujus loci depravandi in ſciolis fuit ſtudium, ut non ſolum, *laudi*, pro *linguæ* ſubſtituerint, ſed etiam *paci*; ſic enim ſcriptum reperi in uno cod. manuſcr. *concedat laurea paci*. Lambin. Pro *linguæ* in vetuſtiſſimo apud me libro ſcriptum eſt *laudi*; de qua ſcriptura quid nobis videatur, in Philippicis dicemus. F. Vrsin. *Linguæ*, non laudi, eſſe legendum, non ſolum plurium librorum fides arguit, ſed & Plutarchus oſtendit, qui Ciceronem dixiſſe ait: *ὡς τα ὁπλα εδει τῃ τηβεννῳ, και τῃ γλωττῃ την θριαμβικην ὑπεικειν δαφνην*. F. Fabrit. *Linguam* dixit pro eloquentia. Ita enim legerunt Salluſtius, ſive Porcius Latro, vel quiſquis auctor invectivæ in Ciceronem, Quinctilian. lib. II. 1. & Plutarchus in Cicerone. Non tamen repugnem, ſi quis *laudi* potius cum F. Vrſino, & Fr. Polleto legere malit, quam *linguæ* cum Victorio, & Lambino: tum quia elegantior eſt *ἀντίθεσις*, ut forenſia conſferantur cum caſtrenſibus, & amborum præmia inter ſeſe: (nam armorum præmium laurea eſt, togæ, ſive forenſium actionum laus, & gloria) tum quia optimi, & laudatiſſimi codices *laudi* habent: tum quia Cicero ſtuduiſſe videtur ſyllabarum antanaclaſi, unde illud ejuſdem:

O fortunatam natam me conſule Romam!

Tum quia Tullius ipſe comprobare videtur, cum in orat. in Piſonem, ubi hujus verſus hemiſtichium primum eſt interpretatus; ſubjicit: *Nam cum tu timidus, ac tremens tuis ipſe furaciſſimis manibus detractam e cruentis faſcibus lauream ad portam Eſquilinam abjeciſti, indicaſti, non modo ampliſſimæ, ſed etiam minimæ laudi lauream conceſſiſſe*. Gerard. Ioann. Vossivs. Vbi notandum eſt adjectiva *ampliſſimæ*, & *minimæ* nullo modo cum lectione *linguæ* cohærere poſſe; optime vero cum lectione *laudi*. His adde, quod Cicero ſic ſcribit in Epiſt. ad Fam. XV. 6. *Quem ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferam?* Pearce. *Laudi* (quod & in utroque Grævii eſt) hic eſt honorificum judicium ſenatus, SCtum egregium. Sententia eſt; plus eſſe, meruiſſe honorificum judicium ſenatus, quam triumphum. Et hoc meruit poſt Catilinariam conjurationem. Gronovivs.

Nec

lum fuit gravius unquam, nec majus otium. Ita conſiliis, diligentiaque noſtra celeriter de manibus audaciſſimorum civium delapſa arma ipſa ceciderunt. Quæ res igitur geſta umquam in bello tanta? qui triumphus conferendus? Licet enim mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem & hereditas hujus gloriæ, & factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certe vir abundans bellicis laudibus Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, fruſtra ſe triumphum tertium deportaturum fuiſſe, niſi meo in rempublicam beneficio, ubi triumpharet, eſſet habiturus. Sunt ergo domeſticæ fortitudines non inferiores militaribus: in quibus plus etiam, quam in his, operæ, ſtudiique ponendum eſt.

23. Omnino illud honeſtum, quod ex animo excelſo, magnificoque quærimus, animi efficitur, non corporis viribus. Exercendum tamen corpus, & ita afficiendum eſt, ut obe-

Nec majus otium) *Majus otium*, in omnibus antiquis libris reperio, & notavit etiam Pet. Victorius in variis. Periculoſiſſimæ enim conſpirationes, dum in utramque aurem dormitatur; maxime vero, id quod hic evenit, populo velut reſpirante a longis bellis civilibus, armiſque quodam modo projectis: id quod in Ilii excidio Homerus expreſſit; otium enim non tam ceſſationem ſignificat, quam ſecuritatem quamdam. Terent. in And. & alibi ſæpe. C. Lang. *Nec majus otium*) Sic omnino legendum, non, ut vulgo, *odium*; quod Langius ante nos admonuit, idque ex auctoritate codicum manuſcript. quibuſcum noſtri conſentiunt. Sed quod ille, *otium*, hic interpretatur ſecuritatem civium Rom. qualis erat Trojanorum, qua nocte oppreſſi ſunt; næ ille vehementer errat. Nam ſignificat hic Cicero, ſe rempub. maximis periculis liberaſſe, & conjuratorum manibus eripuiſſe conſilio, & vigilantia, ſine ulla dimicatione, ſine exercitu, ſumma cum pace, & otio, ut declarat Catilinar. III. his verbis: *Quod ſi Catilina urbe ad hanc diem remanſiſſet: quamquam, quoad fuit, omnibus ejus conſiliis occurri, atque obſtiti: tamen, ut leviſſime dicam, dimicandum nobis cum illo fuiſſet: neque nos umquam, dum ille in urbe hoſtis fuiſſet, tantis periculis, tanta pace, tanto otio, tanto ſilentio remp. liberaſſemus. Tanta pace, & tanto otio*, &c. id eſt, cum tanta pace, & tanto otio, & tanto ſilentio. Supra proxime quidam libri habent *opimum*, ubi ceteri *optimum*. Lambinus. Adde quod in III. 1. de Offic. ad hanc ipſam rem reſpiciens de ſe ſic dicit: *Otio fruor, non illo quidem, quo debeat is, qui quondam peperiſſet otium civitati*. Non audiendi igitur ſunt ii, qui *odium* legant, quamvis nonnulli aſſentiantur MSi. Pearce. *Odium*, hic in libris vulgatis mendoſe legitur; de quo Victorius cap. 13. lib. VII. Variar. lection. Otium autem, quietem, & tranquillitatem eam ſignificat, quæ oppreſſa conjuratione Catilinaria in repub. fuit. Hoc vocabulum vulgo ex Philipp. XIII. ſuſtulerunt, ubi Faernus ex libro Vaticano reſtituit: *Sin otium incolumibus his eſſe nullum poteſt*, &c. Fr. Fabric.

Delapſa arma ipſa ceciderunt) *Ipſa* delendum, *delapſa ceciderunt*, ut Virg. VI. Æneid. 310. *Lapſa cadunt folia*. Petron. *Sera ſua ſponte delapſa cecidit*. Gronov.

Et ita afficiendum eſt) Græce ὅτω διατιθέναι χρὴ τὸ σῶμα, *ſic afficere oportet corpus*. Quem Græciſmum qui non animadverterunt, legendum putarunt, ſed perperam, *ita aſſuefaciendum*. Hi. Wolf.

obedire conſilio, rationique poſſit in exſequendis negotiis, & in labore tolerando. Honeſtum autem id, quod exquirimus, totum eſt poſitum in animi cura, & cogitatione: in quo non minorem utilitatem afferunt, qui togati reipublicæ præſunt, quam qui bellum gerunt. Itaque eorum conſilio ſæpe aut non ſuſcepta, aut confecta bella ſunt, nonnumquam etiam illata: ut M. Catonis bellum tertium Punicum; in quo etiam mortui valuit auctoritas. Quare expetenda quidem magis eſt decernendi ratio, quam decertandi fortitudo: ſed cavendum, ne id bellandi magis fuga, quam utilitatis ratione faciamus. Bellum autem ita ſuſcipiatur, ut nihil aliud, niſi pax quæſita videatur. Fortis vero & conſtantis eſt, non perturbari in rebus aſperis, nec tumul-

Wolf. *Afficiendum*, eſt in omnibus libris, etiam vulgatis, ſolis Victorianis exceptis, in quibus *efficiendum* legitur, quod Camerarius non improbat. Sed enim, Corpus ita afficiendum eſt, idem hic valet, quod Græci dicunt, *ὥτω διατιθέναι χρὴ τὸ σῶμα*, ut recte Wolfius admonet. Fr. Fabrit. Quomodo corpus exercuerint Græci, docet Plato VI. de legib. Graev.

Vt obedire conſilio) Nec mirum. Nam *noſtra omnis vis in animo, & corpore ſita eſt. Animi imperio, corporis ſervitio magis utimur*, ut Salluſt. in Catilinar. *Quia animus incorruptus, æternus, rector humani generis, agit, atque habet cuncta, neque ipſe habetur*, ut idem ait in Iugurth. Vide Senec. ep. 114. Idem.

Bellum Punicum) De quo Florus lib. II. cap. 15. Suſceptum dicitur auctoritate Catonis, quia cum viveret, delendam eſſe Carthaginem, etiam cum de alio conſuleretur, pronunciabat. Porro poſt vocem *Catonis* quidam codices addunt *conſilio*. Facciolat.

Quam decertandi fortitudo) Prius legebatur, *decertandi fortitudo*; ſed poſterior dictio a Grammatiſta aliquo adſcripta erat. Car. Lang. *Quam decertandi*) Nos vocem *fortitudo* poſt verbum *decertandi* ſuſtulimus, quamvis eam reperimus in duobus libris antiquis: nam perſpicue apparet, ab aliquo, qui putaret quidpiam deeſſe, eſſe adjectam; quod & Langio videtur. Lambin. *Quam decertandi*) In vulgatis libris, conſentientibus nonnullis manuſcriptis legitur, *quam decertandi fortitudo*. Verum poſtremam vocem Langius, & Lambinus ſuſtulerunt, quod perſpicuum ſit, eam ab aliquo adjectam eſſe. Fr. Fabrit. *Fortitudo* Langius delevit invitis omnibus libris, quem ſequitur Lambinus, & Fabritius. Sed Pall. Guilielmi, Pithœan. uterque meus, omnes Manutii *fortitudo* retinent; nec videmus cauſſas juſtas iſtam vocem rejiciendi, ut oſtendit Aldus. Grevius.

Bellum autem ita ſuſcipiatur, ut nihil aliud, niſi pax quæſita videatur) Vide Grotium II. de Iure Belli, & Pacis cap. 24. & lib. III. cap. ult. Idem.

Fortis vero animi, & conſtantis eſt) Delenda vox *animi*, & ſubintelligendum *viri*: argumento eſt id, quod ſequitur non longe, ſed *preſenti animo uti*, ſeu *niti* &c. quod & ille indicat. Lambin. Quamquam omnes excuſi, & MSſ codices habeant *fortis vero animi, & conſtantis eſt*, tamen oratio ipſa convincit, vocem *animi* hoc loco ab inepto quodam explanatore aſſutam, & a librariis tandem in contextum relatam. Quis enim non fateatur abſurdiſſimam eſſe hanc orationem: *Fortis vero animi, & conſtantis eſt, præſenti animo uti?* Et quis non ergo ſaniorem, & magis congruam hanc judicet: *Fortis vero, & conſtantis (viri) eſt, præſenti animo uti?* Sic igitur omnino legen-

Digitized by Google

tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur; ſed præſentis animi uti conſilio, nec a ratione diſcedere. Quamquam hoc animi, illud etiam ingenii magni eſt, præcipere cogitatione futura, & aliquanto ante conſtituere, quid accidere poſſit in utramque partem: &, quid agendum ſit, cum quid evenerit; nec committere, ut aliquando dicendum ſit: *Non putaram*. Hæc ſunt opera magni animi, & excelſi, & prudentia, conſilioque fidentis. Temere autem in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam, & belluarum

rum

gendum: *Fortis vero, & conſtantis eſt*. SVFFRID. PETRI.

Præſenti animo uti, & conſilio) Sic legitur in omnibus pene exemplaribus. IOAN. Rivius legit: *Sed præſentis animi niti conſilio*. LANG. *Sed præſenti animo uti, & conſilio*) Quidam legi volunt, *præſenti animo niti*, quod probo; nos in libris antiquis tamen reperimus *uti*. LAMBIN. *Sed præſenti animo uti, & conſilio*) Sic legi in omnibus fere exemplaribus Balduinus obſervavit. In uno MSo eſt: *Sed præſentis animi uti conſilio*; quo modo Manutius edidit. *Niti* certe placet. FR. FABRIT. Firmant hanc lectionem, quam Balduinus fere in omnibus libris reperit, excerpta Pithœan. quatuor Guilielm. Palatin. uterque Grævian. & nihil ea certius. GRÆV.

Præcipere cogitatione futura) In vulgatis multis *percipere*, mendoſe legitur; eſt enim præcipere προλαμβάνειν, antecapere: pro quo, *percipere*, *præripere*, & *præoccupare* imperiti cum in aliis ſcriptoribus multis, tum his Ciceronis locis, quæ in præſenti occurrunt, contra auctoritatem librorum veterum ſcripſerunt. Infra hoc libr. *Præcipere hoſtium conſilia*, nunc recte legitur, ubi in vulgatis eſt *præripere*: ſicut & epiſt. 16. lib. V. ad Famil. vulgo legunt: *Id nos præripere conſilio, prudentiaque debemus*: cum *præcipere* ſit in Medicæo codice, & aliis antiquis. Præterea initio Philippicæ X. Faernus ex antiquiſſimo lib. Vaticano bene emendavit: *Quas enim ipſe mihi partes ſumſeram, eas præcepit oratio tua*; ubi prius, *præoccupavit* legebatur. Ad hæc epiſt. 21. lib. IX. ad Att. ubi vulgo legitur: *Sed quid præripio?* Lambinus ex libris Memmianis, *præcipio*, edidit. FR. FABRIT. Omnes fere MSi, & editiones veteres habent *percipere*; ſed Victorium ſequor, cui aſſentiuntur MSi Mead. pr. Mill. & Reg. ſec. a prima manu. Vox *præcipere* idem ſonat, quod *præoccupare*, ut in Virg. Æn. VI. 106.

Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.

Ne quis vero cenſeat potius legendum eſſe *percipere*, quia non neceſſe eſt, ut antecedat verbum ex *præ* compoſitum, cum ſequatur vox *futura*, ſciat Ciceronem ſimili modo ſcripſiſſe in Divin. I. 31. *Præſagire, id eſt, futura ante ſentire*. PEARCE.

Non putaram) Demoſthenes Philipp. I. Και μην εκεινο γε αισχρον, ὕϛερον ποτ' ειπειν, συμβαντος τινος, τις γαρ αν ωηθη ταυτα γενεσθαι, &c. *Illud quidem turpe, poſtea dicere, ubi quid acciderit, quiſnam putaſſet iſta eventura?* Ad hæc verba Demoſthenis quin reſpexerit Cicero, mihi quidem dubium non eſt. F. VRSIN. Hinc Socrates monet προνοειν χρη, και ου μετανοειν τον ανδρα τον σοφον. *Viri ſapientis eſſe ante, non poſt factum ſapere*. H. WOLFIVS. Monitum hoc ipſum Valerius Max. lib. VII. cap. 2. tribuit Scipioni Africano: Seneca lib. II. de Ira cap. 31. Fabio tribuit. FACCIOLAT.

Magni animi & excelſi) Nonius Marcellus legit *& excellentis*. BALDVIN.

Immane quiddam, & belluarum ſimile) Seneca Natural. Quæſt. V. 28. *Hoc vero quid aliud quis dixerit, quam inſaniam? circumferre pericula, & ruere in ignota, iratum ſine injuria occurrentia devaſtantem, ac ferarum more occidere, quem non oderis*. GRÆVIVS.

Sed

Digitized by Google

rum ſimile eſt; ſed cum tempus, neceſſitaſque poſtulat, decertandum manu eſt, & mors ſervituti, turpitudinique anteponenda.

24. De evertendis autem, diripiendiſque urbibus, valde conſiderandum eſt, ne quid temere, ne quid crudeliter; idque eſt viri magni, rebus agitatis, punire ſontes: multitudinem conſervare; in omni fortuna, recta, atque honeſta retinere. Vt enim ſunt, quemadmodum ſupra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponant: ſic reperies multos, quibus periculoſa & calida conſilia, quietis cogitationibus & ſplen-

Sed cum tempus eſt) Verbum *eſt* abeſt a noſtris manuſcriptis, & impreſſis multis, idque placet. Fr. Fabrit.

Mors ſervituti, turpitudinique anteponenda) Hoc animo fuit Cato, qui mori, quam uni parere maluit. Sed aliud dictare rationem, quæ doceat, vitam eſſe fundamentum omnium bonorum temporalium, & æternorum occaſionem, ideoque pluris eſſe, quam libertatem docet pulchre Grotius II. de Iure Belli & Pacis c. 24. Græv.

De evertendis autem, diripiendiſque urbibus) Quod ſit in his rebus officium & ducis, & jus belli, docet Grotius II. de Iure Belli & Pacis cap. 5. Idem.

Ne quid temere, ne quid crudeliter) Sic Palat. ſic tres Guilielm. ſic Græv. ejecta primum voce *illud*, deinde *fiat*: de quo poſtremo temere libris invecto dudum queſtus fuit Ianus Parrhaſius in Quæſitis per epiſtolam. Idem.

Rebus agitatis punire ſontes) Libri vet. *Idque eſt viri, magnis rebus agitatis* &c. ſed mendoſe: neque interpretes locum intellexerunt. Vult enim Cicero, virum magnum non temere ad puniendum ruere, ſed expenſa demum & animo diligenter volutata cauſſa; nam hoc eſt agitare: a quo cogitare, quaſi coagitare, ut a coago, cogo, Salluſt. in Iugurth. *Quæ cum præcepta parentis mei agitarem*. Et paullo poſt: *Nam callidus id modo feſtinabat, Bocchi pacem imminuere, ne mox agitando, aliud quam bellum mallet*. Sic Cic. cap. 2. de Finib. & alibi. C. Lang. Hoc eſt quod præcipit in oratione pro Cluentio c. 46. nimirum ita agendum eſſe, *ut pœna ad paucos, metus ad omnes perveniat*. Vide de his accurate diſputantem Grotium II. de Iure Belli & Pacis cap. 21. & III. cap. 11. Græv. *Idque eſt magni viri, rebus agitatis*) Ita Victorius, & MSi Norf. pr. duo Mead. quatuor Regii cum Cant. habent vel *magni viri*, vel *viri magni*, quæ lectio melior eſt vel ea, quam exhibent veteres quidam impreſſi libri: *idque eſt viri magnis rebus* &c. vel ea, quam recentiores ferunt: *idque eſt viri magnanimi, rebus agitatis &c.* Pearce.

Periculoſa, & calida conſilia) *Calida conſilia*, extemporanea, & temeraria, qualia mulierum & ſunt, & appellantur. Ita capit Terent. in Eunucho. Ita *calidum mendacium* Plaut. *calidam liberalitatem* Nepos in Attico dixit. Et *calidum, & impatientem* ducem Annibalem vocat Eutropius. Ita enim malo, quam *callidum* eo loco legere: quamquam fuit in eo cum hoc fervore animi, mirabilis prudentia, & vere Punica calliditas conjuncta; eodem modo Græci τὸ θερμὸν accipiunt. Notandum hic quoque in omnibus exemplaribus ſic haberi: *Calida conſilia & quietis, & cogitationis ſplendidiora, & meliora videri*. C. Lang. *Calida conſilia*) Sic eſſe legendum, jampridem in Annotationibus in Terent. admonui; nam & in libris vetuſtis ita legitur, & Nonius Marcellus hujus loci teſtimonio docet, *calidum* ſignificare ferox, & inconſultum. Fr. Fabrit. *Calida conſilia*) I. e. temeraria: eamdem loquendi formulam habet Livius in XXII. 24. *Agitabantur pro ingenio ducis conſilia calidiora*: idem inveniet lector in ejuſdem XXXII. 35. Sic etiam in Cic. ep. ad Attic. XV. 6. Hirtii verba ſunt: *Per te*

Digitized by Google

ſplendidiora, & majora videantur. Numquam omnino periculi fuga committendum eſt, ut imbelles, timidique videamur. Sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis ſine cauſa: quo nihil poteſt eſſe ſtultius. Quapropter in adeundis periculis conſuetudo imitanda medicorum eſt, qui leviter ægrotantes leniter curant: gravioribus autem morbis periculoſas curationes, & ancipites adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempeſtatem adverſam optare, dementis eſt: ſubvenire autem tempeſtati quavis ratione, ſapientis; eoque magis, ſi plus adipiſcare re explicata boni, quam addubitata mali. Periculoſæ autem rerum actiones partim iis ſunt, qui eas ſuſcipiunt, partim reipublicæ. Itemque alii de vita, alii de gloria, & benevolentia civium in diſcrimen vocantur. Promtiores igitur debemus eſſe

te exorentur, ne quod calidius ineant conſilium: & ipſius Ciceronis: *Cui reſcripſi, nihil illos calidius cogitare*. PEARCE.

Quo nihil poteſt eſſe ſtultius) Quales ſunt ii apud Tacitum Hiſt. II. c. 86. qui *non tam præmiis periculorum, quam ipſis periculis læti pro certis, & olim partis nova, ambigua, ancipitia malunt*. GRÆVIUS.

Qui leviter ægrotantes leniter curant) Sic Palat. Guilielm. Græv. & edd. Vict. Lang. aliique. Vulgo *leviter ægrotantes, leviter curant*; inepte. IDEM.

Si plus adipiſcare re explicata boni, quam addubitata mali) Credidi aliquando, *adducta* pro *addubitata* legi poſſe; q. d. re explicata, hoc eſt confecta quovis modo, quam adducta, id eſt contracta, & revocata in deliberationem, ut in utroque verbo eadem ſervetur metaphora, quo modo & Livius utitur lib. XXIII. *Relaxata poſtero die per minorem trepidationem retinuerunt optimates*; id eſt dilata, & in alteram conſultationem rejecta. Sed cum libri veteres nihil varient, nec ipſe immutare aliquid ſum auſus; maxime cum in primo de Divinat. ſic accipiat verbum *addubitare*. Sane ut periculoſum eſt aureo hamo piſcari, ita palam damnoſum argenteo vomere arare, ut Thucydides loquitur: hic eſt enim certum detrimentum. Sæpenumero longe inferius eſt id, quod bello quærimus, quam ipſa belli impenſa: mitto, quod Mars communis. Sapientis igitur eſt, ortam jam tempeſtatem, quavis ratione ſedare, vel conſilio repentino, ſi res exigit; vel maturo, ſi ſecus; dum tamen plus boni ſequatur ea ſedata, quam manente ſequeretur mali. C. LANG.

Quam addubitata) Hoc verbum quibuſdam ſine cauſa eſt ſuſpectum; nam & librorum omnium auctoritate comprobatur, & *res addubitata rei explicatæ* bene opponitur. Sic quoque loquitur lib. I. de Divinat. *Tibi Ap. Claudius augur conſuli nuntiavit, addubitato ſalutis augurio, bellum domeſticum triſte, ac turbulentum fore*; ubi *addubitatum* augurium vocat, ὁ μὴ καθαρὸν ἐγένετο, ut Dio lib. XXXVII. de eodem loquitur. FR. FABR. *Addubitata* eſt propter ſpem incerti exitus omiſſa; quod hic Cicero docet, præſtitit Alexander Magnus, cujus valetudo cum eſſet conclamata, & ſolus medicus Philippus, quem cavendum tamquam ſuſpectæ fidei, & corruptum a Dario, monuerat eodem tempore Parmenio, remedium ei offerret, *tutius eſt ratus dubiæ ſe fidei medico credere, quam indubitato morbo perire*; auctore Iuſtino XI. 9. De re ipſa pulchre multa præcipit Grotius II. de Iure Belli & Pacis cap. 24. §. 5. GRÆVIUS.

Promtiores igitur debemus eſſe) Promtiores debemus eſſe ad ea ſubeunda, quæ nobis periculoſa eſſe poſſint, quam quæ

Digitized by Google

eſſe ad noſtra pericula, quam ad communia, dimicareque paratius de honore, & gloria, quam de ceteris commodis. Inventi autem multi ſunt, qui non modo pecuniam, ſed vitam etiam profundere pro patria parati eſſent: iidem gloriæ jacturam, ne nimiam quidem facere vellent, ne republica quidem poſtulante: ut Callicratidas, qui cum Lacedæmoniorum dux fuiſſet Peloponneſiaco bello, multaque feciſſet egregie, vertit ad extremum omnia, cum conſilio non paruit eorum, qui claſſem ab Arginuſſis removendam, nec cum Athenienſibus dimicandum putabant. Quibus ille reſpondit, Lacedæmonios, claſſe illa amiſſa, aliam parare poſſe: ſe fugere ſine ſuo dedecore non poſſe. Atque hæc quidem Lacedæmoniis plaga mediocris: illa peſtifera, qua, cum Cleombrotus, invidiam timens, temere cum Epaminonda conflixiſſet, Lacedæmoniorum opes corruerunt. Quanto Q. Maximus melius? de quo Ennius:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem;
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo poſtque, magiſque viri nunc gloria claret.

Quod genus peccandi vitandum eſt etiam in rebus urbanis. Sunt enim, qui, quod ſentiunt, etſi optimum ſit, tamen invidiæ metu non audent dicere.

25. Omnino qui reipublicæ præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant: Vnum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quæcumque agunt, ad eam referant, obliti commodo-

que Reipublicæ (quod contra fecit Callicratidas, de quo mox infra). Ex communibus enim periculis plus damni, quia communia ſunt, oriturum eſt, quam ex noſtris. *Fortitudo* (ait Noſter in II. 84. de Orat.) *in periculis communibus jucunda eſt auditu in laudationibus*. PEARCE.

Ab Arginuſſis) Vide de hoc prœlio Diod. Sic. lib. XV. GRÆV.

Vnus homo nobis) Omnes libri manuſcripti, quos ego viderim, habent *Vnus qui nobis &c.* F. VRSIN.

Non ponebat enim) Omnes veteres libri: *Non enim ponebat*; excepto Pariſienſi, qui: *Non hic ponebat*. C. LANGIVS.

Vt quidquid agunt, ad eam referant) Langius edidit, *Quæcumque agunt*: atque ita in tribus manuſcriptis noſtris legitur. FR. FABRIT. Saluberrimum hoc Platonis eſt præceptum. Nam *imperium eſt cura ſalutis alienæ*. Senec. ep. 91. Hinc Imperator Hadrianus ſæpe dixit: *Ita ſe rempublicam geſturum, ut ſciret rem populi eſſe non ſuam*. GRAV.

Obliti commodorum ſuorum) Nam *privatæ res ſemper offecere, officientque publicis conſiliis*. Liv. II. 30. Ideo Ariſtoteles VII. Polit. 10. cenſet, non adhibendum in conſilium, in quo deliberatur, quomodo bellum ſit gerendum, qui agrum hoſtili ſolo proximum habet, tamquam qui privatæ rei, & utilitati

Digitized by Google

modorum ſuorum : alterum , ut totum corpus reipublicæ curent : ne , dum partem aliquam tuentur , reliquas deſerant . Vt enim tutela , ſic procuratio reipublicæ ad utilitatem eorum , qui commiſſi ſunt , non ad eorum , quibus commiſſa eſt , gerenda eſt . Qui autem parti civium conſulunt , partem negligunt , rem pernicioſiſſimam in civitatem inducunt , ſeditionem , atque diſcordiam : ex quo evenit , ut alii populares , alii ſtudioſi optimi cujuſque videantur , pauci univerſorum . Hinc apud Athenienſes magnæ diſcordiæ : in noſtra republica non ſolum ſeditiones , ſed peſtifera etiam bella civilia : quæ gravis , & fortis civis , & in republica dignus principatu fugiet , atque oderit : tradetque ſe totum reipublicæ , neque opes , aut potentiam conſectabitur : totamque eam ſic tuebitur , ut omnibus conſulat . Nec vero criminibus falſis in odium aut invidiam quemquam vocabit : omninoque ita juſtitiæ , honeſtatique adhæreſcet , ut , dum ea conſervet , quamvis graviter offendat , mortemque oppetat potius , quam deſerat illa , quæ dixi .

litatis cauſſa non poſſit ſuadere , quod ſit e republica . IDEM .

Vt totum corpus reipub. curent) *Nam fruſtra proceres princeps , plebe neglecta , ut defectum corpore caput , nutaturumque inſtabili pondere , tuetur* , ut pulcre Plinius Paneg. 27. Debet enim qui reip. præeſt , *admittere in animum tantæ reip. curam , & totius populi fata ſuſcipere , & oblitus quodammodo ſui gentibus vivere ; & in tam arduo humanarum rerum ſtare faſtigio , ex quo veluti terras omnes , & maria deſpiciat , viciſſimque oculis , & mente colluſtret , ubi ſit certa ſerenitas , ubi dubia tempeſtas , qui juſtitiam veſtram judices æmulentur , qui virtutis veſtræ gloriam duces ſervent ; accipere innumerabiles undique nuncios , totidem mandata dimittere , de tot urbibus , & nationibus , & provinciis cogitare , noctes omnes , dieſque perpeti ſollicitudine pro omnium ſalute tranſigere* . Mamertin. in Panegyrico . Hinc ſolemni principum ſacramento addiderat Trajanus : *ſi bene rempublicam & ex utilitate omnium rexero* , teſte Plinio . Vide & quæ Tiberius promittat apud Sueton. Tib. cap. 29. IDEM .

Non ad eorum , quibus commiſſa eſt) Libri veteres fere omnes ſic habent , ut edidi , non , *quibus commiſſi* , ut vulgo legitur . LAMBIN.

Tradetque ſe totum reipublicæ) Non partim ſerviet ſibi , partim reipublicæ ; ſed totus reipublicæ ſerviet , aut ſaltem numquam ſibi cum detrimento reipublicæ . GRÆV.

Dum eam conſervet) Ita Victorius , edit. Mog. pr. & MSi tres Oxon. Reg. duo , Cant. Lameth. & Mill. Vulgo *dum ea conſervet* , ſc. juſtitiam , & honeſtatem . Sed Ciceronianum magis eſt uti ſingulari numero , etiam cum duæ ſint res , ad quas vox ſingularis numeri reſpiciat . PEARCE .

Quamvis graviter offendat) Sic Langius quoque , & Victorius legunt ; quod Maturantius exponit , ut quicumque ſit ille , quem offendit , non vereatur ejus inimicitias ſubire . In noſtris manuſcriptis legitur : *Quamvis graviter offendat , mortem oppetat* , id eſt , etiam ſi in gravem offenſionem incurrat , magnamque jacturam faciat . F. FABRIT. *Quamvis graviter offendat*) Victorius , & Langius ediderunt *quamvis gravi-*

 G *ter*

dixi. Miſerrima eſt omnino ambitio, honorumque contentio; de qua præclare apud eumdem eſt Platonem: Similiter facere eos, qui inter se contenderent, uter potius rempublicam adminiſtraret; ut ſi nautæ certarent, quis eorum potiſſimum gubernaret. Idemque præcepit, ut eos adverſarios exiſtimemus, qui arma contra ferant; non eos, qui ſuo judicio tueri rempublicam velint: qualis fuit inter P. Afri-

ter offendat. Sed MSi fere omnes habent *quamvis*, pro *licet* vel *quamquam*: & nihil mutandum eſt, cum *offendere* neutrali ſenſu ſæpius a Cicerone uſurpetur, ut in Orat. pro Cluentio c. 36. *Quod in eo genere, in quo ipſi offendiſſent, alios reprehendiſſent*: & alibi. *Quamvis graviter offendat* eo modo dicitur, quo in II, 20. *Cum ipſi quamvis magnum aliquid acceperint*. Et de Orat. II, 30. *Si tu mihi quamvis eruditum hominem adduxeris*, &c. ſic dicitur etiam in præf. Virg. Æneid.

Ut quamvis avido parerent arva colono. Pearce.

Miſerrima eſt omnino ambitio) Miſerrimam eſſe ambitionem ex eo intelligi poteſt, quod, quæ duæ res in vita plurimum habent ſuavitatis, & ſapientiſſimo cuique in prima commendatione ſemper fuerunt, iis utriſque ambitio ſpoliat ſuos libertate, & tranquillitate animi. Vide de utroque ſuperius ad cap. 20. Muret.

Similiter facere eos, qui inter ſe contenderent) Plato VI. de Rep. comparatione quadam utentem Socratem facit, qua doceat, cur veri philoſophi, cum ad regendas civitates omnium aptiſſimi ſint, aut ſoli potius apti, vulgo tamen ad id munus obeundum uni ex omnibus minime apti videantur. Ait autem, id ex eo evenire, quod in civitatibus, ut quiſque quo jure, quaque injuria deturbare alios ab honoribus, & imperiis, eaque ipſe arripere, atque occupare maxime poteſt, ita maxime navus, & induſtrius, & ad res gerendas idoneus haberi ſolet; cum veri philoſophi, qui ab omni ambitione ſunt remotiſſimi, quia nihil umquam tale conantur, ſed in ſtudiis cognitionis, & ſcientiæ acquieſcunt, ignavi, & deſides, & ab adminiſtratione reipublicæ alieni exiſtimentur. Idem autem eventurum ait homini gubernandæ navis perito, & intelligenti, ſi ea verſetur in navi, in qua vectores ita inſaniant, ut inter ſe contendant, quis potiſſimum gubernare debeat, & ut quiſque depellere alios a gubernaculis, eaque ipſe occupare potuerit, ita eum plurimi faciant, eique navis gubernandæ curam optime committi putent. Muretus.

Similiter facere eos) Sic Tuſcul. IV. *Similiter facit, ut ſi poſſe putet eum, qui ſe e Leucade præcipitaverit, ſuſtinere ſe, cum velit*; & lib. II. de Finib. *Similiter ut ſi dicat, non reprehendendos parricidas*. Quod ideo annoto, ne quis cum Eraſmo hoc genus loquendi novum, & inuſitatum eſſe arbitretur. Fr. Fabric.

Idemque præcepit) Vulgo *præcepit*; ſed tempore præſenti opus eſt, quia proxime ſequitur, *ut eos adverſarios exiſtimemus*. Victorius, & Lambinus habent *præcipit*, ut & MSi Mead. duo, Reg. duo, & Norf. pr. Pearce.

Qui ſuo judicio tueri rempub. velint) Longe aliud eſt judicio, & ſententia, aliud voluntate, atque animo diſſidere. Nam etiam in ſententiarum diſſimilitudine, ac diſcrepantia, animorum tamen conjunctio ſervari poteſt: neque umquam boni viri quemquam quod a ſe diſſentiret, propterea in inimici loco habendum exiſtimarunt. Evertendam Carthaginem Cato, conſervandam Scipio Naſica cenſebat. Num igitur eos inimico inter ſe fuiſſe animo credimus? Stultorum, & imperitorum iſta conſuetudo eſt: qui, quoniam, ut ait Comicus, niſi quod ipſi faciunt, nihil recte fieri putant, idcirco a ſe niſi leviſſimis quidem in rebus diſſentientes, ferunt. Fr. Fabric.

Qualis

Digitized by Google

Africanum, & Qu. Metellum ſine acerbitate diſſenſio. Nec vero audiendi, qui graviter iraſcendum inimicis putabunt, idque magnanimi, & fortis viri eſſe cenſebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno, & præclaro viro dignius placabilitate, atque clementia. In liberis vero populis, & in juris æquabilitate, exercenda etiam eſt facilitas, & altitudo

Qualis fuit inter P. Africanum, & Qu. Metellum) Africanum minorem dicit, & Q. Metellum Macedonicum, ſummos viros, de quorum diſſenſione ita in Lælio: *Ab amicitia Q. Pompeii meo nomine ſe removerat, ut ſcitis, Scipio: propter diſſenſionem autem, quæ erat in republica, alienatus eſt a collega noſtro Metello. Utrumque egit graviter auctoritate, & offenſione non acerba.* Vide & Valer. IV. 1. & Plin. VII. 44. Iann.

Neque vero audiendi qui graviter iraſcendum inimicis putant) Multi in ea ſunt ſententia, & fuerunt, ut putarent fortitudinis, & magni, atque excelſi animi comitem eſſe iracundiam, quod ſentire videtur & Plato II. Polit. ubi ait vix poſſe quemquam ανδρειον εσεσθαι, *fortem eſſe*, quin idem ſit θυμοειδης, χαλεπος, αγριος, *iracundus, durus, & immitis*. Sed hoc dictum Platonis reprehendit Ariſtot. VIII. Polit. Ουτε γαρ, inquit, εν τοις αλλοις ζωοις, ουτ' επι των εθνων ὁρωμεν την ανδρειαν ακολουθουσαν τοις αγριωτατοις, αλλα μαλλον τοις ἡμερωτεροις και λεοντωδεσιν ηθεσιν. *Nam neque in aliis gentibus fortitudinem moribus immaniſſimis, & efferatiſſimis comitem adjunctam eſſe cernimus, ſed manſuetiſſimis potius & leoninis.* Ipſemet tamen lib. I. Rhetor. cupiditatem ulciſcendi, quæ eadem eſt & ira, viris fortibus ait attributam. Sed Cicero, quod verius eſt, negat viri fortis, & magnanimi eſſe, graviter inimico iraſci: contraque nihil eſſe hujuſmodi virorum tam proprium, quam placabilitatem, & clementiam. Quod Ariſtoteles probat lib. IV. Ethicor. ubi magnanimum negat eſſe μνησικακον, *injuriæ illatæ memorem*. Iann.

Nihil magno, & præclaro viro dignius placabilitate, & clementia) Vide Grot. II. de Iure Belli & Pacis c. 20. §. 3. Graev.

Exercenda etiam eſt facilitas) Qui liberos populos regunt, jurique dicendo præſunt, perpetuo cogitare debent, ſe in illo honoris, ac dignitatis gradu conſtitutos eſſe, ut omnium querelas patienter audiant, ut omnium jura cognoſcant, ut lites dijudicent, ac componant, ut ſuum cuique tribuant. Itaque faciles omnibus aditus ad eos eſſe debent: neque ulla eſſe occupatio tanta, quæ eos impediat ab iis, qui querelas ſuas ad eos perferre volunt, audiendis. Qua de re ita Cicero in orat. pro Murena. *Sapiens prætor offenſionem vitat æquabilitate decernendi, benevolentiam adjungit lenitate audiendi.* Et in epiſt. ad Q. Fratrem: *Adjungenda etiam eſt facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, in ſatisfaciendo, ac diſputando diligentia.* Et alibi in eadem epiſtola admonet eum, ut ſe facilem in rebus cognoſcendis, in hominibus audiendis, admittendiſque præbeat. Scitum eſt, quod de Philippo Alexandri Magni patre traditur, a quo cum peteret anicula quædam, ut cauſſam quamdam ſuam cognoſceret: negaſſetque ille ſibi vacare: *Ne vacet igitur*, inquit illa, *regnare, ſi non vacat audire*. Etſi autem, qui ad eos adeunt, tempus ad eam rem opportunum captare debent, ſi quis tamen aut ruſticitate, aut cogente neceſſitate, aut caſu aliquo, parum in tempore ad eos venerit, non eſt iracunde ac ſuperbe rejiciendus, ac repellendus: ſed aut audiendus ſic quoque, ſi fieri poteſt: aut certe placide, ac leniter commonefaciendus, ut tempus aliud commodius capiat: eſſe alios quoque, quibus conſulendum ſit: & æquum eſſe ipſis quoque rectoribus aliquam diei partem ad curanda corpora, & ad animi quietem, relaxationemque concedi. Eademque comitas adhibenda eſt adverſus eos quoque, qui quædam interdum parum prudenter rogant: ut non aſpere cum eis a-

Digitized by Google

do animi, quæ dicitur: ne, ſi iraſcamur aut intempeſtive acce-

gamus, neque eos acerbe, ac contumelioſe repellamus; ſed efficiamus, ut ipſi intelligant, planeque videant inverecundam eſſe petitionem ſuam, neque ſibi nos, ſalva ratione officii, obſequi poſſe. Valde amicus erat Themiſtocli poeta Simonides. Cum igitur in magiſtratu eſſet Themiſtocles, & Simonides fretus ea, quæ ſibi cum illo erat, familiaritate, injuſtum quiddam ab eo peteret: *Neque tu*, inquit Themiſtocles, *bonus poeta fueris, neque ego bonus pretor, ſi utervis noſtrum quidquam adverſus leges fecerit*. Hoc Græce aliquanto dicitur ſuavius; quod ejus gentis lingua, & leges, quibus civitas temperatur, & quædam poetarum cantilenæ eodem nomine vocantur. Sed ille neque objurgavit Simonidem, neque iracunde eum a ſe repulit: ſed eo eſt genere orationis uſus, ut, cum ei quod petebat, negaret, æquum tamen eum a ſe placatumque dimitteret. Quæ exempla qui ſequentur, & dignitatem retinebunt, & vitabunt eam, quam Cicero *inutilem, & odioſam* eſſe ait *moroſitatem*. Muret.

Altitudo animi) Altitudo animi non eſt hoc loco excelſitas, vel elatio; ſed *βαθύτης*, ut cum *altitudinem* puteorum dicimus, qua præditum hominem *κρυψίνουν* Græci vocant, qui non ſtatim detegit omnes animi motus, neque eos in promtu habet, ſed abdit, ac tegit, cum opus eſt: qualem eſſe Pompeium ipſe alicubi dicit in epiſtolis ad Atticum: & qualem Tiberium Auguſtum fuiſſe hiſtoriæ loquuntur. Idem. Nullo, ut opinor, ſano ſatis ſenſu hic dicitur *altitudo animi*: qui enim faciles omnibus ſe præbent, humili, & demiſſo magis ſunt, quam *alto* animo: ſi per *altitudinem animi* intelligamus (ut nonnulli) *βαθύτητα* ſive profunditatem animi, qua utitur ille, qui animi motus abdit, & tegit, & quæ dicitur (Part. Orat. c. 22.) videri *in capiendis incommodis, & maxime injuriis*: Aliud quiddam dicit Cicero, quam ſenſus loci videtur poſtulare: nam hæc animi affectio nihil habet conjunctum cum *facilitate*, cui tamen hic copulatur. Corruptum igitur eſſe locum pronuntiare vix dubito: quem ſanare poterit is, qui cum MSo Cinc. cum uno Manutiano, & uno Elienſi (quem memorat Daviſius in Not. ad Tuſc. diſp. V. 16.) legit *& lenitudo animi, quæ dicitur*: ut in illo prædicto loco Tuſc. diſp. occurrit *lenitudo orationis*. Et huic lectioni favent ea, quæ Noſter mox dicit in c. 31. *Propterea quod eorum vita lenior, & mores fuerant faciliores*: ubi, cum *lenior*, & *faciliores* conjungantur, ſatis patet cum *facilitate* hic *lenitudinem* poſſe conjungi. Interim, ne quid lectorem celem, dicendum eſt me, cum ceteri MSi omnes habeant *altitudo*, ſuſpicari Ciceronem ſcripſiſſe *aptitudo*: quæ vox minus a MSorum lectione recedit, & hujus loci ſenſui ſatis facit; *aptus* enim eſt, qui ſe aliorum moribus accommodat. Exemplo ſit iſtud Ciceronis in Ep. ad Fam. XII. 30. *O hominem ſemper mihi quidem aptum, nunc vero etiam ſuavem*. Sic etiam Horatius loquitur in Serm. I. III. 29.

Iracundior eſt paulo, minus aptus acutis
Naribus horum hominum.

Et in Serm. II. v. 43.

. . . *Ut patiens, ut amicis aptus*.

Vox *aptitudo*, fateor, non occurrit alibi apud Ciceronem: ſed multa ſunt, quæ in ejus ſcriptis nove, aut ſemel dicta reperiuntur; cujus generis multa Eraſmus in his libris notavit. Cur non igitur & huic verbo idem potuit contingere? Mihi quidem hic videtur Cicero verbum non uſitatum protuliſſe, quia addit, *quæ dicitur*: formula enim eſt ea dicendi, quæ dictionibus non uſu tritis ſoleat adhiberi. At docto Chapmanno aliter ſanandum eſſe locum videtur. Vellem (inquit) *mollitudo*, eo ſenſu, quo uſurpatur *mollitia* in Orat. pro Sylla c. 6. *Qua mollitia tum animi, & lenitate*: aut quo *mollis* in Verr. I. 9. *in legem molliorem*; & pro Milone c. 16. *molle, tenerum, flexibile*: aut denique, ne longius evagemur, ut diſerte loquitur Cicero in re ſimili (de Orat. III. 40.) *mollitudo humanitatis*. Quippe excidente litera *M*, in MSis fuerit primum *ollitudo*; deinde facili lapſu *altitudo*. Quid mirum, ſi in re tam incerta variæ ſint & di-

Digitized by Google

accedentibus, aut impudenter rogantibus, in moroſitatem inutilem, & odioſam incidamus. Et tamen ita probanda eſt manſuetudo, atque clementia, ut adhibeatur, reipublicæ cauſa; ſeveritas, ſine qua adminiſtrari civitas non poteſt. Omnis autem & animadverſio, & caſtigatio contumelia vacare debet: neque ad ejus, qui punitur aliquem, aut verbis caſtigat, ſed ad reipublicæ utilitatem referri. Cavendum eſt etiam, ne major pœna, quam culpa ſit: & ne

& diverſæ conjecturæ? PEARCE.

Aut impudenter rogantibus) Langius cum vulgatis quibuſdam editionibus legit *imprudenter*. Victorius, Manutius, & Lambinus, *impudenter*, ediderunt, atque ita eſt in manuſcriptis. FR. FABRIT.

Ita probanda eſt manſuetudo, atque clementia, ut adhibeatur reipub. ſeveritas) Senſus eſt: licet probanda ſit manſuetudo, & clementia, tamen ſeveritas adhibenda eſt, cum reipublicæ cauſſa poſtulet. PEARCE. Vt moroſitas odium, ita nimia facilitas contemtum parit. Vtraque igitur vitanda iis, qui cum imperio ſunt: & adhibenda moderata ſeveritas, quæ ſi abſit, omnis magiſtratus auctoritas obſoleſcit, quæ certiſſima peſtis eſt civitatum. Quoniam enim magiſtratus legum cuſtodes ſunt, aut ipſi potius vivæ, ac ſpirantes leges, cum magiſtratus contemnuntur, perinde eſt, ac ſi leges contemnerentur. Videndum igitur ut & ab odio ſeveritatem comitas vindicet, & a contemtu ſeveritas comitatem. MVRETVS. Talis fuit Atticus, de quo C. Nep. in ejus vita c. 15. *Ejus comitas non ſine ſeveritate erat, neque gravitas ſine facilitate: ut difficile eſſet intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarent.* Et Agricola, de quo Tacitus in ejus vita cap. 9. *Triſtitiam, & arrogantiam, & ſeveritatem exuerat: nec illi, quod eſt rariſſimum, aut facilitas auctoritatem, aut ſeveritas amorem deminuit.* Difficile admodum eſſe hoc virtutum temperamentum Tullius oſtendit III. de Legib. ubi id prædicat in Attico: *Quid elegantia tua dignius? cujus vita, & oratio conſecuta mihi videtur difficillimam illam ſocietatem gravitatis, & humanitatis.* Vide & Chryſippum apud Gell. XIV. 4. GRAV.

Omnis autem animadverſio, & caſtigatio contumelia vacare debet) Qui in caſtigando contumelioſus eſt, oſtendit ſe libidine potius, & iracundia, quam juſtitiæ ſtudio duci. Vide Gellium lib. VI. 14. MVRETVS.

Neque ad ejus, qui punitur aliquem) Ex Nonio, *punitur*, repoſui: quo modo etiam habent libri manu exarati. Tuſcul. I. *Cum multi inimicos etiam mortuos puniuntur.* Et Philipp. VIII. *Clariſſimorum hominum crudeliſſimam puniretur necem.* Sic *vetari*, *queri*, pro *vetare*, *quærere* dixit Cicero de Legib. CAR. LANG. *Qui punitur aliquem*) *Punitur aliquem*, pro punit, Ciceronem hic dixiſſe, non ſolum Nonius, ſed & Servius in XI. Æneid. obſervavit. Sic Ciceronem Tuſcul. I. *puniuntur*, pro *puniunt*, in Miloniana, *punitus es*, pro *puniviſti*, dixiſſe in Annot. in Tuſcul. admonuimus. Philippica quoque octava ex libris antiquis jam recte legitur: *Vt clariſſimorum hominum crudeliſſimam puniretur necem.* FR. FABRIT.

Ad reipub. utilitatem referri) Vide Grot. II. de Iure Belli & Pacis cap. 20. §. 4. 9. & 36. Ideo talis vindictæ ratio παράδειγμα a Græcis nominatur, cum punitio propter exemplum eſt neceſſaria, ut ceteri a ſimilibus peccatis, quæ prohiberi publicitus intereſt, metu cognitæ pœnæ deterreantur. Idcirco veteres quoque noſtri *exempla* pro maximis graviſſimiſque pœnis dicebant. MVRET.

Ne major pœna, quam culpa ſit) Contra enim, legum interpretatione, ut ajunt Iuriſconſulti, molliendæ ſunt pœnæ potius, quam exaſperandæ. MVRET. Vide Grot. II. de Iure Belli & Pacis c. 20. §. 28. & ſeq. & Ariſtotel. X. Nicom. ult. GRAV.

Digitized by Google

ne iiſdem de cauſis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. Prohibenda autem maxime eſt ira in puniendo; numquam enim, iratus qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimium, & parum; quæ placet Peripateticis: & recte placet, modo ne laudarent iracundiam…

Ne iiſdem de cauſis alii plectantur, alii ne appellentur quidem) Leges enim omnibus æquæ eſſe debent, neque quidquam indignius, quam eadem flagitia in aliis diſſimulari, in aliis vindicari. MURETUS. Hoc eſt quod poeta reprehendit cum ait:

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas. GRAEV.

Prohibenda autem maxime eſt in puniendo) Cupiditas modum non novit, & quæcumque cupide facimus, immodici in eis, atque immoderati ſumus: eſt autem *ira*, ut in ſecundo de Anima traditur, *cupiditas ultionis*. Quare quicumque ad repoſcendam pœnam iratus accedit, modum tenere non poteſt. Eſt igitur magni, & ſapientis viri, aut omnino non iraſci, aut, quod fortaſſe majus eſt, iram vincere, ac cohibere, neque quidquam ulciſcendi cauſſa facere, donec ille iræ tumor reſederit, impetus conſtiterit, ardor refrixerit. Ἅπανθ' ὁ ὀργιζόμενος ἄνθρωπος ποιεῖ, ταῦθ' ὕστερον λάβοι ἂν ἡμαρτημένα. *Quæcumque iratus homo fecerit, deinde in iis erraſſe deprehendit*, ait Menander. Itaque laudatur Plato, qui ſervo cuidam ſuo iratus: *Tu vero*, inquit, *gratias diis agito, quod ego iratus ſim: pœnas enim a te exigerem, niſi iratus eſſem*. Et Xenocrati, qui tum præſens aderat: *Quæſo*, inquit, *tu hunc verberato; me enim, cum iratus ſim, id facere non decet*. Eadem fere narrantur de Archita Tarentino, qui, ut eſt apud Cicer. IV. Tuſcul. cum villico factus eſſet iratior. *Quomodo te*, inquit, *accepiſſem, niſi iratus eſſem*. Sed & de Platone ipſo ejuſdem generis alia: Quod ſervo iratus, ſublata manu, quaſi eum percuſſurus, diu eodem in ſtatu conſtiterit, cumque rogaretur, cur id faceret: *A me ipſo*, inquit, *exigo iracundiæ meæ pœnas*; & quod adoleſcens quidam, qui diu apud eum vixerat, cum domum rediiſſet, vidiſſetque aliquando iratum matri patrem: *Apud Platonem*, inquit, *nihil umquam tale vidi*. Dandam autem iræ moram, dum relangueſcat, neque præcipitandum, quod illa ſuaſerit, eleganter docuit Athenodorus Stoicus, qui Octaviani Auguſti temporibus fuit. Cum enim Auguſtum facile, ac celeriter iraſci videret, monuit eum, ut quoties iraſceretur, antequam quidquam imperaret, recitaret Græcarum litterarum nomina: illo quamvis exiguo temporis intervallo judicans fore, ut iræ impetus vel frangeretur, vel certe remitteretur. Sextus Aurelius Victor in Theodoſio. Sapientiſſime itaque decrevit ſenatus temporibus Tiberii, ne de iis, qui capitis damnati eſſent, ſupplicium ante decimum diem ſumeretur. Cujus ſenatus conſulti meminit Tacitus lib. III. Dio lib. XLVII. Suetonius in Tiberio. Seneca in lib. de Tranquillitate vitæ. Sidonius Apollinarius lib. II. epiſt. 7. Quod temporis ſpatium optimus Imperator Theodoſius ad triginta dies prorogavit: cum ob ingentem quamdam ſtragem ipſius juſſu Theſſalonicæ factam a ſanctiſſimo & fortiſſimo Epiſcopo Ambroſio Eccleſiæ foribus excluſus, neque, niſi poſt actam ex veteri Eccleſiaſtica conſuetudine publicam pœnitentiam, ad ſacrorum myſteriorum communionem admiſſus eſſet. Hiſtoria eſt apud Theodoretum lib. V. cap. 17. & Sozomenum lib. VII. cap. 24. & exſtat ipſa Theodoſii conſtitutio. l. *ſi vindicari*, C. de pœnis. MURET.

Inter nimium, & parum) Hinc diſcamus, quomodo latine exprimi poſſit, quod Ariſtoteles ait τὸ πλέον καὶ τὸ ἔλαττον. IDEM.

Et recte placet) Mediocria enim & moderata omnia ut corpori, ſic etiam animo proſunt, immoderata utrumque corrumpunt; & ideo tantopere laudatum eſt a veteribus τὸ μηδὲν ἄγαν, *Ne quid nimis*; & illud Heſiodeum:

μέτρον

cundiam, & dicerent utiliter a natura datam. Illa vero omnibus in rebus repudianda eſt: optandumque, ut ii, qui præſunt reipublicæ, legum ſimiles ſint, quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur.

26. Atque etiam in rebus proſperis, & ad voluntatem noſtram fluentibus, ſuperbiam, faſtidium, arrogantiamque magno opere fugiamus; nam ut adverſas res, ſic ſecundas

μετρον δε επι πασιν αριστον. *Menſura in omnibus optima*: a quo non abludit illud Horatianum:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit conſiſtere rectum.

Videndus Ariſtoteles lib. II. Ethic. Idem.

Modo ne laudarent iracundiam) Reprehendit Peripateticos, quod iracundiam laudent, & a natura utiliter datam dicant; in quo conſiderandum primum, quid ſit *iracundia*, & quomodo ab ira differat; dein verum ne ſit, iracundiam a Peripateticis laudari; & tandem quid inter Peripateticos, & Stoicos, hac in re non conveniat, & num merito Peripatetici a Stoicis reprehendantur. Seneca igitur lib. I. de ira cap. 4. ait inter *iram* & *iracundiam* idem intereſſe, quod inter *ebrium*, & *ebrioſum*, inter *timentem*, & *timidum*. Iratus poteſt eſſe non iracundus. Iracundus poteſt aliquando iratus non eſſe. Ira igitur eſt ὀργη, iracundia ὀργιλοτης. Hæc etiam Claudius Cæſar diſtinxit edicto, de quo Suet. *Iræ, atque iracundiæ conſcius ſibi, utrumque excuſavit edicto, diſtinxitque, pollicitus alteram quidem brevem, & innoxiam, alteram non injuſtam fore*. Iracundiam tamen Latini interdum pro *ira* dicunt. Plautus Aſinar. *Non hercle te provideram; quæſo ne vitio vertas. Ita iracundia obſtitit oculis*. Et Terent. *Vix ſum compos animi, ita ardeo iracundia*. Peripateticos iracundiam laudaſſe nuſquam reperimus. Sane Ariſtot. II. Ethic. prolixus eſt in iracundia ὀργιλοτητι reprehendenda ut vitioſa. Hoc tamen eis Cicero ſæpe objicit, ut hic, & IV. Tuſcul. c. 19. ſed hæc ex aliorum Peripateticorum commentariis Cicero, ut videtur, hauſerat. Et tamen vituperant Peripatetici ὀργὴν ἐπαινοῦσιν, & Ariſtoteles ipſe ait τον θυμον τῃ ανδρειᾳ συνεργειν, *iracundiam ſtrenuitati conferre*. Neque aliter Plato, qui & II. Polit. ait omnem ανδρειον ειναι θυμοειδη, *virum fortem eſſe iracundum*: & V. de legibus θυμοειδη μεν χρη, inquit, παντα ανδρα ειναι, *unumquemque oportet iracundum eſſe*. Et Græci proverbio ajunt, qui iraſci neſciat, eum mente etiam carere. Stoici autem iram damnant. Sed tamen de vocibus tantum videntur litigare, Peripatetici, & Stoici. Nam ſi ira ſemper eſt παθος αλογον: ſin poteſt ratione dirigi, & eſt interdum ὁρμη τις εγειρουσα την ψυχην προς την ανδρειαν, *vis excitans animum ad ſtrenuitatem*, merito commendari poteſt; neque eradicanda, ſed moderanda eſt. Itaque Horatius cum dixit, *ira furor brevis eſt*, addit, *qui non moderabitur iræ*, &c. non dicit, qui non extinguit, ſed qui non moderabitur iræ. Idem.

Legum ſimiles ſint) Hinc hauſit Seneca, qui lib. I. de Ira cap. 16. *Procedam in tribunal non furens, nec infeſtus, ſed vultu legis*: quæ ſcilicet non excandeſcit, ſed omnibus eſt æqualis. Immerito hunc locum vexant nonnulli. Calliſtratus lib. I. de cognitionibus in Pandecte de Officio Præſidis: *In cognoſcendo neque excandeſcere adverſus eos, quos malos putat, neque precibus calamitoſorum inlacrymari oportet: id enim non eſt conſtantis, & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit*. Græv.

Superbiam, faſtidium, arrogantiam magnopere fugiamus) Hinc Horatii præceptum lib. II. carm. 3.

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem, non ſecus in bonis,
Ab inſolenti temperatam
Lætitia, moriture Delli.

Et eodem lib. carm. 10.

 Rebus

das immoderate ferre, levitatis eſt: præclaraque eſt æquabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus, eademque frons, ut de Socrate, item de C. Lælio accepimus. Philippum quidem Macedonum regem, rebus geſtis, & gloria ſuperatum a filio; facilitate & humanitate video ſuperiorem fuiſſe. Itaque alter ſemper magnus, alter ſæpe turpiſſimus fuit: ut recte præcipere videantur, qui monent, ut quanto ſuperiores ſumus, tanto nos geramus ſubmiſſius. Panætius quidem Africanum auditorem, & familiarem ſuum ſolitum ait dicere, ut equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exſultantes domitoribus tradere ſoleant, ut his facilioribus poſſint uti: ſic homines ſecundis rebus

Rebus anguſtis animoſus, atque
Fortis appare; ſapienter idem
Contrahes vento nimium ſecundo
Turgida vela.

Nam, ut idem alibi ait:

Quem res plus nimio delectavere ſecundæ,
Adverſæ quatient.

Difficilius feruntur ſecundæ, quam adverſæ res. Gobryas apud Xenophontem lib. VIII. Pædias: *Δοκει δε μοι, ω Κυρε, χαλεπωτερον ειναι ἑυρειν ανδρα τ' αγαθα καλως φεροντα, η τα κακα· τα μεν γαρ ὑβριν τοις πολλοις, τα δε σωφροσυνην τοις πασιν εμποιει. Videtur autem mihi, o Cyre, difficilius eſſe invenire hominem ſecundas res bene ferentem, quam adverſas; illæ enim ſuperbiam multis afferunt, hæ autem ſapientiam omnibus.* Cato in oratione pro Rhodienſibus apud Gellium: *Adverſæ res ſe domant, & docent, quid opus ſit facto. Secundæ res lætitia tranſverſum trahere ſolent a recte conſulendo, atque intelligendo.* Pindarus ait, Tantalum non potuiſſe *καταπεψαι τον μεγαν ολβον*, *Magnam felicitatem cohibere.* Et Publius Syrus Mimus: *Fortuna, nimium quos fovet, ſtultos facit.* Hinc Ariſtot. lib. IV. Ethic. *Ανευ γαρ αρετης ȣ ῥαδιον φερειν εμμελως ευτυχηματα. Nam ſine virtute difficile eſt ferre ſecundam fortunam.* Vide & Ariſtot. VII. Polit. 15. Plutarchus de diſcrimine adulatoris, & amici: Ολιγοι γαρ εισιν οἱς μετα τȣ ευτυχειν παραγινεται το φρονειν. *Pauci enim ſunt, quibus poſt res ſecundas contingit ſapere.* Homerus: *τικτει τοι κορος ὑβριν ὁταν κακω ολβος ἑπηται:* *Superbiam parit ſatietas, cum malo felicitas obvenerit.* Mvretvs.

Magnopere fugiamus) Langius edidit *magno opere*, atque ita in optimo exemplari noſtro hic legitur, ſicut & ſupra: *In quo tanto opere apud noſtros juſtitia culta eſt.* Sic quoque in Mediceo libro Epiſt. ad Famil. & aliis antiquis, *magno opere*, *maximo opere*, *tanto opere*, *quanto opere*, *ſummo opere*, multis locis invenitur. Fr. Fabric.

Eademque frons, ut de Socrate) Hæc de Socrate Xantippe prædicat III. Tuſcul. 15. Vide & Senec. ep. 104. Laert. in ejus vita. Muret.

Facilitate, & humanitate video ſuperiorem fuiſſe) Iuſtin. IX. 8. *Iram pater* (Philippus) *diſſimulare, plerumque etiam vincere: hic ubi exarſiſſet, nec dilatio ultionis, nec modus erat.* Mox: *Regnare ille cum amicis volebat, hic in amicos regna exercebat.* Gravivs.

Alter ſemper turpis) Maxime propter arrogantiam, quod Clytum patrem ei æquantem occiderit, & Calliſthenem, quod eum adorare nollet, truncatis omnibus membris, abſciſſis auribus, naſo, labris, incluſum cavea circumferret. Vide Iuſtin. XII. & XV. 3. Idem.

Quanto ſuperiores ſumus, tanto nos geramus ſubmiſſius) Verum enim eſt, quod pulcre Phædrus III. 16.

Humanitati qui ſe non accommodat,
Plerumque pœnas oppetit ſuperbiæ.

Itaque: *Quo plura poſſis, plura patienter feras*, ſecundum Senecam Troad. Idem.

Tem-

rebus effrenatos, ſibique præſidentes, tamquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere, ut perſpicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque fortunæ. Atque etiam in ſecundiſſimis rebus maxime eſt utendum conſilio amicorum, hiſque major etiam, quam ante, tribuenda auctoritas; iiſdemque temporibus cavendum eſt, ne aſſentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos ſinamus: in quo falli facile eſt. Tales enim nos eſſe putamus, ut jure laudemur; ex quo naſcuntur innumerabilia peccata, cum homines inflati opinionibus, turpiter irridentur, & in maximis verſantur erroribus. Sed hæc quidem hactenus. Illud autem ſic eſt judicandum, maximas geri res, & maximi animi ab iis, qui reſpublicas regant, quod earum adminiſtratio latiſſime pateat, ad plurimoſque pertineat. Eſſe autem magni animi, & fuiſſe multos etiam in vita otioſa, qui

Tamquam in gyrum) Petita ab equis ſimilitudine, qui aguntur iu gyrum, certis præfinitis limitibus, ut eorum impetus frangatur. FACCIOLAT.

Etiam in ſecundiſſimis rebus maxime eſt utendum conſilio amicorum) Minus enim nobis in iis cavemus, & res ſecundæ animos vaniſſimis opinionibus inflant. *Cum omnia*, inquit Seneca, *quæ exceſſere modum, noceant, perículoſiſſima felicitatis intemperantia eſt. Movet cerebrum, in vanas mentem imagines vocat, multum inter falſum verum mediæ caliginis fundit*. Hæc caligo amicorum certorum conſilio eſt diſcutienda. Sed hi amici certi in rebus ſecundis, æque ac in adverſis, valde rari ſunt. *Monſtrabo tibi*, inquit Sen. VI. de Benef. cap. 30. *cujus rei inopia laborent magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit: ſcilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipſaque conſuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum vindicet a conſenſu concentuque falſorum*. Vide plura ibi. *Sed miſer eſt imperator, apud quem vera reticentur*: ut Capitolin. in Gordian. 25. GRÆV.

Ne aſſentatoribus patefaciamus aures) Nam, ut recte Diphilus apud Athen. lib. VI.

Oʻ κολαξ ϛρατηγον, και δυνασας, και φιλυς
Και τας πολεις ανατρεπει,
Λογῳ κακυργῳ μικρον ἡδυνας χρονον.
Aſſentator imperatorem, dynaſtas, & amicos,
Ac denique civitates evertit,
Sermone damnoſo brevi tempore oblectans.

Characterem aſſentatoris vide apud Theophraſtum: vide & Plutarchi librum de diſcrimine adulatoris, & amici. IDEM.

Nec adulari nos ſinamus) Vel *adulari* patiendi hic ſignificationem habet, vel legendum, *adulari nobis ſinamus*, mendoſe porro operæ hic fecerunt olim, *non*, pro *nos*. LAMBIN. *Ne aſſentatoribus*) In uno MSo, & Nonii libris eſt, *Ne aſſentationibus*. Eadem varietas eſt in Lælio, ubi in ſcriptis quibuſdam libris invenio: *ſemper auget aſſentator id, quod is* &c. Verba, quæ ſequuntur apud Nonium, ita referuntur: *Neve adulari nos ſinamus*. Quare nihil in hoc genere contra librorum veterum auctoritatem eſt immutandum. FR. FABRIT. Lucret. lib. V.

Longe alio pacto gannitu vocis adulant.

Accius Prometh.

Sublime advolans
Pennata cauda noſtrum adulat ſanguinem. GRÆV.

Tales enim nos eſſe putamus, ut jure laudemur.) Vide Senec. præfat. lib. IV. Natur.

qui aut inveſtigarent, aut conarentur magna quædam, ſeſeque ſuarum rerum finibus continerent: aut interjecti inter philoſophos, & eos, qui rempublicam adminiſtrarent, delectarentur re ſua familiari, non eam quidem omni ratione exaggerantes, neque excludentes ab ejus uſu ſuos: potiuſque & amicis impartientes, & reipublicæ, ſi quando uſus eſſet; quæ primum bene parata ſit, nullo neque turpi quæſtu, neque odioſo: tum quam plurimis, modo dignis, ſe utilem præbeat: deinde augeatur ratione, diligentia, parſimonia: nec libidini potius luxuriæque, quam liberalitati & beneficientiæ pateat. Hæc præſcripta ſervantem

tem

Natur. Quæſt. & Athen. VI. Dipnoſoph. Idem.

Aut conarentur magna) Etſi illa non aſſequerentur. *Nam in magnis voluiſſe ſat eſt*. Idem.

Seſeque ſuarum rerum finibus continerent) Qui contenti eſſent ſua fortuna, & ſorte, dignitates, & honores non captarent. Idem.

Interjecti inter philoſophos) I. e. qui nec philoſophi erant, nec gubernatores Reipublicæ: ſed medii cujuſdam generis, & ad rem ſuam familiarem ſolum in iſta vita privata attenti. De philoſophis dixerat in præcedenti ſententia. Pearce.

Potiuſque, & amicis impartientes) His, & præcedentibus verbis deſcripſit quaſi Pomponium Atticum: vide vitam ejus apud C. Nepotem. Qui privatus in magna dignatione fuit apud omnes, & pecuniam impertiebat liberaliter, ſi quando uſus eſſet amicis, cetera diligens pater familias, cum in quærenda, tum in tuenda re familiari. Græv.

Bene parata ſit) Potius *parta*, ut Victorius, Manutius, & Gruterus: ita MSus Groning. & alii nonnulli. Vulgo *parata*; quæ, ſi vera eſt lectio, hîc idem valet, quod comparata, & acquiſita. Vocibus *bene parta* contrariæ ſunt voces *male parta*, de quibus Cicero in Or. Philipp. II. 27. *male parta male dilabuntur*. Pearce.

Nullo neque turpi quæſtu, nec odioſo) Ariſtoteles I. Polit. duplicem conſtituit quæſtum, naturalem, & non naturalem, ſeu qui naturæ adverſetur. Quærendi rationem naturalem vocat οἰκονομικὴν, quæ e fructibus terræ, & animalibus ad victum neceſſaria ſibi comparat; alteram nominat μεταβλητικὴν, & καπηλικὴν, quæ in mutandis mercibus verſatur, aut mercedibus ex manuum opificio captandis conſiſtit, quam non ſecundum naturam eſſe, eoque vituperandam, & rejiciendam, ut minime nimirum neceſſariam. Sed hanc ſententiam Ariſtotelis multis refellit docte Salmaſius de Vſuris cap. 11. 12. & ſequentibus. Gentilium Philoſophi uſuram ἐπονείδιστον καὶ μισητὸν χρηματισμὸν, *inviſum, & inhoneſtum quæſtum* vocant: nimirum quæ eſt contra leges, quæ modo caret, & finem non alium ſibi proponit, niſi lucrum ſine fine. Grævius.

Beneficientiæ pateat) Noſtri manuſcripti cum Victorianis pro, *pateat*, habent *pareat*: quod Marſus quoque agnoſcit, & interpretatur, ſerviat. Fr. Fabrit. *Pareat* eſt quoque in MSis Guilielm. & Grævii, & Pithœi; ſed vulgatam probant, quæ ſequuntur: *nec ita reſeranda benignitas, ut pateat omnibus*. Guilielm. Vocem *pareat* habent etiam MSi fere omnes Oxon. quatuor Regii, Mead. duo, Mill. & Norf. pr. Vt hîc dicitur, *nec libidini potius* . . . *quam* . . . *beneficientiæ pareat*: ita dicitur in Or. contra Verr. I. 31. *Niſi id libidini tuæ cupiditatique paruerit*: & de Fin. II. 19. *Si quis ſine teſte libidini pareat*. Pearce.

Vitæ

Digitized by Google

tem licet magnifice, graviter, animoſeque vivere, atque etiam ſimpliciter, fideliter, vitæque hominum amice.

27. Sequitur, ut de una reliqua parte honeſtatis dicendum ſit: in qua verecundia, & quaſi quidam ornatus vitæ, temperantia, & modeſtia, omniſque ſedatio perturbationum animi, & rerum modus cernitur. Hoc loco continetur id, quod dici Latine decorum poteſt: Græce enim πρεπον

Vitæque hominum amice) Vt nullius hominis inimicitiam ſuſcipias, ſed omnium benevolentiam tibi concilies. Nam ambitio, & honorum cupiditas multas amicitias dirimit, ut oſtendit Cicero in Lælio, qui ibidem ait: *Veræ amicitiæ difficillime reperiuntur in iis, qui in honoribus, reque publica verſantur*. Sic &, quod præcedit, *ſimpliciter, & fideliter vivere*, eſt ſine fuco, & ſimulatione amicitiam colere. Etenim *ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit, aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promtum habere, amicitias, inimicitiaſque non ex re, ſed ſuo commodo æſtimare, magiſque vultum quam ingenium bonum habere*, ut ait Salluſt. Catilin. *Animoſe* autem *vivere*, eſt ſine inſidiarum metu. GRÆV.

In qua verecundia, & quaſi quidam ornatus vitæ) Quidam lib. *In qua verecundia quaſi quidam ornatus vitæ*. Eſt enim, mehercule, verecundia in vita humana, tamquam flos quidam. Sed rectius ad temperantiam refertur ſervata recepta lectione; ſequitur enim Platonem, cujus ſunt hæc verba lib. IV. de rep. Κοσμος τις ἡ Σωφροσυνη εςι και ἡδονων τινων και επιθυμιων εγκρατεια, ὡς φασι, id eſt, *temperantia eſt ornatus quidam, & voluptatum quarumdam, & cupiditatum continentia, ut ajunt*. C. LANG.

Et quaſi quidam ornatus vitæ temperantia) Temperantia hic eſt omnis virtus, aut id, quod decorum in omni virtute eſt, quod cum ipſa vox indicat, cum temperantia mediocritatem notat, & omnis virtus mediocritas eſt, tum vox Græca σωφροσυνη, quæ ſic dicitur quaſi σαοφροσυνη conſervatrix, ſeu nutrix prudentiæ, unde & apud Homerum, adnotante Stobæo, dicitur quaſi σωα φρονησις, *prudentia ſalva* ſerm. V. apud Platonem in Orat. σωτηρια φρονησεως, incolumitas, ſaluſve prudentiæ, apud Ariſtotelem σωζουσα την φρονησιν, *ſervans prudentiam*: & hac de cauſa temperans, tum σωφρων, quaſi ſapientiam, aut bonam mentem incolumem tuens vocatur, tum χαλιφρονι imprudenti, ſive ſtulto opponitur. Indicat hoc quoque multiplex commendatio, qua & Pythagoræ dicta eſt ῥωμη ψυχης, *robur animæ*; Socrati κρηπις αρετης, *fundamentum virtutis*; Platoni κοσμος αγαθων παντων, *omnium bonorum ornamentum*; Iamblicho, qui hæc ipſa refert, ασφαλεια των καλλιςων ἑξεων, *pulcherrimorum habituum munimen*. Cicero vocat etiam *moderationem*, & *modeſtiam*. GASSENDVS. Temperans Ciceroni eſt, non modo qui ſobrie, caſteque vivit, ſed etiam qui nihil non compoſite, decenterque, aut dicit, aut facit, nihil quod cum bonorum, ſapientumque omnium approbatione non excipiatur, cujus ſpecies ſunt verecundia, & honeſtas, quæ latius patent, & manſuetudo, clementia, modeſtia. Non quidem loquitur ex Ariſtotelis, ſed ex Stoicorum aliorumque Philoſophorum veterum ſententia Cicero, ut idem oſtendit Gaſſendus de Philoſophia morali Epicuri. GRÆV.

Et rerum modus) De quo & loquitur Horatius:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit conſiſtere rectum.

Hoc eſt illud μηδεν αγαν tantopere celebratum poetis, & philoſophis, quod Terentius vertit, *ne quid nimis*. IDEM.

Quod dici latine decorum poteſt: Græce enim πρεπον dicitur) Quam difficile ſit hoc ſemper obſervare, docet Cic.

de

Digitized by Google

πρεπον, dicitur. Hujus vis ea eſt, ut ab honeſto non queat ſeparari. Nam & quod decet, honeſtum eſt: & quod honeſtum eſt, decet. Qualis autem differentia ſit honeſti, & decori, facilius intelligi, quam explanari poteſt; quidquid eſt enim, quod deceat, id tum apparet, cum antegreſſa eſt honeſtas. Itaque non ſolum in hac parte honeſtatis, de qua hoc loco differendum eſt, ſed etiam in tribus ſuperioribus, quid deceat, apparet; nam & ratione uti, atque oratione prudenter, & agere quod agas, conſiderate: omnique in re quid ſit veri, videre, & tueri decet: contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam delirare, & mente eſſe captum; & juſta omnia, decora ſunt; injuſta contra, ut turpia, ſic indecora. Similis eſt ratio fortitudinis; quod enim viriliter, animoque magno fit, id dignum viro, & decorum videtur: quod contra, id ut turpe, ſic indecorum Quare pertinet quidem ad omnem honeſtatem hoc, quod dico, decorum: & ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur, ſed ſit in promtu; eſt enim quiddam, idque intelligitur in omni virtute, quod deceat: quod cogitatione magis a virtute poteſt, quam re ſeparari. Vt venuſtas, & pulcritudo corporis ſecerni non poteſt a valitudine: ſic hoc, de quo loquimur, decorum, totum illud quidem eſt cum virtute confuſum; ſed mente, & cogitatione,

de Orat. *Vt in vita, ſic in oratione nihil eſt difficilius, quam quod deceat videre; πρεπον appellant Græci, nos dicamus ſane decorum. Hujus ignoratione non modo in vita, ſed ſæpiſſime, & in poematis, & in oratione peccatur*. Hoc qui obſervant in oratione dicuntur *apte ſcribere*; unde Horat. de Homero: *Qui nil molitur inepte*, qui ſemper apte ſcribit; & in vita, ita vivere, ut omnia fiant apte; nihil quod dedeceat, & reprehendi a quoquam bonæ mentis poſſit: qui vero id negligit in alterutro *ineptus*. Horat. *ſive vivat ineptus*; & de ſtylo Suet. in Claud. *Compoſuit & de vita ſua octo volumina, magis inepte, quam ineleganter*. Veteres gloſſæ: *μωρος ineptus*. Idem.

Cum antegreſſa eſt honeſtas) Culpa legentium fit, non ſcribentium, ut hoc tempore multis multa nova, & inuſitata videantur, quæ Ciceronis ætate uſitata, & trita fuerunt. In iis eſt, *Antegredi*, verbum, quod id temporis pro eo, quod Græci προηγεισθαι dicunt, crebris uſurparunt ſermonibus. Sic quod Stoici in conſtitutione fati ſumſerunt, *παντα γινεσθαι κατα προηγμενας αιτιας*, Cicero vertit, *Omnia, quæ fiunt, cauſis fiunt antegreſſis*. Fr. Fabrit. Honeſtas antegreditur, tamquam cauſſa hoc modo: eſt honeſtum, ergo decet. Cum autem dicimus: decet, ergo honeſtum eſt: argumentatio eſt ab effectu. Facciolat.

Oratione prudenter) Contra hanc virtutem peccant *αδολεσχοι*, garruli; & *λαλοι*, linguaces, quorum characteres vide apud Theophraſtum in aureolo libello, *ηθικοις χαρακτηρσι*; ſed tamen

tione diſtinguitur. Eſt autem ejus deſcriptio duplex; nam & generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honeſtate verſatur: & aliud huic ſubjectum, quod pertinet ad ſingulas partes honeſtatis. Atque illud ſuperius ſic fere definiri ſolet: Decorum id eſſe, quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ, in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differat. Quæ autem pars ſubjecta generi eſt, eam ſic definiunt, ut id decorum eſſe velint, quod ita naturæ conſentaneum ſit, ut in eo moderatio, & temperantia appareat cum ſpecie quadam liberali.

28. Hæc ita intelligi exiſtimare poſſumus ex eo decoro, quod poetæ ſequuntur, de quo alio loco plura dici ſolent. Sed tum ſervare illud poetas dicimus, quod deceat, cum id, quod quaque perſona dignum eſt, & fit, & dicitur; ut, ſi Æacus, aut Minos diceret:

Oderint, dum metuant: . . . . . aut:

Natis ſepulcro ipſe eſt parens:

indecorum videretur; quod eos fuiſſe juſtos accepimus: at Atreo dicente, plauſus excitantur; eſt enim digna perſona ora-

men longe latius hæc virtus patet, quamvis enim aliquis, nec garrulus ſit, nec loquax, poteſt tamen imprudenter oratione uti. Is igitur prudenter oratione utitur, qui in omni tempore, & loco ea loquitur, quæ temporum, & loci ratio poſtulat. GRÆV.

Cum ſpecie quadam liberali) Cum quadam elegantia, qualis eſt hominum liberaliter educatorum, & liberalibus artibus imbutorum, qui in omni ſenſu, oratione, geſtuve nihil inſulſi, nihil abſurdi, & inconditi præ ſe ferunt. IDEM.

(*Cum id, quod quaque perſona dignum eſt, & fit, & dicitur*) De hoc decoro multa egregie Horatius in epiſtola de arte poetica:

Si dicentis erunt fortunis abſona dicta,
Romani tollent equites, peditesque cachinnum.
Intererit multum, Davus ne loquatur, an heros;
Maturus ne ſenex, an adhuc florente juventa
Fervidus, an matrona potens, ac ſedula nutrix,
Mercator ne vagus, cultor ne virentis agelli;
Colchus, an Aſſyrius, Thebis nutritus, an Argis.

Vide quæ ibi ſequuntur plura, & I. Cæſ. Scaligerum lib. III. de Re poetica. IDEM.

Natis ſepulcrum ipſe eſt parens) Veteres libri partim ita, partim, *ſepulcro*, habent. Eſt autem dimeter jambicus ex tragœdia, unde plures verſus exſtant Tuſc. IV. FR. FABRIT. *Sepulcro*, eſt in edd. vett. in Pith. & MSis omnibus, quos Guilielmius, & Gruterus viderunt. Applaudo Ioanni Frid. Gronovio conjicienti tyrannum apud poetam dixiſſe: *Natis ſepulcro ipſe ſit parens*, ut in præcedente verſu, *oderint dum metuant*, hoc enim vere tyrannicum. Illud vero Thyeſteas epulas commemorans, *parens eſt natis ſepulcro*, quilibet dicere poteſt: Quid enim in illis tyrannicum? GRÆV. Ex Accii fabula, *Atreus* vocata, hæc verba proferri videntur, quibus ibi Atreus jam voti compos utitur, & quæ ad Thye-

oratio. Sed poetæ quid quemque deceat, ex perſona judicabunt; nobis autem perſonam impoſuit ipſa natura, magna cum excellentia, præſtantiaque animantium reliquarum. Quocirca poetæ in magna varietate perſonarum, etiam vitioſis quid conveniat, & quid deceat, videbunt: nobis autem cum a natura conſtantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes datæ ſint; cumque eadem natura doceat, non negligere, quemadmodum nos adverſus homines geramus: efficitur, ut & illud, quod ad omnem honeſtatem pertinet, decorum, quam late fuſum ſit, appareat; & hoc, quod ſpectatur in unoquoque genere virtutis. Vt enim pulcritudo corporis apta compoſitione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes cum quodam lepore conſentiunt: ſic hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuſcum vivitur, ordine, & conſtantia, & moderatione dictorum omnium, atque factorum. Adhibenda eſt igitur quædam reverentia adverſus homines, & optimi cujuſque, & reliquorum; nam negli-

Thyeſteas epulas reſpiciunt. Lambinus ex ſuis quibuſdam codicibus legendum cenſuit, *natis ſepulcro ipſe ſit parens*; quod & I. Fr. Gronovio valde placuit, hæretque in MSis Bal. & Mag. At, qui legerit *ſit*, melius verſus metro conſulet, ſi alium verborum ordinem ſervabit, *ſepulcro natis ipſe ſit parens*. Senſus eſt; pater, qui ſuorum natorum carnes ederit, ipſe eſt illis ſepulcrum. De Tereo apud Ovid. Metam. VI. 665. dicitur,

Flet modo, ſeque vocat buſtum miſerabile nati. Pearce.

Nobis autem perſonam) Vide Epicteti Enchiridion XXIII. & Arriani diſſert. IV, 7. Graev.

Magna cum excellentia) Non uſitato modo hæc dicuntur: ſenſus vero eſt; adeo ut multo excellentiores, præſtantioreſque ſimus, quam reliquæ animantes. Pearce.

Animantium reliquarum) Sic Langius, & Lambinus ediderunt, cum in aliis libris ſit, *reliquorum*, quæ generis varietas in hoc nomine inſolens non eſt: atque Ciceronem utroque genere id uſurpare in vulgus notum eſt; itaque exemplis, quæ ſunt in promtu, ſuperſedeo: paullo poſt lege, *datæ ſint*, Fr. Fabri.

Cumque eadem natura doceat, non negligere, quemadmodum nos adverſus homines geramus) Quod qui negligunt, dicuntur ἀπονενοημένοι, ἀναίσχυντοι, & βδέλυροι, impudentes, perditi, & profligati pudoris, diſſoluti; qualem fuiſſe in ætate juvenili Agathoclem ſcribit Iuſtinus, *Qui nec in fortunis, quod amitteret, nec in verecundia, quod inquinaret, habere videbatur*. De utriſque vide characteres Theophraſti de ἀπονοίᾳ, ἀναισχυντίᾳ, & βδελυρίᾳ; ſunt enim cognata vitia. Graev.

Hoc decorum, quod elucet in vita) Ideo quos libros alii de officiis inſcripſerant, Nicolaus Damaſcenus de eodem argumento conditos de *interiore pulcritudine* inſignivit, teſte Simplicio ad Enchir. Epict. XXXVII. Idem.

Adhibenda eſt igitur reverentia quædam adverſus homines, & optimi cujuſque) Duas voces, *adverſus homines*, ut ſupervacaneas, & a ſemidocto aliquo in contextum illatas, delendas arbitror; ordo enim eſt hic, *reverentia optimi cujuſ-*

negligere, quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti. Eſt autem quod differat, in hominum ratione habenda, inter juſtitiam, & vere-
cun-

cujuſque viri, & reliquorum eſt adhibenda, niſi ita dicamus, *reverentia optimi cujuſque, & reliquorum, adhibenda eſt adverſus homines* : quod duriuſculum eſt. LAMBIN. Sed omnes veteres libri ſtant pro vulgata. GRÆV.

Negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti) Stoici famam, & exiſtimationem habent inter *ἀδιάφορα*, ſed quæ tamen propter utilitatem non eſſet negligenda. *Δόξαν καὶ ἀδοξίαν* M. Antonin. lib. II. bonam & malam famam refert inter res medias, & quæ nec malæ ſint, nec bonæ, vide & Laert. in *Zenone*. Sed tamen non conveniebant Stoicorum ſententiæ, ut oſtendit Cicero III. de Finibus c. 17. *Chryſippus quidem, & Diogenes, detracta utilitate, ne digitum quidem ejus* (*εὐδοξίας*, vertit *bonam famam*) *cauſſa porrigendum eſſe dicebant*. Dein : *Qui autem poſt eos fuerunt, cum Carneadem ſuſtinere non poſſent, hanc, quam dixi bonam famam, ipſam propter ſe propoſitam, & ſumendam eſſe dixerunt, eſſeque hominis ingenui, & liberaliter educati, velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris, idque propter rem ipſam, non propter uſum : dicuntque, ut liberis conſultum velimus, etiamſi poſthumi futuri ſint, propter ipſos : ſic futuræ poſt mortem famæ tamen eſſe propter rem, etiam detracto uſu, conſulendum*. Antiqui Eccleſiæ doctores, non tam propter nos, quam propter alios famæ bonæ ſerviendum eſſe docent. Radulphus Ardentius homil. in III. Dominicam Adventus : *Oſtendit Apoſtolus exemplo ſui, ſana conſcientia judicium hominum eſſe parvi pendendum. Quare? Quia judicium hominum fallitur, & fallit. Fallitur, quia ſæpe bonum judicat eſſe malum, & malum bonum. Fallit, quia cum indignus a populo laudatur, ſæpe ob hoc interius gloriatur. Et ad hoc inducitur, ut plus aliis de ſe credat, quam ſibi, cum ſcriptum ſit : Plus alii de te, quam tu tibi credere noli. Ait ergo Apoſtolus : mihi autem pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die* (I. Cor. 4.) *Non tamen ait* pro nihilo. *Quia quamvis fama, & judicium plebis de nobis ſit vili pendendum nobis pro nobis : tamen propter profectum proximorum non eſt omnino negligendum. Sicut enim munda conſcientia neceſſaria eſt ante Deum, ita munda fama ante proximum. Vel parum enim, vel nihil valet bona prædicatio, ſine bono exemplo. Nam cujus vita deſpicitur, reſtat, ut ejus prædicatio contemnatur*. Dein : *Hinc etiam dicitur, crudelis eſt, qui famam negligit*. Nec aliter ſentit Auguſtinus Orat. LII. ad fratr. in eremo : *Conſcientia nobis neceſſaria eſt, fama proximo : qui conſcientia fidens famam negligit, crudelis eſt*. Optimum eſt præceptum Metrodori : Ἐν πόλει μήτε ὡς λέων μήτε ὡς κώνωψ, τὸ μὲν ἐκπατεῖται, τὸ δὲ παραφυλάσσεται. *In civitate verſare, ut neque leo ſis, neque culex : ſiquidem hic exteritur, illi autem inſidiæ ſtruuntur*. GRÆV.

Omnino diſſoluti) Diſſolutus eſt turpiter negligens, cum in rebus, tum ſermone. In Orat. pro Quint. *Diſſolutus, profuſus, perditus nepos*. Ibid. *Diſſolutus in re familiari, ac negligens*. In IV. Verrina : *In communi omnium gentium religione, inque his ſacris negligentes, ac diſſoluti, ſi cupiamus eſſe, qui poſſumus*. Oraculum vero eſt illud Taciti IV. Annal. 39. *Cum contemtu famæ, contemni quoque virtutem*. IDEM.

Eſt autem quod differat, in hominum ratione habenda) Sic reſtitui ex auctoritate codicum antiquorum : atque ita ſine dubio legendum. Videtur autem idem fere valere hoc ; *in hominum ratione habenda*, atque illud, *adhibenda hominum reverentia* : niſi quod habere hominum rationem, latius patet, quam, adhibere reverentiam. LAMBIN. *In hominum ratione habenda*) Langius vulgatam lectionem, *In omni ratione habenda*, retinuit, pro qua Lambinus hanc ex veterum codicum auctoritate repoſuit ; eadem eſt in editione Victoriana, & duob. MSis noſtris. Sumit autem Cicero differen-
tiam

cundiam. Juſtitiæ partes ſunt, non violare homines: Verecundiæ, non offendere: in quo maxime perſpicitur vis decori. His igitur expoſitis, quale ſit id, quod decere dicimus, intellectum puto. Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc primum habet viam, quæ deducit ad convenientiam, conſervationemque naturæ: quam ſi ſequemur ducem, numquam aberrabimus: ſequemurque & id, quod acutum, & perſpicax natura eſt; & id, quod ad hominum conſo-

tiam ex ratione ſocietatis humanæ: in qua tuenda aliud juſtitiæ, aliud verecundiæ munus eſſe oſtendit. Fr. Fabrit.

Verecundiæ non offendere) Ariſtoteles IV. Nicom. ult. Verecundiam contendit non eſſe virtutem, quod nihil aliud ſit, quam metus quidam infamiæ: hujuſmodi tamen perturbatio eo confert, ut ea ſeu voluptas, ſeu elatio animi declinetur, ex qua ſit alioquin gravior, diuturniorque perturbatio oritura, ægritudo nempe, quæ propter infamiam dedecuſve contrahi ſolet. Nam quamvis laudatiſſimum ſit, intemperantiam fugere, & temperantiam proſequi decori ſolius amore, laude tamen quoque non caret idem agere propter verecundiam, metumve infamiæ, quæ alioquin impenderat; quod, ut tenebras odiſſe non poteſt, niſi qui lucem amaverit; ita averſari infamiam, dedecuſque non valeat, niſi cui proba fama, ac decus ſit cordi. Vnde efficitur, ut tametſi videatur Ariſtoteles, quo dictum eſt loco, verecundiam improbare, cenſeri tamen poſſit facere id ſolum, quatenus verecundia idem reputatur cum eo pudore, ex quo naſcitur ruboris ſuffuſio: quam ut in adoleſcentibus probat, quos ætatis fervor excuſet, ſic improbat in ſenibus, qui nihil debeant committere, unde ſuppudere eos poſſit. Alioquin certe idemmet in Magnis Moralibus lib. I. cap. 30. & in Eudemiis II. c. 3. verecundiam inter virtutes connumerat, ipſam quoque definiens mediocritatem inter extrema, quæ illi aſſignat *αισχυντιαν, και καταπληξιν impudentiam*, atque *ſtuporem*: quaſi ſcilicet verecundia ſit αιδως pudor aliquis, non qui incutiatur ob turpitudinem admiſſam, verum qui præcurrat, ut cautio, ne turpitudo admittatur. Gassend. Plato: Θεος δεισας περι τῳ γενει ανθρωπων μη απολοιτο παν, δωρειται ανθρωποις αιδω τε και δικην ιν' ειεν πολεων κοσμοι τε και δεσμοι φιλιας συναγωγοι. *Deus metuens, ne plane interiret genus humanum, dedit hominibus Iuſtitiam, ac Pudorem, ornamenta civitatum, & ad amicitiam colligandam vincula*. Plutarchus ſimili modo δικην vocat ενοικον αιδυς, *juſtitiam pudoris cohabitatricem*. Poeta Latinus:

Nondum juſtitiam facinus mortale fugarat,
Vltima de ſuperis illa reliquit humum.
Proque metu populum ſine vi pudor ipſe regebat.

Grotius III. de Iure Belli & Pacis 10. ubi vide plura. Grav.

Hanc primum habet viam) *Vim*, edidit Victorius: quod Camerarius ſe non rejicere teſtatum reliquit. Fr. Fabrit.

Convenientiam) Vt conveniat naturæ humanæ, hoc eſt rationi. Stoici vocant ὁμολογιαν, ut ipſe docet III. de Fin. *Vt ſtatueret in eo collocatum ſummum illud hominis per ſe laudandum, & expetendum bonum, quod cum poſitum ſit in eo quod ὁμολογιαν Stoici; nos appellemus convenientiam, ſi placet*. Sed in II. de Divin. ſic vertit συμπαθειαν. *Conjectores ſomniorum ſignificationes faciunt ex quadam convenientia, & conjunctione naturæ, quam vocant συμπαθειαν*. Gravius.

Id, quod acutum, & perſpicax natura eſt) Quod nobis oſtendit prudentia. Nam ſecundum Satyricum

Nullum Numen abeſt, ſi ſit prudentia. Idem.

Id,

conſociationem accommodatum; & id, quod vehemens, atque forte. Sed maxima vis decori in hac ineſt parte, de qua diſputamus; neque enim ſolum corporis, qui ad naturam apti ſunt, ſed multo etiam magis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati ſunt. Duplex eſt enim vis animorum, atque naturæ: una pars in appetitu poſita eſt, quæ eſt ὁρμη Græce, quæ hominem huc, & illuc rapit: altera in ratione, quæ docet, & explanat, quid faciendum, fugiendumque ſit: ita fit, ut ratio præſit, appetitus obtemperet.

29. Omnis autem actio vacare debet temeritate, & negligentia: nec vero agere quidquam, cujus non poſſit cauſam probabilem reddere. Hæc eſt enim fere deſcriptio officii. Efficiendum autem eſt, ut appetitus rationi obediant, eamque neque præcurrant, nec propter pigritiam, aut ignaviam deſerant: ſintque tranquilli, atque omni perturba-

Id, quod ad hominum conſociationem accommodatum) In quo verſatur juſtitia. IDEM.

Et id, quod vehemens, atque forte) Quod eſt fortitudinis, in adeundis periculis, ſuſcipiendis laboribus, & offenſionibus ſubeundis. IDEM.

Neque enim ſolum corporis) Senſus eſt: non ſolum motus corporis ſunt probandi, ut cognoſcamus, qui ſint ad naturam apti; ſed etiam, & multo etiam magis, motus animi ſunt probandi, ut cognoſcamus, qui eorum item ad naturam accommodati ſunt. PEARCE.

Duplex eſt enim vis animorum, atque naturæ) Videtur legendum, *atque natura*. LAMBIN. Lambinus legendum eſſe putat, *atque natura*. Eſt autem hæc bipartita diviſio animi *εις το λογιστικον, και το αλογιστον, και επιθυμητικον*, *in rationale, & irrationale, & avidum*, expoſita apud Platonem lib. IV. de rep. Paulo poſt noſtri libri manuſcripti cum vulgatis legunt: *Nec vero agere quidquam*. FR. FABRIT. Lambinus legit *natura*, quod habet MSus Groning. quodque ideo probo, quia in *animo* magis proprie, quam in *natura* dicuntur ineſſe *appetitus* & *ratio*, de quibus Noſter dicturus eſt. Sic in c. 36. *Motus animorum duplices ſunt, alteri cogitationis, alteri appetitus*. PEARCE.

Nec vero agere quidquam) Non alius eſt; qui præceſſerat, caſus nominativus, quam *actio*; *actio* vero non ſatis accurate dicitur *agere quidquam*: quocirca nonnulli ediderunt, *nec vero agi quidquam*, ut nominativus caſus ſit *quidquam*, & ſubintelligatur verbum *debet*. Sed cum nihil adjuvant MSi, legendum conjicio, *nec vero agere* (ſc. debet) *quis quidquam*; quod concinnius videtur, quam iſtud Lambini, *nec vero agere quiſquam quidquam*. Cum autem videam MSos Groning. & Bodl. pr. habere *poſſis*, ſic potius ſententiæ conſulendum eſſe puto: *nec vero agere* (ſubint. *debes*) *quidquam, cujus non poſſis cauſſam probabilem reddere*. IDEM.

Quid faciendum, fugiendumve ſit) Sic recte Palat. prim. & meus optimus vetus codex: male vulgo *fugiendumque*. GRÆVIUS.

Ut ratio præſit) Idcirco in capite collocata eſt, tamquam in arce a Platone. Vide Tuſculanam prim. IDEM.

Eamque neque præcurrant) Quod hic in libris quibuſdam, in quibus ſunt Victoriani, additur, *propter temeritatem*, id e gloſſemate irrepſiſſe, manuſcripti codices omnes clamant. FR.

turbatione animi careant. Ex quo elucebit omnis conſtantia, omniſque moderatio; nam qui appetitus longius evagantur, & tamquam exſultantes ſive cupiendo, ſive fugiendo, non ſatis a ratione retinentur, hi ſine dubio finem, & modum transeunt; relinquunt enim, & abjiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui ſunt ſubjecti lege naturæ: a quibus non modo animi perturbantur, ſed etiam corpora. Licet ora ipſa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti ſunt, aut voluptate nimia geſtiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, ſtatuſque mutantur. Ex quibus illud intelligitur (ut ad officii formam revertamur) appetitus omnes contrahendos, ſedandoſque, excitandamque animadverſionem, & diligentiam, ut ne quid temere, ac fortuitu, inconſiderate, negligenterque agamus; neque enim ita generati a natura ſumus, ut ad ludum, & jocum facti eſſe videamur: ſed ad ſeveritatem

Fabrit. At ſententiæ huic voces additæ a Victorio accommodatiſſimæ videntur, ut melius reſpondeant ſequentibus *propter pigritiam, aut ignaviam*. Sic enim Cic. in c. 21. *Ne aut deſperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter cupiditatem*. Pearce.

Sive fugiendo) In metu nimio, cum propter metum non audeo dicere, facereve, quod me decet, & officium requirit, aut etiam cum propter pigritiam, aut ignaviam officium deſero, ut paullo ante loquebatur. Græv.

Licet ora ipſa cernere iratorum) Seneca I. de ira cap. 1. *Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exæſtuante ab imis præcordiis ſanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus, ac ſtridens, articulorum ſe ipſos torquentium ſonus, gemitus, mugituſque, & parum explanatis vocibus ſermo præruptus, & comploſæ ſæpius manus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnaſque minas agens, fœda viſa & horrenda facies depravantium ſe, atque intumeſcentium*. Idem.

Fortuitu) Sic tres codices antiqui, nec non Plantinus ex Manutio, & Rob. Stephano, & Seb. Gryphio. Utitur autem hac voce Cicero multis in locis, ut in Ant. *Quod verbum tibi non excidit, ut ſæpe fit, fortuitu, ſed ſcriptum*. Item de Divinat. *Quorum omnium cauſſas, ſi a Chryſippo quæras, numquam illa dicet facta fortuitu*. Item ad Heren. *Caſu, & fortuitu navis in portum incolumis delata eſt*. Suffrid. Petri.

Neque enim ita generati a natura ſumus, ut ad ludum, jocumque facti eſſe videamur) Ariſtoteles hoc oſtendit optime Ethic. VI. Και γαρ ατοπον το τελος, ειναι παιδιαν και πραγματευεσθαι, και κακοπαθειν τον βιον απαντα του παιζειν χαριν. άπαντα γαρ ώς ειπειν έτερου χαριν αίρουμεθα, πλην της ευδαιμονιας· τελος γαρ αύτη. σπουδαζειν γαρ και πονειν παιδιας χαριν, ηλιθιον φαινεται και λιαν παιδικον. παιζειν δ' όπως σπουδαζη κατ' Αναχαρσιν ορθως εχειν δοκει. αναπαυσει γαρ εοικεν ή παιδια. αδυνατουντες συνεχως πονειν, αναπαυσεως δεονται. γινεται γαρ ένεκα της ενεργειας. δοκει δ' ευδαιμων βιος κατ' αρετην ειναι. ούτος σπουδαιος, αλλ' ουκ εν παιδια. βελτιω τε λεγομεν τα σπουδαια των γελοιων και μετα παιδιας. *Abſurdum eſt finem eſſe ludum, & negotia gerere, & mala pati tota vita ludendi gratia. Omnia enim, ut ita dicam, alterius gratia eligimus præter felicitatem. Finis enim ipſa eſt. Contendere vero, & labores ſuſcipere*

tem potius, & ad quædam ſtudia graviora, atque majora. Ludo autem, & joco uti illo quidem licet: ſed ſicut ſomno, & quietibus ceteris, tum cum gravibus, ſeriiſque rebus

re ludendi cauſſa, ſtultum videtur, & valde puerile. At ludere, ut labores, ex Anacharſidis ſententia recte ſe habere videtur. Quieti ſimilis eſt ludus: qui vero nequeunt ſemper laborare, quietis egent: non igitur finis eſt requies; fit enim agendi cauſſa. Videtur vero felix vita ſecundum virtutem eſſe. Sed hæc verſetur in ſtudiis gravioribus, non in ludendo. Meliora vero dicimus ea eſſe, quæ ſeria ſunt, quam ridicula, & ludus. M. Antoninus V. Των εις ἑαυτον. Ορθρȣ ὅταν δυσοκνως ἐξεγειρῃ, προχειρον εστω, ὁτι επι ανθρωπȣ εργον εγειρομαι, τι ȣν δυσκολαινω, ει πορευομαι επι το ποιειν, ων ἑνεκα γεγονα, και ὧν χαριν προηγμαι εις τον κοσμον; ἠ επι τȣτο κατεσκευασμαι, ἱνα κατακειμενος τοις ςρωματιοις ἑαυτον θαλπω; αλλα τȣτο ἡδιον. προς το ἡδεσθαι ȣν γεγονας; ὁλως δε ȣ προς ποιειν, η προς ενεργειαν; ȣ βλεπεις τα φυταρια, τα ςρȣθαρια, τȣς μυρμηκας, τας αραχνας, τας μελισσας, τον καθ' αὑτας συγκοσμȣσας κοσμον; συ ȣ θελεις τα ανθρωπικα ποιειν; ȣ τρεχεις επι το κατα την φυσιν; *Mane cum gravatim ſurgis, in promtu tibi ſit cogitare, te ad humanum opus faciendum ſurgere. Num vero* (dices) *gravate accedo ad agenda ea, quorum cauſſa natus ſum? ac propter quæ in hunc mundum veni? num ad hoc factus ſum, ut decumbens in lecto me ipſum calefaciam? Atqui hoc oblectat magis. Numquid ergo ad oblectandum te natus es? non ad agendum, ac faciendum aliquid? an non vides plantulas, paſſerculos, formicas, araneas, apes, ſingula hæc ſuo intenta officio, quam tenuerunt in mundo ſtationem, officiumque ſervare? tu vero ea, quæ ſunt hominis obire recuſas, neque ad id properas, quod tuæ naturæ convenit?* GRÆV.

Ad quædam ſtudia graviora) Ariſtoteles lib. VIII. Pol. Ει γαρ αμφω μεν δει, μαλλον δε αἱρετον το σχολαζειν. ȣ γαρ δη παιζοντας, τελος γαρ αναγκαιον ειναι τȣ βιȣ την παιδιαν ἡμιν. *Et ſi utrumque expetendum eſt, otium tamen præferri debet, ſed non id, quod in ludo conſumitur: tunc enim ludus nobis neceſſario finis eſſet vitæ.* F. URSIN. Vide quæ ibi præcedunt, & ſequuntur. Et cap. 3. lib. VIII. GRÆV.

Ludo autem, & joco uti illo quidem licet) Seneca ep. 3. *Inter ſe iſta miſcenda ſunt, & quieſcenti agendum, & agenti quieſcendum eſt. Cum rerum natura delibera: illa dicet tibi, ſe & diem feciſſe, & noctem.* Democritus apud Stobæum ait: *Βιος ανεορταςος μακρη ὁδος απανδοχευτος. Vita ſine feriis eſt via longa abſque diverſoriis.* IDEM.

Quietibus ceteris) In libro Parcenſi, *quietis ceteris*, ſcriptum reperi: quietes ſiquidem plurali numero Poeticum quiddam ſonat. Varro III. de Re ruſt. *Nam ibi vidi greges magnos anſerum, gruium, pavonum, nec non glirium, piſcium, aprorum, & cetera venationis: ad quietem autem præter ſomnum ſpectant, deambulatio mollis, geſtatio, lavatio, ludi, joci, alia id genus.* Varro II. de Re ruſt. *In luto*, inquit, *ſuum requies eſt, ut lavatio hominum.* Sed cum in libro Abbatiæ D. Laurentii omnium pulcerrime deſcripto, neque *quietis*, neque *quietibus* reperiſſem, nihil dubitavi, quin ita ſit ab auctore ſcriptum. C. LANG. *Quietibus ceteris*) Langius delet vocem, *quietibus*, quia in optimo codice non compareat: nos in aliquot noſtris reperimus, idcirco retinuimus: neque tamen Langii factum damnamus. LAMBIN. Recte fecit Lambinus noſter, quod vocem *quietibus*, unius librarii incuria prætermiſſam, atque idcirco a Langio deletam, retinuit; nam præterquam quod ea non ſolum in omnibus fere libris manu deſcriptis, ſed & in optimis editionibus Victorianis, Manutianis, & aliis legitur: cur inuſitata videri debeat, non intelligo. Notum eſt illud Salluſtii de Catilina: *Namque animus impurus, diis, hominibuſque infeſtus, neque vigiliis, neque quietibus ceteris ſedari poterat.* FR. FABRIT. Exſtat etiam in Pall. & omnibus, quos conſuluit Suffridus Petri, & Guilielm. GRÆV.

Digitized by Google

bus ſatisfecerimus. Ipſumque genus jocandi non profuſum, nec immodeſtum, ſed ingenuum, & facetum eſſe debet. Vt enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, ſed eam, quæ ab honeſtis actionibus non ſit aliena: ſic in ipſo joco aliquod probi ingenii lumen eluceat. Duplex omnino eſt jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum: alterum, elegans, urbanum, ingenioſum, facetum; quo genere non modo Plautus noſter, & Atticorum antiqua comœdia, ſed etiam philoſophorum Socra-

Genus jocandi non profuſum) Dio in Chriis apud Stobæum: Τῳ γελοιῳ καθαπερ αλι πεφεισμενως δει χρησθαι. *Ioci tamquam ſale parce utendum*. Dionyſius Sophiſta, ludos jocoſque melli comparavit apud Philoſtratum lib. I. Sophiſt. quod guſtemus primo digito, non cava manu hauriamus. Χρη τῳ μελιτος ακρῳ δακτυλῳ, αλλα μη κοιλῃ χειρι γευεσθαι. *Decet mel ſummo digito non plena manu guſtare*. Idem.

Ab honeſtis actionibus) Sic habent duo e MSis noſtris, ceteri cum aliis impreſſis conſentientes legunt, *Ab honeſtatis actionibus*. Fr. Fabrit.

Duplex omnino eſt jocandi genus) Vide Ariſtot. VIII. ad Nicom. lib. IV. & III. Rhetor. c. 13. & 14. Cic. II. de Orat. 58. & ſequentibus. Quinctilian. Inſtitut. Orator. lib. VI. cap. 3. ſed inprimis Franciſci Vavaſſoris, viri doctiſſimi, & quo elegantiorem vix noſtra vidit ætas, non ita pridem bonis omnibus dolentibus extincti, politiſſimum, & eruditiſſimum librum de ludicra dictione, ubi de ευτραπελια pluribus agit. Græv.

Vt non modo Plautus noſter) Plauti ſales, & facetias omnis laudavit, & admirata eſt antiquitas. Tritos plerique, ac notatos verſus habebant, ac ex eorum naturali quodam, & inſito lepore, quæ veræ, & germanæ Plauti fabulæ eſſent, nullo negotio dignoſcebant. Nec eo ſolum, quo vixit, tempore, cum nihil forſan occurreret melius, habuit poeta hic laudis fautores, ac præcones ſuæ, ſed etiam annis poſtea conſecutis multis, cum ridiculi tractatio, quod opus comœdiæ præcipuum eſt, perfici potuerit, & numeris omnibus abſolvi. Atque hæc talis, & tanta de jocis Plautinis opinio ad Auguſti uſque imperatoris ætatem manſit, quo primum ſeculo, neque jocos iſtos, neque jocorum laudatores ferre potuit ſeverior, & faſtidioſior judex Horatius, ac fortaſſe melior: quippe quos nimiæ patientiæ, ac propemodum ſtultitiæ condemnet. Tametſi hujus ego judicium non unius hominis, ſed totius ſeculi illius eruditiſſimi judicium putaverim. Neque enim ſcripſit Horatius aliter, ac videretur Auguſto: neque Auguſtus cupidus ipſe dictorum, & cujuſvis generis ejus intelligens in alia, atque probi, & politi ejuſdem ævi ſcriptores eſſent, ſententia fuit. Fr. Vavassor. Vide & magni Dan. Heinſii diſſertationem de illo loco Horatii. Græv.

Et Atticorum antiqua comœdia) Adverſatur Ciceroni Ariſtoteles lib. IV. Eth. ad Nicom. 8. qui monet facilem eſſe diſtinctionem ingenui, & ſcurrilis joci ex veteribus, & novis Comœdiis, perinde ac ſi dicat, tantumdem ſibi veteres Comicos permittere, quantum ſcurræ ſolent, quibus nihil umquam nefas ſit, nec in rebus, nec in verbis, quoſque nihil, dummodo aliis riſum excutiant, neque pudeat, neque tædeat. Ariſtoteli adverſatur Cicero; hic enim ab antiqua comœdia illiberalitatem, petulantiam, turpitudinem flagitioſam removet, quibus ille eam ſua ſententia damnat. Quamquam non cum Ariſtotele dumtaxat Cicero, ſed ſecum ipſe pugnat, qui continuo poſt dicat, facile diſtingui ingenuum, & illiberalem jocum: alterum eſſe, ſi tempore fit, ac remiſſo animo, homine libero dignum: alte-

Digitized by Google

Socraticorum libri referti ſunt, multaque multorum facete dicta: ut ea, quæ a ſene Catone collecta ſunt, quæ vocant ἀποφθεγματα. Facilis igitur eſt diſtinctio ingenui, & illiberalis joci; alter eſt, ſi tempore fit, ac remiſſo animo, homine dignus: alter ne libero quidem, ſi rerum turpi-

alterum ne homine quidem, ſi rerum turpitudini adhibeatur verborum obſcœnitas. Quis autem non videt, genus jocandi profuſum, & immodeſtum ineſſe in Plauto: comœdiam veterem nec ingenuitatem, nec ruborem, nec moderationem ullam præſtitiſſe, vel offenſione hominum, vel rerum turpitudine, & verborum obſcœnitate vitanda? FR. VAVASSOR. Tamen pro Ariſtophane, veteris comœdiæ auctore præcipuo, facit Plato; ei enim Thomas magiſter tribuit hoc epigramma, quo canit, ſorores Gratias, tres præſides venuſtatis Deas, quæſiviſſe templum ſibi, in quo divinis honoribus conſecratæ perpetuo colerentur: ac demum pro templo animam Ariſtophanis poetæ feliciter, & commode eſſe nactas:

Αἱ χαριτες τεμενος τι λαβειν, ὅπερ ουχι πεσειται
Ζητουσαι, ψυχην ευρον Αριστοφανους.
Numquam caſurum cupidæ ſibi ſumere templum
Invenere animam Gratiæ Ariſtophanis.

GRÆV. Scriptores veteris Comœdiæ (quorum principes erant Ariſtophanes, Eupolis, & Cratinus) fere ex re turpi, & obſcœna jocos petiiſſe a doctis notatum eſt: quod vero *obſcœnum* eſt (docente ipſo Cicerone) eſt illiberale. Mirandum eſt igitur, cur illud jocandi genus his viris familiare hîc laudatur, ut *elegans*, & *urbanum*, &c. Aliud ſentit Quinctil. in Inſtitut. Orat. X. I. *Omnibus fere verbis, præter pauca, quæ ſunt parum verecunda, in oratione locus eſt: nam ſcriptores quidam Iamborum, veteriſque Comœdiæ etiam in illis ſæpe laudantur: ſed nobis noſtrum opus interim tueri ſatis eſt.* PEARCE.

Vt ſi remiſſo animo) Ita hæc leguntur in libris antiquis, & recte: nam in animi remiſſione jocandi tempus eſt. Quod ſequitur, *homine dignus, alter ne libero quidem*, ut a Victorio, Langio, & Lambino eſt editum, ita in noſtris quoque MSis legitur, nec aliter citatur a Nonio in verbo *Obſcœnum*. Hominis autem appellatione tota vis, ac proprietas hominis, & quidquid humanum eſt, comprehenditur. Liber dicitur, qui modo ſervus non eſt. Sic infra: *Nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine, nihil libero dignius.* FR. FABRIT. Rectius MSi, & edd. vetuſtiores: *ac remiſſo animo*. Dein hanc lectionem, quam ex veteribus repoſuerunt codicibus Victorius, Langius, Fr. Fabritius: *homine dignus, alter ne libero quidem*, ſtabilit quoque Græv. uterque codex, Pithœana excerpta, Pall. cod. duo Guilielmi, edd. primæ. Contra tantum librorum conſenſum non auſim vulgatam reponere. Mihi tamen habetur certiſſima. Iocus, inquit Cic. qui tempore fit, & remiſſo animo, eſt jocus ingenuus, & libero, ac liberaliter educato dignus; qui vero fit alieno tempore, & obſcœnus eſt, illiberalis quidem dicitur, quaſi indignus libero homine; ſed ne homine quidem dignus eſt, quia contra honeſtum eſt, quod omnes homines docet ratio: *Servi quamvis per fortunam in omnia obnoxii, tamen quaſi ſecundum genus hominum ſunt*; ut illa Flori huc accommodem. Sunt certe homines ſervi, æque ratione præditi, ac ingenui. Illiberales quidem joci dicuntur, quod talibus ſervi, & ſervili ingenio homines utantur, ſed tamen nec ipſos ſervos obſcœnitas decet aliena ab ingenio humano. Locus ex hoc libro, quem Fabritius affert ad lectionem MSorum roborandam, magis facit ad illam infirmandam. Cicero enim dicit, ibi nihil eſſe agricultura dignius homine, ſcilicet omni, ne libero quidem, nedum ſervo. Nam illis temporibus agricultura videbatur nonnullis Romanis in luxu, & otio urbano educatis indigna libero homine: hoc Cicero damnat. Creſcit hic oratio

Digitized by Google

turpitudini adhibetur verborum obſcœnitas. Ludendi etiam eſt quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delaba-

tio pulcre, ſed contrarium eſt in hac περικοπῃ, quæ nunc nobis eſt in manibus. In epiſtolis ad Atticum ſæpe legimus, *ſi homo eſſet*, *ſi homines ſint*: ſed hoc eſt, ſi communem ſenſum habent, & nihil ad hunc Dionyſium. Grav. *Libero dignus: alter ne homine quidem*) Ita Aldi nepos, Lambinus, aliique; cum vulgati libri, omneſque MSi, ordine verborum mutato, habeant, *homine dignus; alter ne libero quidem*. Mihi quidem ſatis perſuaſum eſt, Ciceronem ad priorem modum ſcripſiſſe: ineleganter enim dicitur, *ne libero quidem*, quaſi quid liceret *libero*, quod *homini* non liceret. Sententiæ ratio poſtulat, ut ea vox, quæ latius pateat, in poſteriore loco collocetur; quæ vero arctior ſit, in priore. Sic in Or. III. Philipp. c. 5. *Hunc civem Romanum, hunc liberum, hunc denique hominem putem?* Sic etiam in c. 24. de Amicit. *Aſſentatio, quæ non modo amico, ſed ne libero quidem digna eſt*. Plures multo ſunt *liberi*, quam *amici*: inſurgit igitur ſententia, cum vox *amico* præcedat, *libero* ſequatur. Quocirca non dubito doctorum conjecturam hic potius admittere, quam MSorum futilem lectionem contra rationem amplecti. Pearce.

Si rerum turpitudini adhibeatur verborum obſcœnitas) Αισχρολογιαν & vetat Plato, & damnat Ariſtoteles, idque luculento, & inſigni in Politicis loco VII. c. 17. Ὁλως μεν ουν αισχρολογιαν εκ της πολεως, ὥσπερ αλλο τι δει τον νομοθετην εξοριζειν. εκ του γαρ ευχερως λεγειν ὁτιουν των αισχρων, γινεται και το ποιειν συνεγγυς. *Ac turpitudinem quidem ſermonis, ſi quid aliud, e civitate omnino exterminet oportet legislator. Ex eo enim, quod turpe quidvis profertur facile, proxime conſequitur, id ut fiat.* Idem in lib. Rhetor. ubi agit de verecundia, ſecundo, ſignificat eſſe, quod homines pudeat non factorum modo, ſed dictorum quoque turpium: ου μονον ποιουντες τα αισχρα, αλλα και λεγοντες. Et in tertio libro cap. 2. translationes prohibet ab obſcœnis rebus peti, neque enim, ut vult Bryſon Philoſophus, verum eſt, neminem turpia loqui. ου γαρ, ὡς εφη Βρυσων, ουδενα αισχρολογειν. Fr. Vavassor in libro de epigrammate, ubi vide plura. Grav.

Ut ne nimis omnia profundamus) In omnibus exemplaribus, in quæ ego incidi, ita legitur: *Ut ne nimis omnia profundamus*. Quando autem hic non de pecuniæ profuſione agitur, (alio enim loco de prodigis tractat) ne de ludis quidem illis, in quibus victori pecuniæ præmium aliquod obveniat: cujuſmodi nemo umquam laudavit; nam & ipſe Cicero improbum quæſtum appellat eum, qui ex ludo talario redit: ex *profundamur*, exiſtimo factum *profundamus*, librariis vim verbi non capientibus: deinde ab aliis, *omnia* adjectum, niſi malis, pro *omnia* ſcribere, *animo*. *Profuſum jocum* paullo ante in vitium dixerat: ſic *profuſam hilaritatem* Tuſcul. IV. Et pro Cælio: *Voluptates, quæ cum incluſæ diutius, & prima ætate compreſſæ, & conſtrictæ fuerunt, ſubito ſe nonnumquam profundunt atque ejiciunt univerſæ*. C. Lang. *Ut ne nimis ludum profundamus*) Secutus eſſem lectionem vulgatam, quæ in pleriſque libris antiquis reperitur, niſi plane mendoſa eſſet, *ut ne nimis omnia profundamus*, quemadmodum & Langio videtur, qui legendum putat, *ne nimis profundamur*, deleta voce, *omnia*. Dum igitur hic locus ſine dubio mihi videretur mendoſus, Ciceronemque hoc ſentire arbitrarer, joco, & ludo eſſe moderato utendum, non dubitavi, quin ita locutus ſit: *Ut ne nimis jocum, ſeu ludum profundamus*. Eſt enim genus loquendi, & elegans, & Ciceroni uſitatum: juſſeram tamen edi, *ut ne nimis joca profundamus*, ſi mihi operæ obtemperare voluiſſent; quod hæc lectio propius accedat ad ſcripturam antiquam, *omnia profundamus*: facilior enim fuit prolapſio a voce, *joca*, ad vocem, *omnia*, præſertim ſi ita ſcripta eſſet, oīa. Quidam lectionem vulgatam tuentur, paul-

Digitized by Google

labamur. Suppeditant autem & campus noſter, & ſtudia venandi, honeſta exempla ludendi.

32. Sed pertinet ad omnem officii quæſtionem, ſemper in promtu habere, quantum natura hominis pecudibus, reliquisque belluis antecedat. Illæ nihil ſentiunt, niſi voluptatem, ad eamque feruntur omni impetu; hominis autem mens diſcendo alitur, & cogitando, ſemper aliquid aut

paullum tamen immutantes, & ex *ninis*, *mimis*, facientes: quod fateor me in uno antiquo codice reperiſſe: eamque ſic explicant: *Ne omnia noſtra largiamur mimis*, riſum ſcilicet nobis turpi imitatione moventibus. Putavi etiam aliquando legendum, *ne nimis nos profundamus*. Conſideret, & judicet lector eruditus. LAMBIN. *Ne nimis ludum profundamus*) Sic fecerunt operæ in prima editione Lambini, cum ille tamen edi juſſiſſet: *Ne nimis joca profundamus*; quæ lectio, & ſententiam commodam habet, & a vulgata, cum qua vetus fere conſentit, non multum diſcrepat. Langius, vetuſtorum librorum auctoritate neglecta, edidit, *ut ne nimis profundamur*: putat enim, *profundamus*, ſcriptum eſſe a librariis pro *profundamur*, ac deinde ab aliis adjectum eſſe *omnia*. Ego ante annos XVI. cum hos libros publice interpretarer, hanc profuſionem referebam ad illam, de qua Cicero in Cæliana: *Voluptates*, inquit, *cum prima ætate compreſſæ, & conſtrictæ fuerunt, ſubito ſe nonnumquam profundunt, atque ejiciunt univerſæ*. FR. FABRIT. Pro vulgata ſtant Palatini, Guilielmiani, & Græviani. Sed Pithœi excerpta: *Vt ne, cum nimis omnia profundamus elatione voluptate in aliquam turpitudinem delabamur*: ut forte Cicero ſcripſerit: *Vt ne, cum nimis omnia profundamus, elatiores voluptate in aliquam turpitudinem delabamur*: elatiores ſcilicet, quam decet. GRÆV. Mihi potius videtur legendum: *Ne nimis profundamur* (ſc. in ludum) *elatique voluptate in aliquam turpitudinem omnino delabamur*. Cenſeo vocem *omnino* (ſic in MSis oĩo) ex ſequente linea huc invectam fuiſſe, & mutatam in vocem *omnis*, ſive (ut MSi exhibent) oĩa. PEARCE.

Campus noſter) Inde meditationes, ſeu exercitationes campeſtres. Sueton. Aug. 83. GRÆV.

Studia venandi) Quibus dediti inprimis erant Romani; unde *Romanis ſollemne viris opus* vocat Horatius lib. I. ep. 18.

Quotieſque educet in agris
Ætolis onerata plagis jumenta, caneſque,
Surge, & inhumanæ ſtudium depone Camenæ,
Cœnes ut pariter pulmenta laboribus emta,
Romanis ſollemne viris opus, utile famæ,
Vitæque, & membris: præſertim cum valeas, &,
Vel curſu ſuperare canem, vel viribus aprum
Poſſis: adde, virilia quod ſpecioſius arma
Non eſt, qui tractet.

Et Plinius in Panegyrico c. 81. *Olim hæc experientia juventutis, hæc voluptas erat, his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu: nec mediocre pacis decus habebatur ſubmota campis irruptio ferarum, & obſidione quadam liberatus agreſtium labor*. IDEM.

Reliquiſque belluis antecellat) Noſtri libri habent partim, *reliquiſque belluis antecellat*, partim, *antecedat*, & paullo ante libri veteres, ordine verborum inverſo: *homine dignus: alter ne libero quidem*: ubi vulgati: *libero dignus, alter, ne homine quidem*. LAMBIN. *Reliquiſque belluis antecellat*) Noſtri libri cum iis faciunt, in quibus legitur, *reliquiſque belluis antecedat*: quo modo Lambinus in nonnullis ſuorum legi annotat: verbi diverſitatem Manutius quoque obſervavit. FR. FABRIT.

Hominis autem mens diſcendo alitur) Sententia ſumpta, ut videtur, ex oratione Iſocratis ad Demonicum: Τὰ

 μεν

aut anquirit, aut agit, videndique, & audiendi delectatione ducitur. Quin etiam ſi quis eſt paullo ad voluptates propenſior, modo ne ſit ex pecudum genere, (ſunt enim quidam homines non re, ſed nomine) ſed ſi quis eſt paulo erectior, quamvis voluptate capiatur, occultat, & diſſimulat appetitum voluptatis propter verecundiam; ex quo intelligitur, corporis voluptatem non ſatis eſſe dignam hominis præſtantia, eamque contemni, & rejici oportere: ſin ſit quiſpiam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum eſſe ejus fruendæ modum. Itaque victus, cultuſque corporis ad valitudinem referantur, & ad vires, non ad voluptatem; atque etiam ſi conſiderare volu-

μεν γαρ σωματα, inquit, τοις συμμετροις πονοις, ἡ δε ψυχη τοις σπουδαιοις λογοις αυξεσθαι πεφυκε. *Corpora enim convenienti labore, animum autem ſeriis ſermonibus ali natura voluit.* F. Vrsin. Cic. V. Tuſc. *Mens noſtra exquirendis excogitandiſque rebus alitur, cum oblectatione ſolertiæ, qui eſt unus ſuaviſſimus paſtus animorum.* Græv.

Occultat & diſſimulat appetitum voluptatis) Muſonius cum locutus eſſet de venere illicita, eamque dixiſſet probrum & turpitudinem ſectantibus eam afferre, addit: Ὅθεν ουδε πραττειν φανερως ουδεν ανεχεται των τοιουτων ουδεις, καν επ' ολιγον ερυθριαν οἱος τε ῃ, επικρυπτομενοι δε και λαθρα, οἱ γε μη τελεως απερρωγοτες ταυτα τολμωσιν. και τοι τογε πειρασθαι λανθανειν εν οἱς πραττει τις, ὁμολογουντος ἁμαρτανειν εστιν. *Vnde nec agere palam quidquam hujuſmodi rerum ſuſtinet, ſi vel paululum erubeſcere quis queat, ſed occultantes & clam, qui non omnino ſunt perditi & diſſoluti, hæc perpetrant. Atqui vel conari, ut lateant, quæ quis agat, eſt fatentis ſe peccare.* Græv.

Non ſatis eſſe dignam hominis præſtantia) Senec. ep. 92. *Voluptas bonum pecoris eſt.* Idem.

Diligenter ei tenendum eſſe ejus fruendæ modum) Hunc docet illa divina temperantia, quæ non modo ſervat homines, ſed conſecrat. Vere enim Iamblichus in epiſtola de temperantia: Ἡ δε μετροις ὡρισμενοις κατεχουσα τας ἡδονας ευταξια σωζει μεν οικους, σωζει δε πολεις κατα την Κρατητος γνωμην. ετι δε πλησιαζει πως ηδη προς το των θεων ειδος. τοιγαρουν Περσευς επ' αυτο το ακρατατον ελαυνων της σωφροσυνης αγαθον, ἡγουμενης της Αθηνας απεκοψε τον Γοργονα, την εις υλην οιμαι καθελκουσαν και απολιθουσαν τους ανθρωπους ανοητων παθηματων πλησμονην. *Bona illa moderatio, qua voluptates intra certos limites coercentur, familias ſimul, & civitates, ſecundum Cratetis ſententiam conſervat: imo ad Deorum naturam propius accedit. Quamobrem Perſeus ad ſummam temperantiæ laudem adſpirans, duce Minerva, Gorgonis caput, cupiditatem nimirum, quæ deorſum ad materiam trahit, & ſaxeos efficit homines ſtolidis affectibus repletos, amputavit.* Idem.

Victus cultuſque corporis ad valitudinem referantur, & vires) Muſonius apud Stobæum cum de temperantiæ difficultate diſſeruiſſet, & quam multum ſtudii & exercitationis requiratur, ut ea, quæ circa victum eſt luxuria, quam dividit in γαστριμαργιαν, & οψοφαγιαν, comprimatur, tandem præcipit, qua ratione poſſimus hoc vitium effugere: Καθαρευοι δ' αν τις και αναμαρτητος ειη, ασκων και εθιζων αὑτον αἱρεισθαι σιτον, ουχ ἱνα ἡδηται, αλλ' ἱνα τρεφηται, ουδ' ἱνα λεαινεται την καταποσιν, αλλ' ἱνα ῥωννυηται το σωμα. Και γαρ γεγονεν ἡ μεν καταποσις, διοδος ειναι τροφης, ουχ ἡδονης οργανον. ἡ δε γαστηρ του αυτου χαριν, ουπερ ἑνεκα και φυτῳ παντι ῥιζα γεγονε. καθαπερ μεν εκει τρεφει το φυτον ἡ ῥιζα απο των εκτος την τροφην λαμβανουσα, ουτω τρεφει το ζωον

volumus, quæ ſit in natura excellentia, & dignitas; intelli-

το ζωον ἡ γαστηρ απο των εισφερομενων σιτων και ποτων. ὡσπερ τε αυ τουτοι διαμονης ἑνεκα συμβαινει τρεφεσθαι, δι᾽ ουχ᾽ ἡδονης. παραπλησιως και ἡμιν ζωης φαρμακον ἡ τροφη τῳ ανθρωπῳ εστι. *Ita ſe quis intactum a gulæ vitiis præſtiterit, ſi multo exercitio conſueſcat alimentis uti ad alendi, non delectandi corporis finem. Non ut lenem ac lubricam reddat gulam, ſed corpus ut roboret. Gula enim facta eſt, ut ciborum meatus eſſet, non voluptatis inſtrumentum. Venter in animali eadem gratia, qua radix in omnibus plantis, conditus eſt. Nam ut plantam radix alit, forinſecus nutrimentum attrahens: ſic venter animal nutrit, cibo & potu in ipſum immiſſis. Sicut etiam plantæ aluntur, ut convaleſcant, non ſecus hominibus vitæ tuendæ remedium datus eſt victus.* Addit deinde Socratis eſſe exemplum imitandum, qui dixerit, multo maximam partem hominum vivere ut edant, ſe edere ut vivat. Subnectit aliud præterea argumentum, quo Deum oſtendit non voluptatis & deliciarum, ſed incolumitatis ſervandæ cauſſa conceſſiſſe hominibus cibum. Nimirum quia cibus ſuo maxime fungatur munere in concoctione & digeſtione, cum ſucco naturali, quaſi tempeſtivis imbribus irrigat ſingula corporis membra, dum vero nullo ſuavitatis lenocinio nos affici, ſed nutriri tantum a cibis, & vires noſtras refici, quamvis longe plus temporis requiratur ad digerendum cibum, quam edendum. Deum, ſi delectationis gratia nobis indulſiſſet cibum, longiorem iſtius voluptatis fructum quoque nobis fuiſſe indulturum, non breviſſimum tantum inter deglutiendum. Perquam enim brevem eſſe voluptatem gulæ, & ventris, & quæ mox curas, ægritudines, & moleſtias pariat. Pulcre enim Democritus: Ὁσοι απο γαστρος τας ἡδονας ποιεονται, ὑπερβεβληκοτες τον καιρον, επι βρωσεσιν, η ποσεσιν, η αφροδισιοις, εν τουτοις πασιν αἱ μεν ἡδοναι, βραχειαι τε και δι᾽ ολιγου γινονται, ὁποσον αν χρονον εσθιωσιν, η πινωσιν. αἱ δε λυπαι πολλαι· τουτο μεν γαρ το επιθυμειν. αει των αυτων παρεστι, και ὁποταν γενηται, ὁκοιων επιθυμουσι, διαταχεως τε ἡ ἡδονη παροιχεται, και ουδεν εν αυτοισι χρηστον εστιν, αλλ᾽ ἡ τερψις βραχεια, και αυθις των αυτων δει. *Qui ventris voluptates ſequuntur, edendo, potando, veneris illecebris tempus fallentes, breve omnino delectationis tempus habent, interim duntaxat, dum edunt ac bibunt. Curæ vero & triſtitiæ multæ ſequuntur. Semper enim earumdem rerum deſiderio torquentur: & cum, quæ appetunt, nacti fuerint, voluptas confeſtim tranſit, cum nihil in ſe boni, quam momentaneam titillationem habeat: itaque mox rurſus iiſdem indigent.* Muſonius in laudato loco tandem finit hanc de fugienda γαστριμαργια diſputationem: Ἱνα δε συνελων ειπω περι τροφης το παν, φημι δειν, σκοπον μεν αυτης ποιεισθαι ὑγειαν τε και ισχυν, ὡς τουτων μονον ἑνεκα βρωτεον, ἁ δη δειται πολυτελειας ουδε μιας. *Sed ut cuncta quæ diætam attinent, paucis complectar, ſcopus ejus ſit ſanitas, ac vires: horum enim ſolum cauſſa cibus aſſumendus, quem ſumtuoſum eſſe nulla eſt neceſſitas.* Hinc alibi lepide ridet homines, qui vulgares cibos aſpernantur, & delicatos tantum appetunt, eoſque comparat mulieribus pica laborantibus: Εισιν ενιοι παραπλησιοι ταις κιττωσαις γυναιξι. και γαρ ουτοι καθαπερ εκειναι τα συνηθεστατα των βρωματων δυσχεραινουσι, και τους στομαχους διεφθαρμενους εχουσιν. ὁθεν ὡσπερ ὁ αχρειος σιδηρος συνεχως δειται στομωσεως. ουτω και οἱ εκεινων στομαχοι εν τῳ εσθιειν συνεχες στομουσθαι θελουσιν, η ὑπο ακρατου, η ὑπο οξους, η ὑπο βρωματος τινος στρυφνου. αλλ᾽ ουχι ὁ Λακων τοιουτος, ὡς ιδων τινα παρακειμενου αυτῳ ορνιθειου των πλειονων και πολυτελων, ὑπο τρυφης αναινομενον φαγειν αυτο, και φασκοντα μη δυνασθαι. αλλ᾽ εγω, εφη, και γυπος δυναμαι και τραγου. *Sunt quidam delicatuli picam expertis mulieribus non diſſimiles: nam & ipſi, velut ille, familiariſſimos cibos faſtidiunt, ore ventriculi corrupto. Itaque ut ferrum inutile acie nova ſemper eget: ſimiliter & illorum ſtomachi inter edendum, acui numquam non poſtulant, ſive mero, ſive aceto, ſive acerbo aliquo condimento. Quantum ab iſtis differebat Lacon ille, qui cum conſpexiſſet, quemdam precioſam ſibi aviculam appoſitam præ faſtidio renuere: At mihi, dixit, etiam vultur, & hircus ſapiunt.* IDEM.

Cultuſ-

Digitized by Google

telligemus, quam ſit turpe, diffluere luxuria, & delicate ac molliter vivere: quamque honeſtum, parce, continenter, ſevere, ſobrie. Intelligendum eſt etiam, duabus quaſi nos a natura indutos eſſe perſonis: quarum una eſt communis, ex eo, quod omnes participes ſumus rationis, præſtantiæque ejus, qua antecellimus beſtiis, a qua omne honeſtum, decorumque trahitur, & ex qua ratio inveniendi officii exquiritur: altera autem, quæ proprie ſingulis eſt tributa. Vt enim in corporibus magnæ diſſimilitudines ſunt (alios enim videmus velocitate ad curſum, alios viribus

Cultuſque corporis) De veſtitu pulchra quoque præcepta tradidit idem Muſonius, ex quibus pauca maxime huc facientia delibo, præcipue cum libri iſti paucorum, ut nunc eſt, manibus verſentur: Ηξιυ δε και σκεπην τον σωφρονα τῳ σωματι ζητειν ου την πολυτελη και περιττεν. ευθυς γαρ εσθητι και υποδεσει τον αυτον τροπον εφῆ ειναι χρηστεον, οπερ πανοπλια, φυλακης ἕνεκεν του σωματος, αλλ᾽ ουκ επιδειξεος. ωσπερ ουν ὁπλα καλλιστα τα ισχυροτατα και σωζειν μαλιστα δυναμενα τον χρωμενον, ου τα περιβλεπτα και λαμπρα. ουτως αμπεχονη και υποδεσιν ἡ χρεσιμωτατη, τῳ σωματι κρατιστη, και ουχ ἡ δυναμενη τας των ανοητων οψεις επιστρεφειν. δει γαρ της σκεπης αυτης κρειττον αποφαινειν το σκεπομενον και ισχυροτερον. οἱ μεν ουν λεπτοτητα τε και απαλοτητα σαρκος δια των σκεπασματων μηχανωμενοι, χειρω τῳ σωματι ποιουσιν. ειγε το τεθρυμμενον σωμα και μαλακον πολυ κακιον, του σκληρου τε, και διαπεπονημενου εστιν. οἱ δε ῥωννυντες και κρατυνοντες τῃ σκεπῃ, ουτοι τα σκεπομενα μονοι ωφελουσιν. *Volebat etiam virum temperantem veſtitum corpori quærere non ſumtuoſum, nec exquiſitum. Veſte nempe & calceamentis eodem modo utendum eſſe ajebat, quo armis, nempe defendendi corporis, non oſtentationis cauſſa. Sicut igitur ea ſunt optima arma, quæ tueri indutum eis maxime valent, & non inſignia & ſplendida: ita amictus quoque, & calceorum uſus, qui corpori commodiſſimus optimus eſt, non vero is, qui ſtolidorum oculos in ſe poſſit convertere. Decet enim tegumento ipſo præſtantius & fortius efficere id quod tegitur, & non imbecillius ſimul ac deterius. Qui igitur levitatem, & mollitiem carnis per veſtitum ſtudent conſequi, corpora ſua corrumpunt: ſiquidem diſſolutum fluxumque corpus & molle, multo inertius ignaviuſque duro, & laboribus exercito eſt. At quæ corroborant & firmiora reddunt veſtes, hæ ſunt quæ ſolæ ea, quæ tegunt, adjuvant.* IDEM.

Quam ſit turpe diffluere luxuria) Pithœi excerpta: *quam ſit turpe, molliri diffluere luxuria*. IDEM.

Ratio inveniendi officii) Pro *inveniendi* lib. D. Laurentii habet, *muniendi*. C. LANG.

Vt enim in corporibus magnæ diſſimilitudines) Sumpſit hoc ab Ariſtotele ex lib. I. Pol. Ει δ᾽ επι του σωματος τουτ᾽ αληθες, πολυ δικαιοτερον επι της ψυχης τουτο διωρισθαι. *Quod ſi in corpore hoc verum eſt, multo juſtius eſt hoc in animo definitum eſſe.* F. VRSIN.

Alios enim videmus velocitate ad curſum) Sicut apud Homerum ποδας ωκυς Αχιλλευς. Belle Propertius lib. III. el. 8.

Sunt quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ,
Sunt quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic ſitus ad pacem, hic caſtrenſibus utilis armis,
Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

GRÆV.

Sic in animis exſiſtunt etiam majores varietates) Hinc Perſius Sat V.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus:
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.

Vide ibi Caſauboni notas. GRÆV.

In L.

ribus ad luctandum valere: itemque in formis aliis dignitatem ineſſe, aliis venuſtatem) ſic in animis exſiſtunt etiam majores varietates. Erat in L. Craſſo, & in L. Philippo multus lepos: major etiam magiſque de induſtria in C. Cæſare L. F. At iiſdem temporibus in M. Scauro, & in M. Druſo adoleſcente ſingularis ſeveritas: in C. Lælio multa hilaritas: in ejus familiari Scipione ambitio major, vita triſtior. De Græcis autem, dulcem, & facetum, feſtivique ſermonis, atque in omni oratione ſimulatorem, quem *ειρωνα* Græci nominaverunt, Socratem accepimus: contra Pythagoram, & Periclem, ſummam auctoritatem conſecutos, ſine ulla hilaritate. Callidum Hannibalem ex Pœno-

In L. Craſſo) Ideo lib. II. de Orat. *Non fere quiſquam reperietur præter hunc* (Craſſum) *in utroque genere leporis excellens: & illo, quod in perpetuitate ſermonis, & hoc, quod in celeritate atque dicto eſt.* IDEM.

In L. Philippo) Hic fuit L. Martius Philippus Q. F., qui conſul fuit anno V. C. 663. de quo in Bruto Cicero: *Erat in eo ſumma libertas, multæ facetiæ, ſatis creber in reperiendis, ſolutus in explicandis ſententiis.* IDEM.

In C. Cæſare) Is fuit L. Cæſar Strabo, quo, & filio negat quemquam in Bruto Cicero ſale & lepore conditiorem fuiſſe. Hinc in II. de Orat. ipſum induxit de facetiis diſputantem. IDEM.

In M. Scauro) Quanta fuerit in illo gravitas, cum multis aliis locis Cicero teſtatur, tum in primis in Bruto: *In oratione Scauri ſapientis hominis & recti gravitas ſumma, & naturalis quædam inerat auctoritas, ut teſtimonium dicere putares, cum pro reo diceret.* IDEM.

M. Druſo) Is fuit M. Druſus C. filius, qui in tribunatu C. Gracchum collegam iterum Trib. fregit, *vir & oratione gravis & auctoritate*, ut de illo Tullius teſtatur in Bruto. IDEM.

In C. Lælio multa hilaritas) Cic. pro Muræna: *Quis C. Lælio comior? quis jucundior eodem ex ſtudio iſto? quis illo gravior? quis ſapientior?* Hinc etiam propter iſtam hilaritatem, ut & ſermonis elegantiam, putabantur fabellæ Terentii ab illo ſcribi, ut idem auctor eſt in VII. ad Att. 3. IDEM.

Ambitio major, vita triſtior) *Ambitio* hic eſt *σεμνοτης* in habitu & cultu. *Vita triſtior* eſt vita ſeverior. Cic. in Verr. *judex triſtis & ſeverus*. *Dii non triſtes* apud Ovid. ſunt dii hilariores. IDEM.

Atque in omni ratione diſſimulatorem) Malim legi, *in omni oratione*, quo modo ſcriptum reperi in duob. cod. manuſcr. LAMBIN. *Atque in omni ratione diſſimul.*) Lambinus mavult, *in omni oratione*: legitur ita in editione Victoriana, & noſtris manuſcriptis. Socrates autem de ſe ipſe detrahens in diſputatione, plus tribuebat iis, quos volebat refellere: ita, cum aliud diceret atque ſentiret, libenter uti ſolitus eſt ea diſſimulantia, quam Græci *ειρωνειαν* vocant, in Lucullo. Alcibiades in Convivio Platonis de Socrate inquit, *ειρωνευομενος δε και παιζων παντα τον βιον προς τους ανθρωπους διατελει*. id eſt: *Diſſimulando & ludendo omnem cum hominibus ætatem exigit.* FR. FABRIC. *Oratione* eſt quoque in primo Grævii. GRÆV. Vulgo *ſimulatorem*: ſed Lambini conjecturam ſequor, quia aliud quid ſignificat *ſimulare*, aliud *diſſimulare*: quod in uſu trito verſu ſic notatur,

Quod non eſt, ſimulo; diſſimuloque, quod eſt.

Notum vero eſt, Socratis morem fuiſſe, id, quod ſciret, præ ſe ferre non ſcire, quod proprie eſt *diſſimulare*. Nec aliter Cicero in II. 67. de Orat. *Socratem opinor in hac ironia diſſimulantiaque longe lepore & humanitate omnibus præſtitiſſe.* Et in Acad. IV. 5. *Cum*

Pœnorum; ex noſtris ducibus Q. Maximum accepimus: facile celare, tacere, diſſimulare, inſidiari, præcipere hoſtium conſilia. In quo genere Græci Themiſtoclem, & Pheræum Iaſonem ceteris anteponunt; in primiſque verſutum, & callidum factum Solonis, qui, quo & tutior vita ejus eſſet, & plus aliquanto reip. prodeſſet, furere ſe ſimulavit. Sunt his alii multum diſpares, ſimplices & aperti: qui nihil ex occulto, nihil ex inſidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici: itemque alii, qui quidvis perpetiantur, cuivis deſerviant, dum, quod velint, conſequantur: ut Sullæ M. Craſſum videbamus; quo in genere

5. *Cum aliud diceret Socrates atque ſentiret, libenter uti ſolitus eſt ea diſſimulatione, quam Græci ειρωνειαν vocant.* PEARCE.

Præripere hoſtium conſilia) Ita placet ut legatur, non, ut Lambinus mutavit, *præcipere*: primum, quia ſic eſt in veteribus libris: deinde, quia ſententia ſumpta eſt ex Sophoclis Aiace:

Αει μεν' ω παι Λαρτιυ δεδορκα σε
Πειραν τιν εχθρων αρπασαι θηρωμενον.
Semper, o fili Laertis, video te
Inſidias quaſdam hoſtium præripere captantem. F. VRSIN.

Præcipere hoſtium conſilia) Sic recte nunc hic legi, admonui ſupra: idem verbum ad Q. Curtium ex antiquiſſimis libris manuſcriptis pluribus locis reſtitui, ubi, *præripere*, ejus locum occupaverat. FR. FABRIT. Recte Langii, & Fabrit. editio *præcipere*, quamvis codex meus uterque, nec non excerpt. Pith. & editio princeps præ ſe ferant *præripere hoſtium conſilia*. Male. Superius: *præcipere cogitatione futura*; & ſic ſaepe ſcriptores optimi. GRÆV.

Pheræum Iaſonem) Vide de ejus prudentia & potentia Xenophontem VI. ἑλληνικ. & Diod. Sic. XV. IDEM.

Furere ſe ſimulavit) Vides, verum eſſe illud tritum:

Stultitiam ſimulare loco, ſapientia ſumma eſt:

Exemplo ſit præter Solonem, in ſacris David, apud Romanos Brutus. IDEM.

Factum Solonis) Cum capitale eſſet apud Athenienſes ferre legem de vindicanda a Megarenſibus Salamina, Solon, ſimulata ſtultitia, id ſuaſit, quod vetabatur, reſque proſpere ceſſit. FACCIOL.

Qui quidvis perpetiantur, cuivis deſerviant) Hanc vocat ſervilem patientiam Tacitus XIV. Annal. 261. de Tigrane: *Vſque ad ſervilem patientiam demiſſus*. Qualis fuit Caligulæ, de quo Sueton. in ejus vita cap. 10. *Omnibus inſidiis tentatus elicientium cogentiumque ſe ad querelas, nullam unquam occaſionem dedit, perinde oblitterato ſuorum caſu, ac ſi nihil cuiquam accidiſſet: quæ vero ipſe pateretur, incredibili diſſimulatione tranſmittens. Tantique in avum, & qui juxta erant, obſequii, ut non immerito ſit dictum, nec ſervum meliorem ullam, nec deteriorem dominum fuiſſe.* Talis fuit Lucius Vitellius, cujus mirum in adulando ingenium deſcribit Sueton. Vitell. c. 2. GRÆV.

Vt Sullam & M. Craſſum) Sullam alios coluiſſe, & ſervili obſequio dignitates meruiſſe, nuſquam dictum, ſcriptumve. In ætate tenera cum ſcurris & mimis potavit, & genio indulſit frequenter, ſed de adulatione potentium dignitateque florentium nihil. Craſſus autem Sullam ſectatus eſt, & coluit enixe, ejuſque gratia potiſſimum ad illas divitias, & poſtea honores eſt evectus. Vide Plutarchum in ejus vita. Sine dubio locus eſt contaminatus, quem ſic purgabis ex meo primo codice, in quo clare ſcribitur: *Vt Sullæ M. Craſſum videbamus*. GRÆV. *Vt Sullam, & M. Craſſum videbamus*) Ita Victorius, editiones Mog. & Rom. omneſque MSi, ſi excipias unum Grævii,

nere verſutiſſimum, & patientiſſimum Lacedæmonium Lyſandrum accepimus; contraque Callicratidam, qui præfectus claſſi proximus poſt Lyſandrum fuit. Itemque in ſermonibus alium quemque, quamvis præpotens ſit, efficere, ut unus de multis eſſe videatur; quod in Catulo, & in patre, & in filio, idemque in Q. Mutio Mancia vidimus. Audivi ex majoribus natu, hoc idem fuiſſe in P. Scipione Naſi-

Grævii, qui ex eo edidit, *ut Sullæ M. Craſſum videbamus*: nuſquam enim (dicit) ſcriptum eſt *Sullam* alios coluiſſe, & ſervili obſequio dignitates meruiſſe. At non opus eſt, ut præcedentia, *cuivis deſerviant*, de homine intelligantur, cum de re dici poſſint. Sic in Lactant. Div. Faſt. II. 5. dicitur: *Legibus officiiſque deſerviunt*, & ib. IV. 16. *Scientes memoriæ mortuorum deſerviunt*. Eſto autem verum, verbum *cuivis* ſignificare, Sullam in eorum numero fuiſſe, qui hominibus deſervirent, ſui commodi cauſſa: at contra Grævium audiendus eſt Maturantius, qui dicit Sullam, cum eſſet nobiliſſimus & Romanus, Quæſtorem tamen Marii Arpinatis & novi hominis ſe fieri ſuſtinuiſſe: eumdemque, cum Præturam petiiſſet, & repulſam paſſus eſſet, non dubitaviſſe populo ſe ſubjicere, & largitione uti, donec ſequente anno, habitis rurſum Comitiis, conſecutus eſſet, quod optabat: eumdemque, occiſo Pompeio filio, atque ipſius genero, in eo tumultu, quem P. Sulpitius concitaverat, ſeſe ſubjeciſſe exercitui, ut commiſeratione commotum contra Marium concitaret. Hæc Maturantius hauſit ex Plutarcho (in vita Sullæ) qui refert etiam Sullam ſolitum eſſe, θεραπεύειν ὧν δέοιτο, &c. *Studioſe colere eos, qui ipſi opus eſſent; moroſum vero eſſe iis, quibus ipſe opus eſſet: adeo ut incertum fuerit, num faſtidioſus natura, an aſſentator eſſet*. De eodem Vell. Patercul. II. 25. *Potitus eorum dimiſit incolumes; credo ut in eodem homine duplicis ac diverſiſſimi animi exemplum conſpiceretur*. Vide etiam quæ de illo dicit Salluſtius in Bell. Iugurth. PEARCE.

Lyſandrum) Vid. C. Nep. in ejus vita. GRAVIUS.

Callicratidam) De hoc etiam egit cap. 24. hujus libri. IDEM.

Itemque in ſermonibus alium quemque, quamvis præpotens ſit, efficere) Omnes vet. lib. *Alium quemque, quamvis*. Paullo poſt, pro *Mancia*, quod habent libri ſcripti, Interpretes, *Numantinus*, legunt, & ſuo more nugas nugantur. *Ælii Manciæ* meminit Valer. libro V. C. LANG. *Alium aliquem quamvis præpotens ſit*) In vulgatis editionibus legitur: *Alium quidem videmus, quamvis præpotens ſit*; pro quo Victorius edidit, *Alium quemque quamvis præpotens ſit*; atque ita eſſe in omnibus libris veteribus cum Langius de ſuis teſtatur, tum ipſe de meis vere affirmare poſſum. Meliores quoque libri noſtri, Q. *Mucium Manciam* nominant, quem vulgo *Mancium*, & *Numantinum*, cognominant. FR. FABRIT. Hæc verba mendoſa ſunt & multa labe inquinata, hinc tam varie ſcribuntur in editionibus & membranis. Editio princeps Moguntina: *Itemque in ſermonibus alium quemque accepimus, quamvis p. ſ. r.* Alii *alium aliquem*, alii *alium quidem*. *Accepimus*, ex priore periodo hic fuit inculcatum, pro quo alii ſubſtituerunt, *videmus*, contra librorum fidem. Sed ut, *videmus*, & *accepimus*, perperam fuit ab editoribus hic inſertum, ſic & in manu exaratos libros mihi *quemque* videtur neſcio a qua mala manu irrepſiſſe, ut in alios, *quidem*. Quæ ſi deleveris, rectius ſe omnia habebunt; ſic ergo ſcribendum cenſeo: *Itemque in ſermonibus alium, quamvis præpotens ſit, efficere, ut unus de multis eſſe videatur*. Sed nondum priora verba mihi videntur Tullianum illum candorem & elegantiam redolere. Sententia non eſt obſcura, ſed verba ſunt ſcabroſa. Nimirum hoc vult. Eſſe in quibuſ-

Naſica: contraque patrem ejus, illum, qui T. Gracchi conatus perditos vindicavit, nullam comitatem habuiſſe ſermonis: ne Xenocratem quidem, ſeveriſſimum philoſophorum, ob eamque rem ipſam magnum, clarumque fuiſſe. Innumerabiles aliæ diſſimilitudines ſunt naturæ, morumque minime tamen vituperandorum.

31. Admodum autem tenenda ſunt ſua cuique, non vitioſa, ſed tamen propria, quo facilius decorum illud, quod quærimus, retineatur; ſic enim eſt faciendum, ut contra univerſam naturam nihil contendamus: ea tamen conſervata, propriam naturam ſequamur: ut, etiam ſi ſint alia graviora, atque meliora, tamen nos ſtudia noſtra naturæ regula metiamur; neque enim attinet repugnare naturæ, nec quidquam ſequi, quod aſſequi non queas,

quibuſdam ſermonis comitatem, ut, quamvis ſint in magna dignitate conſtituti, tamen cum ſermones ferunt cum infimæ quoque ſortis hominibus, videantur & ipſi ejuſdem loci & ordinis homines eſſe, nullum ut præ ſe ferant in oratione faſtum. Cic. II. de Finibus: *Tenuis L. Virginius unuſque de multis*. Sic Græcis εις των πολλων. GRÆV. Grævius cenſuit delendum eſſe *quemque*, quocum facit MSus Mog. At ne ſic quidem omnem mendam videtur ſuſtuliſſe: nihil enim habet vox *alium* aut in praecedentibus aut in ſequentibus, ad quod referri poſſit, aut quod ipſi reſpondeat. Lego igitur: *Itemque in ſermonibus aliquem, quamvis &c.* & ſubintelligo *videmus*, quod ex *vidimus* in fine ſententiæ commode elici poſſit. PEARCE.

Vindicavit) I. e. punivit, pœna affecit: ſic in III. 17. *Ius civile fraudem malitiamque vindicat*: & alibi ſæpius. IDEM.

Ne Xenocratem quidem) Hanc lectionem optimorum librorum auctoritas, & ſententia comprobat. Hoc enim dicit: Ne ſeveriſſimum quidem philoſophorum Xenocratem comitatem ſermonis habuiſſe, & in gravitate maxima præſtitiſſe dignitate, ut Camerarius ſcribit. FR. FABRIT. Vid. Diog. Laert. in ejus vita. GRÆV.

Admodum autem tenenda ſunt ſua cuique) Libri veteres habent, *tenenda ſunt ſua cuique*, quos ſecuti ſumus: vulgati autem, *tuenda ſunt*, &c. LAMBIN. *Admodum autem tenenda*) *Tuenda*, eſt in Manutianis, & aliis vulgatis: *tenenda*, in vetuſtis, quos Victorius, Langius, & Lambinus ſequuntur. Sic lib. II. *Neque locupletibus ad ſua vel tenenda, vel recuperanda abſit invidia*: ubi ſimiliter ut hic, *tuenda*, quidam ſubſtituerunt. FR. FABRIT.

Tamen nos ſtudia noſtra naturæ regula metiamur) Sunt, qui legant: *Studia noſtra naturæ regula metiamur*. Balduinus admonet in ſcripto codice eſſe: *Studia noſtri regula metiamur*: noſtri cum impreſſis conſentiunt, ut & Nonius in voce, *Grave*. Iidem manuſcripti noſtri ſtatim habent: *Quod aſſequi non queas*; itaque Victorius edidit. Latini certe verbum, *Nequeo*, ita probarunt, ut, *Non queo*, minime repudiaverint; de quo lib. tertio etiam aliquid admonebimus. FR. FABRIT. Editiones Mog. & Leodeg. a Quercu. itemque MSi Mead. pr. Reg. ſec. & quartus, Mill. Groning. & quinque Oxon. habent *noſtræ*, quod vulgatæ lectioni *noſtra* præferendum videtur, quia non cujuſcumque aut univerſæ naturæ, ſed *noſtræ* ſeu nobis propriæ regula ſtudia noſtra metienda ſunt. PEARCE.

Neque enim attinet naturæ repugnare) M. *atque*; unde mihi ſuſpicio incidit ſcripſiſ-

Digitized by Google

queas. Ex quo magis emergit, quale ſit decorum illud, ideo, quia nihil decet invita (ut ajunt) Minerva, id eſt, adverſante, & repugnante natura. Omnino ſi quidquam eſt decorum, nihil eſt profecto magis, quam æquabilitas univerſæ vitæ, tum ſingularum actionum: quam conſervare non poſſis, ſi aliorum naturam imitans omittas tuam. Vt enim ſermone eo debemus uti, qui notus eſt nobis, ne (ut quidam) Græca verba inculcantes jure optimo irrideamur: ſic in actiones, omnemque vitam nullam diſcrepantiam conferre debemus. Atque hæc differentia naturarum tantam habet vim, ut nonnumquam mortem ſibi ipſe conſciſcere alius debeat, alius in eadem cauſa non debeat. Num enim alia in cauſa M. Cato fuit, alia ceteri,

ſcripſiſſe M. Tullium: *Ad quod enim attinet, repugnare naturæ, & nequidquam ſequi, quod aſſequi nequeas.* GRVTER. Pithœi excerpta, & mei ſtant pro vulgata. Sic fere ſemper Cicero: in Orat. pro Quint. *Neque quemquam attinebat id recuſare*; in notis in epiſtolas ad Atticum plura collegimus hujus notionis exempla. GRÆV.

Æquabilitas univerſæ vitæ) Sic recte Palatini codd. quibus mei accedunt, & edd. primæ: vulgo *æqualitas*. Superius dixit de Socrate, & Lælio: *Præclara eſt æquabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus, eademque frons.* Idem: *Motus certus & æquabilis*. Hanc æquabilitatem vitæ mirifice prædicat in Veſtricio Spurinna Plin. III. epiſt. 1. *Me ut certus ſiderum curſus, ita vita hominum diſpoſita delectat.* Dein: *Hanc regulam Spurinna conſtantiſſime ſervavit, quin etiam parva hæc (non parva ſi quotidie fiant) ordine quodam, & velut orbe circumagit.* Sic enim legendus hic locus. Vulgo inepte & contra mentem auctoris editur: *parva ſi non quotidie fiant*. Nihil tam alienum a ſententia Plinii. Non enim dicit illa parva eſſe, ſi non fiant quotidie, ſed illa, quia tam conſtanter & æquabiliter fiebant quotidie, non parva, ſed magna ducenda, propter illum ordinem. IDEM.

Si aliorum naturam imiteris) In noſtris manuſcriptis legitur: *Si aliorum naturam imitans omittas tuam*; quo modo Victorius, & Langius ediderunt. FR. FABRIT. Sic & Pithœi excerpta, & uterque Grævii. GRÆV.

Ne ut Græca verba inculcantes jure optimo irrideamur) Hoc ipſum Iuvenalis exagitat in Romanis matronis Satyr. 6.

Omnia Græce,
Cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latine,
Hoc ſermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi ſecreta. Quid ultra?
Concumbunt Græce. IDEM.

Non enim alia in cauſa) Iidem cum interrogatione legunt: *Num etiam alia in cauſa?* atque ita eſſe in vetuſtis exemplaribus Balduinus affirmat: duo ex noſtris, *Num*; ceteri, *Non*, habent. FR. FABRIT. *Num* excerpta Pithœi, & editio Gryphii; ſed *non* uterque meus liber præ ſe fert. *Alia in cauſſa* eſt alio loco, alia conditione: ut ſtatim ante: *Atque hæc differentia naturarum tantam habet vim, ut nonnumquam mortem ſibi ipſe conſciſcere alius debeat, alius in eadem cauſa non debeat.* Et lib. III. c. 28. *Itaque tum, cum vigilando necabatur, erat in meliore cauſſa, quam ſi domi ſenex captivus, perjurus conſularis remanſiſſet.* GRÆV.

M. Cato fuit) Hoc ex Stoicorum placitis: vide Arrian. diſputat. Epict. l. I. c. 2.

Digitized by Google

ri, qui ſe in Africa Cæſari tradiderunt? Atqui ceteris forſitan vitio datum eſſet, ſi ſe interemiſſent, propterea quod eorum vita lenior, & mores fuerant faciliores: Catoni autem cum incredibilem tribuiſſet natura gravitatem, eamque ipſe perpetua conſtantia roboraviſſet, ſemperque in propoſito, ſuſceptoque conſilio permanſiſſet, moriundum potius, quam tyranni vultus adſpiciendus fuit. Quam multa paſſus eſt Vlyxes in illo errore diuturno, cum & mulieribus (ſi Circe, & Calypſo mulieres appellandæ ſunt) inſerviret, & in omni ſermone omnibus affabilem & jucundum ſe eſſe vellet? domi vero etiam contumelias ſervorum, ancillarumque pertulit, ut ad id aliquando, quod eupiebat, perveniret. At Ajax, quo animo traditur, millies oppetere mortem, quam illa perpeti maluiſſet. Quæ contemplantes expendere oportebit, quid quiſque habeat ſui: eaque moderari, nec velle experiri, quam ſe aliena deceant; id enim maxime quemque decet, quod eſt cujuſque maxime ſuum. Suum igitur quiſque noſcat ingenium, acrem-

l. I. c. 2. quæ merito Peripatetici, aliique fere Philoſophi omnes repudiarunt, hauſit Cicero. Hinc & in eos, qui ſibi ipſi mortem conſciverant, a pleriſque legum latoribus pœna conſtituta eſt, ne ſepelirentur. Saniorem ſententiam ipſe probat Cicero in ſomnio Scipionis: *Niſi Deus is, cujus hoc templum eſt omne, quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberaverit, in cælum aditus tibi patere non poteſt*. Quamvis in I. Tuſculana Catonis *αὐτοχειρίαν* alia tueri ſtudeat ratione: *Cato ſic abiit e vita, ut cauſſam moriendi ſe nactum eſſe gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis Deus injuſſu hinc nos ſuo demigrare. Cum vero cauſam juſtam Deus ipſe dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, ſæpe multis: næ ille medius fidius vir ſapiens lætus ex his tenebris in lucem illam excesſerit: nec tamen illa vincula carceris ruperit: leges enim vetant: ſed tamquam a magiſtratu, aut aliqua poteſtate legitima, ſic a Deo evocatus atque emiſſus exierit*. Vide Grot. II. de Iure Belli & Pacis cap. 19. & Carolum Fabrottum in exercitatione. V. Grævius. Quod vero Cicero in iſto loco fingit, *Deum ipſum Catoni juſtam cauſſam moriendi dediſſe*, id non ſatis docet, Ciceronem potius voluiſſe, quam potuiſſe Catonis voluntariam mortem defendere; cum tam diverſis argumentis nitatur, quales ſunt *gravitas, & conſtantia* Catonis hic memorata, & *cauſſa moriendi ipſi a Deo data*, quam ibi in Tuſc. diſp. nulla ratione adhibita ſuggerit. Pearce.

Paſſus eſt Vlyxes) Vterque meus codex, & illi quos Guilielmus vidit, *Vlyxes*. Sic & in antiquiſſimis aliorum ſcriptorum codicibus reperiri auctor eſt Giſſanius ad Lucretium. Græv.

Omnibus affabilem & jucundum ſe eſſe vellet) Revocavi lectionem Victorio publicatam, inventamque in Palatino primo, & T. Ceteris abeſt illud, *& jucundum*. Gruter.

Quam ſe aliena deceant) Quidam legi volunt, *dedeceant*; ego nihil muto. Lamb.

Quod eſt cujuſque maxime ſuum. Suum igitur quiſque) Quidam libri, *quod eſt cujuſque maxime. Suum igitur* &c. alii, quo modo edidi, *quod eſt cujuſque maxime ſuum. Suum igitur*. Nam *ſuum* pro

acremque ſe & bonorum, & vitiorum ſuorum judicem præbeat: ne ſcenici plus, quam nos, videantur habere prudentiæ; illi enim non optimas, ſed ſibi accommodatiſſimas fabulas eligunt: qui voce freti ſunt, Epigonos, Medumque: qui geſtu, Menalippam, Clytæmneſtram: ſemper Rupilius, quem ego memini, Antiopam: non ſæpe Æſopus Ajacem. Ergo hiſtrio hoc videbit in ſcena, non videbit vir ſapiens in vita? Ad quas igitur res aptiſſimi erimus, in iis potiſſimum elaborabimus. Sin aliquando neceſſitas nos ad ea detru-

pro proprio vel pueris receptum eſt: hinc ille Terentii locus elegantiſſimus in Eunucho explicatur: *Viden' os ſuum, & cibus quid facit alienus?* quamquam Bembus, *oſſum* legerit, alii *otium*, utrumque ἀπροσδιονύσως. CAR. LANG. Mei quoque codices, & excerpta Pithœi: *Quod eſt cujuſque maxime. Suum igitur quiſque.* Nullus dubito, veram eſſe ſcripturam eorum codicum, quam ſecutus eſt accuratiſſimus Langius; per quam venuſta eſt repetitio τῦ *ſuum*, quam cum non caperent librarii, aut ſcioli, ſemel *ſuum* deleverunt; quos nollem Gruterus ſecutus eſſet. GRÆV.

Acremque ſe & bonorum, & vitiorum) Acrem judicem pro ſevero uſurpat, auctore Nonio, in cujus libris ita legitur: *Acremque ſe & bonorum, & malorum ſuorum judicem præbet.* FR. FABRIT.

Epigonos, Medumque) Vetuſta lectio, quam probo, *Medumque* habet: ita enim appellata eſt Pacuvii tragœdia. Nonnulli, qui hoc ignoraſſent, hac exploſa & deleta voce, *Medeam* repoſuerunt, cum ſcirent maxime Medeæ caſus, immanitatemque ejus adverſus filios in theatris agitatam eſſe: nec cogitaſſent fieri poſſe etiam, ut aliqua tragœdia Medi ejus filii nomine ſcripta fuerit. Non. Marcellus in dictione *Dico* adducit Pacuvium in Medo: Ioannes autem Pierius & probus & eruditus vir, ac ſupra omnes in litteras accuratus, in ſuis in III. Æneidos caſtigationibus adducit Fl. Soſipatri Grammatici locum, ubi mentionem facit hujus tragœdiæ his verbis: *Pacuvius in Medo cum oſtenderet, a Medo Medeæ filio matrem quæri, ait: Te Sol invoco, ut mihi poteſtatem duis inquirendi mei parentis.* Quare teſtimonio & auctoritate priſcorum codicum ita cenſeo eſſe legendum. P. VICTOR. Vetuſtiora exemplaria habent *Medumque*, de quo Pacuvius tragœdiam ſcripſit, quæ ſubinde citatur a Non. Marcello, ut in dictione *Abjugo*. P. BALDVIN. *Epigonos, Medumque*) Libri veteres habent, *Medumque*: quos ſequor; vulgati vero, *Medeamque*. LAMB. *Epigonos, Medumque*) Ita legi in vetuſtis libris, non *Medeamque*, Victorius, & Balduinus jamdiu in Annotationibus teſtatum reliquerunt. *Medus* autem Pacuvii non ſolum a Nonio, ſed & a Charitio lib. I. & a Priſciano lib. X. & XIII. adducitur, quem qui ignorarunt, *Medeam* ſuppoſuerunt. In eo, quod ſequitur: *Quod non videbit ſapiens*: *quod* abeſt a manuſcriptis, & editis a Langio exemplaribus. FR. FABRIT. Abeſt quoque *quod* a Pithœan. & meo primo, & commode ſine ſententiæ detrimento, volentibus libris antiquis, abeſſe poteſt. In meo præterea & excerpt. Pith. *vir* additur. *Non videbit vir ſapiens in vita*; quod probo. GRÆV.

Ad quas igitur res aptiſſimi erimus, in iis potiſſimum elaborabimus) Quid enim natura adverſante geras? minus, quam ſi adverſo alveo nates; quod qui temere tentet, nec viribus, nec arte, nec uſu fretus operam primo ille ludit, & poſtmodo laſſus, brachiis cruribuſque demiſſis, abreptus vortice, demergitur. Hic ille puſillus eſt, qui ridetur in Græco verſu Minervæ procus.

Και περ εων ολιγος μναται ευπηχυν Αθηναν.

Quamvis parvus deperit pulcram Minervam.

Digitized by Google

detruſerit, quæ noſtri ingenii non erunt, omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea, ſi non decore, at quam minimum indecore facere poſſimus. Nec tam eſt enitendum, ut bona, quæ nobis data non ſint, ſequamur, quam ut vitia fugiamus.

32. Ac duabus iis perſonis, quas ſupra dixi, tertia adjungitur, quam caſus aliquis, vel tempus imponit: quarta etiam, quam nobiſmetipſis judicio noſtro accommodamus; nam regna, imperia, nobilitates, honores, divitiæ, opes, eaque, quæ ſunt his contraria, in caſu ſita, temporibus guber-

Vid. Plutarch. de puerorum educatione. Epictet. Enchirid. cap. 59. Αν ὑπερ δυναμιν αναλαβῃς τι προσωπον, και εν τουτῳ ησχημονησας και ὁ εδυνασο εκπληρωσαι παρελιπες. *Si quam perſonam, quæ vires tuas ſuperat, indueris, tum eam, quam ſuſtinere poſſes, negliges.* Præcipit hoc cum alibi frequenter, tum apud Arrian. lib. III. c. 13. Ανθρωπε σκεψαι την σαυτου φυσιν, τι δυναται βαστασαι· ει παλαιστης, ιδε σου τους ωμους, τους μηρους, την οσφυν. αλλος γαρ προς αλλο τι πεφυκε. *Homo naturam tuam conſidera, quid ferre poſſit. Si luctator eſſe vis, vide humeros tuos, femora, lumbos. Alius enim ad aliud natus eſt.* Quod qui non faciunt, ſera pœnitentia deplorabunt poſtea ſpes improbas cum Othone: Τι γαρ μοι και μακροις αυλοις; *Quid enim mihi cum longis tibiis?* Idem.

Quam ut vitia fugiamus)

Nam vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt,

Qui minimis urgetur; ut vere Horat. Vitioſitas autem naturæ corrigitur doctrina & uſu, ſeu adſuefactione. Plutarch. de puerorum educatione: Φυσεως μεν γαρ αρετην διαφθειρει ῥαθυμια, φαυλοτητα δε επανορθοι διδαχη. και τα μεν ῥαδια τους αμελουντας φευγει, τα δε χαλεπα ταις επιμελειαις ἁλισκεται. *Socordia naturæ bonitatem depravat, doctrina ejuſdem vitioſitatem emendat: etiam quæ facilia ſunt homines deſides non aſſequuntur, difficilia ſtudio & cura comprehenduntur.* Vnde Horat.

Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,

Si modo culturæ patientem commodet aurem. Idem.

Quam caſus aliquis, vel tempus imponit) Epictet. Enchiridio cap. 23. Μεμνησο, ὁτι ὑποκριτης ει δραματος, οιου αν θελῃ ὁ διδασκαλος· αν βραχυ βραχεος, αν μακρον μακρου· αν πτωχον ὑποκρινεσθαι σε θελῃ, ἱνα και τουτον ευφυως ὑποκρινῃ. αν χωλον, αν αρχοντα, αν ιδιωτην. σον γαρ τουτ᾽ εστι το δοθεν ὑποκρινεσθαι προσωπον καλως· εκλεξασθαι δ᾽ αυτο, αλλου. *Actorem eſſe fabulæ talis, qualis magiſtro probata fuerit, te memento: ſi brevis, brevis, ſi longæ, longa. Si mendicum agere te voluerit, fac eam quoque perſonam decore geras. Ita ſi claudum, ſi principem, ſi plebejum. Hoc enim tuum eſt, impoſitam perſonam bene agere, eam autem eligere, alterius.* Vide ibi Simplicium. Idem.

Nobilitates) Sunt diverſi nobilitatum gradus. Alia eſt nobilitas patricia, alia plebeja: atque illa rurſus, alia majorum gentium, alia minorum: hæc alia novorum, ac nullius imaginis hominum, alia nobilibus natorum. Tacit. XII. annal. *At Claudius quamquam nobilitatibus externis mitis.* Senec. conſol. ad Polyb. XXXVI. *Quamvis in aliis rebus dignitatum ac nobilitatum magna diſcrimina ſint, virtus in medio poſita eſt.* Gronov. Tacit. Agric. IV. procurationem Cæſarum vocat nobilitatem equeſtrem: *Vtrumque avum procuratorem Cæſarum habuit: quæ equeſtris nobilitas eſt.* Hoc eſt, hæc dignitas equeſtris ordinis viros nobilitat. Eſt igitur alia nobilitas patriciorum, & plebejorum, qui ad magiſtratus curules per-

Digitized by Google

gubernantur. Ipſi autem gerere quam perſonam velimus, a noſtra voluntate proficiſcitur; itaque ſe alii ad philoſophiam, alii ad jus civile, alii ad eloquentiam applicant: ipſarumque virtutum in alia alius mavult excellere. Quorum vero patres, aut majores aliqua gloria præſtiterunt, ii ſtudent plerumque eodem in genere laudis excellere: ut Q. Mucius P. filius in jure civili; Pauli filius Africanus in re militari. Quidam autem ad eas laudes, quas a patribus acceperunt, addunt aliquam ſuam: ut hic idem Africanus eloquentia cumulavit bellicam gloriam; quod idem fecit Timotheus Cononis F., qui, cum belli laude non inferior fuiſſet, quam pater, ad eam laudem doctrinæ & ingenii gloriam adjecit. Fit autem interdum, ut nonnulli, omiſſa imitatione majorum, ſuum quoddam inſtitutum conſequantur: maximeque in eo plerumque elaborant ii, qui magna ſibi proponunt, obſcuris orti majoribus. Hæc igitur omnia, cum quærimus, quid deceat, complecti animo, & cogitatione debemus. In primis autem conſtituendum eſt, quos nos, & quales eſſe velimus, & in quo genere vitæ: quæ deliberatio eſt omnium difficillima. Ineunte enim adoleſcentia, cum eſt maxima imbecillitas conſilii, tum id ſibi quiſque genus ætatis degendæ conſtituit, quod maxime adamavit; itaque ante implicatur aliquo certo genere, curſuque vivendi, quam potuit, quod optimum eſſet, judicare. Nam quod Herculem Prodicium dicunt (ut eſt apud Xenophontem) cum primum pubeſceret

les pervenerint. GRAEV.

Agere quam perſonam) *Gerere*, eſt in omnibus, atque ita repone. FR. FABRIT.

Student plerumque) *Ii ſtudent plerumque* eſt in tribus ſcriptis, ac bonis impreſſis; cujus loco in Manutianis legitur: *Eorum plerique in hoc genere laudis ſtudent excellere*. FR. FABRIT.

Obſcuris orti parentibus) *Parentibus*, eſt in Manutianis: pro quo ceteri vulgati, & manuſcripti omnes habent, *majoribus*; atque ita eſt apud Nonium in *Obſcurum*. IDEM.

Nam quod Herculem Prodicus dicit) Libri aliquot veteres habent: *Nam quod Herculem Prodicium dicunt*, &c. LAMBIN. *Nam quod Herculem Prodicus dicit*) Victorius, Balduinus, & Langius ex libris vetuſtis legunt: *Nam quod Herculem Prodicium dicunt*; atque ita libros aliquot veteres habere, Lambinus annotat; idem ego & de meis omnibus affirmo, niſi quod in duobus, *prodigum*, pro *Prodicium*, mendoſe legitur. Quemadmodum autem hoc loco, *Herculem Prodicium*, ita in epiſtola ad Lucceium, *Herculem Xenophontium*, dicit; nam Xenophon in ſecundum librum Commentariorum retulit, quod Prodicus in libro de Hercule expoſuerat. FR. FABRIT.

Digitized by Google

ſceret (quod tempus a natura ad deligendum, quam quiſque viam vivendi ſit ingreſſurus, datum eſt) exiiſſe in ſolitudinem, atque ibi ſedentem, diu ſecum, multumque dubitaſſe, cum duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram Virtutis, utram ingredi melius eſſet; hoc Herculi Iovis ſatu edito potuit fortaſſe contingere: nobis non item, qui imitamur, quos cuique viſum eſt, atque ad eorum ſtudia inſtitutaque impellimur. Plerique autem parentium præceptis imbuti, ad eorum conſuetudinem, moremque deducimur: alii multitudinis judicio feruntur, quæque majori parti pulcherrima videntur; ea maxime exoptant: nonnul-

Herculi Iovis ſatu edito) Tres MSi libri, & item Petri Victorii, *Hoc Herculi Iovis ſato potuit fort. cont.* quod poſſet retineri, vel certe ex eo fieri *Iove ſato*. Non diſplicet tamen communis lectio. Voluit enim ex veteri aliquo Tragico addere orationi, non ſine archaiſmo. C. Lang. Vox *edito* non eſt in primis edd. quarum Moguntina & Romana ſecunda habent *ſato*, prima vero *ſitu*. Victorius teſtatur quoque lib. XVII. c. 12. *Iovis ſitu* tantum reſtare in veterrimo ſuo. Gruter. Pith. excerpta: *Iove ſato*; uti legendum cenſuit Victorius in Variis Lectionibus, ſed Grævii primus tuetur vulgatum. Grævius. *Iovis ſitu edito*) Multum diſſident hic MSi in re non dubia: ſequor vero lectionem MSorum Mill. Mead. pr. Reg. quart. Mert. ſec. Grævii pr. & Laud. in marg. Sic enim alibi Noſter loquitur; ut in lib. de Univ. c. 2. *Oceanum Salaciamque cæli ſatu Terræque conceptu generatos editoſque memoremus*. Nec aliter fere ibi paulo poſtea: *Vos qui Deorum ſatu orti eſtis*. Et in Tuſc. diſp. II. 8. *Una vecors Iovis partu edita*. Ex poetis videtur traxiſſe hanc loquendi formulam, *editus ſatu Iovis*. Nonius in voce *ſatu* dicit eam poſitam eſſe pro *ſemine*. Pearce.

Plerumque autem parentium præceptis) Citatur hic locus a Nonio in verbo, *Imbuere*, atque ibi legitur; *Plerique autem parentum præceptis imbuti, ad eorum conſuetudinem moreſque deducimur*; verſ. 17. idem Nonius legit: *Ea maxime optant*, id eſt, eligunt, αἱρουνται pro quo, *exoptant*, Ciceronis libri habent. Fr. Fabric. Certior & verior eſt lectio, quam in ſuis libris reperit Nonius, quam illa, quæ in noſtris reperitur: *plerique autem parentium præceptis*, quod quilibet Latine ſciens, & hujus loci ſententiam perpendens videbit. Hinc eam merito ſequor. Guilielmus ex MSis repoſuit *parentium*; non male. Sic enim ſæpe veteres libri. Grævius.

Ad eorum conſuetudinem moremque deducimur) Sicut nunc ſe habet cum religione & ſacris. Plerique ſectam ſequuntur eam, ad quam præceptis parentum imbuti & informati ſunt a primis annis. Pro *morem*, Pith. excerpta *moreſque*; quod non improbandum. Idem.

Quæque majori partl pulcherrima ildentur, ea maxime exoptant) Numquam hoc facient, qui ſapiunt. Nam vere Plutarchus: Το τοις πολλοις αρεσκειν, τοις σοφοις εστιν απαρεσκειν. μαρτυρει δε μου τῳ λογῳ και Ευριπιδης λεγων,

Εγω δ' ακομψος εις οχλον δουναι λογον,
Εις ἡλικας δε κωλιγους σοφωτερος.
. . . . οἱ δ' εν σοφοις
Φαυλοι, παρ' οχλῳ μουσικωτεροι λεγειν.

Vulgo placere, ſapientibus eſt diſplicere. Cui ſententiæ teſtimonium dat Euripides, ita inquiens:

In vulgus ipſum ineptus ſum eloqui;
Sed ad paucos & æquales ſapientior.

--- *Verum*

nonnulli tamen ſive felicitate quadam, ſive bonitate naturæ, ſive parentium diſciplina, rectam vitæ ſecuti ſunt viam.

33. Illud autem maxime rarum genus eſt eorum, qui aut excellentis ingenii magnitudine, aut præclara eruditione, atque doctrina, aut utraque re ornati, ſpatium etiam deliberandi habuerunt, quem potiſſimum vitæ curſum ſequi vellent: in qua deliberatione ad ſuam cujuſque naturam conſilium eſt omne revocandum. Nam cum in omnibus, quæ aguntur ex eo modo, quo quiſque natus eſt, (ut ſupra dictum eſt) quid deceat, exquirimus; tum in tota vita conſtituenda multo eſt ei rei cura major adhibenda, ut conſtare in vitæ perpetuitate poſſimus nobiſmetipſis, nec in ullo officio claudicare. Ad hanc autem rationem quoniam maximam vim natura habet, fortuna proximam, utriuſque omnino ratio habenda eſt in deligendo genere vitæ: ſed naturæ magis; multo enim & firmior eſt, & conſtantior, ut fortuna nonnumquam, tamquam ipſa mortalis cum immortali natura pugnare videatur. Qui igitur ad naturæ ſuæ

— *Verum ſapientibus*
Qui non placet, vulgo is habetur peritior.

Addit deinceps plerumque ſe vidiſſe eos, qui dicant faciantque multitudini grata & jucunda, intemperantes eſſe ac voluptatibus deditos. Exemplo ſit Julius Cæſar. IDEM.

Excellente ingenii magnitudine) Optime Pall. prim. *excellentis ingenii magnitudine*, cui accedit proxime meus primus: *excellenti ingenii magnitudine*. Pro Archia: *Excellenti animo & virtute vir*. IDEM.

Ex eo, quo quiſque modo natus eſt) Libri aliquot veteres habent: *Ex eo modo, quem quiſque nactus eſt*. LAMBIN. Vid. Var. lect. GRAV.

Multo eſt rei cura major adhibenda) Inepte ſic ſcribitur in recentioribus editionibus. addendum enim fuerat cui rei cura ſit adhibenda. Itaque Manutius legit: *hujus rei cura*: Fr. Fabritius, *ejus rei cura*: Car. Langius plane delevit *rei*, ediditque: *multo eſt cura major*. In Palat. primo *multō eſt ei major cura*; ſed plene meus primus: *multo eſt ei rei cura major*. Nimirum in Palat. *ei* propter affines litteras abſorpſerat *rei*, in aliis viciſſim *rei* imbiberat *ei*. IDEM.

Ut fortuna nonnumquam, tamquam ipſa mortalis, cum immortali natura pugnare videatur) Editio princeps: *Ut fortuna nonnumquam ipſa mortalis cum immortali natura pugnare videatur*. τὸ *tamquam* non etiam extat in meo ſecundo; ſed primus vulgatam tuetur. In utroque tamen hæc interpretatio impoſita eſt voci *mortalis*, *leviter mutabilis*, & *immortali*, *difficile mobili*. Locus hic multa labe eſt inquinatus, quæ vix ſine melioris notæ libris poterit elui. Mihi fere perſuaſi, Ciceronem ſcripſiſſe: *Ut fortuna nonnumquam cum natura, tamquam mortalis cum immortali pugnare videatur*. Nam *Naturam expellas furca, tamen uſque recurret*. Itaque cum fortuna luctatur cum natura, pugna eſt gigantis cum Deo. GRÆVIUS. Merito diſplicuit doctis hic locus, non uno modo (ut videtur) corruptus.

ſuæ non vitioſæ genus conſilium vivendi omne contulerit, is conſtantiam teneat; id enim maxime decet: niſi forte ſe intellexerit erraſſe in deligendo genere vitæ. Quod ſi acciderit (poteſt autem accidere) facienda morum inſtitutorumque mutatio eſt. Eam mutationem, ſi tempora adjuvabunt, facilius commodiuſque faciemus; ſin minus, ſenſim erit pedetentimque facienda: ut amicitias, quæ minus delectent, & minus probentur, magis decere cenſent ſapientes ſenſim diſſuere, quam repente præcidere. Commutato

ptus. Editio Rom. ſec. tres MSi Oxon. cum aliis nonnullis habent *quam fortuna*, non *ut fortuna*. Fortaſſe ſcripſit Cicero, vel: *Multo enim & firmior eſt & conſtantior, quam fortuna; ut ipſa* (ſc. fortuna) *nonnumquam, tamquam mortalis cum immortali, cum natura pugnare videatur*: vel ſic: *Multo enim & firmior eſt & conſtantior; ut fortuna nonnumquam cum ipſa, tamquam mortalis cum immortali, pugnare videatur*. Conjunctio *ut* idem valet, quod *ita ut*, vel *adeo ut*: ſenſuſque loci hic eſt: Quoties fortuna cum natura (ut fit aliquando) pugnat, videtur impari congreſſu pugnare, quaſi mortalis homo cum immortali Deo contenderet. In Ciceron. de Seneƈt. c. 2. ſimile quid occurrit: *Quid eſt aliud, gigantum modo pugnare cum diis, niſi naturæ repugnare?* Pearce.

Eam mutationem, ſi tempora adjuvabunt) Si quædam opportunitas ratioque temporum nos ad aliud vitæ genus vocaverit, ut ipſum Ciceronem, qui oppreſſa rep. a Cæſare, relicto foro, & curia, totum ſe dabat Philoſophiæ, & his, quas tum edidit, diſputationibus elucubrandis, ut fere in proœmiis ſingulis teſtatur. Græv.

Amicitias ſenſim diſſuere) Eleganter & acute, *diſſuere*: ſed tamen veteres omnes libri *diluere*, habent; quod eſt extenuare; ſic colores, ſic vina diluuntur. *Sic unguenta lacrymis diluere* dixit Ovid. *auctoritatem diluere* Seneca. Sed maxime ad hunc locum, quod Gellius priſcorum vocabulorum mirus ſectator libro XII. cap. 1. *Vinculum* inquit, *illud coagulumque animi atque amoris, quo parentes, cum filiis natura conſociat, interſcindunt, aut certe quidem diluunt, deteruntque*; ubi *deterunt* eadem Metaphora dixit, nempe a pictoribus colores terentibus; ut Horatius: *Culpa deterere ingenii*, id eſt imminuere. Car. Lang. *Senſim diſſuere*) Etiam libri Memmiani, & Danielis, & Cujatiani habent, *diluere*, de quo verbo docte quidem Langius: ſed tamen paullum ab eo diſſentio; non enim puto translationem eſſe a coloribus ſed potius a rebus vinctis & colligatis; *diluere* enim hic puto idem fere valere, quod *διαλύειν*, id eſt, diſſolvere, quemadmodum *reluere* valet, id quod obligatum ſeu pignori oppoſitum eſt, repignerare & reſolvere. Cæcil. *Vt aurum & veſtem, quod matris fuit, reluat, quod vivа ipſa oppoſuit pignori*. Quin apud Agellium, *diluunt*, idem ſignificat, quod diſſolvunt; ſic ille lib. XII. cap. 1. *Vinculum illud, coagulumque animi atque amoris, quo parentes cum filiis natura conſociat, interſcindunt, aut certe quidem diluunt, deteruntque*. Vnus alius habet, *deluere*: quod fortaſſe rectius eſt, & ita videri poteſt in Lælio legendum: *Tales igitur amicitiæ ſunt remiſſione uſus deluendæ*; ubi tamen editum eſt, *eluendæ*. Lambin. *Senſim diſſuere*) Verbum *diſſuere*, ex dialogo de amicitia in hunc locum veniſſe, merito quis ſuſpicetur. Sic enim ibi Lælius: *Tales igitur amicitiæ ſunt remiſſione uſus eluendæ, & (ut Catonem dicere audivi) diſſuendæ magis, quam diſcindendæ ſunt*; noſtri vero libri manuſcript. omnes cum iis, quibus Langius, & Lambinus ſunt uſi, habent, *ſenſim diluere*, non, *diſſuere*. Fr. Fabrit. In meo optimo & veterrimo libro hoc verbum erat in contextu omiſſum, ſed eadem manu minori-

Digitized by Google

tato autem genere vitæ, omni ratione curandum eſt, ut id bono conſilio feciſſe videamur. Sed quoniam paullo ante dictum eſt, imitandos eſſe majores, primum illud exceptum ſit, ne vitia ſint imitanda: deinde, ſi natura non feret, ut quædam imitari poſſint, ut ſuperioris Africani filius, qui hunc Paullo natum adoptavit, propter infirmitatem valitudinis non tam potuit patris ſimilis eſſe, quam ille fuerat ſui. Si igitur non poterit ſive cauſas defenſitare, ſive populum concionibus tenere, ſive bella gerere: illa tamen præſtare debebit, quæ erunt in ipſius poteſtate, juſtitiam, fidem, liberalitatem, modeſtiam, temperantiam, quo minus ab eo id, quod deſit, requiratur. Optima autem hereditas a patribus traditur liberis, omnique patrimonio præſtantior, gloria virtutis, rerumque geſtarum: cui dedecori eſſe, nefas & impium judicandum eſt.

34. Et

noribus tamen litteris clare appoſitum erat *diſſuere*: ſecundus meus, longe recentior, ut plerique alii *diluere*. Cum autem & in Palatino primo *diſſuere* legatur, non dubitandum diutius de veritate hujus ſcripturæ. GRÆVIUS.

Ut quædam imitari poſſint) Forte *poſſit*: ſequitur enim (parentheſi finita) in poſteriore ſententiæ parte: *ſi igitur non poterit*. Et paulo ante uſus fuerat Cicero tertia perſona: *Qui ad naturæ ſuæ non vitioſum genus vivendi conſilium omne contulerit, is conſtantiam teneat &c.* PEARCE.

Gloria virtutis, rerumque geſtarum) Præclare Seneca IV. de benef. cap. 30. docet, quid proſit parentum virtus liberis: *In petendis honoribus quoſdam turpiſſimos nobilitas induſtriis, ſed novis prætulit. Non ſine ratione ſacra eſt magnarum virtutum memoria: & eſſe plures bonos juvat, ſi gratia bonorum non cum ipſis cadat. Ciceronem filium quæ res Conſulem fecit, niſi pater? Cinnam nuper quæ res ad Conſulatum recepit ex hoſtium caſtris? quæ Sextum Pompeium, alioſque Pompeios, niſi unius viri magnitudo? tanta quidem, ut ſatis alte omnes ſuos etiam ruina ejus attolleret. Quid nuper Fabium Perſicum, cujus oſculum etiam impuri vitabant, ſacerdotem non in uno collegio fecit, niſi Verrucoſi, & Allobrogici, & illi trecenti, qui hoſtium incurſioni pro rep. unam domum objecerant? Hoc debemus virtutibus, ut non præſentes ſolum illas, ſed etiam ablatas e conſpectu colamus.* Et paullo poſt: *Hic egregiis majoribus ortus eſt, qualiſcumque eſt, ſub umbra ſuorum lateat. Ut loca ſordida repercuſſu Solis illuſtrantur, ita inertes majorum ſuorum luce reſplendeant.* Sic Vitellium patris claritas evexit ad dignitates, & tandem principatum. *Conſulatum*, inquit Tac. III. Hiſt. *ſacerdotia, nomen, locumque inter primores nulla ſua induſtria, ſed cuncta patris claritudine adeptus. Principatum ei detulere, qui ipſum non noverunt.* Itaque natalium dignitas Pindaro *χρυσεα κρηπις* aureum fundamentum totius felicitatis humanæ dicitur. GRÆV.

Nefas & vitium judicandum) Quam male *vitium* cum *nefas* jungatur, vident omnes, qui aut præceptis Rhetorum ſunt imbuti, aut recte loquentium uſum & conſuetudinem in conſilium adhibent. Vitium enim eſt infra nefas. Itaque clariſſimus Gruterus bene notavit, ſe vix ſe continere potuiſſe, quin deleto illo *vitium* intulerit *impium*, quia id repererit in primo Palatino. Cum vero *impium* quoque in meo primo conſpiciatur, nullus dubitavi id reponere. IDEM.

Nefas & vitium judicandum eſt) Ita

34. Et quoniam officia non eadem diſparibus ætatibus tribuuntur, aliaque ſunt juvenum, alia ſeniorum, aliquid etiam de hac diſtinctione dicendum eſt. Eſt igitur adoleſcentis majores natu vereri, exque his deligere optimos, & probatiſſimos, quorum conſilio atque auctoritate nitatur. Ineun-

omnes MSi, exceptis Pal. pr. & Grævii pr. qui habent *impium*, quam vocem ideo Grævius in textum intulit, quod *vitium*, ut ait, eſt infra *nefas*: nec aliter video, Noſtrum locutum eſſe in II. 14. *Modo ne nefarium impiumque defendere*. At non neceſſe eſt, ut ob eam cauſſam rejiciatur vox *vitium*, quam profert Grævius: *nefas* enim, ſi originem vocis ſpectes, nihil aliud ſonat, quam *quod fas non eſt*: ergo nefas dici poteſt aliquando eſſe etiam infra *vitium*. Hoc videtur ſenſu vocis dixiſſe Horatius in Carm. I. III. 26.

Gens humana ruit per vetitum nefas.

Et Cicero in c. 5. de Seneſt. *Profecto videtis nefas eſſe dictu, miſeram fuiſſe talem ſenectutem*. Pearce.

Eſt igitur adoleſcentis, majores natu vereri) Hanc quam debent juniores reverentiam majoribus, ſummopere commendat Plato IX. de legibus: ὧδε χρη περι των τοιουτων παντα ανδρα και παιδα και γυναικα διανοεισθαι, το πρεσβυτερον ὡς ου σμικρῳ του νεωτερου εστι πρεσβευομενον, εν τε θεοισι και εν ανθρωποις τοις μελλουσι σωζεσθαι και ευδαιμονειν. αικιαν ουν περι πρεσβυτερον εν πολει γενομενην ὑπο νεωτερου ιδειν αισχρον και θεομισες. εοικε δε νεῳ παντι ὑπο γεροντος πληγεντι, ῥαθυμως οργην ὑποφερειν, αυτῳ τιθεμενῳ τιμην ταυτην εις γηρας. ὡδε ουν εστω· πας ἡμιν αιδεισθω τον ἑαυτου πρεσβυτερον, εργῳ τε και επει. τον δε προεχοντα εικοσιν ἡλικιας ετεσιν, αρρενα η θηλυν νομιζων ὡς πατερα η μητερα διευλαβεισθω. και πασης της δυνατης ἡλικιας αυτον φιτυσαι και τεκειν απεχοιτο αει, θεων γενεθλιων χαριν. *Oportet omnes homines mulieres ſimul ac viros, adoleſcentes ac ſenes, ita de his ſemper exiſtimare. Seniorem non parvo intervallo junioribus præponendum eſſe, & apud Deos, & apud homines, qui feliciter victuri ſunt: Cæli ergo ſenem a juniore nefas & diis inviſum habetur. Decet autem juvenem verberatum a ſeniore, id ob ſenectutis reverentiam patienter ferre. Hæc itaque lex eſto: Quilibet ſeniorem & re, & verbo colat. Ac ſi viginti annis major eſt, quaſi patrem, ſi vir fuerit, aut matrem, ſi mulier, revereatur. Atque adeo omnibus ſemper abſtineat, qui in ea ætate ſint, qua procreare parereque ipſum potuerint, natales Deos veritus*. Quod Plato ſuaſit, id in ſua rep. dudum ante ſanxerat Lycurgus, qui maximum honorem non divitum & potentium, ſed pro gradu ætatis ſenum eſſe voluit, ut Iuſtinus ait lib. III. vid. Plut. de Inſtitutis Laconicis. Idem quoque Romanorum veterum fuiſſe inſtitutum docet Gellius II. 15. *Apud antiquiſſimos Romanorum neque generi, neque pecuniæ præſtantior honos tribui, quam ætati ſolitus: majoreſque natu a minoribus colebantur ad Deum prope, & parentum vicem; atque in omni loco, inque omni ſpecie honoris, priores potioreſque habiti*. Hinc etiam *ſenes* & *ſeniores* Latinis dicuntur viri tanto honore digni propter virtutem, aut doctrinam, aut ingenium, qui tribuitur ſenibus, hoc eſt, qui parentum loco ſunt colendi. Sic *ſenex Æſopus* apud Phædrum, *ſenex Lucilius* apud Horatium, qui tamen anno quadrageſimo ſexto deceſſit, *ſenior Gargettius* apud Statium Epicurus. De quo loquendi genere vide, quæ notavit vir eruditiſſimus, & quondam juventutis noſtræ fautor eximius Gaſpar Gevartius in Papinianis Lectionibus, cujus tota domus & poſteritas æſtate ſuperiore fungorum eſu una die periit Antwerpiæ, funeſto, & poſteris memorando exemplo. Grævius.

Exque his deligere optimos & probatiſſimos, quorum conſilio atque auctoritate nitatur) Hoc vero præceptum inprimis eſt neceſſarium, ut adoleſcens & in ſtudiis, & in inſtituenda vita proponat ſibi aliquem, quem effingat, quemque exprimat ſummo ſtudio. Ideo Virgilius de Pallante ait:

Sub

Ineuntis enim ætatis inſcientia ſenum conſtituenda & regenda prudentia eſt. Maxime autem hæc ætas a libidinibus arcenda eſt, exercendaque in labore, patientia-

tientia-

Sub te tolerare magiſtro
Militiam, & grave Martis opus, tua cernere facta
Adſueſcat, primis & te miretur ab annis.

Eadem apud Homerum de Achille. PH. MELANCHTHON. Solebant ſane Romani adoleſcentes ſtatim a die tyrocinii commendari viro inſigni, quem imitarentur. Tacitus, ſive quicumque auctor eſt dialogi de corruptæ eloquentiæ cauſſis: *Apud majores noſtros juvenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus jam domeſtica diſciplina, refertus honeſtis ſtudiis, deducebatur a patre, vel propinquis, ad eum oratorem, qui principem locum in civitate tenebat; hunc ſectari, hunc proſequi, hujus omnibus dictionibus intereſſe, ſive in judiciis, ſive in concionibus aſſueſcebat; ita ut altercationes quoque excipere, & jurgiis intereſſe, utque ſic dixerim, pugnare in prælio diſceret.* Vide ibi de magna hujus moris utilitate plura. Quantum proſit conſuetudo virorum eximiorum oſtendit quoque Seneca epiſt. 94. *Nulla res magis animis honeſta induit, dubioſque & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum converſatio. Paullatim enim deſcendit in pectora: & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, adſpici frequenter. Occurſus mehercule ipſe ſapientium juvat: & eſt aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias.* Quantum Cælio profuerit uſus & conſuetudo quotidiana Ciceronis, vide apud Ciceronem in Orat. pro Cælio cap. 4. & Scipioni Africano juniori Polybii quotidiana monita, apud Polyb. in excerpt. Peireſcianis ex libro XXXI. Sed inprimis videndus Galeni pulcherrimus libellus de dignoſcendis & ſanandis propriis animi cujuſque affectibus, in quo multis docet, quomodo utendum ſit adoleſcenti tali viro ſpectatæ virtutis: & Seneca epiſt. 11. GRAEV.

Ineuntis enim ætatis inſcientia) Et hoc loco, & centum aliis tam Ciceronis quam Cæſaris *inſcitia* pro *inſcientia* legebatur. Inſcitia eſt ruditas & inelegantia; ut I. de legibus: *Ecce autem ſucceſſere huic bello Clodius, Aſellio, nihil ad Cælium; ſed potius ad antiquorum languorem & inſcitiam.* Sic & in Bruto accipit. Inſcientia vero ignorantia & imperitia eſt. Philip. II. *Implicata inſcientia, impudentia eſt*: quo loco concurſu vocalium fugato, librarii *inſcitia* ſcripſerunt contra vetuſtorum exemplarium fidem. CAR. LANG. *Ineuntis enim ætatis inſcientia*) Sic reſtituit Langius ex ſuis, atque ita in uno ex noſtris legitur. Infra quoque *Inſcientia temporis*, eſt in melioribus libris: præterea multis locis libri veteres, *Inſcientiæ* nomen habent, ubi vulgo *Inſcitia* legitur, ut Philip. II. *Verum implicata inſcientia, impudentia eſt*: ita Ferrarius, & Faernus ex libris vet. & in Bruto, ſed & in noſtris *inſcientia* eſt, & cet. & initio lib. I. de Inven. *Ita propter errorem atque inſcientiam cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad ſe explendam viribus corporis abutebatur*: & aliis locis permultis. Similiter apud Cæſarem lib. III. de bello Gallico in codicibus manuſcriptis legitur: *Propter lini inopiam, atque ejus uſus inſcientiam*; ubi impreſſi omnes, *inſcitiam*, habent. Ibid. paullo poſt: *Factum eſt opportunitate loci, hoſtium inſcientia ac defatigatione* &c. Neque tamen ego cenſeam, nomen *Inſcitiæ* ubique mendoſum eſſe, nec pro ignorantia uſurpari, cum Feſtus *inſcitiam* ſtultitiam interpretetur. Horatius Satyra 3. lib. II. *Quem mala ſtultitia & quæcumque inſcitia veri Cæcum agit.* Apud Nonium etiam in verbo *Conſtituere* hic locus ſic adducitur: *Ineuntis enim ætatis inſcitia ſenum conſtituenda, exercendaque prudentia eſt.* FR. FABRIC.

Maxime autem hæc ætas a libidinibus arcenda eſt, exercendaque in labore) Quod Lycurgum feciſſe in rep. Lacedæmoniorum, addita hac ratione, commemorat Xenophon in libello de republia Laconica: Καταμαθὼν τοῖς τηλικούτοις μέγιςον μὲν φρόνημα ἐμφυόμενον, μάλιςα δὲ ὕβριν ἐπιπολάζουσαν,

ἰσχυ-

tientiaque & animi, & corporis, ut eorum & in bellicis, & civilibus officiis vigeat induſtria; atque etiam cum relaxare animos, & dare ſe jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ: quod erit facilius, ſi in ejuſmodi quidem rebus majores natu intereſſe velint.

Seni-

ισχυρωτατας δε επιθυμιας των ἡδονων παρισαμενας, τηνικαυτα πλειςυς μεν πονυς αυτοις επεβαλε, πλειςην δε ασχολιαν εμεγανησατο. Επιθεις δε και ειτις ταυτα φυγοι μηδενος ετι των καλων τυγχανειν, εποιησε μη μονον τυς εκ δημοσιυ, αλλα και τυς κηδομενυς ἑκαςων επιμελεισθαι, ὡς μη αποδειλιασαντες αδοκιμοι παντα πασιν εν τῃ πολει γενοιντο. Lycurgus cum animadvertiſſet eos, qui hac ætate ſunt & maxime proclives ad injuriam, & vehementiſſimis voluptatum cupiditatibus urgeri, idcirco plurimis eos laboribus exercuit, utque ſemper occupati eſſent, excogitavit. Et cum etiam addidiſſet, ſi quis hæc refugeret, ei nihil rerum honeſtarum aſſequi licere, effecit, ut non ſolum publice conſtituti, ſed etiam ſingulorum curatores operam darent, ne propter ignaviam contemti prorſus in civitate eſſent. Hac in ætate tenera laborum tolerantiam præſtitiſſe Spartiatis, ut non facile iis meliore valetudine præditi, nec corporibus expeditioribus invenirentur, inferius idem tradit. Plato quoque in VII. de rep. huic ætati multos graveſque labores imponendos eſſe præcipit. Et Euripides in Creſſis apud Stobæum:

Ουκ αν δυναιο μη καμων ευδαιμονειν,
Αισχρον τε μοχθειν μη θελειν νεανιαν.
Haud poteris felix abſque laboribus eſſe,
Iuvenem autem laborare nolle turpe eſt.

Nam laboris ſoboles eſt gloria, ut Æſchylus:

Το πονυ τι δ' εκ θεων
Οφειλεται γεννημα τυ πονυ κλεος.
Laborantes manet
Soboles laboris gloria ex dono Deum.

ut vertit H Grotius. Graev.

Patientiaque & animi) Vt diſcant iram coercere, comprimere vindictæ libidinem, ſuccenſere vitiis, non hominibus, mores aliorum facile ferre, de quo multa extant egregia præcepta apud M. Antoninum, & alios, ſed inprimis illud Epicteti in Enchiridio cap. 17. Αρξαι τοιγαρυν απο των μικρων. εκχειται το ελαιον; κλεπτεται το οιναριον; επιλεγε, ὁτι τοσουτυ πωλειται απαθεια, τοσυτυ αταραξια· προικα δε υδεν περιγινεται. *A parvis igitur incipe. Oleum effunditur? vinum ſurripitur? Cogita, tanti venit tranquillitas, tanti conſtantia: gratis autem nihil acquiritur.* M. Antoninus prædicat ſe a Sexto didiciſſe το ανεκτικον των ιδιωτων, και των αθεωρητως οιομενων, και το προς παντας ευαρμοςον. (Sic enim recte locum mendoſum hunc ſanavit Gatakerus) *Imperitorum eorumque, qui citra conſiderationem ducuntur, opinione mera tolerantiam, & mores omnibus accommodatos.* Idem.

Caveant intemperantiam) Illam præcipue hic intelligit intemperantiam, de qua Ariſtoteles: *Ακολασιας δε εςι, το αἱρεισθαι τας απολαυσεις των ἡδονων, των βλαβερων και αισχρων, και ὑπολαμβανειν ευδαιμονειν μαλιςα τυς εν ταις τοιαυταις ἡδοναις ζωντας, και φιλογελοιον ειναι, και φιλοσκωπτον, και φιλευτραπελον, και ῥαδιυργον εν τοις λογοις και τοις εργοις. Intemperantiæ vero eſt indulgere voluptatibus pernicioſis & turpibus: & exiſtimare eos vel ſolos bene ac feliciter agere, qui his fruuntur voluptatibus: & eſſe amantem riſus, & dicteriis mordacibus gaudere, & ſtudioſum facetiarum, & in verbis, & in factis levem.* Addit dein, quæ mala ſequantur intemperantiam: *Ακολυθει δε τῃ ακολασια αταξια, αναιδεια, ακοσμια, τρυφη, ῥαθυμια, αμελεια, ολιγωρια, εκλυσις. Conſequitur autem intemperantiam laſcivia, impudentia, indecens habitus, mollities, ſocordia, negligentia, incuria, diſſolutio.* Idem.

Majores natu intereſſe) Hoc ex inſtituto Lycurgi obſervabatur in Lacedæmoniorum republica, & faciendum præſcribit Plato II de legibus. Nam Seneca ep. 25. bene dicit: *Omnia nobis mala ſolitudo perſuadet.* Et ep. 11. *Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat.* Ceterum hic locus in antiquis libris varie legitur. In nonnul-

Digitized by Google

Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendæ videntur; danda vero opera, ut & amicos, & juventutem, & maxime rempub. conſilio, & prudentia quam plurimum adjuvent. Nihil autem magis cavendum eſt ſenectuti, quam ne languori ſe deſidiæque dedat. Luxuria vero cum omni ætati turpis, tum ſenectuti fœdiſſima eſt: ſin autem libidinum etiam intemperantia acceſſerit, duplex malum eſt, quod & ipſa ſenectus concipit dedecus, & facit adoleſcentium impudentiorem intemperantiam. Ac ne illud quidem alienum eſt, de ma-

nonnullis eſt: *Si ejuſmodi quidem in rebus majores natu nolint intereſſe*; unde conjicit Lambinus: *non nolint intereſſe*. Pith. & Græv. prim. *Si in ejuſmodi quidem rebus majores natu intereſſe volent*; & ſic fere Palat. prim. quos ſequor. GRÆV. Veteres quatuor libri habent: *hi in ejuſmodi quidem rebus*, ſed ego Parcenſem ſecutus ſum: *ſi in ejuſmodi rebus*. C. LANG.

Senibus autem labores corporis minuendi) Hinc Diogenes dixit: *Senex es, jam laborum deſine*. Qui enim in ſtadio currit, ad metam curſum oportet remittere, non intendere. Hinc omnium civilium munerum honeſtam excuſationem habet ſenectus. Seneca de brevit. vitæ cap. ultimo: *Lex a quinquageſimo anno militem non cogit, a ſexageſimo ſenatorem non citat*. Inde conqueritur Horatius ſe jam ſenem a Mecænate revocari ad munus & labores priſtinos, lib. I. ep. I.

Prima dicte mihi, ſumma dicende Camœna
Spectatum ſatis, & donatum jam rude quæris
Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo.
Non eadem eſt ætas, non mens. Vejanius, armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.
Eſt mihi, purgatam crebro qui perſonet aurem:
Solve ſeneſcentem mature ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat

Eadem eſt querela Fabii maximi, cum in ſenectute conſulem eum vellent creare apud Liv. X. 13. Vide Ciceronem in Catone pluribus de his ſenectutis officiis diſputantem. GRÆVIUS.

Exercitationes animi etiam augendæ) Nam *arma ſenectutis ſunt artes exercitationesque virtutis*; ut idem ait Cicero in Catone. IDEM.

Conſilio & prudentia quam plurimum adjuvent) Ut apud Homerum Neſtor:

Βυλῃ, και μυθοισι. το γαρ γερας εςι γεροντων.
Conſilio, & oratione, hoc enim munus eſt ſenum.

Hinc ſemper ſenibus commiſſa eſt cura reipublicæ in bene conſtitutis civitatibus; unde ſenatus: Ratio in promtu eſt:

Seris venit uſus ab annis.

Contra remp. ſæpe juniorum imprudentia perdidit, aut in maximum diſcrimen adduxit. Ennius:

Cur tam cito florentem remp. veſtram amiſiſtis?
Prodibant oratores novi, ſtulti adoleſcentes.

Hinc & *νεανικος juvenilis*, Græcis eſt calidus, temerarius, qualia ſunt juvenum conſilia. IDEM.

Quod & ipſa ſenectus concipit dedecus) Nam ſecundum Ovidium:

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.

IDEM.

Facit adoleſcentium impudentiorem intemperantiam) Divine Plato V. de Legibus: *Oʻ εμφρων νομοθετης τοις πρεσβυτεροις αν μαλλον παρακηλευοιτο αισχυνεσθαι τυς νευς. και παντων μαλιςα ευλαβεισθαι μη ποτε τις αυτον ιδη των νεων, η και επακυση δρωντα η λεγοντα τι των αισχρων. ως οπυ αναισχυντυσι γεροντες, αναγκη και νευς εν ταυθα ειναι*

Digitized by Google

de magiſtratuum, de privatorum, de civium, de peregrinorum officiis dicere. Eſt igitur proprium munus magiſtratus, intelligere, ſe gerere perſonam civitatis, debereque ejus dignitatem, & decus ſuſtinere, ſervare leges, jura deſcribere, ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe. Privatum autem oportet æquo, & pari cum civibus jure vivere, neque ſubmiſſum & abjectum, neque ſe efferentem: tum in rep. ea velle, quæ tranquilla & honeſta ſint; talem enim & ſentire bonum civem, & dicere ſolemus. Peregrini autem, & incolæ officium eſt, nihil

ναι ἀναιδεστάτους. *Sapiens legislator ſenioribus præcipiet maxime, ut juniores revereantur, ac ſummopere caveant, ne quis juvenum eos aut videat, aut audiat agentes turpe aliquid, vel loquentes. Nam ubi ſenes minus pudici ſunt, neceſſe eſt juvenes impudentiſſimos eſſe*. Etenim:

Si damnoſa ſenem juvat alea, ludit & heres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Nec melius de ſe cuiquam ſperare propinquo
Concedet juveni, qui radere tubera terræ,
Boletum condire & eodem jure natantes,
Mergere ficedulas didicit nebulone parente.

Vide totam illam Satyram. Idem.

De magiſtratuum, de privatorum, de civium, de peregrinorum &c.) MSi Laud. & Mert. pr. omittunt vocem *civium*; MSi vero Bodl. ſec. & Mill. vocem *de*. Ego utramque delendam eſſe cenſeo, ut legamus, *de magiſtratuum, de privatorum, de peregrinorum*. Voces *de civium* videntur interpretamentum fuiſſe vocum *de privatorum*: nam de tribus ſolum generibus perſonarum Cicero in ſequente capitis parte agit, & de ſecunda ſic dicit: *Privatum autem oportet æquo & pari cum civibus jure vivere*: ubi poſt vocem *privatum* non inſeritur vox *civem*, quamvis (ut & hic *civium*) ſubintelligenda eſſe videatur. Pearce.

Eſt igitur primum) *Proprium* repone ex auctoritate omnium librorum. Fr. Fabric.

Gerere perſonam civitatis) Quidquid agat geratve, id videri totum populum egiſſe, proque eo aut laudem, aut dedecus ferre. Græv.

Iura deſcribere) Non eſt leges ferre, ſeu condere, ſed jus ſuum cuique tribuere, jus dicere. Cic. V. in Verrem cap. 11. *Eadem lectica uſque in cubiculum deferebatur; eo veniebant Siculorum magiſtratus, veniebant equites Romani, quod ex multis juratis audiſtis, controverſiæ ſecreto deferebantur: paullo poſt palam decreta auferebantur; deinde ubi pauliſper in cubiculo pretio, non æquitate jura deſcripſerat, Veneri jam, & Libero reliquum tempus deberi putabat*. Et pro Quint. *Quis tandem nobis iſta jura tam æqua deſcribis? quis hoc ſtatuit, quod æquum ſit in Quintium, id iniquum eſſe in Nævium?* Deſcribere enim eſt ordinare, diſtribuere. Cic. de lege agraria: *Duodecim deſcribit in ſingulos homines jugera*. Lib. XII. ad Fam. ep. 1. *Tabulæ finguntur, immunitates dantur, pecuniæ maximæ deſcribuntur*. Idem.

Pari cum civibus jure vivere) Quod ii non faciunt, qui ſupra leges ſunt, ut Vrgulania apud Tacit. II. 33. *Vocata in jus Vrgulania, quam ſupra leges amicitia Auguſtæ extulerat*. Idem.

Neque ſubmiſſum) Quales erant omnes oppreſſa a Cæſaribus libertate. Tacitus I. ann. 7. *Romæ ruere in ſervitutem Conſules, Patres, Equites; quanto quis illuſtrior, tanto magis falſi ac feſtinantes, vultuque compoſito, ne læti exceſſu Principis, neu triſtiores primordio, lacrymas gaudio, queſtus adulatione miſcebant*. Vide & cap. ſequens, & cap. 11. & 12. ejuſdem libri. Idem.

Nihil

Digitized by Google

hil præter ſuum negotium agere, nihil de alieno anquirere, minimeque in aliena eſſe rep. curioſum. Ita fere officia reperientur, cum quæretur, quid deceat, & quid aptum ſit perſonis, temporibus, ætatibus. Nihil eſt autem, quod tam deceat, quam in omni re gerenda, conſilioque capiendo ſervare conſtantiam.

35. Sed quoniam decorum illud in omnibus factis, & dictis, in corporis denique motu & ſtatu cernitur, idque poſitum eſt in tribus rebus, formoſitate, ordine, ornatu ad actionem apto, difficilibus ad eloquendum,

Nihil de alio anquirere) Sic legit & edidit quoque Langius, itaque legi in ſcripto codice Balduinus ſcribit; in noſtris quoque manuſcriptis eſt, *de alio*: ſed, *de alieno*, quod Victorius recepit, magis placet. FR. FABRIT.

Minimeque in aliena rep. eſſe curioſum) Vide Plutarchum de Curioſitate, in quo docet, quæ curioſitas ſit bona & ſalutaris, quæ noxia & deteſtanda. In eo etiam præter alia tradit, recte Locrorum magiſtratus multa hominem affeciſſe, qui ex peregrinatione adveniens quæreret, ecquid novi? quod ſi hæc pœna conſtituta in cives peregre venientes, quod peregrinorum ſit officium in aliena rep. facile poſſumus intelligere. Nimirum non eſt peregrini, ut alienis ſe negotiis ingerat, quæ nihil ad ſe pertinent, nec ita perſcrutetur leges & mores alienæ reipublicæ, ut illius arcana, quæ nolunt perveſtigari, rimetur: Præceptum eſt veteris Comici:

Ξενος ων απραγμων ισθι, και πραξεις καλως.

Peregrinus cum ſis, tuas res ages, bene ages. Nam

Ξενῳ μαλιστα συμφερει το σωφρονειν.

Peregrinum maxime decet modeſtum eſſe. Απραγμων eſt *non curioſus*, opponitur πολυπραγμονι *curioſo*. GRÆV.

Formoſitate, ordine, ornatu ad actionem apto) Nimirum eſt elegantia quæ ſpectatur in geſtu, habitu, ac ſermonibus familiaribus, quam Græci κοσμιοτητα dixerunt, atque ita definivit eam Andronicus philoſophus libello περι παθων, quem primus edidit H. Heſchelius, & ejuſdem, ut creditur, Paraphraſi Ethices Ariſtotelez poſtea ſubjecit D. Heinſius. Κοσμιοτης, επιστημη περι το πρεπον εν κινησει και σχηματι σωματος η ευταξια περι σχημα και κινημα του σωματος. *Κοσμιοτης eſt ſcientia decori in motu, & habitu corporis, ſive eſt ordo in habitu, & motu corporis.* Plato in Ὅροις, κοσμιοτης ευταξια περι κινησιν σωματος. *Κοσμιοτης eſt ordo in motu corporis.* Ei opponitur αγροικια, *ruſticitas*, ut docte hæc notavit ad Theophraſti characteres Caſaubonus, & δυσχερεια, & αηδια, *ſorditas*, & *inſuavitas*, de quibus vide Theophraſtum in laudato libello. Formoſitas Ciceroni eſt dignitas corporis. Nam *corporis poteſt eſſe aliqua tanta deformitas, ut nulla arte vincatur*, ut Quinctil. tradit Inſtitut. XI. 3. qualis eſt Therſites apud Homerum Iliad. β. Ordinem Græci ευταξιαν dixerunt, cui oppoſuerunt αταξιαν, ſicut ornatui ακοσμιαν, ut videre licet ex Ariſtotelis loco, quem ad caput præcedens attulimus. IDEM.

Idque poſitum eſt) Maturantius putat, vocem *id* ad motum & ſtatum corporis referri debere. Rectius vero Ambroſius putat, eam vocem reſpicere *decorum*, cum dicat in I. 19. de Offic. *Unde Tullius etiam ordinem putat in illo decoro ſervari oportere: poſitum dicit in formoſitate, ordine, ornatu ad actionem apto*. PEARCE.

Difficilius ad eloquendum) Iſta non bene cohærent cum præcedentibus. Pet. Victorius edidit: *difficilius ad eloquendum eſt*: ſed ſic quoque aſpera & hiulca eſt oratio, nec pro illa facilitate & ſuavitate Tulliana ſe habet.

Eam

Digitized by Google

dum, ſed ſatis erit intelligi. In his autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur iis, quibuſcum, & apud quos vivamus; his quoque de rebus pauca dicantur. Principio corporis noſtri magnam natura ipſa videtur habuiſſe rationem, quæ formam noſtram, reliquamque figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, poſuit in promtu: quæ partes

Nam vero duritiem tollit meus primus & optimus codex: *difficilibus ad eloquendum rebus* in eo extat, quod & Gruterus reperit in Palat. primo, & editione Romana anni CCCCLXXI. ut plane probem Gruteri ſententia legendum eſſe *difficilibus ad eloquendum*, & reſpici *rebus*, quod præceſſerat, perperamque repetitum eſſe a librariis. Cauſſam vero, cur difficile ſit explicatu decorum, in omnibus actionibus obſervandum, docet Ariſtot. II. Eth. 2. Τα εν ταις πραξεσι και τα συμφεροντα ουδεν ἑστηκος εχει, ὥσπερ ουδε τα ὑγιεινα. τοιουτου δ' οντος του καθολου λογου, ετι μαλλον ὁ περι των καθ' ἑκαστα λογος, ουκ εχει τακριβες. ουτε γαρ ὑπο τεχνην, ουθ' ὑπο παραγγελιαν ουδεμιαν πιπτει. δει δ' αυτους και τους πραττοντας, τα προς καιρον σκοπειν, ὥσπερ και επι της ιατρικης εχει και της κυβερνητικης. *Quæ in actionibus conſiſtunt, & utilia ſunt, nullam habent ſtabilitatem, quemadmodum ne ſalubria quidem. Cum autem univerſalis ratio ejuſmodi ſit, multo minus ratio, quæ de ſingulis eſt, exacta eſt. Neque enim ſub artem, neque ſub preceptionem ullam cadit. Oportet enim ſemper eos ipſos, qui agunt, intueri ea, quæ tempus requirit, ut in Medicina res ſe habet, & arte gubernandi.* Vide ibi Paraphraſin Andronici. Græv.

Difficilibus ad eloquendum) Ita MSi Pal. pr. Græv. pr. & edit. Mog. & Rom. niſi quod poſt *eloquendum* habeant *rebus*; quæ vox ex præcedentibus hic temere repetita ab exſcriptoribus fuiſſe videtur. Victorius, & omnes fere MSi habent *difficilius*, minus recte opinor. Senſum loci ſatis attigiſſe videtur Ambroſius in his verbis I. 19. de Offic. *Quæ difficile ait* (Tullius) *loquendo explicari poſſe, & ideo ſatis eſſe intelligi*. Vt hic Noſter dicit *difficilibus ad eloquendum*, ita dicit in Orat. c. 55. *Eſt ad inveniendum difficilior in oratione numerus, quam in verſibus.* Pearce.

Sed ſatis erit intelligi) Sic habent plerique libri veteres cum vulgatis conſentientes; nonnulli: *Sed ſatis faſile poterit intelligi*: quam ſcripturam quamvis olim probarim, tamen nunc minus probo; eamque magis probarem, deleta voce, *ſatis*, *ſed facile poterit intelligi*. Omnino vulgatam, & receptam lectionem modis omnibus retinendam cenſeo: *ſed ſatis erit intelligi*: præſertim cum in aliquot libris manuſcriptis reperiatur. Lambin. *Sed ſatis facile poterit intelligi*) Sic Lambinus ex nonnullis libris vet. edidit: mavult tamen, ut deleta voce *ſatis*, legatur: *Sed facile poterit intelligi*. In noſtris omnibus eſt vulgata lectio: *Sed ſatis erit intelligi*: quam non eſſe rejiciendam, Lambinus bene vidit; nam & Ambroſius lib. I. Officiorum cap. 19. ita ſcribit: *Vnde Tullius etiam ordinem putat in illo decoro ſervari oportere, idque poſitum dicit in formoſitate, ordine, ornatu ad actionem apto, quæ difficile ait loquendo explicari poſſe, & ideo ſatis eſſe intelligi*. Quemadmodum autem hic dicitur, *difficilius ad eloquendum*, ſic in Oratore legitur: *Quæ eſt ad inveniendum difficilior in oratione numerus, quam in verſibus*. Fr. Fabric.

Vt probemur ab iis) Præpoſitio *ab* a pleriſque libris abeſt, idque malo. Fr. Fabric.

Cum quibus, & apud quos vivamus) Magis placet *vivimus*, ut eſt in manuſcripto. F. Vrsin.

Corporis noſtri magnam naturæ ipſa videtur habuiſſe rationem) Vide Ciceronem ipſum II. de natura Deorum c. 54. Græviús.

Formam noſtram reliquamque figuram) Maturantius per *formam* intelligit formam oris, oculorum, narium, & aurium; ut forma idem fere ſignificet, ac fa-

Digitized by Google

partes autem corporis ad naturæ neceſſitatem datæ, adſpectum eſſent deformem habituræ ac turpem, eas contexit, atque abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam, imitata eſt hominum verecundia. Quæ enim natura occultavit, eadem omnes, qui ſana mente ſunt, removent ab oculis, ipſique neceſſitati dant operam, ut quam occultiſſime pa-

ac facies. Et ita videtur ſignificare in ſeq. cap. *Formæ dignitas coloris bonitate tuenda eſt.* PEARCE.

Adſpectum eſſent deformem habituræ ac turpem) Sic Manutius edidit: cujus loco Victorius, Langius, ac noſtri omnes habent: *Adſpectum eſſent deformem habituræ, ac formam*. FR. FABRIT. Meus tamen opt. codex: *Aſpectum eſſent deformem habituræ ac turpem*. Vereor ne *ac formam* natum ſit oſcitatione ſcribarum ex *deformem*. Longe Tulliano nitori magis accommodata eſt ſcriptura, quam probavit Manutius aut ſaltem illa, quam Victorius repoſuit: *ac turpem formam*. GRÆV.

Quæ enim natura occultavit, eadem omnes, qui ſana mente ſunt, removent ab oculis) Plato apud Diogenem Laertium ait, *νομου αγραφου και κατα εθη γενομενου*, *legis non ſcriptæ, & quæ ab uſu proficiſcitur* exemplum eſt *το μη γυμνον πορευεσθαι εις την αγοραν*, *non in forum deſcendere nudum*. Quod qui facit, ubi veſtium uſus eſt receptus, exiſtimationem ſuam, quam omnes tueri debent, minuit, & ſe tamquam hominem leviſſimum, & tam perfrictæ frontis, ut omnem pudorem decoxerit, proſtituit, ac omnium contemtui exponit. Nam ſecundum Euripidem *ανηρ αισχρος αιδεισθαι ου φιλει*. *Vir turpis neminem revereri ſolet*. Et apud Herodotum recte judicatur & dicitur *αμα χιτωνι εκδυομενῃ συνεκδυεται και την αιδω γυνη*. *Mulier exuta tunica, & verecundiam pariter exuit*. Homini autem inſitum eſt contemtum a ſe amoliri non minus, quam damnum & noxam, quibus corpus læditur; itaque metus contemtionis nos avocat ab iis committendis, quæ pudorem nobis incutiunt. Pudor enim a natura homini datus eſt tamquam cuſtos conſervandæ dignitatis & exiſtimationis ſuæ. Metus infamiæ reprimit homines, ne procaciter, petulanter, & turpiter agant. Nam ſecundum Staſinum, *ινα γαρ δεος, ενθα και αιδος*, *ubi timor, ibi pudor*. Et Agatho:

Αδικειν νομιζων, οψιν αιδουμαι φιλων.
Cum peccare me puto, faciem vereor amicorum.

Et contra impudentia eſt, ut recte definitur a Theophraſto in Characteribus *καταφρονησις δοξης*, *contemtus exiſtimationis*. Hic infamiæ metus eſt illud ſtudium conſervandæ dignitatis, quod maxime verſatur in cuſtodia decori: id vero præcipue proficiſcitur a pudore. Eſt autem nihil aliud, quam quod conſentaneum eſt hominis excellentiæ, quæ in eo vertitur, quo ejus natura differt a reliquis animantibus. Partes vero, quas pudendas vocamus, non ſunt natura ſua pudendæ. Nam Adamus, & Eva in Paradiſo ſine pudore & peccato nudi fuerunt. Qui corpora humana ſecant, ſive docent anatomen, palam omnium oculis exponunt membra genitalia ſine pudore & ullo probro. Sic cum medicatrici manui illa ſunt committenda, ſine dedecore nudantur: aut etiam cum ea aut temporis neceſſitas, ut cum graves turbæ in eccleſia Conſtantinopolitana in pervigilio paſchali excitarentur, ut mulieres, quæ veſtes exuerant, ut ſalutaribus aquis, pro ſeculi illius more, tingerentur, nudæ fugientes ſaluti ſuæ conſulerent, ut narrat Chryſoſtomus in epiſtolis, & Palladius in ejus vita nuper a doctiſſimo & amiciſſimo Emerico Bigotio edita; aut egeſtas tegere non ſinit. Sic & cum infantes faſciis involvuntur, nuda illa membra ſine rubore, & ſine reprehenſione ullius ab omnibus adſpiciuntur. Sed & totæ gentes in America, & aliis orbis plagis nudæ incedunt, nulla parte corporis velata. Sic in quibuſdam partibus regni Abyſſi-

Digitized by Google

me pareant: quarumque partium corporis uſus ſunt neceſſarii, eas neque partes, neque earum uſus ſuis nominibus appellant: quodque facere turpe non eſt, modo occulte; id dicere obſcœnum eſt; itaque nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat, nec orationis obſcœnitas. Nec vero audiendi ſunt Cynici, aut ſi qui fuerunt Stoici pæne Cynici,

Abyſſinorum plebejæ feminæ totæ nudæ ſunt. Quibus tamen viſis mares non magis moveri ſolent, quam ſi manus, aut pedes nudos conſpicerent, teſte Alverezio deſcript. Æthiop. c. 32. Apud has gentes nota turpitudinis communi totius populi ſenſu ablata eſt nuditati, & impudentiæ crimen illa non ſubit, nec peccati labe adſpergitur, quia ea membra patent abſque protervia & petulantia: non magis quam apud nos ſine crimine & probro matronæ detecta facie in publico verſantur, quod tamen apud alias gentes matronis vitio vertitur. Sed tamen apud populos, ubi nuditas proſcripta eſt, non ſine peccato & impudentiæ crimine, niſi id minuat neceſſitatis aut utilitatis, ut in anatome, ratio, genitalia membra detegerentur, ſive quia libidinem aliorum incendant, & irritent, ſive quia dignitatem & exiſtimationem, cujus quiſque debet eſſe ſtudioſiſſimus, extinguant. Vide quæ de his copioſe & ſubtiliter diſputat vir dignitatis ſenatoriæ ampliſſimus, & perquam acuto ingenio & acri judicio præditus Lambertus Velthuſius, multorum annorum uſu mihi conjunctiſſimus in Diſſertatione de principiis juſti & decori, nec non in Diatribe de pudore & dignitate naturali hominis. Aliam rationem, cur hæc membra tegantur adfert Vir celeberrimus, & mihi amiciſſimus Samuel Pufendorffius Regis Sueciæ Hiſtoriographus lib. VI. cap. I. de Iure naturæ & gentium, quem vide. GRÆV.

Quodque facere turpe non eſt, modo occulte) Quia tum non violatur reverentia & honos, quem homini debeo, ut meam ipſe tuear exiſtimationem & dignitatem. Sic multa ſunt turpia, quæ mutatis attributis, & quæ rem circumſtant, turpitudinis infamiam exuunt. Petrus, adventante Domino, properat ſe amiculo cingere, cum inter piſcandum nudus cum ſodalibus verſari non erubuiſſet Ioann. XXI. 7. quia dignitas Chriſti, cui honorem debebat, requirebat, ut ipſi cum maxima reverentiæ ſignificatione præſto eſſet, qua caret nuditas ex opinione gentium veſtitarum. Sic obſoleta in veſte domi verſari non erubeſcimus, quibus tamen ad nuptias, aut in forum, ac curiam prodire indecorum habetur. Hæc eidem debentur Velthuſio, qui id pluribus probat argumentis & exemplis, multa quæ non ſint turpia per ſe, propter violationem decoris & pudoris, & ex circumſtantiis, ut vulgo loquuntur, fieri turpia. IDEM.

Itaque nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat, nec oratio obſcœnitate) Sic Gruterus, & recentiores editiones. Sed rectius meus primus, Pithœi excerpta, editique olim: *Itaque nec aperta actio rerum illarum petulantia, nec orationis obſcœnitas*, ſcilicet petulantia vacat. Nihil certius, ſententia omnino id flagitante. IDEM.

Aut ſi qui fuerunt Stoici pæne Cynici) Fuerunt enim Stoici, qui τον κυνισμον, id eſt Cynicorum rationem atque vitam probaverunt; de quibus Cicero extremo lib. tertio de Finibus, & Laertius lib. VII. Eſt quoque apud Arrianum caput περι κυνισμου lib. III. cap. 22. FR. FABRIC. Hinc Stoicorum dogmata tunica tantum a Cynicis diſtare Iuven. Satyr. III. ait, hoc eſt ſolo habitu a Stoicis differre, cum dogmata fere habeant eadem. Nam κοινωνια εις ταις δυο ταυταις αιρεσεσιν εστιν, οθεν και τον κυνισμον ειρηκασι συντομον επ' αρετην οδον. *Societas quædam eſt inter has duas ſectas: unde & cyniſmum dixere brevem ad virtutem viam*; ſunt verba Diog. Laert. lib. VI. GRÆV.

Qui

Cynici, qui reprehendunt, & irrident, quod ea, quæ re turpia non ſint, nominibus ac verbis flagitioſa ducamus: illa autem, quæ turpia ſint, nominibus appellemus ſuis. Latrocinari, fraudare, adulterare re turpe eſt: ſed dicitur non obſcœne: liberis dare operam re honeſtum eſt, nomine obſcœnum: pluraque in eam ſententiam ab eiſdem contra verecundiam diſputantur. Nos autem naturam ſequamur, & omne, quod abhorret oculorum, auriumque approbatione, fugiamus. Status, inceſſus, ſeſſio, accubitio, vul-

Qui reprehendunt, & irrident, quod ea, quæ turpia re non ſint, verbis flatigioſa dicamus) Meus primus codex, nec non Pal. prim. *Quæ re turpia non ſint, nominibus ac verbis flagitioſa ducamus*. Firmant tres Guilielm. Et hæc eſt Ciceronis manus. Irrident, inquit, Cynici, eos, qui, quæ re non ſunt turpia, ducunt verbis ac nominibus flagitioſa eſſe. Vide Stoicorum rationes apud Cic. lib. IX. ad Famil. ep. 22. ad Pætum, in qua illas exponit diſerte. GRÆV. *Verbis flagitioſa*) Vulgo legitur: *Nominibus & verbis flagitioſa*: ſed priores voces omittit Victorius, quinque MSi Oxon. Mill. Cant. quatuor Regii, & duo Mead. Videntur huc adductæ fuiſſe ex ſequentibus: *nominibus appellemus ſuis*. Certe huic loco non ſunt neceſſariæ, cum idem ſignificent *nomina* & *verba*, & cum alibi Noſter ſimplici ſolum voce uti ſoleat: ut (ad mentem Stoicorum) dicit in Ep. ad fam. IX. 22. *Si quod ſit in obſcœnitate flagitium, id aut in re eſt, aut in verbo*. Ib. *Si quod verbo ſignificatur; id turpe non eſt: verbum, quod ſignificat, turpe eſſe non poteſt*. Et ſic in Tuſc. diſp. II. 11. *Quaſi de verbo; non de re laboretur*. PEARCE.

Adulterare re turpe eſt) Sic legitur in noſtris manuſcriptis, excepto uno, in quo eſt, *adulterari*; verum, *adulterare*, eſſe in vetuſtis, Balduinus quoque admonet, itaque Langius, & Lambinus ediderunt. Sic lib. I. de Legib. *Ius eſſet latrocinari, jus adulterare, jus teſtamenta falſa ſupponere*. FR. FABRIT. Sic & Græv. primus, & excerpta Pithœi. GRÆV.

Nos autem naturam ſequamur) Quæ nobis inſevit pudorem, & corpus ita finxit & formavit, ut honeſtatis ſummam videatur habuiſſe rationem. IDEM.

Et ab omni, quod abhorret ab oculorum, auriumque approbatione fugiamus) Neſcio, quam Latine dicatur *ab omni fugiamus*. Hinc Fr. Fabrit. edit. ex conjectura Lambini, *ab omni refugiamus*: ſed invitis libris vetuſtioribus. In meo ſecundo, qui eſt recentior, legitur, *refugiamus*. Rectius & emendatius meus primus: *Et omne, quod abhorret oculorum, auriumque approbatione, fugiamus*; τὸ *ab* non agnoſcit etiam Palat. prim. GRÆV. *Et ab omni, quod abhorret ab oculorum . . . approbatione fugiamus*) Ita Victorius, & MSi duo Mead. quatuor Regii, Mill. omnes Oxonienſes, omneſque fere editiones ante Grævianam. Grævius vero ex uno ſuo MSo edidit: *Et omne quod . . . . fugiamus*. At latinitas veteris lectionis in dubium vocari non debuit: ita enim Cicero locutus eſt in Ep. ad Fam. XVI. 12. *Præſertim cum a ſuis conditionibus ipſe fugerit*. Et in III. 13. de Nat. Deor. *Omne animal appetit quædam, & fugit a quibuſdam*. PEARCE.

Seſſio, accubitio) In aliis eſt, *accubatio*. Lambinus Langii ſcripturam meliorem judicans, hujus nominis tertiæ ſyllabæ vocalem tertiam tribuit. Dicimus enim *Accubitum*, non *Accubatum*; eademque ratione, *Accubitionem*, non *Accubationem* dicendum eſſe veritas pervincit. Accedit auctoritas veteris Grammatici Nonii Marcelli, qui Ciceronem in de Senectute, *Accubitionem* dixiſſe, teſtatur. FR. FABRIT. *Accubitio* quoque præfert primus Grævii, GRÆV.

vultus, oculi, manuum motus, teneant illud decorum. Quibus in rebus duo maxime ſunt fugienda; ne quid effeminatum, aut molle, & ne quid durum, aut ruſticum ſit. Nec vero hiſtrionibus, oratoribuſque concedendum eſt, ut iis hæc apta ſint, nobis diſſoluta. Scenicorum quidem mos tantam habet veteri diſciplina verecundiam, ut in ſcenam ſine ſubligaculo prodeat nemo; verentur enim, ne, ſi quo caſu evenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, adſpiciantur non decore. Noſtro quidem more cum parentibus puberes filii, cum ſoceris generi non lavantur. Retinenda eſt igitur hujus generis verecundia, præſertim natura ipſa magiſtra & duce.

36. Cum autem pulcritudinis duo genera ſint, quorum in altero venuſtas ſit, in altero dignitas; venuſtatem, muliebrem ducere debemus; dignitatem, virilem. Ergo & a forma

Teneant illud decorum) Ne ita incedamus, aut ſedeamus, reliquiſque ſimilibus in rebus, quæ hic commemorantur, ita nos geramus, ut aliis tædio ſimus, illorumque oculos offendamus, ut Tiberius, de quo Sueton. in ejus vita cap. 68. *Incedebat cervice rigida & obſtipa: adducto fere vultu, plerumque tacitus: nullo aut rariſſimo cum proximis ſermone, eoque tardiſſimo: nec ſine molli quadam digitorum geſticulatione. Quæ omnia ingrata atque arrogantiæ plena. & animadvertit Auguſtus in eo, & excuſare tentavit ſæpe apud ſenatum, naturæ vitia eſſe, non animi.* Et de Claudio cap. 30. *Remiſſe quid, vel ſerio agentem multa dehoneſtabant. Riſus indecens: ira turpior ſpumante rictu, humentibus naribus; præterea linguæ titubantia, caputque cum ſemper, tum in quantocumque actu vel maxime tremulum.* Idem.

Ne quid effeminatum & molle) Ut Sardanapalus *Vir muliere corruptior, qui purpuram colo nebat, & muliebri habitu, & mollitia corporis, & oculorum laſcivia omnes feminas anteibat*, ut Juſtinus auctor eſt I. 3. Idem.

Ne quid durum, aut ruſticum ſit) Vide Theophr. characteres περὶ ἀγροικίας. Id.

Oratoribuſque concedendum) Quantum ſtudii poſuerint veteres, ut in omni actu nil, quod dedeceat, faciant; vide apud Quinctil. lib. I. cap. 11. & lib. II. cap. 13. ubi legendum: *Ideoque nec ad unum motum formatæ manus, & in vultu mille ſpecies*. Inepte in editis eſt: *nec ad unum modum*. Vide inprimis lib. XI. cap. 3. Idem.

Ut in ſcenam) *Scæna* cum *æ* ſcribi debere Priſcianus teſtis eſt; & ita in ſaxis veteribus inſculptum vidi; vide Varronem de Lingua Latina. Græci per αι ſcribunt. C. Lang. *Ut in ſcænam*) *Scænam* eſt in antiquis, & impreſſis Victorii libris. Manutius, & Langius, *in ſcæna*, legunt, Nonii libri in *Subligaculum* cum antiquis faciunt. Fr. Fabric.

Venuſtatem, muliebrem ducere debemus) Ad juſtam enim, & quæ cum majeſtate quadam conjuncta ſit, pulcritudinem & apta proceritas corporis requiritur: quæ ubi deeſt, *venuſtus* quidem quis dici, *pulcher* proprie dici non poteſt. Suet. Aug. 89. *Forma per omnes ætatis gradus venuſtiſſima fuit*: non dicit *pulcherrima*, ſed *venuſtiſſima*; brevis enim ſtatura Auguſtus fuit, ut ibidem tradit. Contra idem in Nerone cap. 55. *Vultu pulcro magis, quam venuſto*. Dicit *pulcro*, cui non minus auctoritatis, quam gratiæ ineſſet, ut alibi loquitur. A. Buchnerus.

Dignitatem virilem) Agrætius hoc etiam

Digitized by Google

forma removeatur omnis viro non dignus ornatus: & huic ſimile vitium in geſtu, motuque caveatur. Nam & palæſtrici motus ſæpe ſunt odioſiores; & hiſtrionum nonnulli geſtus inepti non vacant offenſione; & in utroque genere, quæ

etiam ex Cicerone pro Cælio obſervat, quod ſit pulcritudo in femina, hoc eſſe in viro *dignitatem formæ*; vide Caſaub. ad Sueton. Claud. c. 30. GRAEVIUS.

A forma removeatur omnis viro non dignus ornatus) Hinc Diogenes apud Laertium adoleſcenti muliebriter comto quippiam roganti, ante non ſe reſponſurum dicebat, quam exploratum haberet, vir ne eſſet, an mulier. Plura in hanc ſententiam Cynici illius dicta lepida invenies in ejus vita. IDEM.

Palæſtrici motus) In palæſtris docebantur, & brachia, & totum corpus movere decore ad leges, numeroſque. Hinc Horat. lib. I. de Mercurio:

Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti catus, & decore
More palæſtræ.

Tu primus docuiſti homines eleganti more ac ratione luctari, cum antea luctæ eſſent inconditæ & inſulſæ; hinc *palæſtra* pro ipſa ratione quadam eleganti. Cic. de perfecto Oratore: *Vt athletas, nec multo ſecus gladiatores videmus, nihil nec vitando facere, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palæſtram quamdam*. Sic in I. de Legibus: *Fannii autem ætati conjunctus Antipater paullo inflavit vehementius, habuitque vires agreſtes ille quidem atque horridas, ſine nitore & palæſtra*. Qui ſint autem palæſtrici motus, eleganter docet Quinctil. l. II. Inſtitut. *Ne illos quidem reprehendendos putem, qui paulum etiam palæſtricis vacaverint*; nimirum ut paullo poſt dicit: *Vt recta ſint brachia, ne indoctæ ruſticæve manus, ne ſtatus indecorus, ne qua in proferendis pedibus inſcitia, ne caput oculique ab alia corporis inclinatione diſſideant*. Vide ibi plura, quod olim palæſtra, hoc nunc docet orcheſtra. IDEM.

Hiſtrionum nonnulli geſtus inepti) Solebant Comœdis Romæ dare operam geſtuum, pronunciationiſque cauſſa. Quinctilian. I. Inſtitut. cap. 11. *Dandum aliquid Comœdo quoque, dum eatenus, qua pronunciandi ſcientiam futurus orator deſiderat*. Sed non longe poſt ſalubriter præcipit, ut hic Cicero: *Ne geſtus quidem omnis ac motus a Comœdis petendus eſt. Quamquam enim utrumque eorum ad quemdam modum præſtare debet orator, plurimum tamen aberit a ſcenico, nec vultu, nec manu, nec excurſionibus nimius*. Alioquin quid ex Comœdo & hiſtrione diſcere poſſit ſtudioſus eloquentiæ, in eodem docet capite: *Debet docere Comœdus, quomodo narrandum, qua ſit auctoritate ſuadendum, qua concitatione conſurgat ira, qui flexus deceat miſerationem*. Sed legenda, quæ ſequuntur. IDEM.

Geſtus inepti non vacant offenſione) Nullam varietatem hic in ullis libris invenio, niſi quod Anemœcius ex ſuo legit: *Nonnulli geſtus inepti non vacant offenſione*. FR. FABRIT. Sic & Palatinus, & meus primus: merito Gruterus recepit. GRAEV.

Hiſtrionum nonnulli geſtus ineptiis non vacant) Hæc eſt lectio Victorii, Editionis Mog. MSorum Groning. duorum Mead. quatuor Regiorum, itemque Mill. Cant. quinque Oxonienſium, & aliorum quamplurimorum: magiſque mihi ſe commendat, quam illa, quæ Grutero arriſit: hic ex duobus ſolum MSis in textum induxit ſequentia: *Hiſtrionum geſtus nonnulli inepti non vacant offenſione*. Quid enim? Num accurate ſatis dicitur nonnullos geſtus ineptos vacare offenſione, cum neceſſe ſit, ut omnes ejuſmodi geſtus habeant aliquid offenſionis? Gruterus quidem aſſerit multa inepta vacare offenſione. Fortaſſe non diſſentiremus, ſi apud nos conſtaret, quid vellet vox *offenſio*. *At plane hic aliquid requiritur* (inquit Gruterus) *quod accederet ad laſciviam & ad obſcœnitatem*. Mihi quidem hoc minime videtur: nihil enim Ciceronem aliud video hic velle, quam ut in hiſtrionum geſtibus omnis non viro dignus geſtus removeatur. PEARCE.

quæ ſunt recta & ſimplicia laudantur. Formæ autem dignitas coloris bonitate tuenda eſt: color exercitationibus corporis. Adhibenda eſt præterea munditia non odioſa, neque exquiſita nimis; tantum quæ fugiat agreſtem, & inhumanam negligentiam; eadem ratio eſt habenda veſtitus: in

Formæ autem dignitas coloris bonitate tuenda eſt) Senec. de conſtant. ſapient. c. 13. *Scit ſapiens omnes hos, qui togati purpuratique incedunt, valentes coloratoſque, male ſanos eſſe*. Clemens Alexandrin. Pædagog. III. 11. Ανθος της ὑγιειας ελευθεριον, το καλλος. ἡ μεν γαρ ενδον τυ σωματος εργαζεται, το δε, εις το εκτος τυ σωματος εξανθησαν, φανεραν ενδεικνυται την ευχροιαν. *Sanitatis liberalis flos eſt pulcritudo. Sanitas enim intus operatur, exterius autem efflore ſcens. pulcritudo manifeſte bonum colorem præ ſe fert*. Hinc non putabant ad valetudinem firmam ſufficere carere morbo, niſi coloris bonitas acceſſiſſet. Inde Cicero I. ad Famil. ep. 9. *Qui me homines quod ſalvum eſſe voluerunt, eſt mihi gratiſſimum: ſed vellem non ſolum ſalutis meæ, quemadmodum medici, ſed ut aliptæ, etiam virium, & coloris rationem habuiſſent*. Hinc *colorati* dicebantur, qui proſpera utebantur valetudine. Improbabatur autem in viris color albus, laudi vero ducebatur fuſcus, & quaſi aduſtus ſole. Ovid. I. artis amatoriæ:

Munditiæ placeant, fuſcentur corpora campo.

Sic contra pallor mollitie & otio fractis ac marcentibus objiciebatur. Seneca de vita beata: *Virtus pulverulenta, colorata: voluptas enervis, pallida*. Et de Brevitate vitæ: *Quam multi continuis voluptatibus pallent*. Horat. *pinguem vitiis, albumque*. Sæpe apud Iuvenalem color iſte iis exprobratur, qui luxu epularum, & aliarum voluptatum ſibi morbos arceſſunt, & acerba fata. Ad colorem illum fuſcum ducendum cum aliis exercitiis utebantur, tum etiam *inſolatione*, & aut uncti aliptarum opera in ſole ambulabant, quod dicebant *uncto uti ſole*, aut ſine unguentis, quod Ciceroni in ep. 6. lib. XII. ad Atticum eſt *aſſo ſole uti*. Sed de his dudum viri docti pluribus egerunt. GRÆVIUS.

Color exercitationibus corporis) Præcipue in campo Martio, & rurі venatu, ut ſuperius oſteudit Tullius. Clem. Alexandrin. Pædagog. III. 11. Αἱ καλλιςαι και ὑγιεινοταται αγωγαι, διαπονυσαι τα σωματα το καλλος το γνησιον και παραμονον εργαζονται. *Pulcherrimæ & ſaluberrimæ vivendi rationes, corpora exercentes germanam & firmam efficiunt pulcritudinem*. Dein cauſſam reddit: Ακινητω τω σωματι το βρωθεν σιτιον υ προσφυεται, αλλα εκπιπτει. ὡσπερ απο ψυχρυ κλιβανυ ὁ αρτος, η ολος, η μονον ὑπολειπομενυς τον πυθμενα. *Corpori immobili devoratus cibus minime adhæreſcit, ſed excidit: quemadmodum a frigido clibano panis vel totus, vel ſolum fundum relinquens*: vide ibi plura, & cauſſas apud Ariſtotel. in problemat. ſectione ultima, probl. 3. 4. 5. IDEM.

Adhibenda eſt præterea munditia non odioſa) Clemens Alexandr. Pædagog. III. 11. Ἡ καθαριοτης ἑξις εςιν, παρασκευαςικη διαιτης καθαρας και αμιγυς αισχροις. *Munditia eſt habitus puram vitæ rationem preparans, & minime mixtam turpibus*. IDEM.

Tantum quod fugiat agreſtem & inhumanam negligentiam) Qualis fuit illius, quem Horatius deriſit:

Acutis
Naribus horum hominum videri poſſit, eo quod
Ruſticus intonſo toga defluit, & male laxus
In pede calceus hæret. IDEM.

Eadem ratio eſt habenda veſtitus) Maxima ſemper fuit hominibus liberis, nec ineptis cura, ut, quoties in publicum eſſet prodeundum, decenti eſſent habitu, quod Græci vocant ευσχημονειν, Plautus *euſcheme adſtare* in Trinummo, & Milite. In hoc qui eſſent negligentiores, ruſtici habebantur, ut apud Theophraſtum in charactere ruſticitatis. adſcribitur inter ceteras notas

in quo, ſicut in pleriſque rebus, mediocritas optima eſt. Ca-

notas ruſtico, μειζω τα ποδος τα υποδηματα φερειν: *Calceos geſtare pede grandiores*. Horatius:

Ruſticius tonſo toga defluit.

Defluere enim dicitur veſtis, cum negligentius habetur: dicitur & *trahi* in Ciſtellaria Plauti, & apud Græcos συρεσθαι. Athenæus de hoc κοσμιοτητος ſtudio antiquorum loquens libro primo: Εμελεν, inquit, αυτοις και του κοσμιως αναβαλλεσθαι την εσθητα, και τους μη ποιουντας τουτο εσκωπτον. *Volebat etiam illos veſtiri decore, & qui hoc non faciebant, reprehendebat*. Plato vero in Theæteto inter hominis non ingenui nec liberaliter educati notas hanc quoque ponit, quod neſciat αναβαλλεσθαι επιδεξια ελευθερως, *veſtem dextre decenterque liberorum more componere*. Is. CASAUBONUS. Quæ fuerit oratorum cura in componenda toga, ut decenter ſederet, vide Quinctil. lib. XI. cap. 3. Clementis Alexandrini egregia præcepta ſunt de veſtitu Pædagog. III. 11. inter quæ & hæc: Ὡς γαρ στρατιωτου, και ναυτου, και αρχοντος, ουτως δε και σωφρονος εστιν οικεια στολη, ἡ απεριεργος, και ευσχημων, και καθαριος. *Quemadmodum militis, & nautæ, & magiſtratus, ita etiam viri temperantis eſt propria veſtis, quæ eſt minime elaborata, & eſt decora, ac munda*. Et paullo inferius: Εστω δε ἡ εσθητις αρμοζουσα ἡλικια, προσωπω, τοποις, φυσει, επιτηδευμασιν. *Conveniat autem veſtis ætati, perſonæ, locis, ingenio, ſtudiis*. Sic ille locus mihi legendus videtur. In editis male τυποις. Dicit autem τοποις, quia veſte alia utebantur Romæ, alia in Græcia, alia in Africa, alia in Parthia: Romæ alia domi, alia in convivio, alia in foro, & curia. Sed præcipue legendus Athenæus lib. I. Dipnoſophiſt., qui multis oſtendit teſtimoniis, quam irriſi fuerint & aculeatis dictis confoſſi, qui veſtitu utebantur ruſtice & indecore. Inter alia ait, Hermippum prodidiſſe, Anaximenis veſtitum ut illiberalem fuiſſe reprehenſum a Theocrito Chio: & Calliſtratum Ariſtophaneum in opere ſuo maledictis inceſſiſſe Ariſtarchum, quod eruditioni, qua præditus erat, veſtis non congrueret, tamquam id quoque pertineat ad doctrinam. Vid. ibi plura. GRÆVIUS.

In quo, ſicut in pleriſque rebus, mediocritas optima eſt) Qualis fuit cultus Auguſti, de quo Sueton. in ejus vita 73. *Veſte non temère alia, quam domeſtica uſus eſt, ab uxore, & ſorore, & filia nepotibuſque confecta, togis neque reſtrictis, neque fuſis: clavo nec lato, nec anguſto*. Nam veſtis juſto brevior eſt hominum ſordidorum, notante Theophraſto in character. περι μικρολογιας, laxa nimis, ac juſto longior, & ad talos demiſſa diſſolutorum eſt & mollium. Seneca pater lib. II. *Omnia a te vitia: quod unguento coma madet, tuum eſt: quod laxior uſque in pedes tunica demittitur, tuum eſt*. Cic. de Oppianico: *Facite, ut non ſolum mores ejus, & arrogantiam, ſed etiam vultum, atque amictum, atque illam uſque ad talos demiſſam purpuram recordemini*. Phædrus lib. IV. de Menandro:

Unguento delibutus, veſtitu adfluens
Veniebat greſſu delicato, & languido,

ſcilicet ad Demetrium, qui propterea cum illum ignoraret, & videret tam laxo pallio velatum, quærebat:

Quinam cinædus ille in conſpectu meo
Audet venire?

Sic viri graves & a luxu alieni geſtabant veſtes breviores. Horatius ad Mecænatem epiſt. 1. lib. I.

Quid? ſi quis vultu torvo ferus, & pede nudo,
Exiguæque togæ ſimulet textore Catonem,
Virtutemne repræſentet, moreſque Catonis?

Sic & qui modeſtiam affectabant, quamvis laticlavii eſſent, tamen purpura non magna utebantur: & contra ambitioſi & molles purpuram admodum dilatabant, ut ex Spartiani Severo, & Luciani Demonacte obſervavit doctiſſimus, & elegantiſſimi ingenii vir Albertus Rubenius lib. I. de lato clavo, ſive re veſtiaria cap. 11. Marcus Antoninus, qui vulgo Philoſophus dicitur, diis ſane gratias egit lib. I. των περι ἑαυτου, quod patrem habuerit, qui fidem ei feciſſet, poſſe in aula ita degi, μητε δορυφορησεων χρηζειν, μηδε εσθητων σημειωτων; *ut nec ſatel-*

Cavendum eſt autem ne aut tarditatibus utamur in greſſu mollioribus, ut pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur: aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates: quæ cum fiunt, anhelitus movetur, vultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna ſignificatio fit, non adeſſe conſtantiam. Sed multo etiam magis elaborandum eſt, ne animi motus a natura recedant: quod aſſequemur, ſi cavebimus,

ſatellitio, nec veſtitu inſigniore ſeu *notabili utatur*: GRÆV.

Ne tarditatibus utamur in greſſu mollioribus) Hic greſſus mollior reprehenditur in Menandro, æque ac veſtitus laxus & longus, in loco paullo ante laudato:

Veniebat greſſu delicato & languido.

Clemens Alexandrin. Pædagog. III. 11. *Αἱ γυναικεῖοι κινήσεις καὶ θρύψεις καὶ χλιδαὶ κολυστέαι παντελῶς. τὸ γὰρ ἁβροδίαιτον τῆς περὶ τὸν περίπατον κινήσεως, καὶ τὸ σαῦλα βαίνειν, ὥς φησιν Ἀνακρέων, κομιδῇ ἑταιρικά. Muliebres motus, luxus, & delitiæ ſunt omnino vitandæ. Mollis enim in incedendo motus, effeminatique ac enervati inceſſus, ut ait Anacreon, ſunt valde meretricia.* IDEM.

Ut pomparum ferculis ſimiles videamur) In quibus ſacra & ſimulacra lentiſſimo inceſſu circumferebantur. Horat. lib. I. Sat. 3.

Sæpe velut qui
Currebat fugiens hoſtem, perſæpe velut qui
Junonis ferret ſacra. ERASMUS.

Pomparum ferculis) Ridiculi ſunt, qui hunc caſum a nominativo *Ferculus* cadere non ſolum putarunt, verum etiam in Obſervationes Ciceronis retulerunt. Erant enim fercula inſtrumenta lignea, quibus ſigna ante triumphantem vehi per pompam ſolebant, ut Aſconius in Verr. 3. ſcribit; unde Fercula quidam interpretantur vehicula, quæ vox vulgatos libros Ciceronis in Piſonem pro illa occupavit, ubi Faernus ex antiquiſſimo libro Vaticano emendavit: *Nummus interea mihi, Cæſar, neglectis ferculis triumphalibus domi manet, & manebit.* Suetonius in Iulio: *Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, Veni, Vidi, Vici.* FR. FABRIC. Tardiſſime autem pompæ tam triumphalis, quam circenſis fercula circumferebantur. Hinc Sueton. de Veſpaſiano in ejus vita c. 17. *Triumphi die fatigatus tarditate & tædio pompæ.* GRÆV.

Aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates) Hoc enim habebatur ſervile. Plaut. Pœn. III. 1.

Liberos homines per urbem modico magis par eſt gradu
Ire: ſervile eſſe duco feſtinantem currere.

Alex. Sever. apud Lamprid. *Ingenuum currere niſi in ſacro certamine non debere.*

Ἓν γὰρ νομίζω τοῦτο τῶν ἀνελευθέρων
Εἶναι τὸ βαδίζειν ἀρρύθμως ἐν ταῖς ὁδοῖς
Ἐξὸν καλῶς.
Id præcipue puto ſervorum eſſe, incedere indecore in publico, cum liceat bene. ALEXIS.

Quæ cum fiunt, anhelitus movetur) Sic meus primus, & Palat. primus. Solent autem uti hoc numero veteres. Sic *anhelitum ducere* legas ſemper *non anhelitus ducere*; nec tamen quidquam moviſſem, niſi vetuſtiſſimorum librorum auctoritas intercesſiſſet. Ceterum idem de inceſſu obſervandum præſcripſit, quod hic Cicero, ſed alias ob cauſſas Baſilius ep. 1. *Τὸ βάδισμα μηδὲ νωθρὸν, ὡς ἔκλυσιν τῆς ψυχῆς κατηγορεῖν, μηδ᾽ αὖ σφοδρὸν καὶ σεσοβημένον ὡς ἐμπλήκτους αὐτῆς τὰς ὁρμὰς ὑποφαίνειν. Inceſſus eſto nec ſegnis, ne animum diſſolutum arguat: nec rurſus vehemens, ac ſuperbus, ne ſtolidos animi impetus indicet.* Nec aliter Clemens Alexandrinus Pædagog. III. 11. *Ἀποσκορακιστέον ἡμῖν καὶ τὸ περίεργον τὸ μανιῶδες· τὸ δὲ σεμνὸν καὶ τὸ σχολαῖον ἐκλεκτέον, οὐ τὸ βάδισμα τὸ μελλητικὸν. οὐδὲ ἐν ταῖς ὁδοῖς σαλεύειν, καὶ ἐξυπτιάζοντα παραβλέπειν εἰς τοὺς ἀπαντῶντας, εἰ ἀποβλέπουσιν εἰς αὐτὸν, καθάπερ ἐπὶ σκηνῆς ἐμπομπεύοντα, καὶ*

δακ:-

mus, ne in perturbationes atque exanimationes incidamus, & ſi attentos animos ad decoris conſervationem tenebimus. Motus autem animorum duplices ſunt, alteri cogitationis, alteri appetitus. Cogitatio in vero exquirendo maxime verſatur: appetitus impellit ad agendum: curandum eſt igitur, ut cogitatione ad res quam optimas utamur: appetitum rationi obedientem præbeamus.

37. Et

διαστυλοδεικνυμένον. *Ab inceſſu nobis procul eſt amoliendus greſſus furioſus; ſed honeſtus, & lentus nobis eligendus, non autem nimis tardus. Sed neque in via fluctuare decet, nec ſupina cervice obvios reſpicere, an ſe adſpiciant, tamquam traducentem pompam in ſcena, & qui digitis monſtretur.* GRÆV. *Anhelitus moventur*) Ita omnes (quos vidi) MSi, omnesque edit. ante Grævium, qui ex duobus MSis edidit *movetur*; quia (inquit) ſolent uti hoc numero veteres. Eſto: at cum hæc Cicero dicit non de uno ſolo homine, ſed de pluribus, recte (opinor) *anhelitus* dicitur in numero plurali: ut intelligatur, unicuique ſuus anhelitus. Sic proxime poſt legimus; *vultus mutantur*, in numero plurali. Adde quod vox *anhelitus* pluraliter uſurpata non ignota eſt Ciceroni: ſic enim in I. 50. de Divin. *Credo etiam anhelitus quoſdam fuiſſe terrarum, quibus inflatæ mentes oracula funderent.* Ib. II. 13. *Placuit Stoicis eos anhelitus terræ, qui frigidi ſunt, cum fluere cœperint ventos eſſe.* PEARCE.

Ne in perturbationes, atque exanimationes incidamus) Ne quid nimis nos perterrefaciat, & mentem nobis excutiat. Nam *terror eſt metus mentem concutiens*, (ſic enim legendum: eo *mentem* excidit in editis, uti ſatis videre licet ex ſequente *pavoris* definitione) *ex quo fit, ut pudorem rubor, terrorem pallor, & tremor, & dentium crepitus conſequatur*, ut Cicero IV. Tuſcul. 8. oſtendit, qui addit *pavorem eſſe motum mentem loco moventem*, ex quo illud Ennii:

Tum pavor ſapientiam omnem mihi ex animo expectorat.

Exanimationem autem eſſe metum ſubſequentem, & quaſi comitem pavoris. GRÆVIVS.

Ad decoris conſervationem) Editiones recentiores *decori*; ſed *decoris* non ſolum viſitur in olim excuſis, verum & Palatin. & quatuor aliis M. F. D. C. & non longe poſt Noſter: *Modus autem eſt optimus decus ipſum tenere, de quo ante diximus*, ſignificat nimirum hunc locum. GVILIELM. Applaudunt ſcripturæ a Guilielmio ex MSis promtæ, & probatæ, Grævii primus, & Pithœi excerpta. GRÆV.

Vt cogitatione ad res quam optimas utamur) Θεῖον τὸ διαλογίζεσθαι καλόν, *animi eſt divini ſemper aliquid boni cogitare*, inquit Democrates. Cogitare quidem cuiquam de quo libet licet: ſed vir bonus abſtinet non tantum a perpetrando, ſed etiam a cogitando malo, quod a matre ſe didiciſſe gratus prædicat M. Antoninus in libro primo.

Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

Vt Iuvenalis Sat. 13. Rationem, cur ſemper cogitandum de rebus optimis, reddit Demophilus in ſententiis: Ἢν ἀεὶ μνημονεύῃς, ὅ τι ἂν δρᾷ ἡ ψυχή σου καὶ τὸ σῶμα ἔργον ἀποτελεῖ, θεὸς ἐφεστηκὼς ἔφορος, ἐν πάσαις σου ταῖς εὐχαῖς, καὶ πράξεσιν, αἰσχυνθήσῃ μὲν τοῦ θεωροῦ τὸ ἄληστον, ἕξεις δὲ τὸν θεὸν σύνοικον. *Si ſemper memineris, quocumque demum loco anima, aut corpus tuum aliquid perpetret, Deum inſpectorem adeſſe, in cunctis quidem orationibus, actionibuſque tuis vereberis inſpectoris præſentiam, cui nihil latet: Deum vero intimum pectoris hoſpitem habebis.* Et Democrates: Ἢν πιστεύῃς τὸν θεὸν ἐπισκοπεῖν πάντα, οὔτε λάθρῃ οὔτε φανερῶς ἁμαρτήσεαι. *Qui Deum cuncta inſpicere crediderit, neque clanculum, neque aperte peccabit.* In quam ſententiam vide

 multa

37. Et quoniam magna vis orationis eſt, eaque duplex: altera contentionis, altera ſermonis: contentio diſceptationibus tribuatur judiciorum, concionum, ſenatus: ſermo in circulis, diſputationibus, congreſſionibus familiarium verſetur: perſequatur etiam convivia: contentionis præcepta rhetorum ſunt; nulla ſermonis: quamquam haud ſcio, an poſſint hæc quoque eſſe: ſed diſcentium ſtudiis inveniuntur magiſtri, huic autem, qui ſtudeant, ſunt nulli: rhetorum turba referta omnia: quamquam, quæ verborum ſententiarumque præcepta ſunt, eadem ad ſermonem pertinebunt. Sed cum orationis indicem vocem habeamus, in voce autem duo ſequamur, ut clara ſit, ut ſuavis: utrumque

multa Epicteti apud Arrianum Diſſertat. II. 14. Hinc etiam diſcrimen præcipuum viri vere boni, & mali, quod ille non tantum nihil mali in ſe committat, ſed ne velit quidem, aut cogitet de malo. Democrates: *Δοκιμος ανηρ και αδοκιμος ουκ εξ ων πρασσει μονον, αλλα και εξ ων βουλεται. Vir probus, aut improbus non ex operibus tantum, ſed etiam ex voluntate ſpectatur*. Nam, ut idem ait: Ἀγαθον *ου το μη αδικειν, αλλα το μηδε εθελειν. Bonum eſt non ſolum ab injuria, ſed etiam a voluntate lædendi*. Et contra idem: Εχθρος *ουχ ὁ αδικων, αλλα και ὁ βουλευων. Inimicus eſt non ſolum, qui injuriam infert, ſed etiam, qui de inferenda cogitat*. Nihil igitur mali in conſilium eſt adhibendum, ſed nos revereri nos ipſos decet. Ἑαυτον *πρωτον αισχυνεσθαι χρεων τον αισχρα ἑρδοντα. primum ſe ipſum vereri debebat, quiſquis turpia perpetrat*: ſecundum illius ipſius Democratis ſententiam. Et Theophraſtus apud Stobæum: *Αιδου σεαυτον, και αλλον ουκ αισχυνθησῃ. Reverere te ipſum, & non erubeſces coram aliis*. Cogitationes enim ſunt fontes actionum. Hinc etiam nuda voluntas ſæpe a judice punitur in majoribus criminibus. Leg. 1. Cod. Theod. ad l. Iul. de ambitu clare proditum eſt, *leges ſcelus punire, & ſceleris voluntatem*. Et Seneca VII. Declam. *Scelera, quamvis citra exitum ſubſederint*, puniri ait; quod & Servius prodidit, jure Romano non tantum effectum puniri, ſed & voluntatem. Idem.

Sed diſcentium ſtudiis) Ni fallor legendum eſt *dicentium*, i. e. ſtudiis eorum, qui ad eloquentiam in dicendo ſe adjungunt. Hoc videor jure collegiſſe ex ſequentibus Ciceronis verbis, *huic autem* (ſc. ſermoni) *qui ſtudeant, ſunt nulli*. Sermonem enim Noſter in ſuperioribus oppoſuerat diſceptationibus in Senatu, judiciis, & concionibus. Adde, quod in his verbis Cicero videtur ſignificare velle, quod antea dixiſſet, *contentionis precepta rhetorum eſſe*. Confer id, quod occurrit in Bruto c. 13. *Extra Græciam magna dicendi ſtudia fuerunt*. Voces *diſcere*, & *dicere* ſæpius in MSis confunduntur. Doct. Chapmannus reponere velit: *ſed dicendi jam ſtudiis*. Pearce.

In voce duo ſequamur, ut clara ſit, & ſuavis) Quinctil. Inſtitut. Orator. XI. cap. 3. de voce diffuſius diſputat: *In ea* (voce) *prima obſervatio eſt, qualem habeas: ſecunda, quomodo utaris. Natura vocis ſpectatur quantitate, & qualitate. Quantitas ſimplicior eſt. In ſumma enim grandis, aut exigua eſt: ſed inter has extremitates mediæ ſunt ſpecies, & ab ima ad ſummam, ac retro, multi ſunt gradus. Qualitas magis varia eſt; nam eſt & candida, & fuſca, & plena, & exilis, & lenis, & aſpera, & contracta, & fuſa, & dura, & flexibilis, & clara, & obtuſa*. Vide ibi plura. Graevius.

Extr-

Digitized by Google

que omnino a natura petendum eſt: verum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio preſſe loquentium, & leniter. Nihil aliud fuit in Catulis, ut eos exquiſito judicio putares uti litterarum; quamquam erant litterati: ſed & alii: hi autem optime uti lingua Latina putabantur. Sonus erat

Exercitatio augebit) Quinctil. XI. 3. *Augentur ſicut omnium, ita vocis quoque bona cura, & negligentia minuuntur*. De varia autem cura, quam adhibebant olim in voce aut tuenda, aut corrigenda, aut augenda, cibis, remediis, exercitiis corporis, vide ſequentia. Magnam ſane curam veteres habebant vocis, & in ea exercenda multum ſtudii ponebant. Propter quam cauſſam dabant operam phonaſcis, ſeu magiſtris vocis, de quibus multa viri docti annotarunt. IDEM.

Preſſe loquentium) Ita clare, ut omnes audiantur litteræ, ſed tanta lenitate, ut nullius aures offendant. Quinctil. lib. II. 8. *Non ſatis eſt dicere preſſe tantum, aut ſubtiliter, aut aſpere: non magis, quam phonaſco acutis tantum, aut mediis, aut gravibus ſonis, aut horum etiam particulis excellere*. In III. de Orat. *Me*, inquit Cicero ad Catulum, *tuus ſonus, & ſuavitas illa delectat*: (nonnullis interpoſitis pergit) *Hanc dico ſuavitatem, quæ exit ex ore: quæ quidem, ut apud Græcos, Atticorum, ſic in Latino ſermone, hujus eſt urbis maxime propria. Athenis diu doctrina Athenienſium interiit*, &c. *tamen eruditiſſimos homines Aſiaticos quivis Athenienſis indoctus, non verbis, ſed ſono vocis, nec tam bene, quam ſuaviter loquendo facile ſuperabit. Noſtri minus ſtudent litteris, quam Latini; tamen ex iſtis, quos noſtis, urbanis, in quibus minimum eſt litterarum, nemo eſt, quin litteratiſſimum togatorum omnium Q. Valerium Soranum lenitate vocis, atque ipſo oris preſſu, ac ſono facile vincat*. His, qui preſſe loquuntur, opponuntur ii, qui aut opprimunt litteras, aut putide nimis, ruſticeque exprimunt, ut ſtatim dicet Cicero. IDEM.

Nihil aliud fuit in Catulis) A me impetrare non potui, ut libros aliquot MSos non ſequerer, in quibus ſcriptum eſt: *Nihil fuit in Catulis* &c. quo modo & Langius edidit: quamquam lectio vulgata, cujus eadem ſententia, non eſt fortaſſe rejicienda. Ne ea quidem damnanda eſt, quam in trib. aliis codicib. MSis reperi: *Quod fuit in Catulis, ut* &c. quia ſenſui Ciceronis non adverſatur. Videtur enim hoc ſentire M. Tullius, in Catulis fuiſſe vocem ſuavem, & dulcem, eoſque preſſe loqui ſolitos eſſe, & leniter, adeo ut eos exquiſite litteratos eſſe putaret, qui audiret. Nam quamquam eſſent litterati, tamen multi alii cum litterati eſſent, hac laude ſuaviter loquendi carebant. Sed, ut redeam ad eam ſcripturam, quam ſecutus ſum, videtur, ſi quis eam probabit, aliquid in ea immutandum, atque ita legendum: *Nihil fuit aliud in Catulis, cur eos exquiſito* &c. Ac quod ad vocem, *aliud*, eam ego reperi in duob. cod. antiquis, ut de ea non ſit admodum dubitandum. De particula, *cur*, quamvis nulli codices adjuvent, tamen conſuetudo Latini ſermonis, ut ita legatur, poſtulat. Sic igitur velim legi: *Nihil fuit aliud in Catulis, cur eos exquiſ.* &c. Nihil fuit aliud autem, præter ſuavitatem, & lenitatem vocis, ſcilicet. LAMBINVS. Parrhaſius in Quæſitis per epiſtolam putat, hic vocem excidiſſe, & Ciceronem ſcripſiſſe: *Nihil aliud fuit in Catulis, ut eos exquiſito judicio putares uti, beneficio litterarum*. Sed neque vocabulum illud reperitur in Pall. nec in Grævian. nec in edit. Moguntina, ac duabus Romanis. Nec eſt, ut hanc vocem nobis obtrudi ingratiis Tullii patiamur. Sententiam autem Lambinus non eſt aſſecutus, quæ eſt: In Catulis, patre & filio, mirabantur omnes ſuavitatem, & preſſum illum oris ſonum. Nam cum verba facerent, licet eſſent litterati, nihil tamen promebant ex interioribus litteris, nec audiebas illorum diſputationibus adſpergi multa erudita, ſed orationes eorum commendabat

Digitized by Google

erat dulcis, litteræ neque expreſſæ, neque oppreſſæ, ne aut obſcurum eſſet, aut putidum. Sine contentione vox nec languens, nec canora. Vberior oratio L. Craſſi, nec minus faceta: ſed bene loquendi de Catulis opinio non minor.

. . . .

. . . .

fuit in primis ſuavitas vocis. Vide Cic. III. de Orat. c. 11. Gaev. Vulgo: *nihil aliud fuit*: ſed iſta vox *aliud* abeſt ab omnibus MSis meis, a ſex Oxon. cum aliis MSis: abeſt etiam ab edit. Langii. Senſus eſt: Nulla fuit cauſſa, ut putares Catulos, *uti exquiſito judicio litterarum*: Erant quidem, ſed & alii tum temporis erant æque litterati. Hi vero Catuli, ideo putabantur (quamvis ob nullam ſatis bonam cauſſam putarentur) *optime uti lingua Latina*, i. e. maxime fuiſſe litteratos, quod *ſonus* illis loquentibus erat *dulcis*. *Catulus* (inquit Cic. in Br. c. 74.) *erat ille quidem minime indoctus . . . . Sed tamen ſuavitas vocis, & lenis appellatio litterarum bene loquendi famam confecerat*. In utroque loco de ſolo illo litteraturæ, ſive doctrinæ genere videtur dixiſſe, quod ad uſum, & proprietatem linguæ Latinæ reſpexit. Vt hoc vero melius intelligi poſſit, videamus etiam, quæ Idem dixit in III. 11. de Orat. *Noſtri minus ſtudent litteris, quam Latini: tamen ex iſtis, quos noſtis, urbanis, in quibus minimum eſt litterarum, nemo eſt, quin litteratiſſimum togatorum omnium, Valerium Soranum, lenitate vocis, atque ipſo oris preſſu, & ſono facile vincat*. Pearce.

Litteræ neque expreſſæ, neque oppreſſæ) Quid ſit *exprimere*, & *opprimere litteras* optime docet Quinctil. Inſtitut. I. 11. *In primis vitia, ſi qua ſunt oris, emendet: ut expreſſa ſint verba, ut ſuis quæque litteræ ſonis enuncientur. Quarumdam enim, vel exilitate, vel pinguedine nimia laboramus: quaſdam velut acriores parum efflamus, & aliis non diſſimilibus, ſed quaſi hebetioribus permutamus*. Sequuntur ibi plura in hanc ſententiam. Graev.

Ne aut obſcurum eſſet) Rectius fortaſſe legas, *ne aut obſcurum quid eſſet* Aliter nihil erit; quocum concordet vox *obſcurum* neutrius generis. *Obſcurum* eſt, ſi litteræ ſint *oppreſſæ*, ſive non clare ſatis pronuntiatæ: putidum, ſi contra ſint *expreſſæ* nimis. Putide igitur loquitur, qui affectate: metaphora ducta eſt ab iis rebus, quæ male olent. Pearce.

Aut putidum) Quid ſit *putidum* in pronuntiatione docet Nonius Marcellus: *Putidum non ſolum ab ore fœtido, & gravi, quod naribus præbetur, ſed & quod auribus triſte, & inſuave, auſterum, & rancidum, id putidum dici poſſe auctoritas vetuſtatis admiſit*. Repetiit hoc præceptum Cic. III. de Orat. 11. *Nolo exprimi litteras putidius, nolo obſcurari negligentius: nolo verba exiliter exanimata, nolo inflata, & quaſi anhelata gravius*. Quod hîc *putidum* dicit, in ſequente capite vocat *aſpere*, *vaſte*, *ruſtice*, *hiulce loqui*, quibus opponit, *preſſe*, *æquabiliter*, *leniter*. Illudque putidum, & aſperum improbat in Cotta, cujus pronunciationem *latam* vocat, ut qui totam litteram tollat, & E *pleniſſimum* dicat, ideoque videri non oratores antiquos, ſed meſſores imitari propter ruſticam illam ſcilicet illarum litterarum expreſſionem. Apud Quinctil. lib. I. cap. 11. alia exempla invenies. Gaer.

Sine contentione vox nec languens, nec canora) Nec torpens, nec tinnula. Commendat illam mediocritatem tenendam, quam difficiliter teneri dicit Iſidor. Peluſ. lib. III. Οξυ μεν η βαρυ κομιδη φθεγξασθαι ῥαδιον, τȣ δε μεσȣ τυχειν, μȣσικης εςιν εξεως. *Acute quidem, & graviſſime loqui eſt facile, mediocritatem autem tenere, Muſici habitus eſſe videtur*. Hanc mediocritatem vocis ſic deſcribit Caſſiodor. lib. de anima: *Vox ipſa mediocris, nec debilis vicina ſilentio, nec robuſta clamore dilatato*. Bene autem Cicero dixit, *ſine contentione* vocem non debere eſſe canoram: nam in Oratore illa probatur. In Bruto enim dicit: *Canorum oratorem concurſus hominum, foriqüe ſtrepitus deſiderat*. In Hortenſio talem vocem laudavit idem: *Vox canora & ſuavis, motus, & geſtus etiam plus artis habebat*. Hinc Muſicem utilem oratori

eſſe

Digitized by Google

nor. Salè vero & facetiis Cæſar, Catuli patris frater, vicit omnes: ut in ipſo illo forenſi genere dicendi contentiones aliorum ſermone vinceret: in omnibus igitur his elaborandum eſt, ſi in omni, quid deceat, exquirimus. Sit igitur hic ſermo, in quo Socratici maxime excellunt, lenis, minimeque pertinax: inſit in eo lepos. Nec vero, tam-

eſſe oſtendit Quinctilian. l. X. Sed tamen ſtudendum ſummopere, ne oratio fiat deforme canticum; neve frangatur in effeminatam & ſcenicam pronunciationem. Quinctil. XI. 3. cum de vitiis pronuntiationis variis egiſſet, addit: *Quodcumque ex his vitium magis tulerim, quam quo nunc maxime laboratur in cauſſis, omnibuſque ſcholis, cantandi: quod inutilius ſit, an fœdius, neſcio. Quid enim minus oratori convenit, quam modulatio ſcenica, & nonnunquam ebriorum, aut comeſſantium licentiæ ſimilis?* Sed hæc uberius ibi perſequitur. Laborabant hoc vitio Sophiſtæ in Græcia inprimis, uti videre licet ex Philoſtrato de viris ſophiſtis, in Varo, aliiſque. IDEM.

Cæſar, Catuli patris frater) Anemœcius hunc locum ſine ratione immutavit. Nam conſtat, Catulos patrem, & filium fuiſſe celebres. *Catuli patris* igitur legendum eſt. Cæſarem autem Caium, Lucii filium Catuli patris fratrem fuiſſe, ſuperius quodam loco didicimus, fitque iſta ipſa ſanguinis neceſſitudo manifeſtior ex lib. II. de Oratore: *Poſtero igitur die, quum illa erant acta, hora fere ſecunda, cum etiam tum in lecto Craſſus eſſet, & apud eum Sulpitius ſederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repente eo Q. Catulus ſenex cum C. Iulio fratre venit; quod ubi audivit, commotus Craſſus ſurrexit.* C. autem Iulius eſt, quem alio loco, atque rurſus in Bruto Cæſarem appellat. BETULEIUS. *Cæſar, Catuli patris frater*) Sic legendum, ac diſtinguendum eſſe, prudenter Betuleius, rejecta Anemœcii mutatione, vidit. Fratres vero apud Romanos dicti fuerunt non modo qui iiſdem parentibus, ſed & qui fratribus, & qui fratre, ac ſorore nati erant, ut de Metellis, & Clodio in Ciceronis hiſtoria demonſtravi. FR. FABRIT.

Sit igitur hic ſermo ... lenis) Intentior vox eſt ruſticitatis argumentum. Sic enim Theophraſt. in charact. *αγροικιας*, inter ruſtici hominis notas numerat *μεγαλῃ τῃ φωνῃ λαλειν*, *altiore voce loqui*. D. Auguſtin. egregie lib. de duab. an. cap. 13. *In emittenda voce, nonne quod præco bene facit, etiamſi clarius, ac melius id faciat ſenator, inſanus eſt?* Xenophon Socraticus in convivio dicit, illos, qui a diis afflantur, digniſſimos eſſe omnium adſpectu, qui vero a diis non agitentur, *προς το γοργοτερον τε ὁρασθαι, και φοβερωτερον φθεγγεσθαι, και σφοδροτερως ειναι φερεσθαι*, *truculentiores eſſe viſu, & in loquendo vehementiores, in agendo concitatiores*; caſto vero & amore, & divino afflatu perculſos oculos habere amabiliores, & *την φωνην πρᾳοτεραν ποιεισθαι*, *vocem leniorem mittere*. Clemens Alexandrinus Pædagog. lib. II. cap. 7. *Αμφω οἱ διαλεγομενοι, το φθεγμα το σφων ἡ συμμετριᾳ παραμετρουντων· το, τε γαρ γεγωνες της προφορας, μανιωδεστατον· το, τε ανηκουστον προς τους πελας φθεγγεσθαι, αναισθητου· ου γαρ ακουσονται. και το μεν ἀγεννειας; το δε αυθαδειας τεκμηριον. Vterque, qui diſſerit, vocem ſuam metiatur juſta proportione, & moderatione. Elatus enim clamor elatæ pronunciationis eſt res inſaniſſima: cum proximis autem ita loqui, ut non audiaris, ejus eſt, qui nullo ſenſu eſt præditus; neque enim audient: & eſt hoc quidem puſilli, & abjecti animi judicium, illud vero arrogantiæ.* GRÆV.

Minimeque pertinax) Clem. Alexandrin. II. 7. *Απεστω δε και ἡ φιλονεικια, κενης νικης ἑνεκεν. λογων εστι τελος ἡμιν ἡ αταραξια. και τουτ᾽ αρα εστι το, ειρηνη σοι. Abſit etiam vehemens contentio pro inani verborum victoria: nobis enim finis eſt ſermonum, ſine tumultu, & perturbatione agere; & hoc ſibi vult illud: Pax tibi.* IDEM.

Inſit in eo lepos) Sed τῳ γελοιῳ καθαπερ

Digitized by Google

tamquam in poſſeſſionem ſuam venerit, excludat alios: ſed cum reliquis in rebus, tum in ſermone communi, viciſſitudinem non iniquam putet: ac videat in primis, quibus de rebus loquatur: ſi ſeriis, ſeveritatem adhibeat, ſi jocoſis, leporem: in primiſque provideat, ne ſermo vitium aliquod indicet ineſſe moribus: quod maxime tum ſolet evenire, cum ſtudioſe de abſentibus detrahendi cauſa, aut per ridiculum

ωσπερ αλι πεφυσμενως δει χρησθαι, *joco ſalis inſtar parce utendum*, monet Demophilus, aliique. Idem.

Nec vero tamquam in poſſeſſionem ſuam venerit, excludat alios) Hoc vitio laborant qui ſemper loqui in omnibus congreſſibus, nec alios audire volunt, iiſque vices loquendi dare, Græcis λαλοι dicuntur, *loquaces*, & veteribus Latinis *linguaces*, *lingulacæ*, *linguoſi*, *locutuleji*, ut notat Caſaubonus ad Theophraſti characteres περι λαλιας, quod omnino videndum. Vitium dicitur λαλια, Cato vocat γλωσσαλγιαν, *loquendi morbum*, quam αισχιστην νοσον Euripides appellavit merito. Verba ejus ſunt:

Ακολαστον εσχε γλωσσαν, αισχιστην νοσον.
Effrænem habuit linguam, turpiſſimum morbum.

Nam οἱ αδολεσχοι, ὡσπερ αἱ χελιδονες τῃ συνεχει της λαλιας την ἡδονην της ὁμιλιας αποβαλλουσιν, ut eſt in Diophili ſimilitudinibus: *Homines garruli hirundinum inſtar continua loquacitate converſationis voluptatem perdunt*. Quod & firmat Euripides apud Stobæum:

Ανηρ γαρ ὁστις ἡδεται λεγων αει,
Λεληθεν αυτον τοις ξυνουσιν ων βαρυς.
Quiſquis multiloquio delectatur
Is non intelligit, præſentibus ſe eſſe moleſtum.

Etenim, ſi Sophocli fides:

Τα γαρ περισσα παντεχου λυπηρ' εφυ.
Verba nimia moleſta ſunt ubique.

Eſt autem πλεονεξια το παντα λεγειν, μηδεν δε ακουειν εθελειν. *Arrogantia quædam omnia dicere, nihil audire velle*, vere dixit Democrates. Clemens Alexandrin. Pædagog. II. 7. Ουτε μακρολογητεον· ουτε πολυλογητεον· ουτε αδολεσχητεον. *Nec prolixo umquam eſt ſermone utendum, nec multum loquendum, nec nugandum*. Paullo poſt: Ταυτῃ γαρ αυ τον Θερσιτην πληγαις ηκισατο ὁ σωφρον Οδυσσευς·

Ο'τι μονος αμετροεπης εκολωα·
Ο'ς ῥ' επεα φρεσιν ᾑσιν ακοσμα τε πολλα τε ᾐδη
Μαψ ατερ ου κατα κοσμον.

Ea de cauſſa Therſiten plagis caſtigavit prudens Ulyſſes:

Quia ſolus immoderate multa effutiens tumultuabatur:
Qui mente ſua multa incompoſita norat,
Fruſtra, ſed non ut decebat. Idem.

Viciſſitudinem non iniquam putet) Hanc lectionem, quam Balduinus, Anemœcius, Langius, & Lambinus publicarunt, duo ex manuſcriptis noſtris integram conſervarunt: cujus loco in vulgatis legitur: *Viciſſitudine nonnumquam utendum putet*. Fr. Fabrit.

Ne ſermo vitium aliquod indicet ineſſe moribus) Nihil enim certius illo Solonis dicto apud Laertium: ὁ λογος ειδωλον των εργων, *oratio eſt ſimulacrum operum*; aut Democriti in Græco interprete rhetoricorum Ariſtotelis: λογος εργου σκιη, *ſermo eſt operis umbra*; aut iſte Senarius allatus a Stobæo:

Ἠθους χαρακτηρ εστιν ανθρωπου λογος.
Morum character eſt hominum ſermo.

Quem Simonidis eſſe doctiſſimus & politiſſimus Ægidius Menagius notavit ex Pſello de Dæmonibus ad Diogenem Laertium: ουκ εκ μονων των εργων, αλλα και εκ λογων ανθρωπος κρινεται, ut Clemens Alexandrin. Pædagog. II. 7. monet, *non ex ſolis factis, ſed ex verbis homo judicatur*. Graev.

De abſentibus detrahendi cauſſa) P. Syrus Mimus:

Lingua eſt maliloquax mentis indicium malæ.

Veriſſime dixit Horat. Sat. IV. lib. I.

. . . *Abſentem qui rodit amicum,*
Qui non defendit alio culpante, ſolutos
Qui

culum, aut ſevere, maledice, contumelioſeque dicitur. Habentur autem plerumque ſermones aut de domeſticis negotiis, aut de rep., aut de artium ſtudiis, atque doctrina. Danda igitur opera eſt, ut etiam ſi aberrare ad alia cœperit, ad hæc revocetur oratio: ſed, utcumque aderunt res;

Qui captat riſus hominum, famamque dicacis,
Fingere qui non viſa poteſt, commiſſa tacere
Qui nequit, hic niger eſt, hunc tu, Romane, caveto.

Non tantum ipſi de abſentibus male loqui vetamur, ſed nec iis, qui id faciunt, applaudere. Clem. Alexandr. Pædagog. II. 7. *Ειδε και ειεν τινες φιλοσκωμμονες, σιωπητεον ἡμιν, και παραπεμπτεον τυς λογυς, ὡσπερ τας κυλικας τας πεπληρωμενας. επισφαλης γαρ ἡ τοιαυτη παιδια. Στομα δε προπετυς εγγιζει συντριβη. Quod ſi ſint etiam nonnulli, qui alios lubenter irrideant, nobis quidem tacendum eſt, & verba ſuperflua tamquam plena pocula ſunt a nobis tranſmittenda. Lubricus enim, & periculoſus eſt ejuſmodi luſus. Os autem temerarii appropinquat contritioni.* Vere dixit lubricum, & periculoſum eſſe luſum riſus captandi cauſſa de aliis detrahere. Nam

Plerumque ſtulti riſum dum captant levem,
Gravi diſtringunt alios contumelia,
Et ſibi nocivum concitant periculum.

ut elegantiſſimus Phædrus pulcre canit. Sane *λυπυντα τον πλησιον υ ῥᾳδιον αυτον ειναι*, Demophili eſt dictum, *aliis moleſtum haud facile ipſum moleſtia carere*. Aureum eſt monitum P. Syri Mimi:

Amicum lædere ne joco quidem licet. IDEM.

Sed utcumque aderunt) *Vtcumque aderunt*, in omnibus libris reperio ſcriptum: id eſt cuicuimodi homines; adverbium loco nominis. Terent. *ſic homo eſt; ita homo eſt*: locus hic turpiter erat maculatus. CAR. LANG. *Sed utcumque aderunt*) Libri noſtri veteres non habent, *res*, quod eſt in vulgatis: neque habuit in ſuis Langius, ut nos admonet. Itaque delevimus. Verum, pro, *utcumque*, malim legi, *ut quique*; & pro *delectamur*, *delectantur*. LAMBIN.

Sed utcumque aderunt) Vulgo additur *res*; quod in libris vetuſtis non legi, cum Langio, & Lambino vere teſtari poſſum. Langius quoque hoc non de rebus, ſed de hominibus intelligit, atque *utcumque*, interpretatur, cuicuimodi homines. Idem legit ſtatim: *Neque enim eiſdem de rebus*: in quo etſi conſentientes noſtros manuſcriptos habet; præpoſitio tamen non placet. FR. FABRIT. To *res* nec in tribus, quos excuſſit Guilielmius, nec in Pall. nec in Pithœi, nec in meo optimo codice extat. Cum tamen extet in editionibus primis, non eſt delendum, ſententia poſtulante. Vltima ſyllaba præcedentis vocis videtur hanc voculam abſorbuiſſe. Verba, quæ ſequuntur, quaſi in parentheſi ſunt poſita. Sententia hæc eſt: qualeſcumque res erunt, de quibus loquimur, (non enim ſemper de iiſdem rebus loqui placet) opera eſt danda, ne modum excedamus, & iis, quibuscum loquimur, faſtidium & moleſtiam moveamus. Videndum, quouſque oratio noſtra placeat audientibus. Quemadmodum conſiderandum eſt, antequam incipiamus loqui, ne aures aliorum offendamus, ſic & in finiendo ſermone nobis erit curæ, ne nimii ſimus, & nimia prolixitate de eodem argumento ſimus aliis odio. Inprimis videndum, quibuſcum ſermones ſerimus. Nam velle apud nautas de re ruſtica loqui, aut apud milites de navibus, & inſtrumento nautico, ineptum eſſet. Itaque ad eorum ingenium eſt accommodandus ſermo, cum quibus loquimur. Nam, ut belle Demophilus: Μυσικυ *μεν εργον το παν οργανον ἁρμοσασθαι, πεπαιδευμενυ δε ανδρος το παση ψυχη συμφωνησαι. Muſici opus eſt quodcumque inſtrumentum concinne adaptare: viri autem ſapientis cujvis animo ſe adtemperare*. GRÆVIVS.

Vtcumque aderunt) Ita, deleta voce *res*, omnes MSi, & mei, & Oxonienſes,

res; neque enim omnes iiſdem de rebus, nec omni tempore, nec ſimiliter delectamur. Animadvertendum eſt etiam, quatenus ſermo delectationem habeat, & ut incipiendi ratio fuerit, ita ſit deſinendi modus.

38. Sed quomodo in omni vita rectiſſime præcipitur, ut perturbationes fugiamus, id eſt, motus animi nimios, rationi non obtemperantes: ſic ejuſmodi motibus ſermo debet vacare, ne aut ira exſiſtat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignavia, aut tale aliquid appareat; maximeque

ſes, cum aliis: ex priore ſententia ſupplenda eſt vox *hæc*. Senſus eſt: curandum eſt, ut in hæc potius incidere, quam ſermonem de his inſtituere videamur. PEARCE.

Omnes iiſdem rebus) Vulgo *omnes iiſdem de rebus*: ſed ſequor MSos ſeptem Manutianos, & Mead. ſec. itemque Victorium, Fabritium, & Lambinum. Ratio ejus in promtu eſt. Vox *de* videtur nata ex finali ſyllaba vocis præcedentis *iiſdem*. IDEM.

Nec omni tempore ſimiliter delectamur) MSi Mead. ſec. Lameth. Cant. & duo Regii omittunt conjunctionem *nec* ante *ſimiliter*, quæ in vulgatis editionibus ineſt. Senſus eſt: Res, quæ nos delectant, non ſemper nos æque delectant. Non abſimile eſt illud Cicer. in I. 17. de Legib, *Quæ aliis ſic, aliis ſecus, nec iiſdem ſemper uno modo videntur*. IDEM.

Ita ſit deſinendi modus) Quod qui non faciunt, quam moleſti ſint, & odio enecent, quibuscum ſunt, oſtendit Horat. lib. I. Sat. 9. Inde in illa monet:

. . . Loquaces,
Si ſapiat, vitet, ſimul atque adoleverit ætas.

Et Theophraſtus περι αδολεσχιας in character. Παραφυλαττοντα χρη τους τοιουτους των ανθρωπων φευγειν, και διαραμενον απαλλαττεσθαι, όστις απυρετος βουλεται ειναι, εργον γαρ συναρκεισθαι τοις μητε σχολην, μητε σπουδην διαγινωσκουσιν. *Id genus homines demiſſis manibus, grandique gradu fugiat oportet, quiſquis febre carere volet. Difficile enim eſt cum iis durare, qui neque otii, neque negotii tempora diſtinguere norunt*. De loquace femina, quæ garrulitate enecat aſſidentes, vide Iuvenal. Satyr. VI. 432. GRÆV.

Sed quo modo in omni vita) Mutarunt hic vulgo contra veterum codicum fidem, *quomodo*, in, *quoniam*, eo quod, quomodo in προτασει collationis inſolentior videretur: aliis tamen locis multis hæc vox ſic uſurpata manſit. Similiter Verrina VI. inquit: *Tibi hæc opera ſumenda eſt, ut Capitolium quomodo magnificentius reſtitutum, ſic copioſius ornatum ſit, quam fuit*. FR. FABRIT. Eamdem locutionem habemus in Tuſcul. diſp. V. 7. *Quomodo hoc ſit conſequens illi, ſic illud huic*. PEARCE. In meo primo legitur: *Sed quemadmodum in omni vita*, quod non repudiandum. GRÆV.

Ne ira exſiſtat) Excandeſcere in ſermone probroſum eſt, & virum ſapientem maxime dedecet. Inde inter vitia recenſet, quibus homines ſapientiæ præceptis non imbuti etiam laborant, quamvis gerunt magiſtratus & honores, & ſibi videantur ſapere, Perſius Sat. III.

Nunc face ſuppoſita, ferveſcit ſanguis, & ira
Scintillant oculi: diciſque, faciſque, quod ipſe
Non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes.

Sane nec inique nos reprehendentibus, aut injuriam inferentibus iraſcendum eſſe ſapientes ſciſcunt. M. Antonin. VI. Περι έαυτου. Εαν τις σοι προβαλῃ, πως γραφεται το Αντωνινου ονομα, μητι κατεντεινομενος προοισῃ έκαστον των στοιχειων; ει ουν; εαν οργιζωνται, μητι αντοργιῃ; μητι ουκ εξαριθμησῃ πραως, προϊων

que curandum eſt, ut eos, quibuſcum ſermonem conferemus, & vereri, & diligere videamur. Objurgationes etiam nonnumquam incidunt neceſſariæ, in quibus utendum eſt fortaſſe & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore: id agendum etiam, ut ne ea facere videamur irati: ſed, ut ad urendum, & ſecandum; ſic & ad hoc genus

προϊεναι ἑκαστον των γραμματων; ουτως ουν και ενθαδε μεμνησο, ὁτι παν καθηκον ἐξ ἀριθμων τινων συμπληρουται. ταυτας δει τηρουντα, και μη θορυβουμενον μηδε τοις δυσχεραινουσιν αντιδυσχεραινοντα περαινειν ὁδῳ το προκειμενον. Si quis a te quærat, quomodo ſit nomen Antonini ſcribendum, numquid cum vocis contentione proferres ſingulatim omnes litteras? Quid ergo ſi qui iraſcuntur, num vicisſim tu quoque ſtomachaberis? non potius ſingulas litteras placide enumerare perges? proinde & iſtic pari modo memineris officium omne quaſi numeris quibuſdam conſtare: quos imperturbatos ſervare, neque indignantibus aliis indignari, ſed recta via, quod tibi propoſuiſti, perficere te oportet. Et in lib. VII. *Ὁρα μηποτε τοιουτον παθῃς προς τους απανθρωπους, οἱον οἱ απανθρωποι προς τους ανθρωπους. Vide ne ita afficiaris contra inhumanos, ut inhumani contra homines.* Sic enim recte hunc locum Mericus Caſaubonus reſtituendum cenſuit. Vide Epictet. apud Arrian. lib. IV, c. 5. IDEM.

Quibuſcum ſermonem conferimus) *Sermonem conferimus*, habet Lambinus cum Manutio. In Victoriano, Langiano, & noſtris MSis eſt, *conferemus*. FR. FABRIC. Sic & in optimo Grævii. GRÆV.

Vereri, & diligere) Vide Clem. Alexandr. Pædagog. II. 7. Hoc autem ut obſervetur, vitanda eſt nimia familiaritas, quæ parit contemtum. Martial.

Nulli te facias nimis ſodalem,
Gaudebis minus, & minus dolebis.

Ideo & qui gravitatem, & dignitatem ſuam ſalvam, & illibatam volebant tueri, vitabant convivia, & cœtus hominum, qui hilaritatis cauſſa conveniebant, ut Pericles apud Plutarch. in ejus vita, qui ubi narravit, eum, cum ad rem publicam acceſſiſſet, convivia, omnemque comitatem, ac conſuetudinem abrupiſſe, ſubjicit: *Δεινως γαρ αἱ φιλοφροσυναι παντος ογκου περιγινεσθαι, και δυσφυλακτον εν συνηθειᾳ των προς δοξαν σεμνον. Familiares illi conventus detrahunt gravitatem omnem, & exiſtimatio, ac dignitas haud facile in familiaritate tali retinetur.* IDEM.

Objurgationes etiam nonnumquam incidunt neceſſariæ) Quando ſint neceſſariæ docet Seneca I. de Ira, cap. 5. *Quid ergo? non aliquando caſtigatio neceſſaria eſt? Quid ni? ſed hæc ſincera, cum ratione; non enim nocet, ſed medetur ſpecie nocendi. Quemadmodum quædam haſtilia detorta, ut corrigamus, adurimus, & adactis cuneis, non ut frangamus, ſed ut explicemus, eliſimus: ſic ingenia vitio prava, dolore corporis, animique corrigimus. Nempe medicus primo in levibus vitiis tentat non multum ex quotidiana conſuetudine inflectere, & cibis, potionibus, exercitationibus ordinem ponere, & valetudinem tantum mutata vitæ diſpoſitione firmare: proximum eſt, ut modus proficiat: ſi modus, & ordo non proficit, ſubducit aliqua, & circumcidit: ſi ne adhuc quidem reſpondet, interdicit cibis, & abſtinentia corpus exonerat. Si fruſtra molliora ceſſerunt, ferit venam, membriſque, ſi adhærentia nocent, & morbum diffundunt, manus adfert:* (hoc eſt, quod Cicero ſtatim dicit, *urit*, *ſecat*) *nec ulla dura videtur curatio, cujus eſt ſalutaris effectus.* IDEM.

Ut ea facere videamur irati) Cum prius legeretur: *Ut ne ea facere videamur irati*: de vetuſtis duobus libris particulam, *ne*, expunxi. Nam ſimulata ira maxime animos adoleſcentium percellit; magiſque ſi ab viro aliquo gravi procedat. Sic Menedemus Aſclepiadis amici filium luxurioſum, & diſſolutum excludens a ſchola, nec alloquens, ſobrium reddidit: quod

Digitized by Google

genus caſtigandi raro, invitique veniemus: nec umquam, niſi neceſſario, ſi nulla reperietur alia medicina: ſed tamen ira procul abſit, cum qua nihil recte fieri, nihil conſide-

quod refert Plutarch. Si ita hunc locum non interpretemur, poſtea idem repetitum ſit his verbis: *Sed tamen ira procul abſit*, id eſt, ne vere iraſcamur. Quod ſubditur: *Magna autem parte*; libenter legerim: *Magnam autem partem*; ut ſupra: *Maximam partem aggrediuntur*. Et Cæſar lib. IV. de Bello Gallico: *Magnam partem lacte, atque pecore vivunt*. C. LANG. *Ut ea facere videamur irati*) In editione Victorii, & multis aliis legitur: *Ut ne ea facere videamur*: Manutiani habent, *ut ea facere non videamur*: in duobus noſtris eſt, *ut ea facere ne videamur*: quæ varietas arguit, negationem ſubdititiam eſſe additam ab iis, qui arbitrati ſunt, niſi ea adeſſet, fore ut verba illa, *Sed tamen ira procul abſit*, cum his non concinerent. Verum, quia illic de vera, hîc de ſimulata ira agitur, Langius negationem ex auctoritate duorum librorum vetuſtorum recte ſuſtulit. In propoſitionem ſimilitudinis, quæ ſequitur, vulgo additur, *Medici veniunt*, quorum utrumque ex gloſſemate irrepſiſſe, libri veteres arguunt. In corpore vero ſi quid ejuſmodi eſt, quod reliquo corpori noceat, id uri ſecarique patimur, ut membrum aliquod potius, quam totum corpus intereat, Philippica VIII. FR. FABRIT. Meæ veterrimæ, & præſtantiſſimæ membranæ non delent *eo ne*. Nec ſane delendum eſt. Cicero enim Stoicorum ſententiæ & doctrinæ ſubſcribit, qui contra Peripateticos ſine ira caſtigandos eſſe improbos, docent. Seneca l. I. de Ira cap. 14. *Non poteſt, inquit Theophraſtus, fieri, ut bonus vir non iraſcatur malis. Iſto modo, quo melior quiſque, hoc iracundior erit. Vide, ne contra placidior, ſolutuſque affectibus, & cui nemo odio ſit. Peccantes vero quid habet, cur oderit, cum error illos in hujuſmodi delicta compellat? non eſt autem prudentis, errantes odiſſe: alioquin ipſe ſibi odio erit. Cogitet, quam multa contra bonum morem faciat, quam multa ex his, quæ egit, veniam deſiderent. Iam iraſcetur etiam ſibi. Neque enim æquus judex aliam de ſua, aliam de aliena cauſſa ſententiam fert*. Et paullo poſt: *Corrigendus eſt itaque, qui peccat, & admonitione, & vi, & molliter, & aſpere: meliorque tam ſibi, quam aliis faciendus, non ſine caſtigatione, ſed ſine ira. Quis enim, cui medetur, iraſcitur?* Vide & duo ſequentia capita, ubi multis hoc dogma dilucidat. Nulla igitur ſimulata ira hîc locum habet: eadem eſt ira, de qua hîc loquitur, & in verbis, quæ mox ſequuntur: *ſed tamen ira procul abſit*: quod obſervavit Plato, cum dixit: *verberarem te, niſi iratus eſſem*; & cum ſervum, cui iratus erat, verberare nollet, ſed Speuſippo cædendum daret. Quid crebrius M. Antoninus, & ceteri Stoici ingerunt, quam peccantibus non eſſe iraſcendum, quia omnes peccant inviti, & ob ignorantiam? Lib. XI. ubi docet, quid cogitandum ſit de iis, qui adverſus nos deliquerant: Τριτον, ὅτι ει μεν ορθως ταυτα ποιουσιν, ου μη δυσχεραινειν. ει δ' ουκ ορθως, δηλονοτι ακοντες και αγνοουντες. πασα γαρ ψυχη ακουσα στερεται, ὥσπερ του αληθους ουτως και του κατ' αξιαν ἑκαστῳ προσφερεσθαι. *Tertium eſt: ſi recte faciunt hæc, non eſt indigne ferendum: ſin ſecus, utique non ſponte, ſed ignoratione peccat. Omnis enim anima in vita privatur ut veritate, ſic etiam ſcientia, quomodo erga quemque pro ejus ſe gerat dignitate*. Vide eumdem in lib. I. ſect. 15. editionis Merici Caſauboni, & Epictetum apud Arrianum diſſertat. l. 18. GRÆVIUS.

Invitique veniamus) Vulgo *veniemus*: ſed ſequor lectionem Lambini, & MSi Laud. quæ enim præcepta hîc dantur, magis eleganter modo ſubjunctivo vel imperativo, quam futuro tempore indicativi ſolent ſignificari. Adde, quod, cum præceſſiſſent, *ut ne ea facere videamur irati, ſed* &c. neceſſe videtur legere (conjunctione *ut* ſubintellecta) *veniamus*. PEARCE.

Si nulla alia inveniatur medicina) Vide

ſiderare poteſt. Magna autem parte clementi caſtigatione licet uti, gravitate tamen adjuncta, ut & ſeveritas adhibeatur, & contumelia repellatur; atque etiam illud ipſum, quod acerbitatis habet objurgatio, ſignificandum eſt, ipſius cauſa, qui objurgetur, ſuſceptum eſſe. Rectum eſt autem etiam in illis contentionibus, quæ cum inimiciſſimis fiunt, etiam ſi nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam repellere: quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, nec conſtanter fieri poſſunt, nec iis, qui adſunt, probari. Deforme etiam eſt de ſe ipſo prædicare, falſa

de Senecam in locis paullo ante laudatis, in primis cap. 15. & 16. lib. I. de Ira. GRÆVIUS.

Magna autem parte) In noſtris omnibus, & iis, quos Langius habuit, legitur: *Magna autem parte*; quomodo Victorius quoque edidit. Langius tamen mavult: *Magnam autem partem*, quod Lambinus recepit. Sic idem in Lucullo legit: *Quomodo, ſi magnam partem, ut quidam ſolent dicere, ad verum ipſum, aut quam proxime accedant, confidere ſibi poterunt?* ubi editiones Victorianæ, Manutianæ, & ceteræ omnes habent: *Si magna parte*. Manutius hic legit: *Magna autem ex parte*: quod æque uſitatum eſſe nemo ignorat. FR. FABRIT. Vulgatum tuetur quoque Grævii primus: nil itaque contra fidem omnium codicum eſt immutandum aut cum Lambino, aut cum Manutio. Ellipſis eſt hic particulæ *ex*, quam alibi addit Tullius. GRÆV. Sed non placet, cum nullis exemplis probetur, hanc ellipſin Ciceroni fuiſſe uſitatam. Langium, & Lambinum ſequendos eſſe arbitror; quia facile MSi hic errare poſſunt, lineolis, quæ ſupra caput litterarum *a*, & *e* poſitæ litteram *m* indicarent, omiſſis negligentia exſcriptorum. PEARCE.

Etiamſi nobis indigna audiamus) *Si magnanimus fueris*, inquit Seneca, *numquam judicabis, tibi contumeliam fieri. De inimico dices: non nocuit mihi: ſed animum nocendi habuit; & cum illum in poteſtate tua videris, vindictam putaris vindicare potuiſſe*. Idem alio loco: *Ille magnus nobilis eſt, qui more magnæ feræ latratus minorum canum ſecurus exaudit*. Nemo enim læditur, niſi a ſe ipſo, quod non ſolum Stoici docuerunt, ſed & Chriſtiani. Extat de hoc argumento inſignis Chryſoſtomi homilia. GRÆVIUS.

Deforme etiam eſt de ſe ipſo prædicare) Quam deforme ſit, Plutarchus inprimis paucis verbis declarat, cauſſis quoque deformitatis adjectis: Αυτῳ ὁ παρ' αλλων επαινος ἥδιστον ακουσματων εστιν (ὥσπερ ὁ Ξενοφων ειρηκεν) ἑτεροις δε ὁ περι αὑτου λυπηροτατον. πρωτον μεν γαρ αναισχυντους ἡγουμεθα τους ἑαυτους επαινουντας, αιδεισθαι προσηκον αυτοις, καν ὑπ' αλλων επαινωνται. Δευτερον δε αδικους, α λαμβανειν εδει παρ' ἑτερων, αυτοις διδοντας. Τριτον η σιωπωντες αχθεσθαι και φθονειν δοκουμεν, η τουτο δεδοικοτες αναγκαζομεθα συνεφαπτεσθαι παρα γνωμην των επαινων, και συνεπιμαρτυρειν, πραγμα κολακειᾳ μαλλον ανελευθερῳ προσηκον η τιμῃ, το επαινειν παροντας, ὑπομενοντες. *Uniuscuique laus ab aliis profecta eſt, ut Xenophon ait, ſuaviſſima auditu: aliis tamen ea moleſtiſſima, quam ſibi quis ipſe tribuit. Primum enim impudentes eos arbitramur, qui ſe ipſos laudant; quia decebat eos pudor, etiamſi ab aliis laudarentur. Secundo injuſtos, ſibi ſumentes ſcilicet, quod conferri ab aliis debuit. Tertio aut ſilentes videbimur moleſte ferre, & invidere: aut, hoc dum vitemus, cogemur præter animi noſtri ſententiam ipſi quoque nos ad laudandum conferre, & ipſos in faciem laudare, quod magis illiberali adulationi convenit, quam honoris teſtimonio*. Quando tamen de noſtris rebus cum laude ſine invidia, & repreheniſone poſſimus loqui, docet egregius Plu-

falſa præſertim, & cum irriſione audientium, imitari militem glorioſum.

39. Et quoniam omnia perſequimur, volumus quidem certe, dicendum eſt etiam, qualem hominis honorati, & principis domum placeat eſſe, cujus finis eſt uſus, ad quem accommodanda eſt ædificandi deſcriptio: & tamen adhibenda dignitatis, commoditatiſque diligentia. Cn. Octavio, qui primus ex illa familia conſul factus eſt, honori fuiſſe accepimus, quod præclaram ædificaſſet in Palatio, & plenam digni-

Plutarchi liber de Laude ſui, unde hæc ſunt promta. Finit eum hoc venuſto dicto: *τοις ιδιοις επαινοις αλλοτριος επεται ψογος αει, και γινεται τελος αδοξια της κενοδοξιας*. *Laudem propriam aliena ſemper ſequitur reprehenſio, & inanis gloriæ finis eſt ignominia*. Qui ſuas laudes ipſi ebuccinant, dicuntur Græcis *αλαζονες*. Vide Theophraſti Characteres *περι αλαζονειας*. IDEM.

Cujus finis eſt uſus, ad quem accommodanda eſt ædificandi deſcriptio) De ædibus in uſum tantum extruendis inſignia ſunt quæ apud Stobæum lib. I. prodidit Muſonius: *Επει σκεπης ενεκα και τας οικιας ποιουμεθα, φημι και ταυτας δειν ποιεισθαι προς το της χρειας αναγκαιον, ὡς απερυκειν μεν κρυος, απερυκειν δε θαλπος το σφοδρον, ειναι δε ἡλιου και ανεμου επικαλυμμα τοις δεομενοις. Καθολου δε ὁπερ αν παρεχοι σπηλαιον αυτοφυες, εχον μετριαν ὑποδυσιν ανθρωπῳ, τουτο χρη παρεχειν ἡμιν την οικιαν, τοσουτον ειπερ αρα περιττευουσαν, ὁσον και αποθεσιν τροφης ανθρωπινης επιτηδειαν εχειν*. *Quoniam tegendi nos cauſſa & ædes fabricamus, eæ neceſſitatis cauſſa ſunt extruendæ, quo propulſent frigoris, & æſtus ſævitiem, & contra ſolem, ac ventos paratum ſint præſidium indigentibus. Denique quem uſum præbeat ſpecus, quem natura ſic finxit, qui habet mediocre receptaculum homini; eumdem nobis domus debet præſtare tanto, ſi omnino velis, operoſior, ut recondere commode liceat, quæ victum ad hominum pertinent*. Deinde ſubiicit, nihili eſſe columnas pretioſas, aurea culmina, marmoreum ſolum; pecunias, quæ impenduntur in ligna, & lapides rectius conferri in homines; præclarius eſſe multos beneficiis afficere, quam ſplendide habitare; multos amicos habere, quam amplam domum, & quæ alia hujus generis ſunt perpulcra ibi legenda. Semper tamen plurimum contuliſſe virorum ad honoratorum dignitatem augendam ſplendidam, & pulcre ædificatam domum, dudum viri docti ex Cicerone, Plinio, aliiſque ſcriptoribus oſtenderunt. GRAVIUS. *Ædificandi deſcriptio*) I. e. ratio & forma ædificandi, ſive ordo & diſpoſitio partium in ædibus conſtruendis. Simile eſt illud Ciceronis in Senect. c. 17. de arboribus conſitis: *Atqui ego omnia iſta ſum dimenſus: mei ſunt ordines, mea deſcriptio*. PEARCE.

Cn. Octavio) De Perſe Rege Macedoniæ triumphavit poſt Præturam, ſed navali triumpho. Conſul fuit anno V. C. DXXCIIX. De hoc etiam Cicero Philippic. IX. *Cn. Octavii clari & magni viri, qui primus in eam familiam, quæ poſtea viris fortiſſimis floruit, attulit Conſulatum, ſtatuam videmus in Roſtris: nemo enim novitati invidebat, nemo virtutem non honorabat*. GRAVIUS.

Præclare ædificaſſet in Palatino) Sic Guilielmius ex MS. Danielis, ſuffragante Romana editione principe: ſubaudiri enim putat *monte*; ita ſæpe legi *in Aventino*, *in Eſquilino*. Sed cum & meus veterrimus codex, aliique fere omnes non recedant a vulgatis, cur unius codicis, uniuſque editionis vetuſtioris auctoritas nos moveat, ut receptam ſcripturam repudiemus. Sueton. Octav. 72. *Habitavit primo juxta Romanum forum ſupra ſcalas annularias*

in do-

dignitatis domum: quæ cum vulgo viſeretur, ſuffragata domino, novo homini, ad conſulatum putabatur: hanc Scaurus demolitus acceſſionem adjunxit ædibus; Itaque ille in ſuam domum conſulatum primus attulit: hic ſummi, & clariſſimi viri filius, in domum multiplicatam, non repulſam ſolum retulit, ſed ignominiam, etiam calamitatem. Ornanda eſt enim dignitas domo, non ex domo tota quærenda:

in domo, quæ Calvi oratoris fuerat: poſtea in Palatio. Varro IV. de Lat. ling. *Quartæ regionis Palatium*. Illa vero pars urbis erat celeberrima. Inde candidati domos in Palatio conducebant, ut notavit Plutarch. in Cæſare. GRAEVIUS. Noſter dicit in II. 11. de Leg. *Arx vetus ſtat in Palatio, Febris*. PEARCE.

Suffragata domino, novo homini) Victorius, & Langius ediderunt: *Suffragata novo homini*, omiſſa voce, *domino*, quæ in duobus manuſcriptis noſtris non comparet. FR. FABRIT. Non hic aſſentior Victorio, Langio, & Fabritio: nec mei codices id patiuntur, ut & Palatini, & Guilielmii, & Pithœi excerpta. Eleganter *domino* ſuo dicitur ſuffragata eſſe domus, quamvis fuerit homo novus. GRAEV.

Hanc Scaurus demolitus) Senſus eſt: Scaurus ædes ſuas majores effecit, demoliendo ædes Octavii. MSus Groning. aliique habent *acceſſionem porticum adjunxit*. Ideo (inquit Eraſmus) Cicero mox dicit, domum ejus fuiſſe *multiplicatam*, quia aucta fuit: nam quod proximarum ædium ſolum fuit, ædibus adjunxit Scaurus. PEARCE.

Hic ſummi, & clariſſimi viri filius) M. Æmilii Scauri principis ſenatus & triumphalis viri, cujus gravitas, & abſtinentia mirifice prædicatur ab omnibus. GRAEV.

Non repulſam ſolum tulit, ſed ignominiam, etiam calamitatem) Talis locutio eſt in Verrem de Signis: *Mamertina civitas improba antea non erat, etiam erat inimica improborum*. Et I. de Legib. *O rem dignam, in qua non modo docti, etiam agreſtes erubeſcant*. C. LANG. Perperam hunc locum immutarunt recentiores editores, Gruterus, & alii, pro *etiam* ſubſtituentes *&*, reclamantibus libris omnibus, meis quoque. Multos ſane perdidit ædium, quas ſtruxerunt, nimius ſplendor, & luxus. Apud Tacitum XV. Annal. cap. 69. Veſtino imminentes foro ædes, tanquam arx; velut prætextus accelerandæ cædis ejus narratur. Apud eumdem Tacitum III. Hiſt. 70. Sabinus Cornelium Martialem ad Vitellium miſit *cum mandatis, & queſtu, quod pacta turbarentur. Simulationem prorſus, & imaginem deponendi imperii fuiſſe, ad decipiendos tot illuſtres viros. Cur enim e roſtris fratris domum imminentem foro, & irritandis hominum oculis, quam Aventinum, & penates uxoris petiſſet*. Perdidit hoc etiam Lucam Pittum ſeculo ſuperiore, cum ad Romanam portam Florentiæ editiore in loco ad effigiem munitæ arcis ingentem domum exſtruxiſſet, ut Coſmum magnificentiæ gloria ſuperaret, qui ſuas ædes trans Arnum amnem plano urbis loco ex veteris architecturæ præceptis elegantiſſimas ædificarat, prodente Iovio I. de Vita Leonis X. Imitatus hic eſt Coſmus, ut in aliis multis, prudentiam Auguſti, qui ſemper amoliendæ invidiæ nimiæ cauſſa, habitabat in modicis ædibus, neque laxitate, neque cultu conſpicuis, ut auctor eſt Sueton. in ejus vita cap. 72. Contra ea non ante multos annos in Galliis quid affligendo Nicolao Fulqueto, aut ſaltem maturandæ ejus calamitati cauſſam præbuit: quam irritata nimis ſubſtructionum inſania, & immodico luxu epularum invidia? GRAEV. *Sed ignominiam etiam & calamitatem*) Ita Victorius, Lambinus, MSus Mill. & tres Oxonienſ. cum in aliis extet vel *&*, vel *etiam* ſolum. Sed, cum ſpecies quædam calamitatis ſignificari debuerit, fortaſſe ſcripſit Cicero,

Digitized by Google

renda; nec domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt: & ut in ceteris habenda ratio non ſua ſolum, ſed etiam aliorum: ſic in domo clari hominis, in quam & hoſpites multi recipiendi, & admittenda hominum cujuſque modi multitudo, adhibenda eſt cura laxitatis; aliter ampla domus dedecori domino ſæpe fit, ſi eſt in ea ſolitudo, & maxime, ſi aliquando alio domino ſolita eſt frequentari: odioſum eſt enim cum a prætereuntibus dicitur:

O domus antiqua, heu quam diſpari dominare domino!

quod

ro: *Sed ignominiæ etiam calamitatem*. Sic in Orat. pro Planc c. 5. occurrit *calamitas judicii*. Et in Orat. contra Verr. III. 97. *Quid enim eſſe poteſt in calamitate reſidui, quod non ad miſeros aratores, iſto Pretore, per ſummam injuriam ignominiamque pervenerit?* PEARCE.

Nec domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt) Hoc eſt, quod Seneca dixit: *Habita non amane, ſed ſalubriter: nec dominum eſſe velis notum a domo, ſed domum a domino*. GRÆV.

Et admittenda hominum cujuſque generis multitudo) *Cujuſque generis*, legitur etiam in manuſcriptis noſtris, excepto Santenſi, in quo eſt, *cujuſcumque modi*, & ſupra ſcriptum, *cujuslibet generis*. Ego Ciceronem, *cujuſque modi*, ſcriptum reliquiſſe arbitror. Sic enim conſtanter apud Nonium duobus locis in *Laxitas*, & *Laxum*, ubi hæc verba adducuntur, legitur. Vtitur eodem Cicero lib. II. de Finib. *Quod ita viverent, ut perſequerentur cujuſque modi voluptates*. Et Cæſar lib. VII. de bello Gallico: *Singulari militum noſtrorum virtuti conſilia cujuſque modi Gallorum occurrebant*. In eo, quod ſequitur: *Aliter ampla domus*, notat Eraſmus, *aliter*, uſurpari pro *alioqui*; id quod novum non eſt. Sic enim in Lælio: *Aliter*, inquit, *amicitiæ ſtabiles permanere non poſſunt*. FR. FABRIT. *Cujuſque modi* extat quoque in Palatino, & Grævii primo, recteque id tuetur Fabritius. GRÆV. Extat quoque in MSo Mead. ſec. & ſic Cicero vocem hanc alibi uſurpat; in Orat. pro Flacco c. 40. *Cum tabulæ illæ ipſæ, cujuſquemodi ſunt, proferuntur*: II. 3. de Fin. *Cum enim fertur quaſi torrens oratio, quamvis multa cujuſquemodi rapiat, &c.* PEARCE.

Aliter ampla domus &c.) *Aliter* dixit Cicero pro *alioqui*. Senſus eſt: ſi in ampla domo *non ſunt hoſpites multi recipiendi, & admittenda hominum cujuſquemodi multitudo*, illa ampla domus domino eam incolenti ſæpe eſt dedecori. Hæc videtur vis eſſe vocis *aliter*, quæ non ad verba proxime præcedentia reſpicit, ſed ad ea, quæ modo citavi. Niſi forte putandum eſt, quædam verba excidiſſe inter *laxitatis*, & *aliter*. IDEM.

O domus antiqua, heu quam diſpari dominare domino!) Quidam libri pro *heu*, habent, *&*: meliores neutrum: omnes: *quam diſpari dominare domino*. And. Alciatus legit:

O domus Anci, quam diſpari domino dominare:

ut liqueſcente littera *ſ* in dictione *diſpari*, hexameter verſus ſit de urbe Roma prolatus: ſed videtur de privata aliqua domo in ſcena carmen pronuntiatum. Quod ſequitur: *Quod quidem his temporibus in multis licet dicere*; hæ voces, *in multis*, in emendatiſſimo illo D. Laurentii codice non ſunt; &, niſi fallor, recte. C. LANG.

O domus antiqua: heu, quam diſp. dominare domino!) Sic habent fere omnes libri veteres, quos ſequimur: quo modo & ante nos ſecutus eſt Langius. Sed non celabo lectorem, me reperiſſe in duobus pro *dominare*, *nominare*: quod fortaſſe non eſt continuo rejiciendum: poteſt enim ſic explicari: O domus antiqua, quæ olim habuiſti dominum honoratum, & clarum virum, & quæ dicebaris domus illius, aut illius viri, ſcilicet Pompejani: eheu,

Digitized by Google

quod quidem his temporibus in multis licet dicere. Cavendum autem eſt, præſertim ſi ipſe ædifices, ne extra modum ſumtu & magnificentia prodeas: quo in genere multum mali etiam in exemplo eſt: ſtudioſe enim plerique, præſertim in hanc partem, facta principum imitantur: ut L. Luculli ſummi viri virtutem quis? at quam multi villarum magnificentiam imitati ſunt? quarum quidem certe eſt adhibendus modus, ad mediocritatemque revocandus: eadem-.

eheu, quam diſparis, & diſſimilis domini domus diceris! Conſideret lector. LAMBIN. *O domus antiqua*) Ita eſt in veteribus libris. Faernus tamen affirmabat, ſe in vetuſtiſſimo codice, quem ipſe vidiſſet, ſcriptum inveniſſe: *O domus Anti, quam diſpari &c.* eamque lectionem metri etiam ratione ita confirmabat, ut heroicum hexametrum, & non aliter legendum eſſe contenderet: prolatum autem id carmen fuiſſe de Antio quodam, ſive Reſtione, ſive alio, cujus domus temporibus illis nota fuiſſet: quamvis alii, *t* littera in *c* mutata, de Anco rege id dictum malunt. F. VRSIN. *O domus antiqua*) De hoc verſu Eraſmi ſententiam in Chiliadibus expoſitam habes, a qua Alciatus non multum diſcrepans legit: *O domus Anci, quam diſpari domino dominaris*: ut, littera *ſ* in *diſpari* liqueſcente, verſus ſit hexameter, ejuſque judicium Paulus Manutius in poſterioribus editionibus eſt ſecutus. FR. FABRIT. Lege: *O domus antiqua, & quam diſpari dominare domino.* Cicero prætereuntium voces imitatur, domum antiquam appellantium: proinde quaſi jam domus non ſit, amiſſo ſuperiore domino, quo vivente nobiliſſima erat. Aliorum etiam hominum ſermo eſt ad domum: Longe alium habes dominum hodie, quam olim, & a diſpari dominaris, id eſt, diſſimili pares. TVRNEB. Sic & MS. primus Grævii, & excerpta Pithœi legunt *&*, non *heu*. Sed hoc merito cum Langio, aliiſque præferimus. GRÆVIUS.

In multis licet dicere) I. e. de multis hominibus. Sic in II. 61. de Orat. *Quod idem in bono ſervo dici ſolet.* Vide notam meam ad cap. 9. PEARCE.

Cavendum autem eſt, præſertim ſi ipſe ædifices, ne extra modum ſumtu & magnificentia prodeas) Hoc inprimis obſervaſſe Antoninum Severum patrem ſuum notat M. Antoninus lib. I. Περι ἐκεινον Και το εμφρον και μεμετρημενον εν τε θεωριων επιτελεσει, και εργων κατασκευαις, και διανομαις, και τοις τοιουτοις· ἀνθρωπου προς αυτο δε το δεον πραχθηναι δεδορκοτος, ου προς την επι τοις πραχθεισιν ευδοξιαν. *Prudens porro erat moderatuſque cum in ſpectaculis exhibendis, tum in extructionibus, congiariiſque, & aliis hujuſmodi negotiis; quippe qui homo erat, qui, quod faciendum erat, reſpiceret, non autem, quæ ad ipſum gloria e factis redundatura eſſet.* Sic locum hunc recte Salmaſius ὁ πανυ reſtituit. Hunc modum ſervaſſe quoque Auguſtum, Sueton. in ejus vita oſtendit c. 72. GRÆV.

Multum mali etiam in exemplo eſt) Nam *non tam peccato nocent, quam exemplo*, ut ait Quinctilianus. Semper enim principes imitatur populus. Plato IV. de Legibus: Μηδεις ἡμας πειθετω, ω φιλοι, αλλῃ θαττον και ῥᾳον μεταβαλλειν αν ποτε πολιν τους νομους, η τῃ των δυναστευοντων ἡγεμονια· μηδε νυν γε αλλῃ γενεσθαι, μηδ' αυθις ποτε γενησεσθαι. *Nemo nobis perſuadeat, o amici, ulla ratione citius, aut facilius civitatem, moreſque immutari, quam principum exemplo præeunte: neque aliter nunc eſſe, nec in poſterum umquam futurum.* Nam *vita principis cenſura eſt*, ut ſcite Plin. Paneg. cap. 45. Idem IV. ep. 22. *Vt cupiditatibus principum, & vitiis infici ſolet tota civitas, ſic emendari, & corrigi continentia.* Exemplum inſigne legis apud Tacitum III. Ann. 55 *Præcipuus adſtricti moris auctor Veſpaſianus fuit, antiquo ipſe cultu, victuque. Obſequium in-*

demque mediocritas ad uſum, cultumque vitæ referenda eſt. Sed hæc hactenus. In omni autem actione ſuſcipienda, tria ſunt tenenda: primum, ut appetitus rationi pareat; quo nihil eſt ad officia conſervanda accommodatius: deinde, ut animadvertatur, quanta illa res ſit, quam efficere velimus; ut neve major, neve minor cura, & opera ſuſcipiatur, quam cauſa poſtulet: tertium eſt, ut caveamus, ut ea, quæ pertinent ad liberalem ſpeciem, & dignitatem, moderata ſint. Modus autem eſt optimus, decus ipſum tenere,

de in principem; & æmulandi amor validior, quam pœna ex legibus. Nam *flexiles quamcumque in partem ducimur a principe, atque, ut ita dicam, ſequaces ſumus*, auctore Plinio in laudato Panegyrico. Idem.

Ad communem uſum, cultumque vitæ referenda eſt.) Hæc eſt lectio Manutiana, a qua diſcrepant noſtri manuſcripti codices, qui cum Victorio legunt: *Ad omnem uſum, cultumque vitæ transferenda eſt*. Langius ſimplicius: *Ad uſum, cultumque vita transferenda eſt*. Fr. Fabrit. Grævii primus, & Pith. excerpta: *Ad omnem uſum, cultumque vitæ referenda*; quos ſequimur, niſi quod *omnem* cum Victorio deleamus. Græv.

Tertium eſt, ut caveamus, ut ea, quæ pertinent ad liberalem ſpeciem, & dignitatem moderanda ſint) Credo, Lambinum hic auctoritate librorum antiquorum fretum lectionem vulgatam immutaſſe, quæ eſt: *Ut caveamus, ut ea, quæ pertinent ad liberalem ſpeciem, & dignitatem, moderata ſint*: probant eam non ſolum Balduiniana, ſed & noſtra exemplaria ſcripta omnia, niſi quod in quibuſdam non *moderata*, ſed, *moderanda*, legitur, atque ita Victorius edidit. Fr. Fabrit. Par illud verborum *ut caveamus*, ſuſpicor a librariorum adjectum manu; ſic non inclinat animus ad lectionem primi Palatini: *Ut ea, quæ pertinent ad liberalitatem ſpecie, & dignitate moderata ſint*: quomodo cum & legatur in membranis D. Ulrici Auguſtanis, nihil certius eſt, quam ſic deinceps publicandum eſſe. Gruter. Meus primus accedit Palatino, & Auguſtano; nec fruſtra hanc ſcripturam præ ſe ferunt libri veterrimi. *Liberalitatem* hic Cicero vocat ſumtum, & magnificentiam, qua utimur in iis, quæ pertinent ad cultum vitæ. *Species* autem, & *dignitas* eſt externa pompa, ſplendor, ornatus, qui in cultu, & alio paratu in oculos hominum incurrit. Cic. I. ad Fam. 9. *Hic meæ vitæ curſus offendit eos fortaſſe, qui ſplendorem, & ſpeciem hujus vitæ intuentur, ſollicitudinem autem, & laborem perſpicere non poſſunt*. Idem in Piſonem: *At fuit pompa, fuit ſpecies, fuit inceſſus*. Horat.

Viribus, ingenio, ſpecie, virtute, loco, re,

Extremi primorum.

Idem:

Si fortunatum ſpecies, & gratia præſtat.

Tac. IV. Ann. 6. *Sua conſulibus, ſua prætoribus ſpecies*: hoc eſt dignitas, ſplendor. Idem III. Ann. 60. *Magna ejus diei ſpecies fuit*. Hinc *ſpecioſus* eſt per externam pompam, & ſplendorem ſe oſtentans. Tac. III. Ann. 55. *Ut quiſque opibus, domo, paratu ſpecioſus, per nomen, & clientelas illuſtrior habebatur*. Hinc intelligimus, cur clariſſimæ perſonæ, & quæ ornamentis ſenatoriis utuntur, dicantur *ſpecioſæ* in l. 100. de Verborum Significatione. Nimirum clariſſimæ perſonæ ſunt ſenatoriæ, & quibus, licet non ſint ſenatores, permiſſum fuit uti ſenatoriis ornamentis, quæ dictæ ſunt *ſpecioſæ* ab illa ſpecie tunicæ laticlaviæ, quæ hominum oculos, cum in publico verſarentur, feriit. Lectionem tamen vulgatam in Tullio non auſus ſum expungere; nam *liberalem ſpeciem & dignitatem*, quod tot alii codices præ ſe ferunt, eadem ſententia exponas cultum & paratum externum libero homine

nere, de quo ante diximus, nec progredi longius. Horum tamen trium præſtantiſſimum eſt, appetitum obtemperare rationi.

40. Deinceps de ordine rerum, & temporum opportunitate dicendum eſt. Hac autem ſcientia continetur ea, quam Greci *ευταξιαν* nominant, non hæc, quam interpretamur modeſtiam: quo in verbo modus ineſt: ſed illa eſt *ευταξια*, in qua intelligitur ordinis conſervatio. Itaque, ut eamdem nos modeſtiam appellemus, ſic definitur a Stoicis, ut modeſtia ſit ſcientia earum rerum, quæ agentur, aut dicentur, loco ſuo collocandarum. Itaque videtur eadem vis

mine dignum; ſed *moderata* revocavi omnino ex MSS. & editis antiquioribus. Egregium autem exemplum, qui in ſpecie & cultu modum non exceſſit, eſt in Auguſto. Vid. Sueton. in ejus vita cap. 72. GRÆVIUS. Omnes MSi mei, omnes fere Oxonienſes, cum aliis MSis, & Victorii editione habent *moderanda*, cui non eſt, ut litem intendamus. Nec aliter Lactantius ille Ciceroniani ſtili imitator in VI. 15. Div. Inſt. *Eo igitur imprudentes revolvuntur . . . ut vitia, quoniam tolli non poſſunt, moderanda ſint*. PEARCE.

Non hanc, quam interpretamur) Uſitatius videtur: *Non hæc, quam interpretamur*; quo modo duo ex manuſcriptis noſtris habent: ſed ne hæc quidem mutata ſtructura orationis, quam Victorius, Langius, Lambinus, & libri vetuſtiores probant, inuſitata eſt, & Nonii teſtimonio in *Modeſtia* confirmatur. Paulus Manutius, majore commutatione facta, legit: *Hæc ſcientia continet eam, quam Græci ευταξιαν nominant, non hanc, quam interpretamur, &c.* FR. FABRIT. Firmat *hanc* meus quoque primus. Vereor tamen, ne vitium ſit inveteratum. Nam in meo vetuſto ſcriptum fuit primo *continentur*, poſtea το *n* deletum fuit. Sed in aliis codicibus vetuſtioribus hæc menda cum non tolleretur, gravior mutatio ſecuta eſt, nimirum: *hæc autem ſcientia continet eam*; quod in multis libris legitur: inde neceſſario ſcribendum etiam fuit *hanc*; quod poſtea, cum priora ex melioribus libris reſtituerentur, fuit prætermiſſum & neglectum. Mihi indubium eſt, legendum eſſe *hæc*, ratione loquendi id poſtulante, & nonnullis MSS. approbantibus. GRÆV.

Ευταξια) *Ευταξια* hic ſignificat diſciplinam quamdam, & verecundiam manendi in ſuo ordine & loco, ſic ut nec aſpiremus altius, quam decet, nec evagemur latius: deinde quamdam elegantiam, prudentiamque omnia ordine, & tempeſtive faciendi, quod in Muciano laudat Tacitus II. Hiſt. 5. *Mucianum e contrario magnificentia, & opes, & cuncta privatum modum ſupergreſſa extollebant: aptior ſermone, diſpoſitu, proviſuque; civilium rerum peritus*. Diſpoſitus Tacito hic eſt *ευταξια*. GRONOV. Plinio eſt *vita diſpoſita* III. ep. 1. *Me ut certus ſiderum curſus, ita vita hominum diſpoſita delectat, ſenum præſertim. Nam juvenes adhuc confuſa quædam & quaſi conturbata non indecent: ſenibus placida omnia & ordinata conveniunt*. GRÆV.

Quam interpretamur modeſtiam) Id genus *ευταξιας*, quod idem eſt ac *μετριοτης*, a Cicerone ſolitum eſt Latine reddi *modeſtia*, ut το *μετρον*, ſive modus in eo ineſſe appareat. Sed, cum alia eſſet ſpecies *ευταξιας*, in qua intelligebatur *ordinis conſervatio* (de qua hic dicturus eſt) & cum aliud Latinum nomen ipſi non occurreret, appellabat etiam hanc ſpeciem, *modeſtiam*: dicit igitur paulo infra: *Ut eamdem nos modeſtiam appellemus*; i. e. ſi nobis liceat eam quoque rem hoc nomine ſignare. PEARCE.

Modeſtia ſit ſcientia earum rerum, quæ agen-

vis ordinis, & collocationis fore. Nam & ordinem ſic definiunt, compoſitionem rerum aptis & accommodatis locis: locum autem actionis, opportunitatem temporis eſſe dicunt; tempus autem actionis opportunum, Græce *ευκαιρια*, Latine appellatur occaſio: ſic fit, ut modeſtia hæc, quam ita interpretamur, ut dixi, ſcientia ſit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum. Sed poteſt eadem eſſe prudentiæ definitio, de qua principio diximus: hoc autem loco de moderatione, & temperantia, & earum ſimilibus virtu-

agentur, aut dicentur loco ſuo collocandarum) Duplicem Cicero facit modeſtiam, ut annotavit Iſ. Caſaubonus ad Theophraſti Characteres de hoc loco diſputans; alteram, in qua modus ſpectatur, ea eſt *μετριοτης*; alteram, in qua ordinis eſt conſervatio: ea eſt Stoicorum *ευταξια*. Neque dubium eſt, Ciceronem duabus dictionibus fuiſſe uſurum, ſi potuiſſet, hoc eſt, ſi tuliſſet Latini ſermonis paupertas. Non tamen ſoli Stoici ſic definierunt *ευταξιαν*, ſed Andronicus Rhodius Peripateticus, qui ubi de *σωφροσυνη* agit, ſubjicit: *ευταξια εμπειρια καταχωρισμου πραξεως*· non potuit rotundius vis Græcorum verborum exprimi, ut hic fecit Cicero, cum dixit, *ſcientiam eſſe earum rerum, quæ aguntur, aut dicuntur, ſuo loco collocandarum*. Adjicit Andronicus & aliam definitionem: *η περι τας πραξεις εχουσα το βεβαιον*: alludit horſum Tullius: *Talis eſt igitur*, ait, *ordo actionum adhibendus, ut quemadmodum in oratione conſtanti, ſic in vita omnia ſint apta inter ſe & convenientia*. Græviuſ.

Locum autem actionis, opportunitatem temporis eſſe dicunt) Hinc *in loco*, ſæpe eſt tempeſtive. Terent. Adelph. II. 2.

Pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſt lucrum.

Ibid. v. 4.

Video ſapere, intelligere, in loco vereri, inter ſe amare.

pro quo alibi dicit *in tempore*.

In tempore venire, rerum eſt omnium primum.

Et ſæpe *tempori*, & *tempore* Comicis, ſicut & *loco* eſt, opportune, tempeſtive, Cornif. IV. ad Herenn. *Hac inclamatione ſi loco utemur, & raro, & cum rei magnitudo poſtulare videtur, ad quam volemus indignationem animum auditoris adducemus*. Idem.

Ευκαιρια) A Platone ſic definitur: *ευκαιρια χρονου επιταξις, εν ω χρη παθειν η ποιησαι. Ευκαιρια, opportunitas, eſt temporis ordo, quando oportet pati, aut agere*. Cui definitioni ſimillima eſt *ευκαιρου* apud eumdem. *Καιρος*, inquit, *εν ω εκαστον επιτηδειον παθειν η ποιησαι. Καιρος, opportunitas, in qua (oportet) unumquemque, quod opportunum eſt, pati, aut agere*. Huic virtuti oppoſita eſt *ακαιρια*, quam Cicero *inſcitiam temporum* elegantiſſime vertit. In ſcheda manu exarata reperi hanc *ακαιριας* definitionem: *Ακαιρια εςι λειψις καιρου κατ' επιτυχιαν προθυμιου του ζητουμενου. Ακαιρια eſt carentia opportunitatis ſecundum occaſionem, quæ promta eſt, & quæ quæritur*. Is. Casaubonus. Vide de *ακαιρια* Theophraſti Characteres. Græv.

Sed poteſt eſſe eadem prudentiæ definitio) Quia rationem oſtendit, qua quidque faciendum ſit. Itaque prudentiæ nomine virtutes omnes Socrates intelligit. Et Plato in Legibus prudentiam oculum, juſtitiam pulcritudinem, temperantiam ſanitatem, fortitudinem manum animi virtute inſtructi eleganter nuncupat. Sed tamen propterea nullæ ſunt Stoicæ nugæ; cum Stoici ſingulares prudentiæ partes in decoro obſervando conſtituerunt *ευταξιαν*, & *ευκαιριαν*: nec illi ſolum, ſed & ipſi Peripatetici, ut vidimus ex Andronico Rhodio, & ante hos Plato. Idem.

De moderatione) Moderatio eſt hoc loco, quam paullo ante *modeſtiam* dixit. Sic *ατακτως* Cicero exponit *immoderate*. Idem.

Et

virtutibus quærimus. Itaque, quæ erant prudentiæ propria, ſuo loco dicta ſunt; quæ autem harum virtutum, de quibus jamdiu loquimur, quæ pertinent ad verecundiam, & ad eorum approbationem, quibuſcum vivimus, nunc dicenda ſunt. Talis eſt igitur ordo actionum adhibendus, ut, quemadmodum in oratione conſtanti, ſic in vita omnia ſint apta inter ſe, & convenientia. Turpe eſt enim, valdeque vitioſum, in re ſevera convivii dicta, aut delicatum aliquem inferre ſermonem. Bene Pericles, cum haberet collegam in prætura Sophoclem poetam, hique de communi officio conveniſſent, & caſu formoſus puer præteriret, dixiſſetque Sophocles: O puerum pulcrum, Pericle! At enim prætorem, Sophocle, decet non ſolum manus, ſed etiam oculos abſtinentes habere. Atque hoc idem Sophocles ſi in athletarum probatione dixiſſet, juſta repre-
hen-

Et aliis ſimilibus virtutibus) Magis placet *harum ſimilibus*, ut eſt in codice apud me vetuſtiſſimo. F. VRSIN. *Et aliis ſimilibus*) Hæc quoque lectio Manutiana eſt, pro qua ex manuſcriptis, & pleriſque impreſſis malo: *Et harum ſimilibus virtutibus*. FR. FABRIT.

Quæ autem harum virtutum &c.) Sententia ita verbis ſupplenda eſt: *Quæ autem* ſunt propria *harum virtutum*, *de quibus jamdiu loquimur*, *quæ* virtutes *pertinent ad verecundiam* ..... *nunc dicenda ſunt*. Non opus eſt igitur, ut cum Victorio deleamus vocem, *quæ*, ante, *pertinent*. PEARCE.

De quibus jamdiu loquimur) Sic eſt in vetuſtis libris omnibus; quare tametſi eſſe videam, qui *jamdudum* malint: tamen, quia continuatio temporis, & actionis manentis huic loco bene convenit, ab antiquis libris non eſſe recedendum, cenſeo. FR. FABRIT.

In re ſevera convivii dicta) Sic hunc locum ex Palatino primo, & meo veterrimo reſtitui. Pridem hanc lectionem in Palatino repertam laudavit Gruterus. Vulgati, *convivio dignum*; quod friget præ illo, ut facile intelligent, qui animum advertent in his exercitatum. GRÆV.

Convivio dignum) Ita Victorius, & edit. Mog. & Rom. pr. itemque MSi Mead. duo, Cant. Mill. Regii duo, (duo alteri *convivio digna*) & omnes Oxonienſ. aliique, exceptis Pal. pr. & uno Grævii; qui duo poſtremi habent *convivii dicta*, quod in textum intulit Grævius. At iſta mutatione non opus fuit, cum voces, *convivio dignum*, idem valeant, quod, *ſolo convivio dignum*, ſeu potius digniorem convivio, quam ulla alia hominum congreſſione. PEARCE.

Cum haberet collegam in prætura Sophoclem) Periclis in prætura collega Sophocles fuit bello Samio, ut Strabo lib. XIV. ſcribit. Hoc autem bellum Periclis ductu & auſpiciis geſtum ab Athenienſibus fuit anno quarto Olympiadis LXXXIV. de quo Diodorus lib. XII. & Plutarchus in Pericle. FR. FABRIT.

O puerum pulcrum) Contrarium notatur a Theophraſto in Charactere *ακαιριας. Ακαιρος κεκλημενος εις γαμους τε γυναικειε γενες κατηγορει. Importunus ad nuptias vocatus in mulierum genus invehitur*. GRÆV.

Atqui hoc idem Sophocles) Vulgo *Atque*: ſed lectionem Victorii ſequor huic loco accommodatiorem, ubi exceptio quædam hac voce inducitur, non ejuſdem argumenti continuatio. PEARCE.

Tanta

henſione caruiſſet: tanta vis eſt & loci, & temporis. Vt ſi quis, cum cauſam ſit acturus, in itinere, aut in ambulatione ſecum ipſe meditetur, aut ſi quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur: at hoc idem ſi in convivio faciat, inhumanus videatur, inſcitia temporis. Sed ea, quæ multum ab humanitate diſcrepant, ut, ſi quis in foro cantet, aut ſi qua eſt alia magna perverſitas, facile apparent, nec magnopere admonitionem, & præcepta deſiderant; quæ autem parva videntur eſſe delicta, neque a multis intelligi poſſunt, ab iis eſt diligentius declinandum: ut in fidibus, aut in tibiis, quamvis paullum diſcrepent, tamen id a ſciente animadverti ſolet. Sic videndum eſt in vita, ne forte quid diſcrepet, vel multo etiam magis; quo major, & melior actionum, quam ſonorum concentus eſt.

41. Itaque, ut in fidibus muſicorum aures vel minima ſen-

Tanta vis eſt loci, & temporis) Hinc præclare Sophocles in Electra:

Καιρος ανθρωποι
Μεγιστος εργυ παντος εσ' επιστατης.

Vertit Hugo Grotius:

Tempus eſt, quod maximum
In hominum agendis rebus imperium obtinet.

Et Anaxarchus apud Diogenem: *Χρη δε καιρε μετρα ειναι. σοφιης γαρ αυτος ὁρος. Oportet temporis articulos noſſe: hic ſapientiæ eſt vertex.* Inde Stoici ajunt, ſapientem ne digitum quidem exerere, niſi ſuo loco & tempore, cum ratio jubeat, hoc eſt in omnibus etiam minutiſſimis rebus ſervare decorum, rationem ſequi, habita temporis, & loci ratione. Sic Diogenes Cynicus, (ſuperius vero oſtenſum, quanta ſit affinitas hujus ſectæ, & Stoicæ) apud Diog. Laert. dicit, ſapientem edere placentam, & omnia, quæ alii, nimirum loco: contra, vulgus peccare etiam in rebus parvis. Perſius Sat. V. ex Stoicorum doctrina:

Ni tibi conceſſit ratio, digitum exere, peccas. Graevius.

Aut inambulatione ſecum ipſe meditetur) Quod cum facerent philoſophi fere ſemper, & non ſuo loco, irridebantur ab aliis. Perſius Sat. III.

—— Non ego curo
Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſique Solones,
Obſtipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cum ſecum, & rabioſa ſilentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello;
Ægroti veteris meditantes ſomnia, gigni
De nihilo nihilum, in nihilum nil poſſe reverti.

Sed ea, quæ multum ab humanitate diſcrepant, ut ſi quis in foro cantet) In meo primo tota hæc περικοπη ſic ſcribitur: *Sed ea, quæ multum ab humanitate diſcrepant, ut ſi quis in foro cantet, aut ſi qua eſt alia magna perverſitas, facile apparet, nec magnopere admonitionem & præcepta deſiderant*: non damnem. *Ea*, ſcilicet inſcitia temporis. Idem.

Si quis in foro cantet) Simile in ακαιρω notat Theophraſtus: ορχησομενος αψασθαι ετερε μηδεπω μεθυοντος. *Saltaturus ſocium manu prehendit, qui nondum ſit vino madidus*; quia nemo ſaltat ſobrius. Hinc ſaltatio Ciceroni dicitur extrema convivii tempeſtivi comes. Idem.

Sic videndum in vita, ne quid forte diſcrepet) Hoc eſt, quod Seneca dicit in ep. 31. *ut* (ſit) *æqualitas, ac tenor vitæ per omnia conſonans ſibi.*

Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.

Quod

ſentiunt: ſic nos, ſi acres ac diligentes eſſe volumus, animadverſoreſque vitiorum, magna ſæpe intelligemus ex parvis. Ex oculorum obtutu, ex ſuperciliorum aut remiſſione, aut contractione, ex mœſtitia, ex hilaritate, ex riſu,

ex

Quod Horatius de carmine dictitat. M. Antonin. lib. I. eodem modo dicit, patrem ſemper vixiſſe συμφωνως εαυτοις · *conſentanee ſibi invicem*. Idem.

Si acres ac diligentes judices eſſe volumus, animadverſoreſque vitiorum) *Judices* non habetur in meo primo, excerptis Pithœi, editione principe Moguntina, & Romana, nec in Palatino ſecundo, & tribus Guilielmii: duo tamen ex his, ut & Palat. prim. ac Roman. ed. delent etiam copulam in *animadverſores*, quod ſecuti ſunt in ſuis editionibus Carolus Langius, & Fr. Fabritius: peſſime. Vterque error, qui quoſdam codices infecit, ex eodem fonte manavit: non putarunt, *acres*, & *diligentes* ſine ſubſtantivo poni; hinc alii intruſerunt *judices*, alii expunxerunt copulam. Sed *diligens* ſexcenties ſic reperitur apud Tullium. IV. Verrin. *Qui in re adventitia, & hereditaria tam diligens & attentus eſſet*: Putidum eſſet plura congerere in re trita. Omnino ſcriptorum librorum, & primarum editionum lectio eſt retinenda. Grævius. Vulgo *animadverſoreſque*; ſed cum rariſſime copulari ſoleant ſubſtantiva, & adjectiva, ſequor potius lectionem MSorum duorum Mead. Regii quarti, Cant. quinque Oxon. & aliorum nonnullorum, quæ conjungit *animadverſores* cum adjectivis *acres*, & *diligentes*; nec aliter ediderunt Langius, & Fabritius. Similiter dicit Cicero in c. 31. *Acremque ſe & bonorum, & vitiorum judicem præbeat*. Pearce.

Ex oculorum obtutu) Sic Harpalus, cum vidiſſet Demoſthenem, deprehendit ſtatim εκ διαχυσει, και βολαις ομματων, *ex obtutu, & conjectu oculorum* ejus cupiditatem. Sic damnantur ομματων περιβλεψεις *oculi vagi* tam a Philoſophis, quam a Patribus: ut & oculi laſcivi, quales fuerunt Sardanapali, quos Horatius *putres* vocat, alii *fractos*, ſicut & Græci κεκλασμενους, quos Ariſtot. in Phyſiognom. tribuit aut effeminatis, aut cynædis, aut timidis & abjectis. Contra modeſtus oculus hominis probi, & vegetus heroici & alti animi, ut Iulii Cæſaris. Oculus eſt præcipuus animi index. Clem. Alexandr. Pædagog. III. 11. ex Matthæo: Λυχνος τȣ σωματος εστιν οφθαλμος, φησιν ἡ γραφη, δι ȣ καταφαινεται τα ενδον, φωτι τω φαινομενῳ καταυγαζομενα. *Lucerna corporis eſt oculus, inquit Scriptura, per quem videntur interna, hac luce illuſtrata*. Eleganter in hanc rem Plin. l. XI. c. 37. *Neque ulla ex parte majora animi indicia cunctis animalibus, ſed homini maxime, id eſt, moderationis, clementiæ, miſericordiæ, odii, amoris, triſtitiæ, lætitiæ*. Et poſt: *Profecto in oculis animus inhabitat. Ardent, intenduntur, humectant, connivent. Hinc illæ miſericordiæ lacrymæ. Hos cum oſculamur, animum ipſum videmur attingere*. Grav.

Ex ſuperciliorum aut remiſſione, aut contractione) Eſt enim *in ſuperciliis pars animi: negamus, an annuimus? Hæc maxime indicant faſtum. Superbia alicubi conceptaculum, ſed hic ſedem habet. In corde naſcitur, huc ſubit, hic pendet*. Plin. lib. XI. 37. Quinctilian. lib. XI. capite 3. *Ira contractis, triſtitia deductis, hilaritas remiſſis oſtenditur*: ſc. ſuperciliis. Inprimis altum ſupercilium tribuitur arrogantibus hominibus. Contra Socrates Hermogeni apud Xenophontem in Sympoſ. tribuit οφρυας συνηκας, ατρεμες ομμα, μετριȣς λογȣς, πρᾳειαν φωνην, ἱλαρον δε ηθος · *ſevera ſupercilia, oculum minime volubilem, orationem moderatam, vocem ſuavem, hilaritatem morum*. Grævius.

Ex riſu) Etenim:

> *Eſt qui perverſo diſtorqueat ora cachinno.*

ut Ovidius III. de Arte canit. Riſum immodicum ſemper improbarunt ſapientes. Plato III. de Legibus: Αλλα μην ȣδε φιλογελωτας δει ειναι. σχεδον γαρ ὁταν τις εφιῃ ισχυρῳ γελωτι, ισχυ-

ραν

ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex ſubmiſſione, ex ceteris ſimilibus, facile judicabimus, quid eorum apte fiat, quid ab officio naturaque diſcrepet. Quo in genere non eſt incommodum, quale quodque eorum ſit, ex aliis judicare: ut, ſi quid dedeceat alios, vitemus & ipſi; fit enim, neſcio quo modo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobiſmetipſis, ſi quid delinquitur. Itaque facil-

ρων, καὶ μεταβολὴν ζητεῖ τὸ τοιοῦτον. *Sed neque in riſum nimium profuſos nos eſſe oportet. Nam effuſum riſum vehemens mutatio ſequitur.* Reprehendit deinde eos, qui viros magnæ dignationis, & ipſos deos riſu exultantes inducant. Et lib. V. de Legibus: Γελωτῶν τε εἴργεσθαι χρὴ τῶν ἐξαισίων καὶ δακρύων. παραγγέλλειν δὲ παντὶ πάντ' ἄνδρα, καὶ ὅλην περιχάρειαν πᾶσαν ἀποκρυπτομένους καὶ περιωδυνίαν, εὐσχημονεῖν πειρᾶσθαι. *Profecto a riſu nimio & lacrymis abſtinendum, omnibuſque eſt ab omnibus præcipiendum, ut lætitia, triſtitiaque nimia compreſſa, honeſto in habitu ſe contineant.* Si omnino quid incidit, quod riſum nobis movet:

Sint modici rictus, ſint parvæ utrimque lacunæ,
Et ſummos dentes ima labella tegant:

ut præcepit artis amatariæ magiſter. Idem.

Ut ſi quid dedeceat alios) Potior pars librorum MSS. habet: *Ut ſi quid non deceat in illis*. Sic *non dignus*, *non idoneus* ſæpe, *indignus*, *inidoneus* raro in MSS. libris Ciceronis invenitur. C. Lang. *Ut ſi quid dedeceat alios*) Sic recte etiam in Baſileenſi editione Cratandri legitur, pro quo alii partim, *dedeceat in illos*, partim, *dedeceat in alios*; quidam, *dedeceat in illis*, nonnulli etiam, *dedeceat in aliis* habent. Fr. Fabric. *Si quid dedeceat alios*) primus meus quoque comprobat, niſi quod corrupte in illo *deceat* pro *dedeceat* ſit exaratum. Hanc autem rationem, quam hic Cicero præſcribit, Demea teſtatur, ſe tenuiſſe in filio inſtituendo in Adelphis Act. III. Scen. 4. apud Terentium:

Nihil prætermitto, conſuefacio, denique
Inſpicere, tamquam in ſpeculum, in vitas omnium
Iubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi:
Hoc facito: hoc fugito: hoc laudi eſt: hoc vitio datur.

Idem feciſſe patrem Horatii, & quantum ſibi hoc profuerit in ætate adulta, venuſte prodidit Horat. lib. I Sat. 4.

---- Inſuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem, exemplis vitiorum quæque notando.

Vide reliqua: prolixior enim locus eſt. Notum etiam eſt, Lacedæmonios in convivia ſua Helotas ebrios induxiſſe, ut liberos ſuos deterrerent ab ebrietate, cum viderent, quam deformis ea & turpis eſſet. Quod & ipſum ſuaſit Anacharſis, ubi interrogatus, quomodo quis poſſet averti ab ebrietate, reſpondit, ſi ebriorum motus indecoros ſibi proponeret. Grævius.

Ut ſi quid dedeceat in illis, vitemus & ipſi) Sic ſe habent quatuor MSi Oxon. Reg. tert. & a correctoris manu quartus, cum aliis quibuſdam: a qua lectione non multum recedunt ceteri MSi Oxon. Reg. pr. Mead. duo, Mill. Cant. Lameth. editioneſque Vict. & Mog. in quibus legitur *dedeceat in illos*, non ſervata (ut arbitror) latine loquendi ratione. Gruterus edidit *dedeceat in aliis*; Grævius vero *dedeceat alios*: uterque parum recte; quia cum præceſſerat *ex aliis* in ſuperiore ſententia, potius nomen relativum *illis*, quam aliis hic uſurpandum fuit. Notetur vero *decere*, & *dedecere* in aliqua re, aut perſona bene latine dici, ut in III. 55. de Orat. *Quid maxime deceat in oratione, videamus*. Pearce.

Fit enim, neſcio quomodo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobiſmet ipſis, ſi quid delinquitur) Nimirum *aliena vitia in oculis habemus, a tergo noſtra ſunt*,

facillime corriguntur in diſcendo, quorum vitia imitantur, emendandi cauſa, magiſtri. Nec vero alienum eſt, ad ea eligenda, quæ dubitationem afferunt, adhibere doctos homines, vel etiam uſu peritos, &, quid his de quoque officii genere placeat, exquirere. Major enim pars eo fere deferri ſolet, quo a natura ipſa deducitur; in quibus videndum eſt non modo, quid quiſque loquatur, ſed etiam, quid quiſque ſentiat, atque etiam, qua de cauſa quid quiſque ſentiat. Vt enim pictores, & ii, qui ſigna fabricantur,

ſunt, ut ait Seneca; & paſſim de hoc conqueruntur tam ſacri, quam alii ſcriptores. Cauſſa eſt partim nimius noſtri amor; Galenus de dignoſcendis, & corrigendis affectionibus, cum notum apologum Æſopi de duabus manticis collo ſuſpenſis enarraſſet, ſubnectit, veriſſimum illum eſſe, & cauſſam reddere Platonem qui dicat: Τυφλωττον φιλων περι το φιλυμενον. ειπερ ουν έκαστος ήμων έαυτον απαντων μαλιστα φιλει, τυφλωττειν αναγκαιον εστιν αυτον εφ᾽ έαυτω. *Id, quod amat, cæcutit in eo, quod amat. Siquidem igitur unuſquiſque noſtrum ſe ipſum amat omnium maxime, neceſſe eſt, quemque in ſe ipſo cæcutire.* Altera cauſſa eſt impia libido aliena perſcrutandi, propalandi, & exaggerandi. Nam plerique mortales non tam aliorum laudibus, quam probris, & vitiis delectantur. Hinc vides, Satyras cupide diripi & legi, encomia faſtidioſe. Cauſſam præterea aliam affert B. Baſilius: Τῳ οντι χαλεπωτατον εστιν έαυτον επιγνωναι. ου γαρ μονον οφθαλμος τα εξω βλεπων εφ᾽ έαυτον ου κεχρηται τῃ όρασει, αλλα και αυτος ήμων ό νυς οξεως το αλλοτριον άμαρτημα βλεπων βραδυς εστι προς την των οικειων άμαρτηματων επιγνωσιν. *Revera difficillimum eſt ſe ipſum noſſe. Non ſolum enim oculus externa videns ſe ipſum non poteſt videre; verum & ipſa noſtra mens acuta eſt in aliorum peccatis videndis, tarda vero ad ſuorum peccatorum cognitionem.* Hinc conqueritur Satyricus:

Vt nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo! GRÆV.

Nec vero alienum eſt) Ante hæc verba hiatum interveniſſe puto, cum hæc præcedentibus minime connexa eſſe videantur. PEARCE.

Ad ea eligenda) I. e. ad faciendum delectum in quoque genere officiorum, ubi dubium eſt, quænam in nobis deceant, & dedeceant. IDEM.

Adhibere doctos homines, vel etiam uſu peritos) Qualis debeat eſſe, cujus conſilio utamur in officiis, de quibus dubitamus, perquirendis, docet egregie Galenus libro de dignoſcendis, & corrigendis affectibus. GRÆV.

Major enim pars eo deferri ſolet, quo a natura ipſa deducitur) Omnibus ſane hominibus natura inſitus eſt virtutis amor. Quamvis vero plurimi auferantur cupiditatum & variarum libidinum æſtu, ut vitioſiſſimi evadant, nec pareant rationi, boni tamen viri volunt videri & haberi plerique omnes. Vnde recte conficitur, majorem partem hominum de virtute & officio bene judicare. Nam qui ſunt απονενοημενοι, ab omnibus annumerantur beſtiis, non hominibus. IDEM.

Qua de cauſa quiſque ſentiat) Poſtremas duas voces Langius ut ſine cauſa iteratas, non male delevit. Statim libri veteres partim, *fabricant*, alii *fabricantur*, habent; verum poſterius hoc a Cicerone ſcriptum eſſe, Nonii teſtimonio cognoſcitur. FR. FABRIC. Hæc ultima verba cum Langio aut ſunt delenda, aut ex Pithœi excerptis inſerendum eſt *quid*. In eis enim ſic ſcribitur: *Qua de cauſa quid quiſque ſentiat*. Saluberrimum vero eſt hoc præceptum Ciceronis. Nam prout quiſque affectus eſt, ita varie de rebus judicat: *Arquatis, & veternoſis, etiam quæ lutea non ſunt, lutea videntur*: inquit Seneca. GRÆV. Hodie vulgo legitur: *Atque etiam, qua de cauſſa quid*

Digitized by Google

tur, & vero etiam poetæ, ſuum quiſque opus a vulgo conſiderari vult: ut, ſi quid reprehenſum ſit a pluribus, id corrigatur: hique & ſecum, & cum aliis, quid in eo peccatum ſit, exquirunt: ſic aliorum judicio permulta nobis & facienda, & non facienda, & mutanda, & corrigenda ſunt. Quæ vero more aguntur, inſtitutiſque civilibus, de iis nihil eſt præcipiendum. Illa enim ipſa præcepta ſunt; nec quemquam hoc errore duci oportet, ut, ſi quid Socrates, aut Ariſtippus contra morem, conſuetudinemque civilem fecerint, locutive ſint, idem ſibi arbitretur licere. Magnis illi, & divinis bonis hanc licentiam aſſequebantur. Cynicorum vero ratio tota eſt ejicienda:

quid quiſque ſentiat. Sed iſtud *quid* abeſt ab omnibus codicibus antiquis, tam ſcriptis, quam impreſſis, ſi excipias excerpta Pithœi, unde eam vocem Grævius primus in textum recepit. Editiones Victorii, & Mog. itemque MSus Mead. pr. treſque Regii habent *quiſque*: ſed ſequendos puto MSos Cant. & Æn. qui utramque vocem recte (opinor) omittunt: ex præcedentibus voces *quid quiſque* facile petendæ ſunt, & accuratius, iis omiſſis, quam expreſſis, ſe habet ſententia. Pearce.

Et vero etiam poetæ) *Et vero*, affirmantis eſt, ut de claris Orator. *Et vero maximus ille Scipio vehemens fuit*. Et de Divinat. *Dicitur iſtuc quidem a Cotta, & vero ſæpius*. Inepte interpretes, *veri poetæ*, legunt. *Quid peccati* eadem figura dictum eſt, qua, *quid explorati*, *quid acti*. Ad Atticum VIII. *Quid ad eam rem eſt parati?* C. Lang. *Et vero etiam poetæ*) Sic recte nunc Manutius, Langius, & Lambinus ediderunt: pro quo vulgo mendoſe: *Et veri etiam poetæ*, legitur. *Et vero*, aſſeverantis eſt, ut Tuic. III. *Et vero ita exiſtimo*: ſic enim eſſe in manuſcriptis, illic annotavi. Sic quoque Philip. II. Ferrarius, & Faernus recte ediderunt: *Et vero adhibes joci cauſa magiſtrum, ſuffragio tuo, & compotorum tuorum, rhetorem*. Plura exempla emendati libri Ciceronis lectori ſuppeditabunt. Fr. Fabrit.

Quæ vero more aguntur, inſtitutiſque civilibus, de iis nihil eſt præcipiendum) Vid. C. Nepotem in prœm. ubi oſtendit, non eadem omnibus honeſta eſſe, ac turpia, ſed omnia majorum inſtitutis judicari. Sed inprimis conſulendus de hoc argumento eſt Sextus Empiricus Pyrrhon. Hypotheſ. l. III. c. 24. Græv.

Illa enim ipſa præcepta ſunt) Hinc aurea carmina Pythagoræ in ipſo initio monent:

Ἀθανατους μεν πρωτα θεους, νομῳ ὡς διακειται,
Τιμα.
Immortales deos primum, ut lege ſancitum eſt, cole.

Et ſtatim:

Τους τε καταχθονιους σεβε δαιμονας, εννομα ρεζων.
Venerare etiam deos terreſtres, ſecundum leges eis operans.

Hoc eſt ſecundum inſtituta patria. Aliter quidem Hierocles, ſed ut ſuo ſerviret inſtituto, & diſciplinæ. Idem.

Si quid Socrates, aut Ariſtippus &c.) Cum verba *fecerint*, & *locuti ſint* pluralis ſint numeri, legendum eſſe arbitror, Latinæ linguæ ratione poſtulante, *ut ſi quid Socrates, & Ariſtippus &c.* Particula *aut* eſt (fateor) conjunctio, licet conjunctio disjungens. At inde non ſequitur, eam habere vim copulæ *&*, & poſſe ita conjungere duos caſus nominativos, ut verbum, quo-

Digitized by Google

da: eſt enim inimica verecundiæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum. Eos autem, quorum vita perſpecta in rebus honeſtis, atque magnis eſt, bene de repub. ſentientes, ac bene meritos, aut merentes, ſicut aliquo honore, aut imperio affectos obſervare, & colere debemus: tribuere etiam multum ſenectuti: cedere iis, qui magiſtratum habebunt: habere dilectum civis, & peregrini: in ipſoque peregrino, privatimne, an publice venerit: ad ſummam, ne agam de ſingulis, communem totius generis

quocum concordant, ſit numeri pluralis. Nuſquam (ſi bene memini) Cicero ad hunc modum locutus eſt. Certe aliter in ſequentibus locis, quibus plura addi poſſunt. In c. 28. *Si Æacus, aut Minos diceret*: & in Tuſc. diſp. V. 9. *Sed ſi Socrates, aut Antiſthenes diceret*: & ibid. *Præclare ſi Ariſto Chius, aut ſi Zeno Stoicus diceret.* PEARCE.

Eos autem, quorum vita perſpecta in rebus honeſtis) Hæc ſunt officia κατα σχεσιν, quæ proficiſcuntur ex relatione, ut vulgo loquuntur in ſcholis, perſonarum, quas ſuſtinent homines, de quibus Epictetus cap. 28. Τα καθηκοντα ὡς επιπαν ταις σχεσεσι παραμετρειται. πατηρ εϛιν; ὑπαγορευεται επιμελεισθαι, παραχωρειν ἁπαντων, ανεχεσθαι λοιδορουντος, παιοντος. *Officia ut plurimum pro relationibus, & qualitatibus perſonarum definiuntur. Pater eſt? tacite monetur filius, ut curam ejus habeat, cedat ei in omnibus, toleret convitiantem, ferientem.* Sed inſpice totum caput: facem accendet huic loco, & pluribus aliis in iſtis libris. Adde Simplicii in illud commentarium, & Epicteti diſſertationem apud Arrianum lib. II. cap. 14. & lib. III. cap. 2. Eos autem viros, quorum vita perſpecta in rebus honeſtis atque magnis eſt, Hierocles in aurea carmina Pythagoræ contendit eſſe καταχθονιους δαιμονας *terreſtres dæmones*, quos coli jubeat illorum carminum auctor. GRÆV.

Bene meritos, aut merentes, aliquo honore, aut imperio affectos) Eſt a MSS. noſtris, niſi quod Palatinus primus præterea *ſicut aliquo* &c. ut forte reſtituendum ſit auctori illud vocabulum, velitque, non ſecus honorandos eſſe Philoſophos, alioſque privatos bene merentes de republica, atque eos, qui conſtituti ſunt in honore vel imperio. Vulgata ſententia eſt inepta, & intricata. Nam non loqui hic Tullium de conſtitutis in aliquo magiſtratu, evincunt illa ſequentia: *cedere iis, qui magiſtratum habebunt.* Et quid eſt inhumanius, quam cenſere, minime obſervandos eſſe colendoſque, quorum vita perſpecta eſt in rebus magnis atque honeſtis, deque rep. bene ſentientes, imo merentes, ſi privati vixerint, ſi non fuerint in aliquo honore, aut imperio? GRUTERUS. In Grævii primo *ſicut* quoque habetur. GRÆV.

Sicut aliquo honore, aut imperio affectos) Senſus eſt: Ii, qui privati bene de Republica merentur, eodem modo honorandi & colendi ſunt, quo ii, qui honoribus magiſtratus & imperii funguntur. *Nec vero* (ait Noſter de Leg. III. 2.) *ſolum, ut obtemperent obediantque magiſtratibus, ſed etiam ut eos colant, diligantque, præſcribimus.* Vox *ſicut*, quamvis a pluribus MSis abſit, extat tamen in MSo Pal. pr. in Græv. pr. & in Nonio ad vocem *obſervare*. PEARCE.

Communem generis humani ſocietatem) Hæc ex illa σχεσει, qua homines ſumus. M. Anton. lib. III. Μεμνησο ὅτι συγγενες παν το λογικον, και ὅτι κηδεσθαι μεν παντων ανθρωπων κατα την του ανθρωπου φυσιν εϛι. *Memento, omnes ratione præditos eſſe cognatos, & omnium hominum curam gerere, convenire humanæ naturæ.* Sed de his ſuperius pluribus egimus. GRÆV.

Ser-

neris hominum conciliationem, & conſociationem colere, tueri, ſervare debemus:

42. Iam de artificiis, & quæſtibus, qui liberales habendi, qui ſordidi ſint, hæc fere accepimus. Primum improbantur ii quæſtus, qui in odia hominum incurrunt: ut portitorum, ut fœneratorum. Illiberales autem, & ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur; eſt enim illis ipſa merces aucto-

Servare debemus) Verbum *debemus*, reperitur in nonnullis libris manuſcriptis, in pleriſque non. Omnino poteſt ſine ſententiæ jactura deleri; ut repetatur *ἀπὸ κοινοῦ*. LAMBIN. *Servare debemus*) Verbum *debemus* Langius delevit: poteſt enim *ἀπὸ κοινοῦ* repeti, ut etiam Lambinus annotavit. FR. FABRIT.

Portitorum) Portitores ſunt, qui portoriis exigendis præficiebantur: alii erant a publicanis. Hi enim publicum aliquod redimebant, ut viceſimæ hereditatum, & viceſimæ libertatum, quique cetera hujuſmodi vectigalia conducebant, & pro eo, quod convenit, reip. reddebant. Hi dicebantur *publicum agere*, Græcis *δημοσιώνας*, quorum quæſtus non erat odioſus. Hinc honeſtioris ordinis viri apud Romanos, nimirum equeſtris, publicum conducebant. Illi aliorum opera utebantur in exigendis vectigalibus & portoriis, qui *portitores* dicebantur. Iſti ut rem ſuam facerent, plus ſæpe, quam licitum lege ipſis erat, exigebant. Hi erant cum aliis gentibus, tum Iudæis maxime exoſi. Hinc Comicus hoc verſu de Oropiis:

Πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες.

Omnis ibi raptor, omnis ibi portitor. SALMASIUS. Aliquando etiam iidem *portorium* conducebant; unde Noſter in I. de Invent. dicit: *Si Rhodiis turpe non eſt portorium locare, ne Hermacreonti quidem turpe eſt conducere.* PEARCE.

Fœneratores) Fœneratores, ſunt qui pecuniam ſub uſuris aliis elocant. Apud Horatium *dives agris, dives poſitis in fœnore nummis* eſt, qui multos fundos poſſidet, & multum pecuniæ aliis credidit ſub uſuris. *Credere pecuniam*, & *fœnerari* idem eſt. Hoc *fœnus* in hac notione acceptum, nam & alia ſignificat, aliud nil eſt, quam uſura. Hinc *fœnus unciarium* omnium leviſſimum, & contra *uſuræ centeſimæ*, *ducenteſimæ*; ut graviter errent etiam viri doctiſſimi, qui fœnus per ſe notare putant illicitum quæſtum pecuniæ. Sic & *fœneratores* erant viri honeſtiſſimi, qui aliis pecuniam credebant in ſuum commodum ſub pacto quæſtus adventicii. Sic in libro IV. ad Fam. epiſt. 6. dicit Cicero, ſe fœneratores exemiſſe obſidione, hoc eſt, maximis periculis liberaſſe, detecta conjuratione Catilinaria. Nam homines pecunioſos præcipue Catilinarii invaſiſſent: & ſic ſæpe Cicero hos dicit viros bonos. Talis fœnerator fuit Atticus, Cato, Cicero, & omnes, qui erant in re laura. Cur ergo hic fœneratores exoſos fuiſſe dicit. Nimirum, ut vere obſervavit magnus Salmaſius, res fœnebris non damnatur, ſed ars. Res ipſa, ſi modeſto modo exerceatur, & legibus ſe obtemperantem præbeat, cum tali temperamento, ut idem vir incomparabilis dicit, maximæ eſt utilitatis. Si vero ars fiat, quæ nihil aliud, niſi quæſtum ſuum reſpiciat, eumque immodicum, nec ſe legibus coercendam permittat, tum exitialis & pernicioſa evadet: & hi ſunt illi fœneratores, quos in odium hominum incurrere, & quos Cato homines, ex quibus quæſtum faciunt, occidere dicit. GRÆV.

Quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur) *Mercennarius* in libris antiquis duobus *nn* ſemper ſcribitur. Sunt autem merce-

auctoramentum ſervitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod ſtatim vendant; nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur: nec vero quidquam eſt turpius vanitate; opificeſque omnes in ſordida arte verſantur: nec enim quidquam ingenuum poteſt habere officina; minimeque artes hæ probandæ, quæ miniſtræ ſunt voluptatum: cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores, ut ait Terentius; adde huc, ſi placet, un-

cenarii μισθωτοί· οἱ δὴ πωλοῦντες τὴν τῆς ἰσχύος χρείαν, τὴν τιμὴν ταύτην μισθὸν καλοῦντες, κέκληνται μισθωτοί, *iſti ergo roboris uſum vendentes, quia ipſum præmium mercedem appellant, mercenarii appellantur*, ut eſt apud Platon. libr. II. de Repub. In his igitur merces eſt auctoramentum ſervitutis, quia mercede conducti tamquam ad ſerviendum obligantur. Vide Adr. Turneb. l. II. Adv. c. 20. FR. FABRIT. Quos Plato vocat μισθωτὰς, & Ariſtoteles in Politicis ἀτέχνους, καὶ σώματι μόνῳ χρωμένους; quorum opera, non ars mercede conducitur, ut bajuli, ceterique, qui corporis operam locant, non etiam opifices, qui ſuas artes venales habent, & quorum opus emitur. GRÆV.

Auctoramentum ſervitutis) Demſterus in Paralip. ad Roſini Antiq. V. 24. dicit, eos, qui ſe arenæ locabant, ſeu pecunia accepta ſeipſos velut diſtrahi patiebantur, *auctoratos* fuiſſe dictos, & pretium *auctoramentum*; unde Sueton. in Tiberio c. 7. *Rudiariis quoque quibuſdam revocatis auctoramento centenum millium*. Et Vell. Patercul. in II. 28. *In ea jugulati civis Romani publice conſtitueretur auctoramentum*. Dicitur *auctoramentum ſervitutis*, quia ipſi ſibi *auctores* ejus fuerint. PEARCE.

Sordidi etiam putantur, qui mercantur a mercatoribus) Hi ſunt, quos Græci καπήλους dicunt, & ἀγοραίους, μεταπράτας, & ἀγοραίους μεταβόλους, Latini *cociones* proprie, antiqui *arillatores*, qui ab agricolis, & mercatoribus mercantur, quod ſtatim carius vendant. Dicebantur & *propolæ*, ut apud Lucilium:

Ut cum primitiis ficus propola recentes
Protulit, & pretio ingenti dat primitu' paucos.

De his Ariſtot. III. Polit. 5. prodit, apud Thebanos lege cautum fuiſſe, ne admitterentur ad magiſtratus, ni decem annos abſtinuiſſent a foro, hoc eſt a mercatura καπηλικῇ ſive ſordidiore, aut ſellulariis artibus. Nam ἀγορὰ Ariſtoteli eſt negotiatio tam artificum, quam hujuſmodi mercatorum, qui in foro verſantur ad ſua vendenda, ut præclare docet Salmaſius de Uſuris cap. 12. GRÆV.

Quod ſtatim vendant carius) *Carius* in uno tantum ſcripto libro ſupra adſcriptum legitur: a ceteris vero omnibus etiam impreſſis abeſt. Verba, quæ ſequuntur, ea Nonius adducit in *Vanum*. FR. FABRIT.

Nec vero quidquam eſt turpius vanitate) Expreſſit Homericam ſententiam, κακὸν δ' ἀνεμώλια βάζειν, *turpe eſt inania loqui*. F. URSIN. *Vanitate*) I. e. mendacio ſive falſiloquio. Sic in Virg. Æn. II. 80.

---- *Nec, ſi miſerum fortuna Sinonem*
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Sic etiam Cicero hic l. III 14. *Quid de iis exiſtimandum, qui orationis vanitatem adhibuerunt?* Et in Tuſc diſp. III. 1. *Ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas cedat*. PEARCE.

Opificeſque omnes in ſordida arte verſantur) Hi ſunt, qui Græcis dicuntur βάναυσοι, χειρώνακτες, χειροτέχναι, & ἀγοραῖοι, quoniam artes ſuas venales habent. Illis tribuit Ariſtoteles in Politicis μισθαρνίαν, æque ut operariis. Τρίτον, inquit Ariſtot. μισθαρνία. ταύτης δὲ ἡ μὲν τῶν βαναύσων τεχνῶν, ἡ δὲ τῶν ἀτέχνων, καὶ σώματι μόνῳ

unguentarios, ſaltatores, totumque ludum talarium. Quibus

μονοι χρωμενων. *Tertia operæ locatio, ſive opera mercenaria: hujus autem duæ ſunt partes, altera artium ſordidarum ſive illiberalium: altera earum, quæ ſunt artis expertes, & corpori dumtaxat utiles ſunt*. Illi omnes ſunt μισθαρνοι, qui ſive opere, ſive opera, hoc eſt artibus ſellulariis quæſtum faciunt. Porro Palat. prim. & Græv. primus hic ſcribunt: *Nec vero quidquam eſt turpius vanitate opificum, qui omnes in ſordida arte verſantur*. Græv.

Saltatores) Sunt hiſtriones, ut apud Sueton. Calig. 54. *Diverſiſſimas artes exercuit. Thrax, & auriga, idem cantor, atque ſaltator*. Et ſtatim: *Canendi, ac ſaltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem ſpectaculis abſtineret, quo minus & tragœdo pronuntianti concineret, & geſtum hiſtrionis vel corrigens palam effingeret*. Ex quo loco clare apparet, uti & ex aliis illius ſcriptoris, *cantare* eſſe comœdorum, & tragœdorum, qui canendo fabulam exprimunt, *ſaltare* hiſtrionum, qui canebant quidem carmina; ſed cantui ac numeris accedebat aptus, & concinnus corporis motus: hoc vocabant *ſaltare carmina*. Ovid. II. Triſt.

Et mea ſunt populo ſaltata poemata ſæpe.

Sed tamen præcipue pantomimorum erat *ſaltare*, qui nonniſi ſaltando fabulam exhibent. Non hic id monuiſſem, præſertim cum dudum a maximo Salmaſio ſit obſervatum ad Hiſtoriam Auguſtam, *ſaltatores* eſſe pantomimos, niſi hoc loco abuterentur nonnulli viri docti ad efficiendum, omnem ſaltationem apud Romanos fuiſſe inhoneſtam, & libero homine indignam, perquam inſcite. Nam Romæ tantum abeſt, ut ſaltatio fuerit habita indecora, ut omnibus ſacris, & pompis fuerit adhibita, in iiſque ſaltarint principes civitatis. Dionyſ. Halicarnaſſ. Antiq. lib. III. cum narraſſet, Tullum duplicaſſe numerum Saliorum: Οὗτοι δ' εισι πατερων ευγενων, ενοπλιες ορχησεις κινεμενοι προς αυλον εν τοις καθηκοσι χρονοις. *Hi ſunt genere nobiles, ſtatiſque temporibus armati ad tibiæ modulos ſaltant, patrios quoſdam hymnos concinentes*. Vide & librum ſecundum, ubi eoſdem ſalios, eorumque ſaltationes accuratiſſime deſcribit, eaſque a Curetibus profectas eſſe prodit. Idem in libro VII. ubi exponit pompam Circenſem, oſtendit, in ea ſemper fuiſſe triplicem chorum, virorum, impuberum, puerorum, qui pyrrhicam ſaltarint. Hanc ſaltationem, qua in cæremoniis, pompiſque Romani utebantur, paullo poſt perſpicue diſtinguit a ludicra, & ſcurrili, hoc eſt hiſtrionum ſaltatione. Hinc eſt, quod Appius Claudius gloriæ habuit, inter collegas optime ſaltare. Sic & matronæ ſanctiſſimæ ſolebant in feriis ſolemnibus ſaltare. Horat. de Arte poetica:

Vt feſtis matrona moveri juſſa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.

Vbi notat Acro, eſſe quædam ſacra, quibus ſaltent matronæ, ſicut in ſacris Matris Deum. Nec tantum in ſacris ſaltabant, ſed etiam cum feriarum tempore ludis, jociſque, & remiſſioni animi indulgerent. Seneca de Tranquillitate animi cap. 15. *Non in eadem intentione æqualiter retinenda mens eſt, ſed ad jocos revocanda. Cum pueris Socrates ludere non erubeſcebat: & Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum: & Scipio triumphale illud, & militare corpus movit ad numeros, non molliter ſe infringens, ut nunc mos eſt, etiam inceſſu ipſo ultra muliebrem mollitiem fluentibus; ſed ut illi antiqui viri ſolebant, inter luſum, ac feſta tempora, virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, etiamſi ab hoſtibus ſuis ſpectarentur*. Quid ergo eſt, quod Cicero Gabinio conſulari viro, inimico ſuo ſaltandi peritiam objecit? Quid eſt, quod Salluſtius in Bello Catilinario Semproniæ exprobrat, quod docta fuerit *pſallere, & ſaltare elegantius, quam neceſſe eſt probæ*: hoc eſt caſtæ, ut ſexcenties apud Latinos ſcriptores. Quid eſt, quod C. Nepos in Epaminondæ vita prodiderit, *muſicen noſtris moribus abeſſe a principis perſona, ſaltare*

bus autem artibus aut prudentia major ineſt, aut non mediocris utilitas quæritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honeſtarum, hæ ſunt iis, quorum ordini conveniunt, honeſtæ. Mercatura autem, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt; ſin magna, & copioſa, multa undique appor-

tare etiam in vitiis poni? Nimirum improbantur hæ ſaltationes laſciviores, ſcurriles, & hiſtrionicæ, quas & improbat Seneca in dicto loco. *Motus* illi *Ionii* reprehenduntur, de quibus queritur Horatius, ubi agit de corruptis ſeculi ſui moribus:

Motus doceri gaudet Ionios
Matura virgo:

& de quibus ipſe Scipio Africanus Æmilianus, qui corpus ad numeros movebat, querebatur apud Macrob. Saturnal. II. 10. virgines, & pueros in ludum ire ſaltatorium, inter cinædos cum crotalis ſaltare, & in tali ludo ſe cum ſtupore vidiſſe pueros, virgineſque plures quingentis ſaltaſſe, *quam ſaltationem impudicus ſervulus honeſte ſaltare non potuiſſet*. Deſcribit tales ſaltationes indecentes ſua nondum ætate exoletas Amm. Marcell. lib. XIV. Feminas, ait, *uſque ad tædium pedibus pavimenta terentes, jactari volubilibus gyris, dum exprimunt innumera ſimulacra, quæ finxere fabulæ theatrales*. Et hoc eſt *elegantius ſaltare, quam neceſſe eſt probæ*, ut ait Salluſt. Non ſaltare, dedecori erat, alioqui & pſallere fuiſſet probroſum, ſed *elegantius*, hoc eſt mollius, & doctius, quam decet caſtam. Sane cantandi ſtudium æque fuiſſe apud Romanos improbatum, ac ſaltandi, non ſolum C. Nepos in Epaminonda tradit in verbis paullo ante allatis: *muſicen noſtris moribus abeſſe a principis perſona*, ſed & Scipio in illa oratione apud Macrob. in qua improbat ſaltationes illas laſciviores: *diſcunt cantare, quæ majores noſtri ingenuis probro ducier voluerunt*: diſcunt cantare nimirum elegantius, quam ingenuos, & probos decet, diſcunt cantus illos theatrales & ſcenicos, æque ut ſaltationes hiſtrionales, quæ improbabantur. Alioquin & cantare loco, & ſaltare commode ſuo tempore non vitio vertebatur, ſed laudi. Sane perinde eſt, ſive vocem moveas, ſive corporis alia membra, ſi non indecenter, non inſcite, non laſcive, non intempeſtive id facias. Vide & Quinctilianum lib. I. Inſtitut. cap. 9. qui & ipſe oſtendit, ſaltationem veteribus Romanis dedecori non fuiſſe. Quin veteres Chriſtiani ſolebant in Eccleſiis, & ſepulcris martyrum in rebus lætis ſaltare. Theodoret. Hiſtor. Eccleſ. III. 28. narrat, Antiochiæ, cum nuntiata eſſet mors Iuliani, omnes conviviis, ac feſtivitatibus cœpiſſe vacare, nec in Eccleſiis ſolum, ac Martyriis cunctos tripudiaſſe, ſed in theatris ipſis victoriam crucis prædicaſſe: ſed improbarunt hoc poſtea merito Patres Eccleſiaſtici. Sane in Concilio Toletano III. can. 23. interdicuntur *ballematia* in Sanctorum natalitiis, hoc eſt ſaltationes. Vide & Synodum Romanam ſub Eugenio II. anno 826. Sed de his accuratius diſputare eſt alterius loci. Idem.

Totumque ludum talarium) Non quod talis, aut alea ludere fuerit vetitum, & illicitum apud Romanos, ut quidam exiſtimant: nam alea luſerunt etiam viri honeſtiſſimi, ut Auguſtus apud Suetonium in ejus vita cap. 71. & triſtis ille Cato, ut auctor eſt Plutarchus in ejus vita. Hinc ipſe dicit apud Ciceronem in libro de Senectute: *Nobis ſenibus ex luſionibus multis talos relinquant, & teſſeras.* Sed tamen ludus talarius hic damnatur, & aleatores non ſolum in jure Romano fuerunt infames, ſed & in omnibus rebuſpublicis bene conſtitutis. Verum ſicut non infames ſunt *fœneratores*, qui uſuras legitimas paciſcuntur, nec *ſaltatores* infames, qui ſive ſacrorum, ſive animi cauſſa non indecore ſaltant, ſic non ſunt infames, qui oblectandi, non lucri cauſa aleam ludunt, quod Auguſtus apud Suetonium c. 72. vocat *ſimpliciter*, & *γεροντικῶς ludere*. Idem.

Sin magna & copioſa) Intelligit, quos

apportans, multiſque ſine vanitate impertiens; non eſt admodum vituperanda; atque etiam, ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potius, ut ſæpe ex alto in portum, ex ipſo portu ſe in agros, poſſeſſioneſque contulerit, videtur jure optimo poſſe laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid adquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine, nihil libero dignius; de qua, quo-

quos Græci non ſimpliciter *ἐμπόρους*, ſed *μεγαλεμπόρους*, Latini *magnarios negotiatores*, ut Apuleius, qui per averſionem emunt, ac vendunt, non per partes. Nec ſic quidem magnopere laudandos eſſe, qui magnariam hanc mercaturam exercent, docet hîc Cicero, niſi quæſtu abdicato, & catalyſi facta artis quæſtuariæ, ſeſe in agros conferant. Nimirum eo hæc recidunt, ut cum Platone, & Ariſtotele ſentiat, agriculturam digniorem eſſe homine libero, & liberaliter educato, quam aliam artem quamlibet, unde hominibus vita toleratur. Quod & ipſe fateor. Idemque judicium Gallorum noſtrorum, qui bono genere prognatis parum convenire mercaturam exiſtimant, ut nobilitate excedere ſit, eam colere, aut quamcunque ejus ſpeciem attingere. Et ſane nihil tam dedecet generoſum animum, quam fallere, decipere, ſimulare, ac mentiri: quod adeo familiare eſt mercatoribus, ut, congenitum videatur, & ſine his ſacra eorum conſtare vix videantur. Nobiliores noſtri in agris vivunt, & mercimonia ſic dedignantur, ut, quo jure utimur, ſimul aliquis mercator, & nobilis eſſe non queat. Quid enim illo hominum genere vanius, quid infidelius, aut mendaciloquum magis? Nec amicis, nec parentibus parcunt, dum rem faciant. Perjuria, fraudes, fallaciæ, offuciæ tela ſunt, & machinæ, quibus opes amplificant ſuas, ut de minimis repente, imo de nihilo ad ſummum provolent. Merito ergo & qui claris eſſent natalibus, & dignitate aliqua conſpicui, imo, & qui in re paulo lautiore, negotiari prohibentur lege Honorii, ac Theodoſii, quam in Codicem ſuum retulit Juſtinianus tit. *Commerciis*, *& Mercatoribus*: *Nobiliores*, inquit, *natalibus*, *& honorum luce conſpicuiores*, *& patrimonio ditiores*, *perniciosum urbibus mercimonium exercere prohibemus*, *ut inter plebejos*, *& negotiatores facilius ſit emendi*, *vendendique commercium*. Sic enim verba legis emendavimus ex ſcriptis codicibus, qui habent *conſpicuiores*, pro *conſpicuos*. Omnia enim hîc enunciata in comparandi gradu. At *conſpicuior* περιβλεπτότερος, ut *egregior*, & *idoneior* apud Juriſconſultos. Ut nobiles autem hîc, & magiſtratu fungentes, vel divites prohibentur mercaturis inſiſtere, ita e contrario mercatoribus ad ullam militiam adſpirare interdictum voluit Juſtinianus leg. un. Cod. *Negotiatores ne militent*. SALMASIUS. Quod de Gallis nobilibus, dixit c. xxvii, idem de Germanis dictum putato, qui mercatura nobilitatem inquinari, & amitti credunt. Aliter ſe res habet in Italia, ubi nobiliſſimi homines, & ipſi Principes mercaturam exercere non putant humile, & ſuam dedecere perſonam, aut generis ſplendorem contaminare. GRÆV.

Ex quibus aliquid adquiritur) Sic habent codices Memmiani, & ceteri, melius, quam vulgati, *exquiritur*: *anquiritur* autem, ut editum a Langio eſt, multo minus placet. LAMB. *Ex quibus aliquid adquiritur*) *Anquiritur*, Langius: quod Lambinus merito repudiat. In Manutianis eſt, *exquiritur*, idque in uno ſcripto codice reperio: ſed in melioribus eſt, *adquiritur*, ut Lambinus etiam adnotavit: atque ita quoque adducitur a Nonio, ubi ἀντιπτώσει genitivi pro ablativo explicat. FR. FABRIC.

Nihil homine, *nihil libero dignius*) In tribus opt. libris ſcriptum reperi: *Nihil homine*, *nihil libero dignius*: hominem enim fere appellat eum, qui ſapien-

quoniam in Catone majore ſatis multa diximus, illinc aſſumes, quæ ad hunc locum pertinebunt.

43. Sed ab iis partibus, quæ ſunt honeſtatis, quemadmodum officia ducerentur, ſatis expoſitum videtur. Eorum autem ipſorum, quæ honeſta ſunt, poteſt incidere ſæpe contentio, & comparatio: de duobus honeſtis utrum honeſtius; qui locus a Panætio eſt prætermiſſus. Nam cum omnis honeſtas manet a partibus quatuor, quarum una ſit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis: hæ in diligendo officio ſæpe inter ſe comparentur, neceſſe eſt. Placet igitur, aptiora eſſe naturæ ea officia, quæ ex communitate, quam ea, quæ ex cognitione ducantur: idque hoc argumento confirmari poteſt, quod,

ſapientiæ præceptis ſit imbutus; liberum, modo qui ſervus non ſit. Ad Attic. IV. *Sed ſi vis homo eſſe, recipe te ad nos.* Terent. quem Cicero ubique exprimit, in Adelph. *Ex tu illum tuum, ſi homo eſſes, ſineres nunc facere.* Magis ad noſtrum propoſitum, quod ſupra de jocis: *Alter, ſi tempore ſit, ut ſi remiſſo animo, homine dignus, alter ne libero quidem.* Et in Lælio: *Quæ non modo amico, ſed ne libero quidem digna ſunt.* C. LANG. Ariſtoteles in Politicis, & Plato V. de Legibus idem ſentiunt, & ſolum legitimum, ac naturalem quæſtum exiſtimant eſſe, qui ex terra captatur ad vitam modo ſuſtentandam, quantum ſatis cuique eſt, ut inde victum paret: ſed hanc eorum ſententiam refutat Salmaſius de Uſuris capite XVII. qui videndus eſt. Late de laudibus agriculturæ diſputat Xenophon in Œconomico, unde hæc hauſit Tullius. GRÆV. *Nihil homine libero dignius*) Hæc eſt lectio MSorum Gron. Lameth. Mill. Cant. Mead. ſec. trium Reg. & ſex Oxonienſium: itemque edit. Mog. & Rom. pr. Vict. Manut. &c. a qua lectione vix recedit MSus Mead. pr. cum vocem *nihil* ante *libero* punctis ſubnotatis ejiciat. Vulgo legitur: *Nihil homine, nihil libero dignius*: quod mihi quidem vix a Ciceronis manu profectum eſſe videtur; quidquid enim eſt *homine* dignum, etiam *libero* dignum eſt. Fateor id, quod indignum eſt *homine*, poſſe dici multo magis indignum *libero* eſſe: ſic enim inſurgit ſententia. Contra vero, ſi quis dicat (ut hic Noſter) aliquid eſſe dignum *homine*, ſatis videtur dixiſſe, id etiam *libero* dignum eſſe, cum humani generis idea tam liberorum, quam ſervorum conditionem amplectatur. PEARCE.

Illinc aſſumes) In optimo libro eſt, *illim*, pro *illinc*, more vetuſto: quem vulgo repudiatum, in antiquis libris Ciceronis multis locis conſervatum videmus, ut epiſt. 12. lib. IX. ad Attic. *Illim equidem Cn. profectum puto.* Ubi Victorius hujus adverbii in Caſtigationibus meminit. Sic quoque, *iſtim* pro *iſtinc* Mediceus libb. ep. ad Fam. ſæpe habet. FR. FABRIT. Guilielmius fidem ſecutus Maurit. *illa* reponebat: ſicque Palat. primus: ſed Grævii primus retinet *illic*, quod non eſt loco movendum. GRÆV.

De duobus honeſtis utrum honeſtius) Si ſcilicet incidant præſtanda in idem tempus, cum utroque defungi non liceat: tum deliberatur, utrum alteri ſit præferendum. IDEM.

Qui locus a Panætio eſt prætermiſſus) Non mirum. Stoicis enim placebat, peccata eſſe paria, ut notum eſt, & nullum eſſe medium inter virtutem, & vitium. IDEM.

Officia, quæ ex communitate, quam ea, quæ ex cognitione ducantur) Hoc eſt illa of-

quod, ſi contigerit ea vita ſapienti, ut in omnium rerum affluentibus copiis, quamvis omnia, quæ cognitione digna ſunt, ſummo otio ſecum ipſe conſideret, & contempletur; tamen, ſi ſolitudo tanta ſit, ut hominem videre non poſſit,

la officia, quæ faciunt ad ſocietatem humanam tuendam, quam quæ verſantur in inquirendo vero. Et hoc nihil eſt certius. Superius in capite ſexto id ſatis oſtenderat: *Veri inveſtigandi ſtudio a rebus gerundis abduci, contra officium eſt*. Nodus in ſcirpo non eſt hîc quærendus. Idem.

Hoc argumento) Vita ſapientis, cui rerum omnium copiæ affluant, ſi extra humanum conſortium ſit, quantacumque cognitione alatur, vita non eſt, ſed *βιος αβιος*, ut eam vocat Ariſtoteles, *vita non vitalis*; quia partes vivunt vitam totius, quatenus illi conjunctæ ſunt. Facciolat.

Omnia, quæ cognitione digna ſint) In libris vulgatis legitur: *Quamvis omnia, quæ cognitione*; verum particulam *quamvis* addiderunt, qui ſine ea *tamen* locum non habere putarunt. Falſo; quis enim adeo rudis in ratione loquendi, ut ignoret *tamen* crebris ſermonibus uſurpari, ubi *etſi, quamquam, tametſi, quamvis*, aut ſimiles particulæ non præcedunt? Cicero pro Quinctio: *In altera ſpes eſſet ad talem tamen virum judicem veniendi*. Pro Sulla: *In his priſtinæ fortunæ reliquiis miſeris, & afflictis tamen haberet quoſdam*. Ad Lentulum: *Stultum eſt enim tenere cum periculo curſum, quem ceperis, potius, quam eo commutato, quo velis tamen, pervenire*. In Verr. V. *Ita cetera de oratione mea tollam, ut in cauſa tamen relinquam*. Cæſar lib. I. de Bello Civili: *Cum eſſe omnium judicio inferiores viderentur, cominus tamen ſtetiſſent*. Salluſt. de Bello Iugurthino: *Vt in adverſo loco victor tamen virtute fuiſſet*; quæ loca, ut alia multa vulgus imperitum male accepit. Græcos quoque ſuum ὁμως ita uſurpare, obſervavi: ut Thucydides initio lib. I. *την επωνυμιαν της χωρας επηλυτην οντα ὁμως σχειν* · id eſt: *Cognomentum regionis advenam tamen obtinuiſſe*. Loquitur de Pelope, qui etſi advena erat, tamen Peloponneſo, quæ prius Apia dicebatur, nomen a ſe indidit. Fr. Fabrit. Si codicum antiquorum præſidio fultus hanc voculam Fabritius deleviſſet, non improbarem; ſed quia nullorum codicum facit mentionem, eaque extet in meo primo, Pithœano, in Moguntina principe, Langiana, aliiſque, cur eam reſpuamus? Gravius.

Tamen ſi ſolitudo tanta ſit, ut hominem videre non poſſit, excedat e vita) Et hoc nihil verius; quia ſumus animalia nata ad ſocietatem, cujus cupiditate, & voluptate tenemur omnes, licet ad editiſſimum templi ſapientiæ culmen ſimus eniſi. Et hoc ipſum Ariſtoteles quoque dicit in cap. 7. lib. X. ad Nicom. ubi maxime felicitatem ſapientis contemplationi rerum præſtantiſſimarum intenti extollit: *Ὁ δε σοφος, και καθ' αυτον ων, δυναται θεωρειν· και ὁσω αν σοφος η μαλλον· βελτιον δε ισως συνεργους εχων· αλλ' ὁμως αυταρκεστατος*. *At ſapiens etiam ſecum ipſe exiſtens poteſt contemplari; & quanto ſapientior eſt, magis poteſt; melius autem fortaſſe, ſi habeat ſocios: ſed tamen ſe ipſo maxime eſt contentus*. Certe melius, ſi habet ſocios. Nam quamvis ex meditatione ipſa, & conſideratione rerum divinarum maximam capiat voluptatem, majorem tamen capiet, ſi habuerit ſocium, quo cum ea communicet, quæ meditando invenit. Quæ addit poſtea de divina ſecundum mentem vita, præclara quidem ſunt, ſed humanæ ſortis rationem excedunt: non magis quæ *αεροβατουντες* Stoici de ſuo ſapiente *απαθει*, & qui peccare non poteſt, imo qui ſupra Deum evectus eſt, jactant. Sapiens enim, etſi quæ humana mente perveſtigari poſſint, omnia ſit perſcrutatus; ſi tamen omnem ætatem in ſolitudine ſit exacturus, præciſa omnis ſocietatis ſpe, etſi affluat rerum omnium copia, tædio ſolitudinis tamen conficietur, aut ſaltem vitam ducet acerbam, nec ſcientia illa voluptate eum afficiet, quam percepit Ariſtoteles ex meditatione

ſit, excedat e vita. Princepſque omnium virtutum illa ſapientia, quam σοφιαν Græci vocant: prudentiam enim, quam Græci φρονησιν, aliam quamdam intelligimus, quæ eſt rerum expetendarum, fugiendarumque ſcientia. Illa autem ſapientia, quam principem dixi, rerum eſt divinarum, atque humanarum ſcientia: in qua continetur deorum, & ho-

tione, ſed in magna hominum frequentia. Porro pro *excedet e vita*, magnus doctor meus Ioannes Fridericus Gronovius legendum conjiciebat: *excidet e vita*, hoc eſt, ex conſortio, & ſocietate hominum excidet, ut vivus pro mortuo debeat haberi. Hoc eſt, quod Seneca dicit Conſolat. ad Marc. *Eximis te e numero vivorum. Vita* pro hominibus. Phædrus proœm. lib. I. *Quod riſum movet: Et quod prudenti vitam conſilio monet*. Sic paullo poſt c. 43. Noſter: *Propter neceſſitatem vitæ*, h. e. hominum. Sic & Græcis *βιος* pro mortalibus, & humano genere frequenter, ut Caſaubonus ad Athenæum docuit. GRÆVIVS.

Princepſque omnium virtutum eſt illa) Verbum *eſt* veteres libri non habent: refertur enim ad ea, quæ mox ſequuntur: *illa autem ſapientia*: modo loquendi non infrequenti apud Ciceronem; ut ſupra hoc libro, cum de *modeſtia*, quam *ευταξιαν* interpretatur, agit. CAR. LANG. Adſtipulatur huic ſcripturæ Grævii primus. GRÆV.

Prudentia autem, quam Græci φρονησιν dicunt) In Palat. primo, in Moguntina principe, & in Romana ſecunda, non extare hanc vocem *dicunt*, Gruterus auctor eſt. His accedit primus meus: *απο κοινου* igitur repetendum eſt ex priore verſu *vocant*. IDEM.

Rerum eſt divinarum, atque humanarum ſcientia) Per res divinas intelligit naturales, & illarum cauſſas, uti non ſolum patet ex ſequentibus, ubi docet exemplis, cur ea, quæ pertinent ad ſocietatem hominum, præferenda ſint iis, quæ pertinent ad communitatem, quæ eſt inter homines, & deos; nominat enim cognitionem rerum naturæ, dinumerationem ſtellarum, menſuram magnitudinis mundi. Et ſic veteres loquebantur. Seneca præfat. Quæſt. natural. *Hoc habet argumentum divinitatis ſuæ animus, quod illum divina delectant*. Quæ ſint illa divina, & in libris illis quæſtionum naturalium oſtendit, & in toto illo proœmio, nimirum naturæ contemplatio. Et hoc loquendi genus plane philoſophorum gentilium plerorumque omnium ſententiæ recte convenit, qui ſtatuebant, aut mundum eſſe Deum; aut Dei partem. Seneca II. Natural. Quæſt. cap. 45. *Vis Deum mundum vocare? non falleris; ipſe enim eſt totum, quod vides, totus operibus ſuis inditus, & ſe ſuſtentans vi ſua*. Manilius ex opinione veterum philoſophorum univerſum facit Deum, quatuor elementa, quatuor ejus membra lib. I.

Aut neque Terra patrem novit, nec
Flamma, nec Aer,
Aut Humor, faciuntque Deum per quatuor artus,
Et mundi ſtruxere globum, prohibentque
requiri
Vltra ſe quidquam.

Sed Solem, & Lunam, ceteraſque ſtellas deos eſſe credebant, & colendos, ut nemo paullo humanior ignorat. Igitur ad hæc contemplanda natos eſſe homines cenſebant iidem Stoici. Epictetus apud Arrian. diſſert. I. 6. *Τον ανθρωπον θεατην εισηγαγεν αυτου τε, και των εργων των αυτου· και ου μονον θεατην, αλλα και εξηγητην αυτων. Hominem in vitam introduxit Deus ut ſpectatorem tum ſui, tum operum ſuorum: nec ſpectatorem dumtaxat eorum, ſed & explicatorem*. Paullo poſt: *ὁρατε ουν μη αθεατοι τουτων αποθανητε. Proinde videte, ne ſpectaculi hujus expertes moriamini*. Et ſtatim: *ουκ αισθησεσθε τοινυν, ουτε τινες εςε, ουτ᾽ επι τι γεγονατε, ουτ᾽ εςι τουτο εςιν, εφ᾽ ὁ την θεαν παρειληφατε; Non tandem intelligetis, neque qui ſitis, neque cur nati ſitis, neque etiam quid illud ſit, cujus ſpectandi vobis copia data eſt*. M. Antonin. lib. VIII. *Ευφροσυνη ανθρω-*

& hominum communitas, & ſocietas inter ipſos: ea ſi maxima eſt, ut eſt certe; neceſſe eſt, quod a communitate ducatur officium, id eſſe maximum. Etenim cognitio contemplatioque naturæ manca quodam modo, atque inchoata ſit, ſi nulla actio rerum conſequatur; ea autem actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur; pertinet igitur ad ſocietatem generis humani; ergo hæc cognitioni anteponenda eſt, atque id optimus quiſque re ipſa oſtendit, & judicat. Quis enim eſt tam cupidus in perſpicienda, cognoſcendaque rerum natura, ut, ſi ei tractanti contemplantique res cognitione digniſſimas ſubito ſit oblatum peri-

ανθρωπου ποιειν τα ιδια ανθρωπου. ιδιον δε ανθρωπου ευνοια προς το ὁμοφυλον &c. *επιθεωρησις της των ὁλων φυσεως, και των κατ᾽ αυτην γενομενων. Homini volupe eſt, quæ hominis propria ſunt, facere; proprium autem eſt hominis, contribuli ſuo benevolum eſſe* &c. *Univerſi naturam, eaque, quæ ſecundum hanc fiunt, contemplari.* Harum autem rerum ſcientiam ſapientiam vocat Cicero, in qua contineatur deorum, & hominum communitas, ſicut vocabulum ſapientiæ varie uſurpatur cum a Cicerone, tum ab aliis Philoſophis; humanarum autem rerum ſcientiam, quæ complectitur doctrinam ſocietatis humanæ tuendæ. Sic hic Ciceronis locus intelligendus, male vexatus a doctis viris. Idem.

Quod a communitate ducatur officium, id eſſe maximum) Maximum officium eſt, quod ducitur a ſapientia, quæ maxima eſt, & princeps omnium. Sola contemplatio rerum naturalium non eſt perfecta ſine rerum actione. Homo enim ad duas res natus eſt, ad contemplandum, & agendum. Officium maximum implet, ſi utrumque agit. Præſtat tamen actio, quam contemplatio, cum illa pro communi hominum ſocietate, & utilitate ſuſcipitur, quia vitæ humanæ plus prodeſt, quam rerum abſconditarum ſcientia. Tales ſapientes fuerunt ante Socratem Philoſophi omnes, ſed quia inutilis cenſebatur eſſe vitæ humanæ illorum doctrina, ideo Socrates primus e cælo dicitur deduxiſſe philoſophiam, qui de bonis, & malis diſputavit, & quæ ſupra nos, nihil ad nos pertinere dixit. Idem.

Manca quodam modo, & inchoata) Hoc eſt imperfecta, non ſolum propter hanc, quam adfert rationem, *ſi nulla actio rerum conſequatur*, ſi nihil agat in vita, nec proſit hominibus, ſed & quia illarum obſcuritas eſt magna, & cognitio tenuis, quæ tamen ſapientes magna perfundit voluptate. Ariſtot. de Partibus Animal. lib. I. cap. ult. *Etſi res mortales iſtas, inferaſque, quod eæ propiores nobis, & magis familiares ſint, plenius noſſe poſſimus: tamen res illas ſuperas, ſi vel leviter attingere datur, ob ejus notitiæ excellentiam, ipſa levi magis paſcimur, & oblectamur, quam ſi iſta univerſa norimus. Non aliter, quam amatoribus ſuavius eſt amicæ ſuæ vel partem oculo delibare, quam aliarum tota membra, corpuſque inſpicere.* Sic eleganter hunc locum vertit I. Lipſius. Aliter tamen ſentiebat Socrates, ut vidimus. Idem.

Tam cupidus in perſpicienda) Non eſt uſitatum Ciceroni dicere *cupidus in re aliqua*. Sequemur ne igitur Lambinum legentem: *tam cupidus perſpiciendæ, cognoſcendæque rerum naturæ*? Mihi quidem nihil videtur mutandum eſſe, cum vox *cognitionis*, quæ paulo ante præceſſerit, hic ſubintelligi non incommode poſſit: quaſi Cicero ſic pleniore orationis ambitu dixiſſet: *Quis eſt enim tam cupidus cognitionis, qui in perſpicienda, cognoſcendaque rerum natura verſetur* &c. Pearce.

Subito ſit oblatum) Ita vulgo: ſed ſequen-

Digitized by Google

periculum, diſcrimenque patriæ, cui ſubvenire, opitularique poſſit, non illa omnia relinquat atque abjiciat; etiam ſi dinumerare ſe ſtellas, aut metiri mundi magnitudinem poſſe arbitretur? atque hoc idem in parentis, in amici re, aut periculo fecerit. Quibus rebus intelligitur, ſtudiis, officiiſque ſcientiæ præponenda eſſe officia juſtitiæ, quæ pertinent ad hominum caritatem, qua nihil homini eſſe debet antiquius.

44. Atque illi, quorum ſtudia, vitaque omnis in rerum cognitione verſata eſt, tamen ab augendis hominum utilitatibus & commodis non receſſerunt; nam & erudiverunt multos, quo meliores cives, utilioreſque rebus ſuis publicis eſſent: ut Thebanum Epaminondam Lyſis Pythagoreus, Syracuſium Dionem Plato, multique multos: noſque

ſequendus eſt Victorius, cui edenti *allatum* favent editiones Mog. & Rom. pr. itemque fere omnes MSi. Vox *allatum* contractius dicitur pro *nuntio allatum*. Sic in Ep. ad Att. V. 2. *Nondum ſatis huc erat allatum, quomodo Ceſor ferret de auctoritate proſcripta*. Et ibid. IX. 1. *Mirabar, nihil allatum eſſe, ne rumoris quidem*. IDEM.

In amici re, aut periculo fecerit) Mihi vix videtur, Ciceronem voluiſſe hoc faciendum eſſe *in omni re amici*, cum antea ſolum docuiſſet, id faciendum eſſe in periculo, & diſcrimine patriæ. In MSo Mead. ſec. deeſt *in* ante vocem *amici*: unde arbitror, Ciceronem ſcripſiſſe: *Atque hoc idem in parentis, amicive periculo fecerit*. Videtur vox *aut* e gloſſa nata fuiſſe, ubi poſita fuerat, ut ſenſum encliticæ particulæ *ve* oſtenderet. Niſi malit lector interrogative hæc fuiſſe ſic ſcripta: *Atque hoc idem in parentis, amicive periculo haud fecerit?* Sed in hujuſmodi rebus nolo me pertinacem videri. IDEM.

Officiiſque ſcientiæ) An Cicero vapulabit, quod ſapientiam dixerit ſcientiam? Quid? Rerum naturæ cognitio an non eſt ſcientia? Atqui de hac ſapientia loqui Ciceronem jam oſtendi, & res ipſa loquitur; ſed nolo his inhærere. Si hunc locum perpendiſſent accuratius, & intellexiſſent nonnulli, non tot verba in reprehendendo Cicerone perdidiſſent. GRÆV.

Ad hominum caritatem) Sic reſcripſi ex meo, & Palatino primo. Vulgati: *ad hominum utilitatem*. IDEM. Victorius, edit. Mog. & Rom. pr. tum MSi Regii, quatuor Mead. duo, Cant. Mill. & omnes Oxon. cum aliis quamplurimis habent: *ad hominum utilitatem*. Grævius tamen ex ſuo MSo, & Palat. primo edidit: *ad hominum caritatem*. Male, ut arbitror; neque enim *caritas hominum*, ſed *utilitas* finis eſt, ad quem reſpicere debet juſtitia. Noſter igitur in cap. proxime ſequente dicit: *Ab augendis hominum utilitatibus, & commodis non receſſerunt*. Et: *Et doctrinæ ſtudiis, & ſapientiæ dediti ad hominum utilitatem ſuam prudentiam . . . potiſſimum conferunt*. Item in hujus libri cap. 7. *In hoc naturam debemus ducem ſequi, & communes utilitates in medium afferre commutatione officiorum*. PEARCE.

Antiquius) Prius, vel potiore ſtudio colendum: ſic in Amic. c. 8. *Antiquior, & pulcrior, & magis a natura ipſa profecta alia cauſſa*. IDEM.

Tamen ab augendis hominum utilitatibus, & commodis non receſſerunt) Vide Æliani Var. Hiſt. III. 17. & quæ ibi notavit doctiſſimus Kuhnius. GRÆV.

Lyſis Pythagoreus) In unico libro *Lyſis* recte ſcriptum fuit. Lyſias enim

Rhetor

Digitized by Google

noſque ipſi, quidquid ad remp. attulimus, ſi modo aliquid attulimus, a doctoribus, atque doctrina inſtructi ad eam, & ornati acceſſimus. Neque ſolum vivi, atque præſentes ſtudioſos diſcendi erudiunt, atque docent; ſed hoc idem etiam poſt mortem monumentis litterarum aſſequuntur; nec enim locus ullus prætermiſſus eſt ab iis, qui ad leges, qui ad mores, qui ad diſciplinam reip. pertineret, ut otium ſuum ad noſtrum negotium contuliſſe videantur: ita illi ipſi doctrinæ ſtudiis, & ſapientiæ dediti, ad hominum utilitatem ſuam intelligentiam, prudentiamque potiſſimum conferunt. Ob eamque cauſam eloqui copioſe; modo prudenter, melius eſt, quam vel acutiſſime ſine eloquentia cogitare: quod cogitatio in ſe ipſa vertitur, eloquentia complectitur eos, quibuſcum communitate juncti ſumus. Atque, ut apium examina non fingendorum favorum cauſa con-

Rhetor nihil ad hunc locum. Lyſis Tarentinus Pythagoræ auditor, Thebas confugit, & Epaminondæ ibi præceptor factus eſt: Diogenes, Pauſan. & Plutarch. de Muſica. Nepos quoque Cornelius in Epaminonda: *Carmina*, inquit, *cantare tibiis ab Olympiodoro, ſaltare a Calliphrone; at Philoſophiæ præceptorem habuit Lyſin Tarentinum, cui quidem ſic fuit deditus, ut adoleſcens triſtem, & ſeverum ſenem omnibus æqualibus ſuis in familiaritate antepoſuerit*. C. LANG. Mendoſe diu non modo hîc apud Ciceronem, & lib. III. de Oratore, ſed & in vita Epaminondæ apud Æmilium Probum doctor & magiſter Epaminondæ Lyſias fuit appellatus; nam & Pauſanias in Bœoticis lib. IX. de Thebano Epaminonda ita ſcribit: *Ηδη μειρακιον εφοιτησεν ως Λυσιν, ανδρα γενος μεν Ταραντινον, επιςαμενον δε του Πυθαγορου του Σαμιου λογους*· id eſt: *Ipſe jam adoleſcens ad Lyſin ſe contulit, qui, cum domo Tarentinus eſſet, Pythagoræ Samii diſciplina imbutus erat*. Et Laertii verba in Pythagora lib. VIII. hæc ſunt: Το *δε φερομενον ως Πυθαγορου, Λυσιδος εςι του Ταραντινου Πυθαγορικου, φυγοντος εις Θηβας, και Επαμινωνδου καθηγησαμενου*· id eſt: *Liber, qui circumfertur Pythagoræ nomine, Lyſidis eſt Tarentini Pythagorici, qui Thebas profugit, & Epaminondam erudivit*. Quo autem modo Lyſis in ſeditione incolumis ex Italia in Bœotiam pervenerit, ac Thebis apud Polymnin, & Epaminondam in honore habitus, ſenex mortuus ibi, & ſepultus fuerit, multis verbis expônit Plutarchus de Socratis dæmonio. De eodem Ælianus Variæ hiſt. lib. III. c. 17. FR. FABRIT.

A doctoribus atque doctrina inſtructi ad eam & ornati acceſſimus) Hinc in Oratore ait: *Ego autem & me ſæpe nova videri dicere intelligo, cum pervetera dicam, ſed inaudita pleriſque, & fateor me oratorem, ſi modo ſum, aut quicumque ſum, non ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatiis extitiſſe*. Nec, cum reip. præeſſet Cicero, ſtudia doctrinæ umquam reliquit. In primo de Natura Deorum id oſtendit: *Cum minime videbamur, tum maxime philoſophabamur: quod & orationes declarant refertæ philoſophorum ſententiis; & doctiſſimorum hominum familiaritates, quibus ſemper domus noſtra floruit; & principes illi Diodotus, Philo, Antiochus, Poſidonius, a quibus inſtituti ſumus*. GRÆVIUS.

Atque ut apium examina) Genitivus apum hîc, & de Divinatione. & de Haruſpicum Reſponſis eſt vulgo receptus, cum, *apium*, libri veteres probent, nec alius ab uſitato nominativo apis

congregantur, ſed, cum congregabilia natura ſint, fingunt favos: ſic homines, ac multo etiam magis, natura congregati adhibent agendi, cogitandique ſollertiam. Itaque, niſi ea virtus, quæ conſtat ex hominibus tuendis, id eſt, ex ſocietate generis humani, attingat cognitionem rerum, ſolivaga cognitio, & jejuna videatur; itemque magnitudo animi, remota communitate, conjunctioneque humana, feritas

apis ex Grammaticorum regulis eſſe poſſit. Varro etiam ad *ſanitatem apium cauſa*, dicit libro tertio de Re Ruſtica cap. 16. FR. FABRIT. Secutus ſum Palat. prim. duos Guilielm. excerpta Pithœi, editionem primam Romanam, & multos codices, quos Aldus Manutius excuſſit, cujus notas hanc ſcripturam tuentes conſule. GRAV.

Natura congregati) Hæc eſt Ariſtotelis doctrina, quam oppoſuit Platonicæ. Apud illum enim Socrates II. de Repub. dicit, *neceſſitatem condidiſſe civitates*. Ariſtoteles autem I. Politic. ait, civitatem natura conſtare, quia homo ſit animal πολιτικον, ſociale, hoc eſt natura factus ad ſocietatem colendam, etſi neceſſitas non urgeret. Itaque vere dixit Ariſtoteles, hominem magis animal ſociale natura eſſe, quam congregabile apis; cum tamen apis impulſu naturæ, non utilitatis ratione ſit congregabilis. Et hominem, qui ab omni ſocietate abhorreat, aut beſtiam eſſe (cujus in ſacris litteris exemplum eſt Nebucadnezar, qui exciderat vita) aut Deum. Nota ſunt loca Philoſophi, & ab aliis quoque allata. Hic tamen ad retundendam novorum quorumdam hominum ſententiam, qui hominem natura ſociale eſſe animal negant, ſed ſocietatem colere tantum commodi ſui cauſſa: nemo infitiatur, commoda quoque, & neceſſitatem ſequi in communitate jungenda homines, ſed hoc verum eſt, licet nulla homines utilitatum ſpes lactaret, aut inſtigaret ad ſocietatem ineundam cum aliis, ſocietatem tamen appetituros illos eſſe natura, propter perpetuæ ſolitudinis hominibus non ferendæ moleſtias. IDEM.

Adhibent agendi, cogitandique ſollertiam) Libri nonnulli veteres habent, *agendi, congregandique*, quidam, *augendi, congregandique*, &c. quarum ſcripturarum neutra placet. LAMBIN. *Agendi, cogitandique*) Sic edidit Manutius, quem Lambinus hic ſequitur. Noſtri manuſcripti cum Victorii, Langii, Cratandri, Marſi, aliiſque libris multis habent, *Agendi, congregandique ſollertiam*; quo ſignificatur, homines ad congregationem ita præ ceteris animantibus eſſe natos, ut ipſi quoque ſint ſollertes in agendo, & hominum conſociatione, atque communitate tuenda. FR. FABRIT. Non locum hic habet *congregandi ſollertia*. Homines ait Cicero natura congregari, congregatos vero ad ſocietatem tuendam agere multa, & cogitare præclare tum de iis, quæ pertinent ad ſapientiæ ſtudia, tum de moribus, civili diſciplina, & artibus vitæ utilibus. Vide Manutium. GRÆVIUS.

Attingat cognitionem rerum) I. e. niſi cognitio rerum habeat ſibi conjunctam juſtitiam. PEARCE.

Itemque magnitudo animi . . . immanitas) Hæc verba videntur hic non ſuum proprium locum habere. Nam quæ ſequuntur: *Ita fit, ut vincat cognitionis ſtudium conſociatio hominum, atque communitas*, ſunt procul dubio conſequentia non proxime præcedentium verborum (ut in vulgatis libris exhibentur), ſed iſtorum: *Niſi ea virtus, quæ conſtat ex hominibus tuendis, id eſt, ex ſocietate generis humani, attingat cognitionem rerum, ſolivaga cognitio, & jejuna videatur*. Videntur ea verba potius ad finem hujus capitis transferenda eſſe. Nam finita eſt ibi demum comparatio eorum officiorum, quæ manant ex *cognitione*, & *communitate*; & cum propoſita eſt (quod fit in initio cap. 45.) comparatio eorum, quæ ad *communitatem* ſpectant cum iis, quæ mode-

Digitized by Google

ritas ſit quædam, & immanitas. Ita fit, ut vincat cognitionis ſtudium conſociatio hominum atque communitas. Nec verum eſt, quod dicitur a quibuſdam, propter neceſſitatem vitæ, quod ea, quæ natura deſideraret, conſequi ſine aliis, atque efficere non poſſemus, idcirco initam eſſe cum hominibus communitatem, & ſocietatem: quod ſi omnia nobis, quæ ad victum, cultumque pertinent, quaſi virgula divina, ut ajunt, ſuppeditarent, tum optimo quiſque ingenio, negotiis omnibus omiſſis, totum ſe in cognitione & ſcientia collocaret. Non eſt ita; nam & ſolitudinem fugeret, & ſocium ſtudii quæreret: tum docere, tum diſcere vellet, tum audire, tum dicere. Ergo omne officium, quod ad conjunctionem hominum, & ad ſocietatem tuendam valet, anteponendum eſt illi officio, quod cognitione & ſcientia continetur.

45. Il-

moderatione continentur, credibile eſt, Ciceronem antea quiddam dixiſſe de *magnitudine animi*, tertia honeſtatis parte, eamque cum *communitate* comparaſſe. Idem.

Nec verum eſt, quod dicitur a quibuſdam propter neceſſitatem vitæ) Nec hic vellicandus eſt Cicero, cujus ſententiam paullo ante expoſuimus. Neceſſitas vitæ non utique cauſſa eſt conſociationis humanæ, quamvis illa quoque multum ad ſocietatem aut ineundam, aut tuendam conferat: ſed natura humana ſolitudinem averſans. Nobis Chriſtianis liquet ex ſacris litteris, & Dei ipſius ore, Adamo in illo horto copiis affluente rerum omnium, ad vitam commode ſuaviterque degendam, & in optimarum rerum contemplatione perpetuo verſanti, ſolitudinem gravem fuiſſe futuram, & ingratam: ideo Deum condidiſſe ſociam. Nam hanc naturam ſocietatis cupidam ei inſeverat Deus. Gravius.

Idcirco iſtam eſſe cum hominibus ſocietatem) Niſi membranæ meæ vetuſtiſſimæ, ſuffragante Palatino primo, & Auguſtano codice veterrimo, quem conſuluit Anemœcius, ut & editiones primæ ſuaderent, legendum eſſe: *initam eſſe cum hominibus ſocietatem*, vulgatæ, quæ ſatis elegans eſt, & venuſta, bellum non indixiſſem. Idem.

Quaſi virgula divina, ut ajunt, ſuppeditarent) Sic & ſupra dixit *ſuppeditare*, pro ad pedes, & in promtu eſſe. Rutil. Lupus Rhetor: *Ariſtoteles*, inquit, *dicitur dixiſſe, ejus eſſe vitam beatiſſimam, cujus & fortunæ ſapientia, & ſapientiæ fortuna ſuppeditaret*. Sic Livius, & alii. C. Langius. *Quaſi virgula divina, ut ajunt, ſuppeditarent*) *Suppeditarent*, pro ſuppeterent uſurpatur, ut ſupra: *Ob eaſque cauſas ſtuderet parare ea, quæ ſuppeditent ad cultum, & ad victum*. Sic quoque Lucretius lib. VI.

Sic igitur toti cælo, terræque putandum eſt,
Ex infinito ſatis omnia ſuppeditare.

Idem lib. III.

At neque cur faciant ipſæ, quareve laborent,
Dicere ſuppeditat. Id eſt, *ſuppetit*, vel *ſuppeditatur*. Fr. Fabric.

Totum ſe in cognitione, & ſcientia collocaret) Mallet Parrhaſius in Quæſitis per epiſtolam: *in cognitione ſcientiæ*; ſed adverſantibus omnibus libris, & ipſis Muſis. Eſt enim ἓν διὰ δυοῖν *cognitio, & ſcientia*, pro *cognitio ſcientiæ*; ut apud Iuſtinum lib. II. *Lanæ & veſtes*, pro laneæ veſtes. Cic. I. ad Fam. 7. *Ex provincia & imperio*, pro ex provinciæ imperio; ſed paſſim apud Vete-

45. Illud forſitan quærendum ſit, num hæc communitas, quæ maxime eſt apta naturæ, ſit etiam moderationi, modeſtiæque ſemper anteponenda. Non placet: ſunt enim quædam ita fœda, partim ita flagitioſa, ut ea ne conſervandæ quidem patriæ cauſa ſapiens facturus ſit: ea Poſidonius collegit permulta, ſed ita tetra quædam, ita obſcœna, ut dictu quoque videantur turpia. Hæc igitur non ſuſcipiet reip. cauſa; ne reſp. quidem pro ſe ſuſcipi volet. Sed hoc commodius ſe res habet, quod non poteſt accidere tempus, ut interſit reip. quidquam illorum facere ſapien-

veteres exempla hujus figuræ obvia ſunt. GRÆVIUS.

Sunt enim quædam ita fœda) Partim non ſemper geminatur: ut de Legib. II. *Quorum ſcelere religiones tum proſtratæ, afflictæque ſunt, partim ex illis diſtracti, ac diſſipati jacent; qui vero ex iis* &c. Salluſt. in oratione C. Cottæ: *Quorum alia toleravi, partim repuli deorum auxiliis, & virtute mea*. C. LANGIUS. *Sunt enim partim quædam*) *Quædam partim*, habent omnes libri, quos ego vidi. Langius, *partim*, ſemel tantum ſcripſit; quod apud Ciceronem novum non eſſe, in Lælium annotavi. FR. FABRIT. In meo optimo codice *partim* ſemel tantum ſcriptum eſt, ut in iis, quos viderunt Langius, & Manutius; ſed tamen non ſuo loco fuit poſitum. Sic enim ille: *Sunt enim quædam partim ita fœda, ita flagitioſa*. Sed rectius Langiani. GRÆVIUS. Vocem *partim*, quam Langius primus e textu ejecit, ut eum ſecuti recentiores editores, reſtituendam cenſeo. Eam habent omnes MSi, quos vidit Fabritius, tredecim Manutiani, omnes Oxonienſes, Mead. ſec. & tres Regii: & mihi quidem videtur tum ſenſui, tum latinitati neceſſaria. In II. 17. de Legib. (quem locum citat Langius, quo oſtendat, non neceſſe eſſe, ut vox *partim* repetatur) cum dixerit Cicero; *partim ex illis diſtracti, ac diſſipati jacent*, addidit: *qui vero ex iis* &c. quod idem valet ac, *partim vero ex iis*. Sic etiam in orat. Cottæ apud Salluſtium, cum eodem citante dicitur: *quorum alia toleravi, partim repuli* &c. vox *alia* idem valet, ac *partim*. At huic nihil in hoc loco, quem expendimus, ſimile eſt: vox *quædam* iſti uſui non inſervit; quippe quæ generalis eſt vox, duaſque in ſe ſpecies continet, res *fœdas*, & res *flagitioſas*. Omnino igitur, ut ſua voci *quædam* vis reddatur, legendum eſt: *Sunt enim quædam partim ita fœda* &c. PEARCE.

Hæc igitur non ſuſcipiet quiſquam) *Quiſquam* non habetur in meo primo, nec in Palatino, nec in tribus Guilielm. nec in editione Langii, in Victorii vero *quis*: ſed has voculas inculcarunt, qui non attendunt, ſæpiſſime Ciceronem eas omittere. GRÆV.

Ne reſpublica quidem ſuſcipi volet) Sic rectius longe meus primus, & duo Guilielm. necnon Langii, & Fabrit. editio, quas male neglexerunt ſequentes. IDEM.

Sed & hæc commodius ſe res habet) Turpis menda omnes obſidet editiones, quam ſine mei primi codicis ope, cui tamen accedit Palatinus primus, numquam deprehendiſſem. In illo ſcribitur: *Sed hoc commodius ſe res habet*; quod, quin omnes probaturi ſint, qui Latina intelligunt, nullus dubito. Nam vulgata ſunt ineptiſſima. Tanto melius, inquit, ſe res habet, ut non egeat diſputatione, num officia juſtitiæ ſint temperantiæ officiis præferenda, quia numquam poterit accidere, ut reip. cauſſa quidquam flagitioſum ſuſcipiat ſapiens. IDEM.

Quod non poteſt accidere tempus) Vocem *tempus* delendam putarim. LAMBIN. *Quod non poteſt accidere tempus*) Vox *tempus* redundare videtur; itaque Lam-

Digitized by Google

pientem. Quare hoc quidem effectum ſit, in officiis diligendis id genus officiorum excellere, quod teneatur hominum ſocietate; etenim cognitionem, prudentiamque ſequitur conſiderata actio: ita fit, ut agere conſiderate pluris ſit, quam cogitare prudenter. Atque hæc quidem hactenus. Patefactus eſt enim locus ipſe, ut non ſit difficile in exquirendo officio, quod cuique ſit præponendum, videre. In ipſa autem communitate ſunt gradus officiorum, ex quibus, quid cuique præſtet, intelligi poſſit: ut prima diis immortalibus; ſecunda patriæ; tertia parentibus; deinceps gradatim reliquis debeantur. Quibus ex rebus breviter diſputatis intelligi poteſt, non ſolum id homines ſolere dubitare, honeſtum ne, an turpe ſit: ſed etiam, duobus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius. Hic locus a Panætio eſt, ut ſupra dixi, prætermiſſus. Sed jam ad reliqua pergamus.

Lambinus eam delendam eſſe putat. Fr. Fabrit. *Tempus* tamen retinent omnes libri; nec eſt repudiandum. Graevius.

Quod teneatur hominum ſocietate) Societas hominum tenetur officiis, non officia hominum ſocietate. Hoc quid velit, non intelligo: quocirca cenſeo, Ciceronem potius ſcripſiſſe: *quod tueatur hominum ſocietatem*, i. e. quod eam firmet, & ſtabiliat. Sic in fine præcedentis cap. dicitur: *ad ſocietatem tuendam valet*; & alibi. Sæpius *teneri*, pro *tueri*, *teneatur* pro *tueatur* &c. in MSis ponuntur errore librariorum: qui, ſi hic idem fecerint, omiſſa lineola ſupra caput *e* pro *m* poſita, mutarunt *ſocietatem* in *ſocietate*. Pearce.

Ut agere conſiderate pluris ſit, quam cogitare prudenter) Sed utrumque ſi jungatur, perfectum hominem reddit. Cicero orat. pro Sextio: *Bene ſentire de repub. prudentiæ eſt, facere, fortitudinis: facere vero, & ſentire, perfectæ cumulatæque virtutis*. Graevius.

Gradatim reliquis debeantur) Lectio edit. Mogunt. pr. Bened. Brugnoli, Lambini, & nonnullarum aliarum veterum eſt: *reliqua reliquis debeantur*. Vulgo deeſt *reliqua*: ſed eam vocem habent MSi Mead. ſec. Groning. Mill. Bod. & Mag. Et omnino neceſſaria ſententiæ videtur; niſi putemus, adverbium *gradatim* eam vim habere, ut locum caſus nominativi pluralis ſuppleat, quod Ciceronianum eſſe vix auſim contendere. Iſta *reliqua* ſunt ea, quæ quartum, quintum &c. locum occupant. Pearce.

M. T.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS
DE OFFICIIS
AD MARCUM FILIUM
LIBER SECUNDUS.

I. QVemadmodum officia ducerentur ab honeſtate, Marce fili, atque ab omni genere virtutis, ſatis explicatum arbitror libro ſuperiore. Sequitur, ut hæc officiorum genera perſequar, quæ pertinent ad vitæ cultum, & ad earum rerum, quibus utuntur homines, facultatem, ad opes, ad copias; in quo tum quæri dixi, quid utile, quid inutile: tum ex utilibus, quid utilius, aut quid maxime utile; de quibus di-

cere

QVemadmodum) Pro *quo pacto*: ſecus poſitum eſt, quam cum dicimus, *quemadmodum dives eſt, ita potens*. ERASMUS. Vox ea in hoc ſenſu ſæpius a Cicerone uſurpatur: tum vero poſt ſe habere ſolet verbum modi ſubjunctivi: ut in I. 28. *Quemadmodum nos adverſus homines geramus*. II. 13. *Quemadmodum vivat, inquiritur*: & alibi. PEARCE.

Facultatem) MSi Cant. & Mead. ſec. *facultates*, quo modo Noſter loqui ſolet; ut in I. 3. *Ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam*. Et in II. 3. *Duæ ad commoda vitæ, copias, opes, facultates*. IDEM.

In quo tum quæri dixi) Cave, ne referas iſtud *quo* ad librum primum: potius per voces *in quo* intelligas *in quo negotio*, ſcilicet, *in perſequendis iis generibus officiorum, quæ pertinent ad vitæ cultum* &c. De his dixerat in primo libro quæri ſolere, quid utile, quid inutile eſſet, & (duobus propoſitis utilibus) utrum eorum eſſet utilius. IDEM.

Tum ex utilibus quid utilius, aut quid maxime utile) Hîc prius ita legebatur: *In quo tum quæri dixi, quid utile, quid inutile, tum ex utilibus* &c. Sed horum verborum pars poſterior in veteri libro nullo extat; nec in recens editis eodem modo legitur. Itaque ſemper mihi perſuaſi, a lectore ad marginem adſcripta ex locis duobus libri ſuperioris, deinde recepta a librariis: nam de electione agetur libro tertio. Imo vero etiam vehementer metuo, ne tota hæc ſententia: *In quo tum quæri dixi* &c. eodem modo irrepſerit. Nam ſi eam continues cum his dictionibus: *Satis explicatum arbitror libro ſuperiore. In quo quæri dixi* &c. ſupervacanea mihi videatur illa repetitio hoc quidem loco, cum, ut dixi, libro tertio de electione acturus ſit; igitur vel ejicienda tota, vel *in quo*, id eſt, *in qua re, in qua deliberatione* exponat neceſſe eſt, non *in quo libro*. Vide extremum hunc librum. Ego ex duobus locis libri præcedentis hîc ad marginem adſcriptam ab ſtudioſo quopiam, deinde aſſumtam a librariis conjicio. Nam de electione agetur libro tertio. C. LANG. *In quo tum quæri dixi, quid utile, quid inutile, tum ex duobus utilibus, quid* &c.) Fateor, me nullis in codicib. antiquis

hoc

Digitized by Google

cere aggrediar, ſi pauca prius de inſtituto, ac de judicio meo dixero. Quamquam enim libri noſtri complures non modo ad legendi, ſed etiam ad ſcribendi ſtudium excitaverunt, tamen interdum vereor, ne quibuſdam bonis viris philoſophiæ nomen ſit inviſum; mirenturque, in ea tantum me operæ, & temporis ponere. Ego autem, quamdiu reſp. per eos gerebatur, quibus ſe ipſa commiſerat, omnes meas curas, cogitationeſque in eam conferebam: cum autem dominatu unius omnia tenerentur, neque eſſet uſquam conſilio, aut auctoritati locus, ſocios denique tuendæ reip. ſummos viros amiſiſſem; nec me angoribus dedidi, quibus acce-

hoc membrum reperiſſe: *Tum ex duob. utilib. aut ex plurib. quid max. utile*; quemadmodum & Langius, & alii teſtantur ſe non reperiſſe in ſuis. Sed ego hîc vulgatos ſecutus ſum, hac de cauſa maxime, quod aut hoc ipſum membrum, quod non reperitur in manuſcr. addendum eſt: aut, ſi hoc delendum eſt, illud ſuperius quoque, quod habent & manuſcripti, & vulgati, *in quo tum queri* &c. delendum eſt; quod & Langius ſuſpicatur; quorum alterutrum cum faciendum mihi eſſe viderem, malui in eam partem peccare, quæ cautior eſt, & exiſtimare hoc membrum, quod in libris manuſcr. non reperitur, a ſcriptore librario, cujus exemplum ceteri ſecuti ſint, eſſe omiſſum; quod non erat eis inuſitatum. Lambin. *Tum ex duobus utilibus quid utilius, aut quid maxime utile*) Hæc verba, quæ Langius in veteri libro nullo exſtare ſcribit, atque idcirco tamquam aliena delevit, a noſtris quoque manuſcriptis abſunt. Ciceronem quidem certe ſuperlativum, *utiliſſimus*, non vitare, plura loca, quibus eo uſus eſt, demonſtrant. Fr. Fabrit. Nec Guilielmius hæc verba reperit in tribus MSis Reperi tamen ego illa in meo libro optimo, reperit illa Gruterus in Palatino primo, reperit Pithœus in ſuo non peſſimæ notæ libro, ut excerpta fidem faciunt. Itaque ea exſcindere cum Langio non ſuſtinui; quamvis non negem, ea ſine detrimento ullo abeſſe poſſe; imo rectius abeſſe. Grævius.

Complures ad ſcribendi ſtudium excitaverunt) Ut Hortenſium, & Brutum, qui libellum de virtute ad Ciceronem ſcripſit, & in Philoſophicis multo, quam in orationibus eſt præſtantior, ſuffecitque ponderi rerum, ut auctor eſt Quinctilian. X. Inſtit. Orat. c. 1. Idem.

Ne quibuſdam bonis viris philoſophiæ nomen ſit inviſum) Romani enim philoſophiæ ſtudia, tamquam otioſorum Græculorum oblectamenta, aut contemnebant, aut leviter modo tangebant, ac ex illa tantum hauriebant, quantum ad eloquentiam, quam præcipue colebant, facere iis videbatur. Hinc Virgil. de Romanis VI. Æneid.

Orabunt cauſſas melius, cælique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Et Tacitus in vita Agricolæ cap. 4. *Solitum ipſum narrare, ſe in prima juventa ſtudium Philoſophiæ acrius ultra, quam conceſſum Romano, ac Senatori hauſiſſe; ni prudentia matris incenſum, ac flagrantem animum coercuiſſet.* Hinc Ciceronem invidi, & malevoli propter Philoſophiæ ſtudium Græculum vocabant. Vide Plutarch. in ejus vita. Idem.

Per eos regebatur) *Gerebatur* eſt in noſtris libris ſcriptis, & impreſſis aliis, conſentiente Nonio in *Committere*. Lapſus fuit facilis in tranſpoſitione primarum ſyllabarum; itaque etiam infra quidam libri *gerendam*, alii *regendam* habent. Fr. Fabrit.

Nec

Digitized by Google

eſſem confectus , niſi iis reſtitiſſem , nec rurſum indignis homine docto voluptatibus . Atque utinam reſp. ſtetiſſet quo cœperat ſtatu, nec in homines non tam commutandarum, quam evertendarum rerum cupidos incidiſſet. Primum enim, ut ſtante rep. facere ſolebamus , in agendo plus , quam in ſcribendo operæ poneremus : deinde ipſis ſcriptis non ea, quæ nunc , ſed actiones noſtras mandaremus , ut ſæpe fecimus. Cum autem reſp. in qua omnis mea cura , cogitatio, opera poni ſolebat, nulla eſſet omnino, illæ ſcilicet litteræ conticuerunt, forenſes, & ſenatoriæ; nihil agere autem cum animus non poſſet, in his ſtudiis ab initio verſatus ætatis, exiſtimavi, honeſtiſſime moleſtias poſſe deponi, ſi me

Nec rurſum indignis homine docto voluptatibus) Perſtringit hîc tacite Lucullum , & Hortenſium , qui, abjectis optimarum artium ſtudiis , ſe ſuis piſcinis oblectabant , quos propterea *piſcinarios* vocat I. ad Attic. 19. & 20. & ſæpe alibi in illis libris . GRÆV.

Utinam reſp. ſtetiſſet , quo cœperat ſtatu) Poſt dictaturam a Sulla depoſitam . IDEM .

Actiones noſtras mandaremus) Non tantum orationes in foro , & ſenatu habitas , quas ſtatim vocat *litteras forenſes , & ſenatorias* , ſed & commentarios de ſuo conſulatu : de quibus vide quæ notavimus ad ep. 9. lib. I. ad Famil. IDEM .

Illæ ſcilicet litteræ conticuerunt) Opinor, verba *ſcilicet litteræ* non eſſe Ciceronis , ſed gloſſatoris : vox *illæ* (iis deletis) poſſet ad *actiones* referri , de quibus paulo ante dictum eſt , & quæ appellari poſſent *forenſes* , & *ſenatoriæ*, quia *agere* eſt oratoris tam in ſenatu , quam in foro . Hoc qui non animadvertit , videtur addidiſſe explicandi gratia, *ſcilicet litteræ* . PEARCE .

Honeſtiſſime deponi poſſe) Vulgo legitur : *Moleſtias poſſe deponi* , contra omnes veteres codices , in quibus dictio *moleſtias* non habetur. Nam verbum *deponi* ſpectat ad hæc præcedentia: *Tantum operæ , & temporis* . C. LANG. *Exiſtimavi honeſtiſſime poni poſſe*) Tres e manuſcriptis noſtris cum Victorianis , & Langianis legunt : *Exiſtimavi honeſtiſſime poſſe deponi* ; & annotat Langius, verbum *deponi* ſpectare ad hæc præcedentia: *Tantum operæ, & temporis*. Unus manuſcriptus vulgatam lectionem retinet , quæ eſt : *Exiſtimavi honeſtiſſime moleſtias deponi poſſe* ; quam ego plane ut repudiem , adduci non poſſum . Video enim eam eſſe apud Nonium in verbo *Deponere* . FR. FABRIT. *Honeſtiſſime poſſe deponi*, non poteſt tolerari, niſi addatur, *quid depoſuerit* . Nam , quod Langius dicit ἀπὸ κοινοῦ hîc repetendum *operam* , & *tempus* , non poteſt laudari . Latini enim non dicunt *operam* , *& tempus deponere* in aliqua re , ſed *ponere* . *Deponi* vero eſt in omnibus libris . Ioh. Fridericus Gronovius exiſtimabat, Ciceronem ſcripſiſſe : *In ſtudiis ab initio verſatus ætatis , eas exiſtimavi honeſtiſſime poſſe deponi* ; *eas* ſcilicet litteras forenſes , & ſenatorias . Sed cum meus primus cum Palatino primo , & princeps editio Moguntina conſentiant pro vulgata *moleſtias* , quæ vox excidit ex quibuſdam libris, non religioni duxi illam reponere , præſertim cum & Nonius eam agnoſcat . GRÆVIUS . Si vox *moleſtias* retineatur, intelligas licet eos *angores* , quos paſſus eſt Cicero , quamvis illis non eſſet (ut paulo ante dixit) *confectus* . Sed cum hæc vox non invenitur in tribus MSis Regiis , quinque Oxon. ſeptem Manutianis , aliiſque multis libris ſcriptis , & impreſſis , delenda eſſe mihi videtur . Si quid vero mutandum eſt (& mihi quidem locus videtur corruptus eſſe) legerem potius

Digitized by Google

ſi me ad philoſophiam retuliſſem ; cui cum multum adoleſcens diſcendi cauſa temporis tribuiſſem , poſtea quam honoribus inſervire cœpi , meque totum reip. tradidi , tantum erat philoſophiæ loci , quantum ſuperfuerat amicorum , & reipub. temporibus . Id autem omne conſumebatur in legendo : ſcribendi otium non erat ,

2. Ma-

exiſtimavi honeſtiſſime ea poſſe deponi , i.e. ea *ſtudia* , in quibus Cicero ab adoleſcentia verſatus fuerit . Non videtur ſcripſiſſe *moleſtias* , cum hæ *deponendæ* ſint quovis modo , etſi non *honeſtiſſimo* . Philoſophia eſt etiam id , quod maxime efficit , ut homines *moleſtias* deponant : ſi igitur Noſter ſcripſiſſet *moleſtias* , dixiſſet , opinor , *exiſtimavi* (non *honeſtiſſime* , ſed) *facillime moleſtias poſſe deponi* . Pearce .

Multum adoleſcens) Hoc loco *multum* referendum eſt ad genitivum *temporis*, interjectis in medio dictionibus nonnullis . Erasmus .

Quantum ſuperfuerat amicorum , *& reipub. temporis*) Sic habent noſtri libri veteres : vulgati autem mendoſe , *temporibus* . At Langius neque *temporis* , neque *temporibus* edidit . Lambin. *Quantum ſuperfuerat amicorum* , *& reip. temporis*) Sic libros ſuos habere , Lambinus teſtatur : habent eodem modo noſtri , & ii , quos Victorius edidit : in vulgatis *temporibus* legitur. Langius neque *temporis* , neque *temporibus* legit . Cicero ait , ſe tum , cum totum ſe reipub. tradiderat , tantum temporis in philoſophiæ ſtudiis poſuiſſe , quantum ſibi ab amicorum , & reip. negotiis datum fuerit . Fr. Fabrit. *Reip. temporis*) Ita tres Guilielmii , Pal. ſec. nec aliter editiones antiquatæ : Nam recentiores, *temporibus* : in Palat. primo eſt *tempori* . Gruter. Nec aliter Aldus Manutius in notis , quas inſpice . Mirum eſt, in non obſcuro loco aquam hæſiſſe tot viris eruditis . Illorum librorum , quos ſecuti ſunt Victorius , Lambinus, Fabritius, Manutius, ſcriptura legibus Latinæ linguæ adverſatur. Scribendum enim fuiſſet; *Quantum ſuperfuerat amicis* , *& reip. temporis* . In Palat. primo , & meo optimo eſt *tempori* , quod æque ferri poteſt ac *temporibus* . Sed cum *temporibus* tamquam inſolentius , & a palato triviali alienius , videatur immutatum eſſe a ſciolo in *tempori* , inde natum eſt ſequentibus ſeculis , quibus guſtus omnis deliciarum priſtinæ Latinæ linguæ exoleverat , *temporis* . Sed *temporibus* non eſt movendum . Non hoc profectum eſt ab interpolatorum audacia . Ipſa Ciceronis manus eſt , qui ſæpe *tempus* , & *tempora* vocat ſtatum , conditionem , fortunam , ſive hominum , ſive reipublicæ . In I. ad Famil. ep. 9. *Scripſi tres libros de temporibus meis* ; hoc eſt , de fortuna mea, de conſulatu , & exilio . Idem in ep. 6. ejuſdem libri : *Facile me conſolatur recordatio meorum temporum* , *quorum imaginem video in rebus tuis* ; recordatio illius mei ſtatus , cum amici mihi inviderent , inimici me perſequerentur : quod in epiſtola ſequente his verbis explicat : *Vehementer quoſdam homines* , *& eos maxime* , *qui te & maxime debuerunt* , *& plurimum juvare potuerunt* , *invidiſſe dignitati tuæ* : *ſimillimamque in re diſſimili tui temporis nunc*, *& noſtri fuiſſe rationem* . Adde , quæ ſequuntur . In orat. pro leg. Manilia : *Omne meum tempus amicorum temporibus tranſmittendum putavi* ; h. e. impendendum amicorum afflictæ fortunæ , iis defendendis & periculo liberandis . In orat. pro Cælio : *Illa vero* , *judices* , *in illo homine mirabilia fuerunt* , *comprehendere multos amicitia* , *tueri obſequio* , *cum omnibus communicare*, *quod habeat* , *ſervire temporibus ſuorum omnium pecunia* , *gratia* , *labore corporis* , *ſcelere etiam*, *ſi opus eſſet* , *& audacia* . Nec aliter Græci . Iſocrates ad Demon. Ο'υτω δ' αν αριςα χρωῃ τοις φιλοις , αν μη περιμενῃς τας παρ' εκεινων δεησεις , αλλ' αυτεπαγγελτος εν τοις καιροις αυτοις βοηθεις . *Sic te amicum verum eſſe oſtendes* , *ſi non expectaveris* , *donec te rogent* , *ſed ſponte tua illorum temporibus adfueris* . Grævius . Quibus a Grævio adductis locis addi poteſt

2. Maximis igitur in malis hoc tamen boni aſſecuti videmur, ut ea litteris mandaremus, quæ nec ſatis erant nota noſtris, & erant cognitione digniſſima. Quid eſt enim, per deos, optabilius ſapientia? quid præſtantius? quid homini melius? quid homine dignius? Hanc igitur qui expetunt, philoſophi nominantur; nec quidquam aliud eſt philoſophia, ſi interpretari velis, quam ſtudium ſapientiæ. Sapientia autem eſt, (ut a veteribus philoſophis definitum eſt) rerum divinarum, & humanarum, cauſarumque, quibus hæ res continentur, ſcientia: cujus ſtudium qui vituperat, haud ſane intelligo, quidnam ſit, quod laudandum putet. Nam ſive oblectatio quæritur animi, requieſque curarum, quæ conferri cum eorum ſtudiis poteſt, qui ſemper aliquid anquirunt, quod ſpectet, & valeat ad bene, beateque vivendum? ſive ratio conſtantiæ, virtutiſque ducitur, aut hæc,

poteſt id, quod dicitur hic in III. 24. *Niſi forte eam pecuniam in reipublicæ magnum aliquod tempus contulerit*. Et in c. 25. *Multa, quæ honeſta natura eſſe videntur, temporibus ſunt non honeſta*. Vide etiam notam meam ad I. 10. At hæc lectio *temporibus* Grutero olim diſplicuit; & Oliveto video eam non placuiſſe, cujus judicio in hujuſmodi rebus multum tribuendum eſſe cenſeo. Hic enim lectionem *temporis* defendit: vult ordinem verborum hunc eſſe: *quantum temporis amicorum & reipublicæ* (mihi) *ſuperfuerat*: ſenſumque eorum ita explicat: "Cum reddideram amicis Reipublicæ partes temporis, quas illis ego debebam, ſi quid ſuperfuerat, tum philoſophiam ſic, quaſi in locum vacuum neque occupatum, admittebam." Nempe per *tempus* intelligit id, quod vox hæc proprie, & uſitatiſſime ſignificat. At hoc *tempus*, ſi *amicorum, & reipublicæ* erat, non video, qui potuit *ſupereſſe*. Id, quod poſt confecta reipublicæ, & amicorum negotia ſuperfuerat, fuit tempus ipſius Ciceronis, jure (ſi ipſi placeret) ad Philoſophiam conferendum. Non igitur cenſeo, vocem *temporis* hic cum vocibus *amicorum, & reipublicæ* conjungendam eſſe: ſi quis enim eas conjungat, inveniet dativum caſum deeſſe poſt *ſuperfuerat*: ſin eas disjungat, manca erit ſententia, & neceſſe erit, ut verba *amicorum, & reipublicæ* a verbo *negotiis*, vel ſimili quodam, in textum adducendo regantur. His rationibus motus edendum cenſeo *temporibus*; ut ſit ſenſus, tantum temporis (nam ſpatium temporis hic *locus* ſignificat) Philoſophiæ impendi, quantum remanſit mihi poſt collata officia, quæ a me amicis, & reipublicæ deberentur. PEARCE.

Quid præſtantius?) Non. Marcellus in verbo *Præſtare* hunc locum adducens legit: *Quid enim eſt per deos immortales optabilius ſapientia? quid præſtabilius?* PET. BALDVINVS.

Quid homini melius? quid homine dignius?) Meus pervetuſtus: *Quid homini melius? quid dignius?* ut *homine* ἀπὸ κοινοῦ ſit revocandum. GRÆVIVS.

Qui ſemper aliquid anquirunt) Ignoratio verbi antiqui fecit, ut in libris multis *acquirunt*, in aliis *inquirunt* legatur; eaque varietas eſt etiam apud Lactantium lib. III. cap. 13. ubi hic locus adducitur, & in manuſcripto ejus codice itidem ut hic legitur: *Sive ratio conſtantiæ, virtutiſque ducitur*. FR. FABRIT. *Anquirunt* approbat quoque optimus codex Grævii. GRÆV.

Sive ratio conſtantiæ, virtutiſque ducitur)

hæc ars eſt, aut nulla omnino, per quam eas aſſequamur; nullam dicere maximarum rerum artem eſſe, cum minimarum ſine arte nulla ſit, hominum eſt parum conſiderate loquentium, atque in maximis rebus errantium. Si autem eſt aliqua diſciplina virtutis, ubi ea quæretur, cum ab hoc diſcendi genere diſceſſeris? Sed hæc, cum ad philoſophiam cohortamur, accuratius diſputari ſolent; quod alio quodam libro fecimus. Hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur orbati reip. muneribus ad hoc nos ſtudium potiſſimum contuliſſemus. Occurritur autem nobis, & quidem a doctis, & eruditis quærentibus, ſatis ne conſtanter facere videamur, qui, cum percipi nihil poſſe dicamus, tamen & aliis de rebus diſſerere ſoleamus, & hoc ipſo tempore præcepta officii perſequamur. Quibus vellem ſatis cognita eſſet noſtra ſententia: non enim ſumus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat umquam, quid ſequatur; quæ enim eſſet iſta mens, vel quæ vita potius, non modo diſputandi, ſed vivendi ratione ſublata? Nos autem,

tur) MSus Mill. & editiones Mogunt. & Brugnoli 1514. & Rom. 1469. habent *quæritur*: ſed alia illa vox in ceteris MSis, & in impreſſis fere omnibus libris exſtat. Exſtat etiam in Lactant. Div. Inſtit. III. 13. ubi multam hujus capitis partem ad verbum citat. *Ducere rationem* rei alicujus, idem eſt, quod ejus rationem habere. Et ſane (inquit Camerarius) *rationem ducere* vel ſui, vel alterius, itemque rerum ſuarum, alienarumque, Ciceronianum eſſe conſtat. In Orat. pro Quint. c.16. dicitur, *officii, & exiſtimationis rationem ducere*. Hæc ille: & veritatem Ciceroniani dicendi generis ſenſiſſe videtur. Confer etiam Orat. Verr. I. 48. *Conſtantia*, & *virtus* hic eodem modo copulantur, idemque ſignificant, quod in III. 2. dicitur: *conſtanter, honeſteque vivendi præcepta*: neque enim ſatis eſt ex Philoſophia ducere virtutem; conſtantia enim in virtute colenda inde ducenda eſt; ut nobiſmet ipſi in nulla vitæ parte diſſimiles eſſe reperiamur. Pearce.

Cum ab hoc dicendi genere diſceſſeris) *Diſcendi* eſt in omnibus libris, atque ita emenda; hoc autem genus diſcendi eſt ipſum ſtudium ſapientiæ. Fr. Fabrit.

Alio quodam libro) In libro, qui inſcribitur *Hortenſius*. Ætate D. Auguſtini adhuc exſtabat: ex eo autem valde ſe profeciſſe Auguſtinus ſcribit in lib. III. Confeſſ. cap. 4. *Ille liber mutavit affectum meum: & ad te ipſum, Domine, mutavit preces meas, & vota, ac deſideria mea fecit alia.* Facciolat.

Cum percipi nihil poſſe dicamus) Editio Mogunt. & MSus Mead. pr. a correctoris manu habet *præcipi*. Male; *nihil* enim *percipi poſſe* idem ſignificat (cum ab Academico dicetur, qualis fuerit Cicero) quod nihil poſſe pro vero & certo affirmari. Audi ipſum in V. 26. de Finib. *Nihil eſt aliud, quamobrem nihil percipi mihi poſſe videatur, niſi quod percipiendi vis ita definitur a Stoicis, ut negent quidquam poſſe percipi, niſi tale verum, quale falſum eſſe non poteſt*. Vide plura de hac re in I. 5. de Nat. Deor. & in I. 8. Tuſcul. diſp. & in Acad. II. 12. IV. 20. Pearce.

Contra

Digitized by Google

autem, ut ceteri alia certa, alia incerta eſſe dicunt, ſic ab his diſſentientes alia probabilia, contra alia non probabilia eſſe dicimus. Quid eſt igitur, quod me impediat, ea, quæ mihi probabilia videantur, ſequi: quæ contra, improbare: atque affirmandi arrogantiam vitantem fugere temeritatem, quæ a ſapientia diſſidet plurimum? Contra autem omnia diſputatur a noſtris, quod hoc ipſum probabile elucere non poſſet, niſi ex utraque parte cauſarum eſſet facta contentio. Sed hæc explanata ſunt in Academicis noſtris ſatis, ut arbitror, diligenter. Tibi autem, mi Cicero, quamquam in antiquiſſima, nobiliſſimaque philoſophia, Cratippo auctore, verſaris, iis ſimillimo, qui iſta præclara pepererunt, tamen hæc noſtra, finitima veſtris, ignota eſſe nolui. Sed jam ad inſtituta pergamus.

3. Quinque igitur rationibus propoſitis officii perſequendi, quarum duæ ad decus, honeſtatemque pertinent, duæ ad commoda vitæ, copias, opes, facultates, quinta ad eligendi judicium, ſi quando ea, quæ dixi, pugnare inter ſe

Contra alia improbabilia) Legitur in quibuſdam *non probabilia*; quorum utrumque ex gloſſemate eſſe libri veteres demonſtrant: in quibus *contra alia eſſe dicimus*, legitur, ut Langius quoque edidit. FR. FABRIT. *Alia non probabilia*, eſt in primo Grævii. GRÆVIVS. *Alia probabilia, contra alia eſſe dicimus*) Vulgo, *contra alia non probabilia eſſe dicimus*. At vel vox *contra*, vel voces *non probabilia* ſunt ejiciendæ: parum refert, utram viam inſiſtat lector. Has autem poſtremas ego ideo ejiciendas duco, voce *contra* ſervata, quia abſunt ab edit. Mogunt. a MSis Mead. duobus, tribus Oxon. Cant. Lameth. & Palat. ſec. eaſque olim pro gloſſemate eſſe putabat Langius, & Fabritius, & Lambinus. Simile dicendi genus occurrit in ſequentibus: *Quæ mihi probabilia videantur, ſequi; quæ contra, improbare*. Et in Acad. II. 32. *Ut aliæ probabiles videantur, aliæ contra*. PEARCE.

Quod me impediat) Nove dixit Cicero: *impediat me ſequi*: mollius, & tritius eſt: *impediat, quo minus ſequar*: ERASMUS. Eodem tamen modo locutus eſt in I. 35. de Orat. *Me enim impedit pudor ab homine omnium graviſſimo hæc, quæ iſti forſitan puerorum elementa videantur, exquirere*. PEARCE.

Quæ mihi probabilia videantur ſequi) Hoc cum alibi, tum in doctrina morali locum in primis habet. Nam qui in illa ακριβες Mathematicum, hoc eſt demonſtrationes, ut vulgo loquuntur, deſiderat, is, ut ipſe Ariſtoteles non uno loco docet, non eſt ex Philoſophorum των χαριεστερων numero, & neſcit, qui ſint fines artium, & diſciplinarum, nec quid ἡ ὑποκειμενη ὑλη patiatur. Sed hæc fere eſt omnium ſcholarum, & in iis docentium ratio, cujuſcumque ſint ſectæ, ut quæcumque tradunt, iis ſint, habeanturque Euclidea. Hæc quidem temeritas ſæpe deriſa eſt a ſapientibus, & lepide in primis exagitata non uno in loco a Luciano. GRÆV.

Niſi ex utraque parte) Vetus ille liber Laurentianus, vocem *parte* non habet, facitque anhelolam orationem. Videor in Terentio ſimilem locutionem

ſe viderentur, honeſtatis pars confecta eſt, quam quidem tibi cupio eſſe notiſſimam. Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipſum eſt, quod utile appellatur; in quo lapſa conſuetudo deflexit de via, ſenſimque eo deducta eſt, ut honeſtatem ab utilitate ſecernens, & conſtitueret honeſtum eſſe aliquid, quod utile non eſſet, & utile, quod non honeſtum, qua nulla pernicies major hominum vitæ potuit afferri. Summa quidem auctoritate philoſophi ſevere ſane, atque honeſte, hæc tria genera confuſa cogitatione diſtinguunt; quidquid enim juſtum ſit, id etiam utile eſſe cenſent: itemque quod honeſtum, idem juſtum; ex quo efficitur, ut, quidquid honeſtum ſit, idem ſit utile. Quod qui parum

nem obſervaſſe. Cur vero non? ut *hactenus*, *eatenus*, *quatenus*, *tuta ire*, *recta progredi*. C. LANG.

Honeſtatis pars confecta eſt) In Victorianis, Manutianis, & vulgatis pleriſque legitur *perfecta eſt*, pro quo Balduinus, Langius, & Lambinus *confecta eſt*, ex libris antiquis recte repoſuerunt; nam ita quoque Nonius legit, docens, *Conficere* valere *explicare*. FR. FABRIT.

In quo verbo lapſa conſuetudo deflexit de via) Nihil certius lectione, quæ in meo primo habetur: *in quo lapſa conſuetudo deflexit de via*; hoc eſt, in qua re, in quo loco, aut capite de utilitate. *Verbo*, quod nec Palatinus primus, nec Auguſtanæ membranæ Anemœcii agnoſcunt, hîc locum non habet, nec explicatio Manutii. Non enim hîc queritur Cicero, quod verborum vis ſit immutata, ſed quod homines utilitatem ab honeſtate ſecreverint, & honeſtum aliquod crediderint eſſe, quod non ſit utile. GRÆV.

Hæc tria genera confuſa cogitatione diſtinguunt) Senſus eſt: Maximi philoſophi (quamquam non ſecernunt honeſtatem ab utilitate, quod vulgo fit), tamen hæc tria *juſtum*, *honeſtum*, *utile*, quæ revera unum idemque ſignificant, mente, & cogitatione diſtinguunt: ita ut, cum ea tribus nominibus ſignent, tamen unam eamdemque rem eſſe cenſeant. Similiter Cicero locutus eſt in I. 27. *Totum illud* (decorum) *eſt cum virtute confuſum, ſed mente, & cogitatione diſtinguitur*. Eſt, qui olim conjecit, legendum eſſe: *genera re confuſa*; ego vero, *genere confuſa*. Mihi enim vix videtur Ciceronem voluiſſe juſtum, honeſtum, & utile, tria *genera* vocare; ſed dicere potius, *hæc tria eſſe confuſa genere*, h. e. ejuſdem generis eſſe, ſive idem genus participare. Ut in libris de Legibus dixerat (citante eum Lactantio in Div. Inſt. V. 8.) *Omnes homines inter ſe natura confuſi, pravitate diſſentiunt*. PEARCE.

Conſtitueret honeſtum eſſe aliquid, quod utile non eſſet, & utile, quod non honeſtum) Sic & Socrates apud Cic. III. de Legib. *Execrari ſolitus eſt eum, qui primus utilitatem a natura ſejunxiſſet: id enim querebatur eſſe caput exitiorum omnium*. Quæ & Cleanthis ſententia eſt apud Clementem Alexandrinum II. Strom. Ut Panætius cum honeſtate, ita Socrates, ac Cleanthes cum natura conjunctam voluit utilitatem, quæ vera germanaque ſit, non quæ fucata, ac ſpuria, quam ut Panætius cum honeſtate, ita cum natura pugnare cenſuit Socrates. Neque enim natura, quod fictum, ſed quod verum eſt, appetit, ut cibum non pictum, ſed verum, prorſus ut vera utilitas æque cum natura, cumque honeſtate cohæreat, & fucata æque utrique repugnet. Itaque uterque jure querebatur invaſiſſe in vitam opinionem illam, quæ ab honeſtate, ac natura utilitatem ſeparans, fucatam ſolam ſtabilit, adeo ut, cum homines omnes utilitatem ament, fucata

Digitized by Google

parum perſpiciunt, hi ſæpe verſutos homines, & callidos admirantes; malitiam ſapientiam judicant; quorum error eripiendus eſt, opinioque omnis ad eam ſpem traducenda, ut honeſtis conſiliis, juſtiſque factis, non fraude & malitia ſe intelligant ea, quæ velint, conſequi poſſe. Quæ ergo ad vitam hominum tuendam pertinent, partim ſunt inanima, ut aurum, argentum; ut ea, quæ gignuntur e terra, ut alia ejuſdem generis: partim animalia, quæ habent ſuos impetus, & rerum appetitus. Eorum autem alia rationis expertia ſunt, alia ratione utentia. Expertes rationis equi, boves,

cata potius, quam germana quæratur. GASSENDVS. Quæ utique negari non poſſunt; & tam firmis argumentis a Cicerone in hoc, & ſequenti libro firmantur, ut nullis ſcholaſticis tricis, & jejunis diſputationibus poſſint convelli, quibus rejiciendis immorari nec eſt e re noſtra, nec ex dignitate Ciceronis. GRÆV.

Hi ſæpe verſutos homines, & callidos admirantes malitiam ſapientiam judicant) Nec id mirum. Etenim tam in verſuto, quam in prudente requiritur ſollertia. Ariſt. VI. Ethic. c. 7. quid inter prudentem, & verſutum interſit egregie docet, cum oſtendiſſet ſollertiam eſſe facultatem, quæ poſſit providere, quæ ad ſcopum propoſitum faciant, & valeat efficere, ut eum conſequamur: addit: Αν μεν ουν ὁ σκοπος η καλος, επαινετη εστιν. αν δε φαυλος, πανουργια. διο και τους φρονιμους δεινους, και πανουργους φαμεν ειναι. *Si ſcopus quidem ſit honeſtus, laudanda eſt ſollertia, ſi vero malus, eſt verſutia. Ideo & prudentes, & verſutos ſollertes eſſe dicimus.* Sollertia vero non eſt ipſa prudentia, ut vulgus judicat, quod pluribus ibi oſtendit. IDEM.

Opinioque omnis ad eam ſpem traducenda) Quidam libri *ſpem* pro *ſpeciem*: ſed mihi non placet. C. LANG. *Ad eam ſpem traducenda*) In multis libris eſt, *ſpeciem*, quam Marſus formam, Maturantius decorum, pulcritudinem, honeſtatem interpretatur. Sed tamen *ſpem*, ex veteribus codicibus magis placet: monet enim Cicero, homines in eam ſententiam perducendos eſſe, ut non aliter ſperent ſe ea, quæ cupiunt, aſſecuturos, quam ſi honeſti, ac juſti ſint. Videmus autem in his vocibus librarios propter abbreviationem, *Spes Species*, ſæpius lapſos eſſe. Ita in Verr. V. libri veteres recte habent: *Campus Leontinus, cujus antea ſpecies hæc erat*, &c. cum in vulgatis multis, *ſpes*, mendoſe legatur. FR. FABRIT. Quamquam voces *ſpes opinioque removenda eſt*, ſi proprius illis detur ſenſus, multum inter ſe differunt. Noſter tamen eas aliquando, quaſi idem ſignificantes, uſurpare videtur. Sic in Orat. pro Mur. c. 21. *Populi opinionem a ſpe adipiſcendi avertunt*. De Offic. III. 8. *Ex omni deliberatione celandi, & occultandi ſpes opinioque ſegreganda eſt*. In Orat. Verr Act. II. 51. *Iſte, qui jam ſpe, & opinione prædam illam devoraſſet*. PEARCE.

Partim ſunt inanima) In bonis exemplaribus neque horum, nec aliorum Ciceronis operum uſquam legitur, *animatus* aut *inanimatus*; ſed pro *animato*, *animal*; pro *inanimato*, *inanimum*. C. LANG. *Partim ſunt inanima*) Sic eſſe legendum primum libri veteres, deinde Nonius Marcellus, qui hunc locum profert, poſtremo uſus Latini ſermonis, pervincunt: non ut vulgo, *inanimata*. LAMBIN. *Inanima* ſunt αψυχα, *animalia* εμψυχα, quæ etiam, *animantia* a Cicerone dicuntur; pro quibus barbari homines *Animatum*, & *Inanimatum* in Tullii libros contra veterum fidem invexerunt, qua de re dixi in Annotationib. in Tuſcul. FR. FABRIT.

boves, reliquæ pecudes, apes, quarum opere efficitur aliquid ad hominum uſum, atque vitam. Ratione autem utentium duo genera ponuntur, unum deorum, alterum hominum: deos placatos pietas efficiet & ſanctitas; proxime autem, & ſecundum deos, homines hominibus maxime utiles eſſe poſſunt. Earumque rerum, quæ noceant, & obſint, eadem diviſio eſt. Sed quia deos nocere non putant, his exceptis, homines hominibus obeſſe plurimum arbitrantur; ea

Quarum opera efficitur aliquid ad hominum uſum) Sic edendum curavi, libris omnibus invitis, ſola ratione, & veritate fretus. Nam ſi, *opere*, legeremus, proinde habendum eſſet, atque ſi ita diceret, quarum effectu ſeu effecto efficitur aliquid. Nam, *opus*, eſt res effecta, *opera* autem, labor, qui ponitur in opere faciendo. Atque ita non ita multo poſt loquitur: *Pleraque ſunt hominum effecta operis*; & inferius: *Sine opera ho[illegible]inum ulla eſſe potuiſſet*. LAMBIN. *Opera*, non, *opere*, legendum eſſe, Lambinus prudenter animadvertit: eſt enim *opus* res effecta, *opera* labor, qui ponitur in opere faciendo: neque tamen iſta emendatio auctoritate librorum caret: nam & Victorius ex ſuis ita legit, & duo e manuſcriptis noſtris, *opera*, perſpicue habent non ſolum hîc, verum etiam pag. ſequentibus ſæpius. FR. FABRIT. Optimus meus probat *opere*, non *opera*, quæ non tam animalibus, quam hominibus tribuitur: nec ſcio unde Lambinus hanc hauſerit diſtinctionem. Nam, qui opus facit, rem effectam facit. Nihili hæc ſunt, nec recedendum eſt ab optimorum librorum fide. *Opere* eſt labore. GRÆV.

Ponuntur) Plerique MSi, inter quos optimi fere quoque habent *ponunt*; atque ante hoc verbum ſubintellige *homines*; & vide, quæ dixi in Nota ad I. 7. PEARCE.

Deos placatos pietas efficiet & ſanctitas) Seneca ep. 95. *Vis deos propitiare? bonus eſto. Satis illos coluit, quiſquis imitatus eſt.* Demophilus: *Δωρα και θυσιαι Θεον ου τιμωσιν, αναθηματα Θεον ου κοσμοι· αλλα το ενθεον φρονημα διαρκως συναπτει Θεῳ. χωρειν γαρ αναγκη το ὁμοιον προς το ὁμοιον.* *Munera, & victimæ nihil honoris Deo conferunt, neque ſuſpenſa templis donaria Deum ornant: ſed mens pia ſolide nos Deo conjungit. Nam ſimile ſimili adjungi neceſſe eſt.* Pietas autem, ut Cicero ipſe definit II. de Nat. Deorum, eſt *juſtitia erga Deum*, nimirum cultus divinus: *ſanctitas* vero non eſt ſcientia colendorum Deorum, ut multi hîc exponunt, ſed vita integra, ſceleriſque pura. GRÆV.

Quia Deos nocere homines non putant) Seneca hoc explicat ep. 95. *Quæ cauſa eſt diis bene faciendi? natura. Errat, ſi quis putat, illos nocere velle: non poſſunt: nec accipere injuriam norunt, neque facere. Lædere enim lædique conjunctum eſt.* Et paullo poſt: *Hi nec dant malum, nec habent: ceterum caſtigant quoſdam & coercent, & irrogant pœnas, & aliquando ſpecie boni puniunt.* Nam non nocet Deus, quando caſtigat. *Tunc maxime eſt optimus*, inquit Tertull. adverſus Marcionem lib. II. cap. 21. *cum tibi non bonus: ſicut ſol tibi, etiam quando non putas, optimus & utilis, & cum acrior & infeſtior, rationi tamen ſuæ par eſt.* IDEM.

His exceptis) I. e. ſi excipias Deos, quos philoſophi nocere hominibus non putant. Hoc cum Cicero dicit, non mihi videtur ſignificare, quod ne philoſophi illi ſignificabant, malos homines non a Diis pœna affici ſolitos eſſe. Dixerat enim antea: *Placatos Deos efficiet pietas, & ſanctitas*: hoc vero qui dicit, ſatis innuit, eoſdem Deos punire ſolere impios & profanos. Vide, quæ ad rem dicturus ſum in Nota ad III. 28. PEARCE.

Homines hominibus obeſſe plurimum arbitrantur) In aliis libris ante hæc verba additur, *his exceptis*, quod Langius,

Digitized by Google

ea enim ipſa, quæ inanima diximus, pleraque ſunt hominum operis effecta, quæ nec haberemus, niſi manus, & ars acceſſiſſent: nec his ſine hominum adminiſtratione uteremur; neque enim valitudinis curatio, neque navigatio, neque agricultura, neque frugum, fructuumque reliquorum perceptio, & conſervatio, ſine hominum opera ulla eſſe potuiſſet. Iam vero & earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, & earum, quibus egeremus, invectio, certe nulla eſſet, niſi his muneribus homines fungerentur; eademque ratione nec lapides e terra exciderentur ad uſum noſtrum neceſſarii: nec ferrum, æs, aurum, argentum effoderetur penitus abditum, ſine hominum labore, & manu.

4. Tecta vero, quibus & frigorum vis pelleretur, & calorum moleſtiæ ſedarentur, unde aut initio generi humano dari potuiſſent, aut poſtea ſubveniri, ſi aut vi tempeſtatis, aut terræ motu, aut vetuſtate cecidiſſent, niſi communis vita ab hominibus harum rerum auxilia petere didiciſſet? At deductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum irri-

gius, quia ludimagiſtri cujuſpiam lucernam olere videatur, ſuſtulit. Idem duas poſtremas voces, *vel prodeſſe*, prætermiſit, quod eæ a veteribus libris multis abſint, & otioſæ ſint, ut Balduinus quoque annotavit. Servius in XII. Æneidos ſic adducit: *Sed quia nocere deos non putant, his exceptis, homines hominibus obeſſe plurimum arbitrantur*. FR. FABRIT. *His exceptis*) Voces iſtæ, *his exceptis*, ludimagiſtri cujuſpiam lucernam olent: ideo eas eraſi. LANG. Invitis libris, accedente auctoritate Servii, non ſunt eradendæ. Exſtant ſane in Grævii primo, aliiſque omnibus, ſed *vel prodeſſe* non invenitur in MSis. GRÆV. *Homines hominibus obeſſe & prodeſſe plurimum*) Ita edit. Mogunt. & Rom. cum MSis Mill. Mead. ſec. & duobus MSis Oxon. Vulgo deſunt voces *& prodeſſe*, quas hîc deeſſe non debere apparet ex c. 5. *Cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin homines plurimum hominibus & proſint, & obſint*. Adde, quod, his deletis, in iis, quæ ſequuntur, nulla vis videtur eſſe conjunctionis *enim*. PEARCE.

Aut poſtea ſubvenire) *Subveniri* in unico exemplari ſcriptum reperi. Sed nec hoc quidem placet. Agit enim de ædificiis ipſis ruinoſis ſuffulciendis, & inſtaurandis. C. LANG. *Aut poſtea ſubvenire*) In verbo, *ſubvenire*; aliquid ulceris ſubeſſe puto: nonnulli veteres libri habent, *ſubveniri*, nihil præterea varietatis reperi: videtur aliud verbum deſiderari, nempe vel *refulciri*, vel *refici*, vel tale quoddam. LAMBIN. *Subveniri* eſt quoque in meo primo. Guilielmius putat reſcribendum eſſe *ſubmeniri*, aut *ſubmoliri*, ut *immoliri* apud Livium: *Quæ in loca publica inædificata, immolitave privati habebant*: ſed *ſubveniri*, quod meliores omnes libri præ ſe ferunt, eſt ſubſtitui in eorum, quæ aut corrupta, & labefactata ſunt, aut prorſus corruerunt, locum. GRÆV.

Adde ductus aquarum) Guilielmius in uno vetere libro invenit: *aut deductus aquarum*; unde conjecit, *at deductus aquarum*, quia hîc non de aquæ ductibus, ſed de aquis exundantibus deducendis ex locis, quæ coluntur ab hominibus, agatur. Quæ cum veriſſima ſint,

Digitized by Google

irrigationes, moles oppoſitas fluctibus, portus manu factos, quæ unde ſine hominum opera habere poſſemus? ex quibus, multiſque aliis perſpicuum eſt, qui fructus, quæque utilitates ex rebus iis, quæ ſunt inanimæ, percipiantur, eas nos nullo modo ſine hominum manu atque opera capere potuiſſe. Qui denique ex beſtiis fructus, aut quæ commoditas, niſi homines adjuvarent, percipi poſſet? nam & qui principes inveniendi fuerunt, quem ex quaque bellua uſum habere poſſemus, homines certe fuerunt: nec hoc tempore ſine hominum opera aut paſcere eas, aut domare, aut tueri, aut tempeſtivos fructus ex his capere poſſemus: ab eiſdemque & eæ, quæ nocent, interficiuntur, &, quæ uſui poſſunt eſſe, capiuntur. Quid enumerem artium multitudinem,

ſint, aquæ ductus enim tum demum invenit hominum ſollertia, cum frequentia incolarum, & luxu laborarent magnæ urbes; cumque & in meo primo, & in Pithœano ſic ſcribatur, *at deductus*, ſine mora id recepi: pro *deductus* alibi uſus eſt *deductio*. Topic. *Rivorum a fonte deductio*. Idem I. de Divin. *Ex quo illa admirabilis a majoribus Albanæ aquæ facta deductio eſt*.. Et ſic ibidem: *deducere in Albana: aqua deducta ad utilitatem agri ſuburbani*. Cum autem *ductus aquæ* dicatur, cur non dixerint *deductus aquæ*, quamvis hanc vocem, ut multas alias, lexici ignorent? Græv. At Victorii lectionem: *Adde ductus aquarum* confirmant MSi omnes fere mei, & Oxonienſes cum plurimis aliis. Sic etiam legitur in edit. Mogunt. & Rom. Nec aliter Noſter in c. 17. *Illæ impenſæ majores, muri, navalia, portus, aquarum ductus &c.* Ipſo Grævio fatente, vox *deductus* in lexicis Lat. non occurrit. Quam vocem ſi legamus, cum nihil de illis deductibus, molibus, portubuſque hic prædicetur, accuſativus erit caſus ſine verbo, a quo pendere poſſit. Pearce.

Portus manu factos) Sunt enim & portus naturales. Manu facti dicuntur *cothones*. Servius ad Virgil. I. Æn.

Hic portus alii effodiunt.

Id eſt, cothona faciunt. Cothona ſunt portus in mari non naturales, ſed arte, & manu facti: dici autem, & *cothonum*, & *cotho* ibidem oſtendit. Hirtius de bello Africano cap. 62. *Vigilia ſecunda Adrumeto ex cothone egreſſus, primo mane Leptin univerſa claſſe vectus*. Et ſequ. cap. *Adrumetum in cothonem ſe univerſæ contulerunt*: ubique male ſcribitur tamquam nomen proprium. Sic & portus Carthaginenſis *cothon* dicebatur per excellentiam, eratque tertia Carthaginis pars. Græv.

Quæ unde ſine hominum opera) Sic & editio Victorii, neque aliter antiquitus cuſi, niſi quod ii, *opere*. Vulgatiores, *quæ non ſine*. Guilielmius reſtituendum putabat, *quæſo unde*, quod repererat in editione veteri, ut e MS. deſumtum videretur. Gruter.

Quid enumerem artium multitudinem) Egregie Manilius lib. I.

At cum longa dies acuit mortalia corda
Et labor ingenium miſeris dedit, & ſua quemque
Advigilare ſibi juſſit fortuna premendo;
Seducta in varias certarunt pectora curas;
Et quodcumque ſagax tentando repperit uſus,
In commune bonum commentum læta dederunt;
Tunc & lingua ſuas accepit barbara leges,
Et fera diverſis exercita frugibus arva,
Et vagus in cæcum penetravit navita pontum,

Fecit

nem, ſine quibus vita omnino nulla eſſe potuiſſet? quis enim ægris ſubveniret: quæ eſſet oblectatio valentium, qui victus, aut cultus, niſi tam multæ nobis artes miniſtrarent? quibus rebus exculta hominum vita tantum diſtat a victu, & cultu beſtiarum. Vrbes vero ſine hominum cœtu non potuiſſent nec ædificari, nec frequentari: ex quo leges, moreſque conſtituti, tum juris æqua deſcriptio, certaque vivendi diſciplina; quas res & manſuetudo animorum conſecuta, & verecundia eſt: effectumque, ut eſſet vita munitior; atque ut dando, & accipiendo, mutandiſque facultatibus, & commodis, nulla re egeremus.

5. Longiores hoc loco ſumus, quam neceſſe eſt. Quis eſt enim, cui non perſpicua ſint illa, quæ pluribus verbis a Pa-

Fecit & ignotis itiner commercia terris.

Et de eadem re Gratius in Cynegetici initio:

Hinc (a ratione) *omne auxilium vitæ, rectuſque reluxit*
Ordo: & contiguas didicere ex artibus artes
Proferere.

Vide & Grot. II. de Iure Belli & Pacis c. 2. § 2. & ibi ejus notas. GRÆV.

Quis enim ægris ſubveniret) *Quid enim* eſt in antiquis, ut Balduinus quoque admonuit: in multis etiam libris *miniſtrarent* legitur, non, *miniſtrarentur*. FR. FABRIT. Editiones Mogunt. & Rom. cum MSis Mill. Cant. Lameth. tribus Regiis, & pleriſque MSis Oxon. habent *quid*: quod eo magis ſe mihi commendat, quia non in ſequente ſententia dicitur *oblectator*, ſed *oblectatio*: nempe de re, non de perſona ſermo eſt. PEARCE.

Miniſtrarent) I. e. miniſtrarent nobis id, quod ægris ſubveniret, & quod oblectationi eſſet valentibus. Non opus eſt igitur, ut legamus cum quibuſdam *miniſtrarentur*. IDEM.

Quibus rebus exculta hominum vita tantum diſtitit a victu) Sic edendum curavi, libris omnibus invitis. Nam, *diſtitit*, præteritum eſt verbi, *diſto*: quod verbum hic locum habet. *Diſtare* enim, eſt longe abeſſe, & disjunctum eſſe: *deſtitit* autem, oritur a verbo *deſiſto*: quod valet, deſino. LAMBIN. *Tantum diſtitit a victu*) *Diſtitit*, recte legitur in manuſcripto Santenſi, a verbo *diſto*, quod huic loco proprium eſt, cum, *deſtitit*, a *deſiſto*, ſit alienum; quod Anemœcius quoque vidit, atque, *diſtat*, ex ſui libri auctoritate emendavit. FR. FABRIT. Recte Lambinus, & Fabritius, Santenſi præſertim libro conjecturam hanc muniente, & extra dubitationis aleam ponente. Meus vero primus æque, ut Auguſtanus Anemœcii, *tantum diſtat a victu*, quod tamquam mollius, & Ciceronis munditiei convenientius ſequor. GRÆV.

Ex quo) I. e. ex quo cœtu, vel (ſi malis) ex eo, quod urbes ædificantur, & frequentantur. PEARCE.

Per quas bene beateque vivitur) Hæc verba, ut in Manutianis editionibus leguntur, ita Lambinus ea reliquit: in noſtris tamen manuſcriptis, & iis, quos Balduinus habuit, non leguntur; itaque Victorius, & Langius ea merito deleverunt: quæ Camerarius quoque ex interpretatione irrepſiſſe exiſtimat. FR. FABRIT. Nec in Grævii, nec in Pal. MSo habentur. GRÆVIUS.

Mutandiſque facultatibus, & commodis) In vulgatis libris eſt, *permutandis*, in vetuſtis, & apud Nonium in verbo *Commodare*, *mutandis*: de quo verbo diximus ad librum primum. Nonius præterea pro *commodis*, legit, *commodan-*

Digitized by Google

a Panætio commemorantur, neminem neque ducem belli, nec principem domi, magnas res & ſalutares ſine hominum ſtudiis gerere potuiſſe? Commemoratur ab eo Themiſtocles, Pericles, Cyrus, Ageſilaus, Alexander, quos negat ſine adjumentis hominum tantas res efficere potuiſſe. Vtitur in re non dubia teſtibus non neceſſariis. Atque ut magnas utilitates adipiſcimur conſpiratione hominum, atque conſenſu; ſic nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur. Eſt Dicæarchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni, & copioſi: qui, collectis ceteris cauſis, eluvionis, peſtilentiæ, vaſtitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam hominum

dandis, & pro mutuandis uſurpari ſcribit, unde conjectura ad ſuſpicandum ducor, a Cicerone fortaſſe ſcriptum eſſe: *Mutandiſque facultatibus, & commodandis*; ut hæc quoque inter ſe conferantur, ſicut, *dando, & accipiendo*. Fr. Fabrit.

Neque ducem belli, nec principem domi) Sic eſt emendatum in uno ex manuſc. noſtris: ceteri cum Victorianis, Langianis, & aliis, *bello*, habent. Manutius, *in bello*, edidit: *Belli, & domi*, Cicero aliis quoque locis conjungit, ut infra ad finem hujus libri: *Preterea quibuſcumque rebus, vel belli, vel domi potuerunt, remp. augeant*. Et in Bruto: *Omiſſis illis divinis conſiliis, quibus ſæpe conſtituta eſt imperatorum ſapientia ſalus civitatis aut belli, aut domi*. Fr. Fabrit. Approbat *belli* meus primus, cum Palatino primo. Exempla congerere putidum eſt. Grævius.

Magnas res, & ſalutares ſine hominum ſtudiis gerere potuiſſet) Plato ad Dionem epiſtola: Μη λανθανετω σοι, διοτι το αρεσκειν τοις ανθρωποις, και το πραττειν εστιν· ἡ δ' αυθαδεια ερημια ξυνοικος. *Memento neceſſariam eſſe ad res gerendas hominum benevolentiam: auſteritas vero ſolitudinem amicorum parit*. Idem. *Sine hominum ſtudiis*) I. e. voluntatibus ad eum adjuvandum propenſis. Pearce.

Collectis ceteris cauſis, eluvionis &c.) Non collegit *cauſas eluvionis &c.* ſed eluviones, peſtilentias, vaſtitates, belluarum repentinas multitudines memoravit, eaſque omnes cum hominum impetu comparavit. Si qui igitur faverent MSi, libenter legerem, *eluvionibus, peſtilentiis, vaſtitatibus, belluarum repentinis multitudinibus*: poſt verba *ceteris cauſis*, ſubintelligendum eſt *interitus hominum*; quod cum ignorarent librarii, videntur ſequentia immutaſſe. Idem.

Sic nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur) Senec. ep. 103. *Rari ſunt caſus, etiamſi graves, naufragium facere, vehiculo everti: ab homine homini quotidianum periculum. Adverſus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere. Nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempeſtas minatur, antequam ſurgat: crepant ædificia, antequam corruant: prænuntiat fumus incendium: ſubita eſt ex homine pernicies, & eo diligentius tegitur, quo propius accedit. Erras, ſi iſtorum tibi, qui occurrunt, vultibus credis: hominum effigies habent, animos ferarum*. Vide plura, ut & rationem, qua vitare poſſimus hæc pericula, nimirum ſi commodis omnium lætemur, moveamur incommodis, & meminerimus, quæ præſtare debeamus, quæ cavere. Hæc ſi non efficiunt, ut ne nobis noceatur, ſaltem efficere, ne nos fallant. Græv.

Quarum impetu docet quædam hominum genera eſſe conſumta) Sic ranæ, & mures per-

Digitized by Google

minum genera eſſe conſumta ; deinde comparat , quanto plures deleti ſint homines hominum impetu, id eſt, bellis, aut ſeditionibus, quam omni reliqua calamitate. Cum igitur hic locus nil habeat dubitationis , quin homines plurimum hominibus & proſint, & obſint : primum hoc ſtatuo eſſe virtutis, conciliare animos hominum, & ad uſus ſuos adjungere. Itaque, quæ in rebus inanimis, quæque in uſu & tractatione belluarum fiunt utiliter ad hominum vitam, artibus ea tribuuntur operoſis : hominum autem ſtudia ad amplificationem noſtrarum rerum promta ac parata, virorum præſtantium ſapientia , & virtute excitantur . Etenim virtus omnis tribus in rebus fere vertitur: quarum una eſt in

perdiderunt Antariatas, ac ſolum vertere coegerunt. Iuſtinus lib. XV. *Caſſander ab Apollonia rediens incidit in Antariatas* (ſic enim legendum, non *Abderitas* , ut jam alii quoque monuerunt) *qui propter ranarum*, *muriumque multitudinem* , *relicto patriæ ſolo* , *ſedes quærebant*. Hi ſunt illi populi , qui circa Pæoniam, & Dardaniam habitantes a ranis miſerum in modum coacti ſunt, relictis penatibus, novas ſedes quærere, ut ex Heraclide Lemb. prodidit Athenæus lib. VIII. Sic & M. Varro auctor , *ab ranis civitatem in Gallia pulſam*, teſte Plin. VIII. 29. Chalcidenſes , & Megarenſes fugarunt mures , teſtante Æliano , & Heraclide in Politiis. In Latio Amyclas a ſerpentibus deletas tradunt Varro, & Plinius . In Æthiopia regionem cultiſſimam, & frequentiſſimam vaſtavit , & in ſolitudinem redegit ſcorpionum, & phalangiorum ſubito ſupervenientium ingens copia , Ælian. VII. cap. 40. Myuſios in Aſia, & Atarnitas infra Pergamum repente coorta culicum vis expulit ex patria , Pauſan. in Achaicis : Rhaucios apum , Ælian. XVII. 37. Phaſelitas veſparum, Idem XI. 28. quæ debentur Samueli Bocharto , qui hæc & alia collegit huc pertinentia lib. IV. tom. II. Hierozoici cap. 13. GRÆVIUS . Inuſitato modo dicitur *quædam hominum genera*, pro *quaſdam gentes*. PEARCE.

Proprium hoc ſtatuo eſſe virtutis) Longe melius & rectius meus , & Palatinus primus : *Primum hoc ſtatuo eſſe virtutis* , hoc eſt , virum fortem , & ſtudio res magnas gerendi inflammatum cæteras omnes curas huic poſthabere debere , hominum animos , & benevolentiam ſibi ut conciliet . GRÆVIUS.

Quæque in uſu & tractatione belluarum) In Palatino ſecundo , duobus Guilielmii , duodecim Manutii, editione Victorii , & Langii non legitur *uſu &* . Sed in Palatino, nec non meo primo hæc verba habentur : pro *quæque* autem in meo ſcribitur *quæ*. Itaque religioni mihi fuit ea cum Victorio , & Langio delere . *Quæ in uſu & tractatione belluarum fiunt utiliter ad hominum vitam* , ſunt quæ ex belluis, quibus utimur, & quas alimus & tuemur, commoda & utilitates percipimus , quod præcedente capite dixit : *Belluas aut paſcere, aut domare, aut tueri, aut tempeſtivos fructus ex his capere*. In eod. cap. *Quem ex quaque bellua uſum habere poſſemus* . GRÆV. Edidit Grævius *in uſu & tractatione* auctoritate MSi Pal. pr. & alterius ſui, quibus aſſentitur MSus Mill. At cum voces *uſu &* abſint ab Edit. Mogunt. Victor. & Langii , & a MSis ſex meis, totidem Oxon. & innumeris fere aliis , eas ejiciendas eſſe judico ; præſertim cum ſenſui, his ejectis, ſatis ſit. PEARCE.

Etenim virtus omnis tribus in rebus &c.) Hæc, & quæ ſequuntur uſque ad *humanitasque patitur*, ni obſtarent MSi Codices , libenter a Cicerone abjudicarem

in perſpiciendo, quid in quaque re verum ſincerumque ſit, quid conſentaneum cuique, quid conſequens, ex quo quidque gignatur, quæ cujuſque rei cauſa ſit: alterum, cohibere motus animi turbatos, quos Græci πάθη nominant, appetitioneſque, quas illi ὁρμὰς, obedientes efficere rationi: tertium, iis, quibuſcum congregamur, uti moderate, & ſcienter, quorum ſtudiis ea, quæ natura deſiderat, expleta, cumulataque habeamus: per eos denique, ſi quid importetur nobis incommodi, propulſemus, ulciſcamurque eos, qui noce-

parent, tamquam ipſi ab otioſo aliquo Scholiaſte adſuta. Quid enim? Primo, importune, ubi minime opus fuit, divagatur in *virtutis* explicatione, cum de ea re Noſter in ſuperioribus abunde ſatis egerat; deinde ipſi Ciceroni adverſatur in virtutum *diviſione*, cum eas *intra trium rerum* ſpatia concludat, quas Cicero accuratius in *quatuor* ſedes diſcreverat. Ita in I. 5. *Omne quod honeſtum, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perſpicientia veri &c. Quæ quatuor quamquam inter ſe colligata, atque implicata ſunt, tamen ex ſingulis certa officiorum genera naſcuntur: velut ex ea parte, quæ prima deſcripta eſt, ineſt indagatio atque inventio veri; ejuſque virtutis hoc munus eſt proprium . . . . Reliquis autem tribus virtutibus neceſſitate &c.* Idem iterum c. 34. *Cum omnis honeſtas manet a partibus quatuor, quarum una ſit cognitionis, altera &c.* Conferantur etiam cap. 27. & 29. Ex quibus ſane liquet, aut Ciceronem a ſeipſo in his verbis diſſidere plurimum, aut alium neſcio quem in hoc loco laciniam ex ingenio ſuo attexuiſſe. Quid quod ita turbate atque exiliter virtutes ibi ſummæ, quæ dicuntur *communitatis*, exprimantur, ut ſcioli potius gloſſam ſapiant, quam vim Tullianam? CHAPMAN.

Ex quo quæque gignantur) Meus primus, ut & ejuſdem loci Palatinus: *ex quo quidque gignatur*; & ſic ſcripſiſſe Tullium verba ſequentia ſunt argumento: *quæ cujuſque rei cauſſa ſit*. GRÆV.

Motus animi turbatos) Græv. prim. *motus animi perturbatos*. IDEM.

Per eos denique ſi quid importetur) Meus, & Pal. prim. *per eoſdemque ſi quid importetur*. Eadem varietas eſt in capite præcedente: *Ab eiſdemque, & ea quæ nocent*. Et eſt idem in MSS. ductus litterarum: ſed vulgatam non ſperno: *denique* enim cum apud Ciceronem, tum apud alios eſt frequenter id, quod aliter dicitur, ut uno verbo dicam, Gallis *enfin*. In cap. præced. *Qui denique ex beſtiis fructus, aut quæ commoditas, niſi homines adjuvaret, percipi poſſet?* Flor. l. XVI. *Denique bis floribus vernat*. Exempla locis in aliis attulimus plura. GRÆV. Sequor lectionem Victorii, & MSorum ſeptem meorum, quinque Oxonienſ. itemque aliorum, qui habent *per eoſdemque*. De copula *que* poſt ſecundam vocem poſita, vide notam meam ad l. 1. de Orat. cui addere poterit Lector I. 44. *ob eamque etiam cauſam*, & multa alia, quæ occurrunt exempla. PEARCE.

Vlciſcamurque) Vox *ulciſci* hic idem valet ac punire ſive pœna afficere. Aliquando tamen is dicitur *ulciſci aliquem*, qui pœnas injuriarum acceptarum illius nomine ab hoſtibus exigit. Sic in Virg. Æn. VII. 841.

Vltus avos Trojæ, templa & temerata Minervæ.

Ib. II. 75.

---- *Subit ira cadentem Vlciſci patriam*.

Sed de hoc ſatis; ne videar (ut cum ipſo Cicerone loquar) *in re non dubia uti teſtibus non neceſſariis*. IDEM.

Tan-

nocere nobis conati ſunt, tantaque pœna afficiamus, quantam æquitas, humanitaſque patitur.

6. Quibus autem rationibus hanc facultatem aſſequi poſſimus, ut hominum ſtudia complectamur, eaque teneamus, dicemus, neque ita multo poſt; ſed pauca ante dicenda ſunt. Magnam vim eſſe in fortuna in utramque partem, vel ſecundas ad res, vel adverſas, quis ignorat? nam & cum proſpero flatu ejus utimur, ad exitus pervehimur optatos:

Tantaque pœna afficiamus, quantam æquitas humanitaſque patitur) Nam modum etiam in puniendo poſſumus excedere. Ariſtides Leuctrice prima: Εστι γαρ εστι και αμυνομενους αμετρως αδικειν. καν τις ους τας τιμωριας αναπληροι, προς τ' αδικηματα τουτοις υπερβη δευτερος, αρχει παλιν. *Poſſunt ſane, poſſunt etiam, qui ſe vindicant injuſti eſſe, ſi modum excedunt. Nam & qui in puniendo progreditur ad id, quod iniquum eſt, ſecundus eſt injuriæ auctor.* Vide Grot. II. de Iure Belli & Pacis cap. 20. §. 2. & 28. & III. lib. cap. 11. §. 1. Hinc quo magis barbaræ gentes tanto immanioribus, & aſperioribus æquo pœnis utuntur: contra de Romanis Livius l. XXVIII. *Nulli gentium mitiores placuiſſe pœnas*: loquitur de Metio Fufetio quadrigis diſtracto, quam pœnam tamquam graviorem & acerbiorem juſto & æquo deteſtatur: *Avertere omnes a tanta fœditate ſpectaculi oculos. Primum ultimumque illud ſupplicium apud Romanos exempli parum memoris legum humanarum fuit: in aliis gloriari licet, nulli gentium mitiores placuiſſe pœnas.* GRAEV.

Hanc facultatem aſſequi) I. e. hanc tertiam rem, in qua virtus vertitur: de qua in extrema præcedentis capitis parte Cicero locutus eſt: *Tertium iis, quibuſcum congregati uti moderate &c.* PEARCE.

Magnam vim eſſe in fortuna in utramque partem, vel ſecundas ad res, vel adverſas) Fortunam gentiles ſaniores vocarunt divinam providentiam cuncta gubernantem. Ea enim fortunæ adſcribunt, quorum cauſſas ignorant homines, & quæ quaſi divinitus contigiſſe videntur. A Deo vero cuncta proficiſci, veterrimi quique viderunt. Homer. Od. δ.

Ζευς αγαθον τε, κακον τε διδοι.

A Iove omne bonum, malumque.

Quod Sophocles ſic expreſſit in Ajace Lorario:

Συν τῳ θεῳ πας και γελᾳ, κωδυρεται.

Quivis dolet, vel ridet, ut viſum Deo.

M. Antonin. lib. I. Τα των Θεων προνοιας μεστα. Τα της τυχης ουκ ανευ φυσεως, η συγκλωσεως, και επιπλοκης των προνοιᾳ διοικουμενων. *Deorum opera providentiæ plena ſunt. Quæ fortunæ adſcribuntur, non abſque naturæ ope proveniunt, nec ſine fatali illo contextu, complexuque rerum, quæ a providentia adminiſtrantur.* Merito igitur magna vis adſignatur fortunæ, hoc eſt divinæ diſpenſationi.

Ρ'εια μεν γαρ βριαει, ῥεια δε βριαοντα χαλεπτει.
Ρ'εια δ' αριζηλον μινυθει, και αδηλον αεξει
Ρ'εια δε τ' ιθυνει σκολιον, και αγηνορα καρφει
Ζευς ὑψιβρεμετης.
Facile enim extollit, facile etiam elatum deprimit:
Facile præclarum minuit, & obſcurum ornat,
Facileque corrigit pravum, & ſuperbum attenuat
Jupiter altitonans.

Quanta vero vis ſit fortunæ, docet in primis Plutarchus in duobus libellis de virtute & fortuna Romanorum, & Alexandri Magni. GRAEV.

Ad exitus provehimur optatos) Libri veteres habent, *pervehimur*, quos nunc ſequor. LAMBIN. *Ad exitus provehimur optatos*) Annotat Lambinus, libros vete-

tos: & cum reflavit, affligimur. Hæc igitur ipſa fortun ceteros caſus rariores habet, primum ab inanimis procel las, tempeſtates, naufragia, ruinas, incendia: deinde, beſtiis ictus, morſus, impetus. Hæc ergo, ut dixi, rario ra. At vero interitus exercituum, ut proxime trium, ſæp multorum; clades imperatorum, ut nuper ſummi, ac ſingularis viri; invidiæ præterea multitudinis, atque ob eas bene meritorum ſæpe civium expulſiones, calamitates, fugæ; rurſuſque ſecundæ res, honores, imperia, victoriæ, quamquam fortuita ſunt, tamen ſine hominum opibus, & ſtudiis neutram in partem effici poſſunt. Hoc igitur cognito, dicendum eſt, quonam modo hominum ſtudia ad utilitates noſtras allicere, atque excitare poſſimus; quæ, ſi longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparetur, ita fortaſſis etiam brevior videbitur. Quæcumque igitur homines homini tribuunt ad eum augendum, atque honeſtandum, aut benevolentiæ gratia faciunt, cum aliqua de cauſa quempiam diligunt: aut honoris, ſi cujus virtutem ſuſpiciunt, quemque dignum fortuna quam ampliſſima putant: aut cui fidem habent, & bene rebus ſuis conſulere arbitrantur,

veteres habere, *pervehimur*, quomodo Victorius, & Langius ediderunt, noſtri libri manuſcripti cum Manutianis, *provehimur*, probant. *Reſtare* autem eſt *αντιπνειν*: quo verbo accuratiſſimus ſcriptor Dionyſius Halicarnaſſeus lib. III. Originum ſic utitur: *Ε'τερα παλιν αντιπνευσασα τοις των Ρ'ωμαιων κατωρθωμασι τυχη τουτων μεν εταπεινωσε τας ελπιδας, τα δε των πολεμιων φρονηματα επηρε*. *Alius rurſum adverſus caſus Romanorum ſpes dejecit, & hoſtium animos erexit*. Fr. Fabr.

Tamen ſine hominum operis & ſtudiis) Etiam hoc loco ſic legendum cenſeo: niſi quis forte malit legi, *ſine hominum opibus*: quo modo ſcriptum repperi in uno codice manuſcripto, & in aliquot exemplis vulgatis. Lambin. *Sine hominum operis, & ſtudiis*) Sic legendum cenſet Lambinus, *operis*, inquam, non *operibus*, ut eſt in libris vulgatis, & manuſcr. non modo noſtris, verum etiam Langianis: *opibus* tamen, quod Victorius edidit, & Lambinus in uno codice ſcripto reperit, magis placet. Sic apud Cæſarem lib. I. de Bello Civili in libro antiquo legitur: *Se vero, ut opibus anteire ſtuduerit, ſic juſtitia & æquitate velle ſuperare*; ubi impreſſi habent: *Se vero, ut operibus ante ſtuduerit*. Fr. Fabrit. Græv. primus æque ut Victorii ed. *Sine hominum opibus, & ſtudiis*. Græv.

Quemque dignum fortuna quam ampliſſima putant) Sic recte meus primus, Palat. & tres Guilielm. nec non Victor. & Lang. & Rom. edd. Vulgati male: *& ſi quem dignum*; hæc enim prioribus annectenda ſunt. Tales autem, de quibus Cicero hîc loquitur, initio rerum fuerunt, quos ad regiæ majeſtatis faſtigium non ambitio popularis, ſed ſpectata apud bonos moderatio provexerat, ut Juſtinus ait lib. I. Idem.

Aut

Digitized by Google

tur: aut cujus opes metuunt: aut contra a quibus aliquid exſpectant, ut cum reges, populareſve homines largitiones aliquas proponunt: aut poſtremo pretio ac mercede ducuntur: quæ ſordidiſſima eſt illa quidem ratio, & inquinatiſſima, & iis, qui ea tenentur, & illis, qui ad eam confugere conantur. Male enim ſe res habet, cum, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. Sed quoniam nonnumquam hoc ſubſidium neceſſarium eſt, quemadmodum ſit utendum eo dicemus, ſi prius iis de rebus, quæ virtuti propiores ſunt, dixerimus. Atque etiam ſubjiciunt ſe homines imperio alterius, & poteſtati de cauſis pluribus; ducuntur enim aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine,

Aut cujus opes metuunt) Hoc eſt potentiam, & hi ei ſe dedunt & ſubjiciunt, ut Romanis ſe dediderunt olim Campani, Faliſci, Samnites apud Livium. Vide Grotium libro I. de Iure Belli & Pacis cap. 3. §. 8. & lib. II. cap. 5. § 31. IDEM.

A quibus aliquid exſpectant) Vt Ægyptii, qui tempore famis, quo uterentur, exſpectantes a Rege, ſe ſuoſque poſteros in perpetuam ſervitutem ei addicebant. Vide Grot. lib. I. cap. 3. §. 8. IDEM.

Largitiones aliquas proponunt) Vt in rep. Romana Gracchi, Iulius Cæſar, aliique, propoſitis legibus agrariis, frumentariis, aliiſque hujus generis, de quibus Flor. lib. III. cap. 13. & ſequentibus, ac Sueton. in Iulii vita. IDEM.

Que ſordidiſſima eſt illa quidem ratio) *Sordidiſſima eſt illa quidem*, libri veteres: eſt autem elegans, & notum genus dicendi, quod locis quibuſdam trajectione eſt deformatum, ut Philip. VII. ubi vulgo legitur: *Cum C. Ceſari meritos quidem illi honores & debitos, ſed tamen immortales & ſingulares decreviſſis*. Ferrarius mavult: *Meritos quidem illos honores*. Faernus ex antiquo illo Vaticano libro reſtituit: *Meritos illi quidem honores*. FR. FABRIT. Edit. Mogunt. & Rom. delent vocem *illa*, quæ commode abeſſe potuit: ſed ad hunc modum alibi Cicero locutus eſt, ut in III, 17. *Eaque malitia, que vult illa quidem videri, ſe eſſe prudentiam*. PEARCE.

Male enim ſe res habet, cum, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia) Magiſtratum enim qui emit, quæſtui habet; & longe præſtat eos reip. præeſſe, quos virtus & ſcientia remp. gubernandi ad dignitates extollit. Ariſtot. II. Pol. 9. Φαυλον το τας μεγιςας ωνητας ειναι των αρχων, την τε βασιλειαν, και την ςρατηγιαν. εντιμον γαρ ὁ νομος ὗτος ποιει τον πλετον μαλλον της αρετης, και την πολιν ὁλην φιλοχρηματον. *Vitioſum certe ſummos magiſtratus eſſe venales, regnum, & belli preturam. Nam hec lex facit, ut divitie majore ſint in pretio, quam virtus, totaque civitas ut avaritie ſit dedita.* Et poſt: Εθιζεσθη δε ευλογον κερδαινειν τες ωνεμενες, όταν δαπανησαντες αρχωσιν. *Rationi conſentaneum eſt, eos, qui magiſtratum emerunt, velle, ex illo queſtum facere, quoniam ſumtus in illo comparando impenderunt.* Sic enim locus ille vertendus. GRÆV.

Aut beneficiorum magnitudine) Vid. & V. Polit. 10. & Lactant. I. Inſtitut. Divin. c. 15. IDEM. Opinor, Ciceronem ſcripſiſſe: *aut benevolentia, & beneficiorum magnitudine*. Ex verbis enim ante occurrentibus patet, eum ſex ſolum cauſſas memoraſſe: at ſi *benevolentia* a *magnitudine beneficiorum* diſtinguenda ſit, ſeptem hic cauſſæ proferuntur. Adde, quod antea dixerat: *Aut benevolentie gratia faciunt, cum ali-* qua

Digitized by Google

ne, aut dignitatis præſtantia, aut ſpe, ſibi id utile futurum, aut metu; ne vi parere cogantur, aut ſpe largitionis, promiſſiſque capti; aut poſtremo, ut ſæpe in noſtra repub. videmus, mercede conducti.

7. Omnium autem rerum nec aptius eſt quidquam ad opes tuendas, quam diligi, nec alienius, quam timeri. Præclare enim Ennius; *Quem metuunt, oderunt: quem quiſque odit, periiſſe expetit.* Multorum autem odiis nullas opes poſſe obſiſtere ſi antea fuit ignotum, nuper eſt cognitum. Nec vero hujus tyranni ſolum, quem armis oppreſſa pertulit civitas, paret quæ cum maxime mortuo, interitus decla-

qua de cauſſa quempiam diligunt; ut vero homo diligatur, tam *magnitudo beneficiorum*, quam *benevolentia* in cauſſa eſt. Noſtram etiam conjecturam videntur ea firmare, quæ infra in c. 9. dicuntur: *Benevolentiæ precepta videamus, que quidem beneficiis capitur maxime*, PEARCE.

Aut ſpe ſibi id utile futurum) Novo nomini addit verbum. Quis enim auſit ita loqui: venio huc ſpe, te mecum iturum ad cœnam? Mollius tamen eſt, cum additur *ducitur ſpe*, *ductus ſpe*. Nam *ſpes eſt*, pro *ſpero* ſatis uſitatum. ERASMVS. *Spe ſibi id utile futurum*) Novum hoc Eraſmo videtur: cum tamen alibi quoque ita loquatur: ut lib. I. de Finib. *Semper ait aliquid tum vi ſua atque natura, quod tranquillet animos, tum ſpe nihil earum rerum defuturum, quas natura depravata deſiderat*. FR. FABRIT.

Spe largitionis, promiſſionibuſque capti) Sic edidit Langius, & melius quidem, quam ut eſt in vulgatis: *Spe largitionis promiſſioniſque capti*. F. FABRIT. Sic & Pal. prim. tres Guilielm. aliique. Sed optime meus primus: *ſpe largitionis promiſſiſque capti*. GRÆV.

Nec aptius eſt quidquam ad opes tuendas, quam diligi) Vnde Claudian. IV. Conſul. Honor.

Non ſic excubiæ, nec circumſtantia tela,
Vt tutatur amor.

Et Seneca de Clementia cap. 19. *Vnum eſt inexpugnabile munimentum, amor civium*. IDEM.

Nec alienius quam timeri) Nam *fruſtra ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus caritate non fuerit: armis enim arma irritantur*, inquit vere Plin. Paneg. cap. 49. IDEM.

Quem armis oppreſſa pertulit civitas, interitus declarat) Duo alioqui vetuſtiſſima exemplaria habent, unum quidem: *quem armis oppreſſa pertulit civitas, apparet, cujus maxime oportuit interitus declarat*; alterum: *quem armis oppreſſa pertulit civitas apparet, cujus maxime opportune interitus declarat*. Fortaſſis ita legi poſſit: *Apparet, cujus maxime oportuit interitu, quantum* &c. C. LANG. Hunc locum mutilum eſſe Guilielmius quoque vidit indicio variæ lectionis, quæ in MSis reperitur. In ſuis ſcribebatur: *Quem armis oppreſſa pertulit civitas, apparet cujus maxima portui interitus declarat*. Palat. ſec. *Civitas, apparet cujus maxime protervi interitus declarat*. Guilielmius conjiciebat: *Pertulit civitas, apparere cuivis maxime potuit, quantum odium* &c. In excerptis Pithœi: *Pertulit civitas, apparet cujus maxime mortui opportune*. Mutilum eſſe locum nullum eſt dubium. Veſtigia veri in omnibus veteribus libris, ex quibus hæc verba corrupta non ſunt exciſa, extant. Sed id nulla vi humani ingenii, quacumque ſit ſollertia, poteſt deprehendi ſine ope melioris libri. Is vero eſt meus divinus, ceteris omnibus præſtantior, in quo legas: *Oppreſſa pertulit civitas, paret, quæ cum maxime mortuo, interitus declarat*. Hæc utique Ciceronis manus eſt. Nihil argutius: ſed acumen hujus

declarat, quantum odium hominum valeat ad peſtem: ſed reli-

jus ſententiæ cum non caperent librarii, orta ſunt tanta in recentioribus libris prodigia ſcripturæ. *Paret, quæ cum maxime mortuo*, eſt, quæ hoc ipſo tempore, quamvis extinctus ſit tyrannus, mortuo tamen paret, hoc eſt Antonio, & ejus ſatellitibus, qui Cæſaris acta confirmant, &, ne reſcindantur, neve libertas oppreſſa inſtauretur, impediunt. Hoc eſt, de quo tantopere queritur in epiſtolis ad Atticum, tyrannum eſſe ſublatum, ſed non tyrannidem, nondum ſervitutis jugum excuſſum eſſe. Nota ſunt loca, quorum nonnulla ſuperius ad prooemium hujus libri a viris doctis ſunt allata. Neſciverunt interpolatores, quomodo civitas poſſit dici *parere mortuo*, & quid ſit *cum maxime*. Hinc illæ labes, quibus inquinati ſunt libri. *Parere mortuo* dicitur civitas, cujus inſtituta, leges, decreta, diſciplinam civilem obſervat. Parebat mortuo tyranno Roma, cum ei columnam poneret in foro Numidici lapidis, eique inſcriberet: *Patri patriæ*. Parebat civitas mortuo, cum tyranni fautores, & amicos, pateretur in imperiis eſſe, tyrannicidas, qui orbis terræ cuſtodiis ſepti debebant eſſe, parietibus contineret. Parebat mortuo, cum omnia tyranni facta defenderet, cum ne contra Cæſaris nutum quiſquam hiſcere auderet, cum fundos, domos, poſſeſſiones præſtantiſſimorum civium a Cæſare occupatas pateretur poſſideri a verberonibus illis, quibus erant a Cæſare addictæ. Parebat mortuo, cum acciperet leges poſt ejus mortem, quas Antonius mentiebatur a Cæſare in comitiis latas. Vide ep. 12. lib. XIV. ad Atticum, & totum illum librum. In ep. 9. ſic exclamat: *O dii boni! vivit tyrannis, tyrannus occidit? ejus interfecti morte lætamur, cujus facta defendimus?* Si tyrannis vivit occiſo tyranno, paret tyranno mortuo civitas. *Cum maxime*, eſt hoc ipſo tempore, in præſenti. Seneca de beneficiis III. 3. *Nemo noſtrum novit id tempus, quod cum maxime tranſit, ad præterita rari animum retorquent*. Cic. de Haruſp. Reſponſis: *Antiqua negligimus, etiam ne ea negligemus, quæ fiunt cum maxime?* ſic recte ex MSis emendavit Zinzerlingius, vulgo male *maxime*: hinc ſæpe cum *nunc* tamquam ſynonymum jungitur apud Comicos. Terent. Adelphis IV. 1. *Nunc cum maxime operis aliquid facere credo*. Alia attuli exempla in notis ad epiſtolas ad Atticum. Sed inprimis videndus Iuſtus Zinzerlingius, civis meus, qui fuit politiſſimi ingenii homo, in Promulſide Critica cap. 22. qui primus harum particularum minus tritam notionem obſervavit, & multis aſſeruit ſcriptoribus. Sed in ipſo Tullio mallem, *quæ* præponi *τῷ paret*, & addi copulam abſorptam: *Quæque paret cum maxime mortuo*. Verum a ſcripto ne latum unguem diſcedo. GRÆV. Grævio locum hunc a pluribus mendis purgatum debemus: at mihi videtur non omnem labem adhuc ſublatam eſſe. Quo enim ſenſu dicitur Romana civitas pertuliſſe Cæſarem, cum in ea media, quamvis armis oppreſſa, a conjuratis interfectus eſſet? *Perferre*, eſt patienter ferre, ut in I. 31. *Contumelias ſervorum ancillarumque pertulit*. Et in Virg. Æn. IV. 419.

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem,
Et perferre, ſoror, potero.

At cum Cicero de interitu Cæſaris hîc dicturus eſt, credas, eum ita locutum eſſe, ut doceret civitatem pertuliſſe Cæſarem? Arbitror, illum ſcripſiſſe: *quem armis oppreſſa non pertulit civitas* &c. Nec aliter idem locutus eſt de Vrbis Romæ animo in Cæſarem in ep. ad Fam. XII. 1. *An quod ei mortuo paret, quem vivum ferre non poterat? cujus æra refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus?* Poſterioribus hiſce verbis manifeſtum eſt, Ciceronem, cum diceret, civitatem Cæſari *mortuo paruiſſe*, hoc voluiſſe, civitatem acta Cæſaris, quæ in commentariolis, & chirographis, & libellis ab Antonio poſt ejus mortem prolatis continerentur, firma habuiſſe & ſervanda cenſuiſſe. PEARCE.

Quantum hominum odium valeat ad peſtem) Libri veteres habent, *valet*: quod fortaſſe rectum eſt: quamvis no-

reliquorum ſimiles exitus tyrannorum; quorum haud fere quiſquam interitum talem effugit. Malus enim eſt cuſtos diuturnitatis metus: contraque benevolentia fidelis vel ad perpetuitatem. Sed iis, qui vi oppreſſos imperio coercent, ſit ſane adhibenda ſævitia, ut heris in famulos, ſi aliter teneri non poſſunt; qui vero in libera civitate ita ſe inſtruunt, ut metuantur, his nihil eſſe poteſt dementius; quamvis enim demerſæ ſint leges alicujus opibus, quamvis timefacta libertas, emergunt tamen hæc aliquando aut judiciis

noſtris auribus aliquanto magis inuſitatum accidat: præterea hoc eſt in eis varietatis, quod ſic habent: *Nec vero hujus tyranni ſolum, quem armis oppreſſa pertulit civitas, apparet cujus maxime portuit,* (al. *portui,*) *interitus declarat, quantum* &c. quæ verba clamant ſe eſſe corrupta. LAMBINUS. *Valens ad peſtem*) I. e. perniciem: ut in I. 1. de Orat. *Qui per nos a communi peſte depulſi* &c. Vide meam notam ad loc. Vide etiam cap. 14. PEARCE.

Sed reliquorum ſimiles exitus tyrannorum, quorum haud fere quiſquam interitum ſimilem effugit) Reliquit Lambinus lectionem Manutianam: tres libri ſcripti cum Victorianis habent: *Talem interitum effugit*; quartus *talem exitum effugit*: ex qua varietate ſuſpicio de gloſſemate incidit, cum præſertim Langius ediderit: *Quorum haud fere quiſquam effugit.* FR. FABRIT. Meus optimus adſtipulatur Victorio, nec vero ſimile eſt, *ſimilem* in eodem verſu bis poſuiſſe Tullium illum copioſum. De tyrannorum exitu idem occinit Iuvenalis Sat. 10.

Ad generum Cereris ſine cæde, & vulnere pauci
Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni. GRÆV.

Sed iis, qui vi oppreſſos imperio coercent, ſit ſane adhibenda ſævitia) Quia, ut Salluſtius ait, *quibus artibus partum eſt imperium, iis retinetur.* Sed ſunt quoque gentes, quæ licet non vi ſint oppreſſæ, adductius tamen ſunt regendæ, quæ libertatem nec norunt, nec ejus bona curant, ut Cappadoces apud Iuſtinum, & omnes Aſiatici. Vide Grot. I. de Iure Belli & Pacis cap. 3. §. 8. & lib. III. cap. 8. nec tamen illæ παμβασιλεῖαι Aſiaticæ ſunt injuſtæ, & tyrannicæ, quia volentibus populis ſic imperatur, ut docet Ariſtoteles in Politicis. IDEM.

Quamvis timefacta libertas) Sic habent libri veteres, & Memm. & alii; neque vero dubium cuipiam debet eſſe, quin ita legendum ſit: & miror, hoc eſſe a Langio præteritum. Vſus autem hoc verbo eſt etiam Lucretius in proœmio libri II. *His tibi tum rebus timefactæ religiones Effugiant animo pavidæ, mortiſque timores.* LAMBINUS. *Quamvis timefacta libertas*) Sic jampridem hunc locum Victorius emendavit: ut merito Lambinus noſter admiretur, hoc a Langio eſſe præteritum, cum præſertim in multis libris vetuſtis, *timefacta*, non *tremefacta*, legatur. Sic Lucretius initio lib. II. *His tibi tum rebus timefactæ religiones Effugiant animo pavidæ*, quem locum notavit Victorius in Emendationibus in librum XI. ad Familiares: ubi, *te pertimefacto*, ex veteribus exemplaribus reſtituit, cum vulgo, *te perterrefacto*, legeretur, Pacuvius Periboea apud Nonium in *Vagas*: *In triplici pertimefactus mærore animi, incerte errans vagat.* FR. FABRIT.

Aut judiciis tacitis) Interdum cum magno ambitu honores petebantur aperta largitione, ob candidatorum contentionem, diſciplinæ, & inſtitutis patriis legumque juſſis repugnantem, populique tribus, & centurias corrumpentem, Senatus decernebat, ut judicium fieret tacitum in candidatos, quo vel ante damnarentur ambitus, vel eorum comitiis ratio non habe-

Digitized by Google

judiciis tacitis, aut occultis de honore ſuffragiis. Acriores autem morſus ſunt intermiſſæ libertatis, quam retentæ. Quod igitur latiſſime patet, neque ad incolumitatem ſolum, ſed etiam ad opes, & potentiam valet plurimum, id amplectamur, ut metus abſit, caritas retineatur, ita facillime quæ volemus, & privatis in rebus, & in rep. conſequemur; etenim, qui ſe metui volent, a quibus metuentur, eoſdem metuant ipſi neceſſe eſt. Quid enim cenſemus ſuperiorem illum

haberetur, quod more majorum petiiſſe non viderentur. De hoc genere judiciorum ſic in epiſtolis ad Atticum loquitur Cicero: *Senatus decrevit, ut tacitum judicium ante comitia fieret, ab iis conſiliis, quæ erant omnibus ſortita in ſingulos candidatos, magnus timor candidatorum.* Hinc meridiana luce clarius redditur, quod intempeſtæ noctis umbra videbatur obductum, quæ ſint lib. II. Officiorum *tacita judicia*. TURNEB. Sed Turnebi ſententia de tacitis judiciis eſt ἀπροσδιόνυσος, ut nihil magis. Tacita judicia hîc ſunt, cum populus aliquo facto declarat, quid ſentiat de ſtatu reip. etſi non palam dicat: ut de Romanis notavit Sueton. in Iul. 80. *Ne populo quidem jam preſenti ſtatu læto, ſed clam, palamque detrectante dominationem, atque aſſertores flagitante. Peregrinis in ſenatum allectis libellus propoſitus eſt: Bonum factum: Ne quis Senatori novo curiam monſtrare velit;* & quæ ſequuntur. Paullo poſt: *Poſt remotos Cæſetium, & Marullum Tribunos, reperta ſunt proximis comitiis complura ſuffragia Conſules eos declarantium.* Subſcripſere quidam L. Bruti ſtatuæ: *Utinam viveres*. Item ipſius Cæſaris ſtatuæ:

Brutus, quia Reges ejecit, Conſul primus factus eſt,
Hic quia Conſules ejecit, Rex poſtremo factus eſt.

Hæc ſunt tacita judicia populi ſignificantis his libellis, & hac ratione in comitiis, qui ejus eſſet ſenſus de illo tempore, quo demerſæ jacebant leges opibus Cæſaris. De talibus tacitis judiciis ſæpe loquitur etiam in epiſtolis ad Atticum Cicero lib. II. ep. 19. *Populi ſenſus maxime theatro, & ſpectaculis perſpectus eſt.: nam gladiatoribus, qua dominus, qua advocati ſibilis conſciſſi: ludis Apollinaribus Diphilus tragœdus in noſtrum Pompeium petulanter invectus eſt: Noſtra miſeria tu es Magnus, millies coactus eſt dicere. Eamdem virtutem iſtam veniet tempus cum graviter gemes, totius theatri clamore dixit, itemque cetera. Nam & ejuſmodi ſunt ii verſus, ut in tempus ab inimico Pompeii ſcripti eſſe videantur. Si neque leges, neque mores cogunt; & cetera, magno cum fremitu, & clamore ſunt dicta. Cæſar cum veniſſet, mortuo plauſu: Curio filius eſt inſecutus: huic ita plauſum eſt, ut ſalva rep. Pompeio plaudi ſolebat: tulit Cæſar graviter.* Plura tacitorum judiciorum exempla in illo libro invenies facile. GRÆVIUS.

Occultis de honore ſuffragiis) Vide notam præcedentem. IDEM.

Ita facillime quæ volumus) Meus prim. & Pith. excerpta: *ita facillime, quæ volemus*. IDEM.

Qui ſe metui volent, a quibus metuentur, eoſdem metuant ipſi neceſſe eſt) Hoc in variis locis inculcat Seneca quoque epiſt. 105. *Timeri tam domi moleſtum eſt, quam foris: tam a ſervis, quam a liberis. Adjice nunc, quod qui timetur, timet. Nemo potuit terribilis eſſe ſecure.* Et de Clement. lib. I. cap. 12. *Magnum inter regem, tyrannumque diſcrimen, uterque licet non minus armis valletur, ſed alter arma habet, quibus in munimentum pacis utitur: alter, ut magno timore magna odia compeſcat. Nec illas ipſas manus, quibus ſe commiſit, ſecurus adſpicit: contrariis in contraria agitur: nam, & inviſus eſt, quia timetur, & timeri vult, quia inviſus eſt; & illo execrabili verſu, qui multos dedit præcipites, utitur:*

Oderint dum metuant.

Digitized by Google

illum Dionyſium, quo cruciatu timoris angi ſolitum, qui cultros metuens tonſorios, candenti carbone ſibi adurebat capillum? Quid? Alexandrum Pheræum, quo animo vixiſſe arbitramur? qui (ut ſcriptum legimus) cum uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, & eum quidem, ut ſcriptum eſt, compunctum notis Threiciis, diſtricto gladio jubebat ante-

Vide ſeq. & cap. 19. *Tantum neceſſe eſt timeat, quantum timeri voluit, & manus omnium obſervet, & eo quoque tempore, quo non captatur, peti ſe judicet, nullumque momentum immune a metu habeat.* Poſt: *Errat, ſi quis exiſtimat tutum eſſe ibi regem, ubi nihil a rege tutum eſt: ſecuritas ſecuritate mutua paciſcenda eſt.* IDEM.

Alexandrum Phereum) Exemplum maleſanæ tyrannidis ad Romanos luculentiſſimum. *Pheras* quippe, urbem Theſſalicam haud magni nominis, Iaſon quidam ex civium numero prudentia, & fortitudine nobilitavit circa Ol. CII. 2. collapſis nimirum Athenienſium, & Lacedæmoniorum rebus: auctor ille Theſſalis ſuis fuit, ut Græcorum ſibi imperium vindicarent, quibus iſti emoti conſiliis Iaſonem rerum ſuarum ſummæ præficiunt, atque eo duce, finitimorum plurimis in ſocietatem armorum pertractis, ingenti cito gloria atque auctoritate inclaruerunt. Vnde Iaſon, maxima apud ſuos gratia florens, imperatoriam ſibi Pheris dignitatem comparavit, eamque æquitate, & ſapientia ſua ſalutarem admodum popularibus atque amabilem reddiderat. Annis autem vix duobus elapſis, interemto a ſicariis quibuſdam Iaſone, Pheræorum duces conſtituti ſunt ejus fratres Polydorus, & Polyphron, circ. Ol. CII. 4. quorum altero ex inſidiis itidem extincto, Polyphron, inquit Xenophon, κατεσκευασατο την ταγειαν τυραννιδι ὁμοιαν, *molitus eſt principatum tyrannidi ſimilem*: deinde anno imperii ſecundo ab Alexandro ipſe noſtro, Polydori filio, occiditur. Quo facto Alexander Pheræis imperavit, vir fortis quidem, & callidiſſimus; verum tanta immanitate in ſuos deſæviens, ut tandem poſt annos undecim circ. Ol. CV. 4. inviſus omnibus, ſive ab ipſa uxore, Iaſonis filia, ut refert Cicero, ſive ab ejus fratribus, hortante illa, ut Xenophon, dominatu ſimul, & vita exueretur. Nec diu poſtea, cum eamdem ejus percuſſores tyrannidem affectarent, Pheræi, adjuvante Philippo Macedonum rege, jugum omne Regulorum, potentiæ quamvis patriæ diſpendio, excuſſerunt. Vide Xenophont. Hellenic. lib. VI. p. 400. . . 408. Ed. Oxon. Diodor. Sicul. Lib. XV. p. 487. lib. XVI. p. 517. . . 529. Ed. Steph. Val. Maxim. IX. 14. Plutarch. in Pelopid. p. m. 531. CHAPMAN.

Barbarum, & eum quidem compunctum notis Threiciis) Libri veteres habent: *notis Thræciis*: nonnulli, *Threcidicis*: alii, *Threciis*. LAMBIN. Mihi videtur hîc Cicero non ſatis habuiſſe, *barbarum* dixiſſe, niſi adderet *compunctum notis Threciis*: non quo eum ſervum intelligeremus, ſed ut in immani barbarie natum. Nam Thraces tales habebantur: proinde in Piſonem ſcribitur: *Conſulem veſtrum tamquam aliquem Thracem ad cædem faciendam conduceret.* Hoc autem obiter dicendum eſt: ut Romani Imp. prætorianis militibus, & centurionibus ad cædem uti ſolebant, ſic olim tyrannos Thracibus earum rerum miniſtris, & ſatellitibus uſos fuiſſe. Heſychius: Τραλλεις, ὅτως ἐκαλουντο μισθοφοροι Θρακες, τοις Βασιλευσιν οἱ τας φονικας χρειας πληρουντες. *Thralles, ſic vocabantur Thraces mercede a regibus conducti ad cædes perficiendas.* Thraces autem, ut & aliæ quædam nationes barbaræ, ſe ſtigmatis notabant, vel, ut Cicero libro II. de Officiis loquitur, notis compungebant. Strabo libro ſeptimo: Κατεστικτοι δε ὁμοιως και τοις ἀλλοις Ιλλυριοις

anteire: præmittebatque de ſtipatoribus ſuis, qui ſcrutarentur arculas muliebres, &, ne quod in veſtimentis occultaretur telum, exquirerent. O miſerum, qui fideliorem, & barbarum, & ſtigmatiam putaret, quam conjugem! nec eum fefellit; ab ea enim eſt ipſe propter pellicatus ſuſpicionem interfectus. Nec vero ulla vis imperii tanta eſt, quæ premente metu, poſſit eſſe diuturna. Teſtis eſt Phalaris, cujus eſt præter ceteros nobilitata crudelitas: qui non ex inſidiis interiit, ut is, quem modo dixi, Alexander: non

λυριοις, καὶ Θραξι: *Notis compuncti æque ac alii Illyrii, & Thraces*. Phanocles etiam canit irrogatam a viris eſſe pœnam mulieribus in Thracia corporis notis pungendi, & ſcribellandi, ob Orphei necem, ut ſceleris recordarentur. Inquit enim:

Ας αλοχυς εςιζον, ιν' εν χροϊ σηματ' εχυσαι
Κυανεα, ςυγερυ μη λελαθοιντο φονυ
Ποινας δ' Ορφηι κταμενω ςιζυσι γυναικας
Εισετι νυν, κεινης εινεκεν αμπλακιης.
Quas uxores ſtigmate inurebant, ut in corpore ſigna habentes
Cærulea, terribilis non obliviſcerentur cædis.
In pœnam Orphei occiſi ſtigmate notant mulieres
Vſque adhuc, cauſſa illius peccati.

TVRNEBVS. *Threicius*, pro *Thracius*, Ionica forma, & ſolutione *θρηκιος αντι τυ θρακιος* eſt receptum in libris Ciceronis, ſicut apud Virgilium, *Threicio regi* Æneid. III. & *Threicia cithara*, Æneid. VI. In multis tamen libris, ut Langius, & Lambinus annotarunt, legitur *threciis*. Sic in antiquiſſimis libris Q. Curtii, cum quibus contuli; *Thræcis* paſſim legitur. In triumphis Capitolinis, M. Licinii Craſſi *triumphus ex Thræcia* extat. Sunt etiam libri, in quibus *notis Thræcidicis* legatur: ut Philippica VII. *Cum ornaſſet Thræcidicis comitem, & familiarem ſuum.* Qui autem notis compuncti ſunt, Stigmatiæ, *ςιγματιαι*, dicuntur, & *ςιγματα* ſunt notæ, & *ςιζειν* eſt notis compungere. Dio. libr. XLVII. *Στιγματιας δε τις υχ όσον υ προεδωκε τον ςιζαντα, αλλα και πανυ προθυμως εσωσεν.* i. e. *Servus quidam compunctus notis non modo non prodidit dominum, qui notas inuſſerat, ſed & magno ſtudio conſervavit.* Dio. Chryſoſtom. orat. I. de ſervitute, & libertate, Stigmatias *εςιγμενυς* appellat; atque in Thracia moris fuiſſe ſcribit, ut liberæ mulieres multis notis, quæ *ςιγματα* vocat, ſint compunctæ. FR. FABRIT.

Diſtricto gladio) Rectius vetus liber: *deſtricto gladio*. Sic videtur & in aliis locis legendum, ubi de gladiis agitur. Aliud eſt *diſtrictus*, nimirum diſtentus, occupatus, aliud *deſtrictus*, hoc eſt e vagina extractus. Vide, & quæ ampliſſimus, & mei ſtudioſiſſimus vir Gysbertus Cuperus lib. IV. obſervat. de harum vocum diſcrimine docte notavit. GRÆV.

Stigmatiam) *Stigmatiam*, legit Nonius Marcellus; & ita habent vet. libri. Varro quoque *Stigmatiam* fabulam latinam allegat. Strabo lib. IV. Thraces, & Illyrios ſtigmatias commemorat: huc ſpectant, quæ ex Phanocle Stobæus refert. Obſervandum quoque *Threciis*, hic legi in antiquiſſ. libris, quod, & in Eutropii manuſcript. exemplar. obſervavi, & in Ælio Lampridio Spartiano. Item in Horatio, *Trex*, ſcribitur pro genere gladiatorum. Saxa Capitolina, *Thræcia*, habent. C. LANG.

Nec eum fefellit) Vox, *opinio*, in melioribus libris deeſt; ſic ad Atticum lib. XIV. *Sed nos, ni me fallit, jacebimus*. Et in Oratore. Sic Tacitus: *Per ſpeciem officii manum complexus, pulſum venarum attigit, neque fefellit*. Et Varro II. de Re Ruſt. C. LANG. *Nec eum fefellit*) In libris vulgatis additur,

non a paucis, ut hic noſter: ſed in quem univerſa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Quid? Macedones nonne Demetrium reliquerunt, univerſique ſe ad Pyrrhum contulerunt? Quid? Lacedæmonios injuſte imperantes nonne repen e omnes fere ſocii deſeruerunt, ſpectatoreſque ſe otioſos præbuerunt Leuctricæ calamitatis?

8. Externa libentius in tali re, quam domeſtica recordor. Verumtamen quamdiu imperium populi R. beneficiis tenebatur, non injuriis, bella aut pro ſociis, aut de imperio gerebantur, exitus erant bellorum aut mites, aut neceſſarii. Regum, populorum, nationum portus erat, & refugium ſenatus. Noſtri autem magiſtratus, imperatoreſque ex hac una re maxi-

tur, *opinio*, quam vocem libri veteres non agnoſcunt. Sic ep. 2. lib. IV. ad Famil. *Quantum nos fefellerit, & quem in locum res deducta ſit, vides.* Plura exempla notavit Laugius. Fr. Fabrit. *Nec eum fefellit*) Sc. conjux ejus, i. e. ille invenit, ſuſpicionem, quam de ea habuerit, non vanam fuiſſe. Pearce.

Demetrium) Poliorceten. Vide Plutarch. in vita Pyrrhi & Demetrii, & Iuſtin. XVI. 2. Græv.

Spectatoreſque ſe otioſos præbuerunt Leuctricæ calamitatis) Vid. C. Nep. in vita Epaminondæ XV. 7. Idem.

Quamdiu imperium populi Romani beneficiis tenebatur) Hoc vero factum eſſe docuit quoque Salluſtius in Catilin. c. 9. ubi cum dixiſſet, audacia in bello, & ubi pax evenerat, æquitate veteres illos remp. curaſſe, de pacis documentis ſic ait: *In pace vero, quod beneficiis magis, quam metu imperium agitabant, & accepta injuria, ignoſcere, quam perſequi malebant.* Quod Scipio quoque teſtatur apud Livium lib. XXVI. ubi obſides bonum animum habere juſſit, addita ratione hac: *Veniſſe eos in populi Romani poteſtatem, qui beneficio, quam metu obligare homines malit, exteraſque gentes fide, ac ſocietate junctas habere, quam triſti ſubjectas ſervitio.* Idem.

Aut mites) Vid. Grot. III. de Iure Belli & Pacis cap. 11. §. 6. & 7. & in primis totum caput 15. ejuſdem libri. Idem.

Aut neceſſarii) Nimirum cum ratio reipublicæ poſtularet, ut urbes exſcinderentur, gentes vaſtarentur, aut victi durius haberentur: exempla vide apud Manut. cumque pax infida & incerta eſſet, niſi hoſtes illi delerentur. Propter quam cauſſam Cato ſemper cenſebat, Carthaginem eſſe delendam. Sed quod temperamentum circa vaſtationem, & ſimilia ſit tenendum, vid. Grot. III. de Iure Belli & Pacis cap. 12. Idem.

Regum, populorum, nationum portus, & refugium ſenatus) Salutare fuiſſe Romanum imperium toti orbi terrarum, multifariam veteres teſtantur. Magnifice Plutarch. libro de Virtute, & Fortuna Romanorum, Romam vocat, *πασιν ανθρωποις έϛιαν ίερων ώς αληθως και ονησιδωραν, και πεισμα μονιμον, και ϛοιχειον αιδιον, ὑποφερομενοις τοις πραγμασιν αγκυροβολιον σαλου και πλανης. Omnibus mortalibus focum vere ſacrum atque almum, retinaculum firmum, elementum æternum, rebus mundi ſalo, atque errore fluctuantibus ſtationem ad jaciendam anchoram*, ut recte hunc locum vertit Iſaacus Caſaubonus. Plin. lib. II. cap. 5. de Italia: *Numine Deûm electa, quæ cælum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, rituſque molliret, & tot populorum diſcordes, feraſque linguas ſermonis commercio contraheret ad reliqua, & humanitatem homini daret: breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.* Idem.

maximam laudem capere ſtudebant, ſi provincias, ſi ſocios æquitate & fide defendiſſent. Itaque illud patrocinium orbis terræ verius, quam imperium poterat nominari. Senſim hanc conſuetudinem, & diſciplinam jam antea minuebamus, poſt vero Syllæ victoriam penitus amiſimus; deſitum eſt enim videri quidquam in ſocios iniquum, cum exſtitiſſet in cives tanta crudelitas. Ergo in illo ſecuta eſt honeſtam cauſam, non honeſta victoria; eſt enim auſus dicere, haſta poſita, cum bona in foro venderet, & bonorum virorum, & locupletium, & certe civium, prædam ſuam se vendere: ſecutus eſt, qui in cauſa impia, victoria etiam fœdiore, non ſingulorum civium bona publica-

Si provincias, ſi ſocios æquitate, & fide defendiſſent) Quæ olim propria laus fuit populi Romani. Hinc apud Liv. lib. XXXIII. prædicatur eſſe gens, *quæ ſua impenſa, ſuo labore, ac periculo bella gerat pro libertate aliorum: nec hoc finitimis, aut propinquæ vicinitatis hominibus, aut terris continenti junctis præſtet, maria trajiciat, ne quod toto orbe terrarum injuſtum imperium ſit, & ubique jus, fas, lex potentiſſima ſit.* IDEM.

Patrocinium orbis terræ verius, quam imperium) Fuſe de hoc patrocinio, quod humano generi præſtiterit Romanum imperium Ariſtides in inſigni illo, & ditertiſſimo Romæ elogio, quod habes in tomo primo orationum ejus. Non poſſum, quin pauca verba excerpam: Ατεχνως δε, ὡσπερ οἱ ποιηται λεγουσι, προ της Διος αρχης, απαντα στασεως, και θορυβου, και αταξιας ειναι μεστα· ελθοντος δε επι την αρχην Διος, παντα δε καταστηναι· και τους Τιτανας εις τους κατωτατους μυχους της γης απελθειν, συνωσθεντας ὑπ᾽ αυτου τε και των συν αυτῳ Θεων. ουτως αν τις και περι των προ ὑμων τε και εφ᾽ ὑμων πραγματων λογιζομενος ὑπολαβοι ὡς προ μεν της ὑμετερας αρχης ανω και κατω συνετεταρακτο και εικη εφερετο. επισταντων δε ὑμων ταραχαι και στασεις εληξαν. ταξις δε παντων και φως λαμπρον εισηλθε βιου και πολιτειας. *Quemadmodum narrant poetæ, ante Iovis principatum ſeditione, ac tumultu fuiſſe omnia perturbata, ipſo autem rerum potiente, eſſe compoſita; Titanibus in infimos terræ receſſus ab ipſo, & qui cum eo erant, diis expulſis; eodem modo de iis quoque, quæ tum ante vos, tum a vobis geſta ſunt, ratiocinari liceat: ita ut ante veſtrum imperium cuncta ſurſum, ac deorſum temere ferri conſueverint: vobis autem rerum gubernationi admotis, tumultus, ac ſeditiones ceſſarint, & ordo, atque lux in vitam, atque remp. introductæ ſunt.* Hinc in eodem panegyrico dicit, univerſum orbem ſub Romanis feſtum quaſi diem agere, urbes ſplendore, & decore fulgere, & totam terram inſtar paradiſi excultam eſſe; ut vere dictum ſit, inclinantem & labantem orbem a Romanis eſſe inſtauratum. Multa hujus argumenti habes quoque in non una oratione apud Themiſtium. Vide & Prudentium lib. poſteriore contra Symmachum v. 598. & ſequent. IDEM.

Deſitum eſt enim videri) Sic lib. II. de Finib. *Recte jampridem contra eos deſitum eſt diſputari*. Et pro Cornelio apud Priſcianum lib. X. *Ceptum igitur per eos, qui agi volebant, deſitum eſt per hunc, qui deceſſit*. Livius lib. V. *Numquam deſitum interim turbari comitia interpellantibus tribunis pl.* FR. FABRITIVS.

Secuta eſt honeſtam cauſam non honeſta victoria) Cauſam probat belli, quia Sulla partes optimatum fovebat, & tuebatur contra populares: victoriam improbat, quia erat crudelis, ſæva, & cruenta. GRÆVIVS.

Vno

blicaret, ſed univerſas provincias, regioneſque uno calamitatis jure comprehenderet. Itaque vexatis & perditis exteris nationibus, ad exemplum amiſſi imperii portari in triumpho Maſſiliam vidimus, & ex ea urbe triumphari, ſine qua numquam noſtri imperatores ex tranſalpinis bellis triumpharunt; multa præterea commemorarem nefaria in ſocios, ſi hoc uno ſol quidquam vidiſſet indignius. Iure igitur plectimur; niſi enim multorum impunita ſcelera tuliſſemus, numquam ad unum tanta perveniſſet licentia: a quo quidem rei familiaris ad paucos, cupiditatum ad multos improbos venit hereditas. Nec vero umquam bellorum civilium ſemen, & cauſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam & meminerint, & ſperabunt, quam P. Sylla cum vibraſſet, dictatore propinquo ſuo idem ſexto triceſimo anno poſt a ſceleratiore haſta non receſſit; alter

Vno calamitatis genere comprehenderet) Libri fere omnes habent, *uno calamitatis jure comprehenderet*: ſed videtur legendum, *uno calamitatis genere*: quomodo edendum curavimus. Lambin. *Vno calamitatis genere*) Sic eſt in duobus ex MSis noſtris, itaque mavult non ſolum Lambinus, ſed & Camerarius, quam, *uno calamitatis jure*, quomodo libri fere omnes habent. Fr. Fabric. In poſſeſſionem quaſi poſtliminio reduxi lectionem omnium fere MSorum, quam ejecerat Lambinus, invecto *calamitatis genere*, quod quidem in exoletis edd. ſed minime in membranaceis Guillelmio excuſſis, aut Palatino utroque. *Calamitatis jure* eſt jure belli, quo aliis adimebat regna Cæſar, aliis dabat, allis populis largiebatur, aliis tributa, & vectigalia nova imponebat: venuſte ſimul, atque acerbe. I. Gruter. *Iure* recte vindicavit Gruterus, exſtat etiam in Pithœi libro; in optimo meo hic eſt lacuna: ſed *jus* rectius exponit I. Frid. Gronovius, ſtatum, conditionem, ut apud Cic. III. Verr. 6. *Vt eodem jure eſſent, quo fuiſſent.* III. Agrar. c. 2. *Libera meliore jure ſunt, quam ſerva.* Graevius.

Niſi enim multorum impunita ſcelera tuliſſemus) Sic legitur etiam in noſtris MSis, & impreſſis omnibus: maneo tamen in ſententia, ut, *multorum impunitates ſcelerum*, quod quidam in veteribus libris inveniri teſtantur, verius eſſe putem: neque enim Cicero tam de multorum hominum ſceleribus, quam de Cæſaris ſceleribus multis loquitur. Confirmant ſententiam noſtram Nonii Marcelli editiones in verbo *Tollere*. Fr. Fabric. Minime a vulgata eſt recedendum. *Multi* opponuntur *uni*. Multi autem ſunt Clodii, aliique, qui impune multa ſcelera committebant, quæ impunita novas res molientium audaciam incendebant, ſpe ejuſdem impunitatis facta, quibus everſa fuit reſpublica. De hac impunitate toties queritur Cicero in epiſtolis ad Atticum, in primis in libro ſecundo, & tertio. Græv.

Quam P. Sulla cum vibraſſet, dictatore propinquo ſuo) P. Sullæ, pro quo ipſius exſtat oratio, avaritiam notat, qui, L. Sulla Dictatore, proſcriptionibus præfuerit; quibus velut imbutus ſexto & triceſimo poſtea anno, C. Cæſaris partes ſecutus ſit, non multo humaniorem in Remp. animum præ ſe ferentis. Suetonius ſane ſcribit, ſuſpicionem fuiſſe, quod Cæſar ante quam ædilitatem iniret, cum M. Craſſo; P. Sul-

Digitized by Google

alter autem, qui in illa dictatura ſcriba fuerat, in hac fuit quæſtor urbanus. Ex quo debet intelligi, talibus præmiis propoſitis numquam defutura bella civilia. Itaque parietes urbis modo ſtant, & manent, iique ipſi jam extrema ſcelera metuentes: rem vero publicam penitus amiſimus: atque in has clades incidimus (redeundum eſt enim ad propoſitum) dum metui, quam cari eſſe & diligi maluimus. Quæ ſi populo R. injuſte imperanti accidere potuerunt, quid debent putare ſinguli? Quod cum perſpicuum ſit, benevolentiæ vim eſſe magnam, metus imbecillam, ſequitur, ut diſſeramus, quibus rebus poſſimus facillime eam, quam volumus, adipiſci cum honore, & fide caritatem. Sed ea non pariter omnes egemus; nam ad cujuſque vitam inſtitutam accommodandum eſt, a multis ne opus ſit, an ſatis a paucis diligi. Certum igitur hoc ſit, idque & primum & maxime neceſſarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum, & noſtra mirantium; hæc enim eſt una res prorſus, ut non multum diffe-

P. Sulla, & L. Autronio conſpiraſſet. C. LANG. *Dictatore propinquo ſuo*) L. Cornelius Sulla Dictator fuit patruus P. Sullæ: nam Ser. Cornelii Sullæ fratris L. Sullæ filius fuit P. Sulla, ut Salluſtius in Catilin. oſtendit. FR. FABRIT.

Alter autem, qui in illa dictatura ſcriba fuerat, in hac fuit quæſtor urbanus) In Sullæ dictatura ſcriba fuit Cornelius, de quo Lepidus Conſul apud Salluſtium: *Scilicet, quia non aliter ſalvi, ſatiſque tuti in imperio eritis, niſi Vettius Picens, & ſcriba Cornelius aliena bene parta prodegerint.* Quod cum Franc. Maturantius, & Petrus Marſus patrum noſtrorum memoria in ſuis Commentariis admonuerint, miror eſſe nunc homines bene doctos, qui ſcribant, non ſatis conſtare, quis hic ſit intelligendus. IDEM.

Talibus præmiis propoſitis numquam defutura bella civilia) Quod multis aliis in locis oſtendit Cicero. In Philippica VIII. *Haſta Cæſaris multis improbis, & ſpem affert, & audaciam.* GRONOV.

Diligi maluimus) *Malumus*, edidit Lambinus cum Victorio, pro quo in aliis, & noſtris MSis eſt, *maluimus*. FR. FABRIT.

Metus imbecillam) Sic habent libri veteres, non, *imbecillem*, neque ſolum hoc loco, verum etiam omnibus aliis, quibus vulgo, *imbecillis*, atque inde deducti caſus leguntur, veteres libri Ciceronem *imbecillum* declinaſſe oſtendunt, quod quia ſæpius occurrit, ſemel admonere volui. IDEM.

Ad cujuſque vitam inſtituendam accommodandum) Excerpta Pithœi, undecim libri Manutii, editio princeps longe rectius: *ad cujuſque vitam inſtitutam accommodandum*, hoc eſt, ad illud vitæ genus, quod quis ſequendum ſibi ſtatuit, & legit, eſt referendum, num multis opus habeat, an paucis amicis. GRÆV.

Familiaritates habere fidas amantium nos amicorum) Certum & verum eſt Democratis dictum: Ζην ὐκ ἀξιος, ὅ τῳ μηδεις ἐςι χρηςος φιλος. *Indignus eſt qui vivat, cui non eſt fidus amicus.* Recte dicit χρηςος φιλος: nam ſecundum eumdem: ἑνος φιλιη ξυνετυ κρεισσων

differat inter ſummos, & mediocres viros; eaque utriſque eſt propemodum comparanda. Honore, & gloria, & benevolentia civium fortaſſe non æque omnes egent, ſed tamen ſi cui hæc ſuppetunt, adjuvant aliquantum tum ad cetera, tum ad amicitias comparandas.

9. Sed de amicitia alio libro dictum eſt, qui inſcribitur Lælius. Nunc dicamus de gloria, quamquam ea quoque de re duo ſunt noſtri libri: ſed attingamus, quando quidem ea in rebus majoribus adminiſtrandis adjuvat plurimum. Summa igitur, & perfecta gloria conſtat ex tribus his, ſi diligit multitudo, ſi fidem habet, ſi cum admiratione quadam honore dignos putat. Hæc autem, ſi eſt ſimpliciter breviterque dicendum, quibus rebus pariuntur a ſingulis, eiſdem fere a multitudine. Sed eſt alius quoque

ϑων ἀξυνετων ἀπαντων. Vnius prudentis amicitia ſtultorum omnium amicitiæ præferenda. Idem.

Eaque utriſque eſt propemodum comparanda) Lege: *eaque utriſque eſt pari modo comparanda*; quia antea dixit: *certum igitur hoc ſit, idque primum, & maxime neceſſarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum, & noſtra mirantium*. Sic II. de Orat. 52. *Par atque una ratio*. I. Fr. Gronov. Vox *propemodum* hîc idem videtur valere, quod *prope ad eumdem modum*. Qui privati ſunt cives, & qui in imperiis, ad eumdem fere modum hanc rem debent comparare, ſcilicet, familiaritates habendo fidas amantium ipſos amicorum, & mirantium. Non igitur cum Gronovio legendum eſt *pari modo* pro *propemodum*. Pearce..

Qui inſcribitur Lælius) Vix eſt, ut hoc a Cicerone, non a magiſtro quodam ſit. Gulielm. Nondum vero librum eum Cicero in vulgus emiſerat, ut nec duos *de Gloria* libros, quorum infra meminit. Nam in celebri proœmio ſecundi de Divinatione, quod ſcripſit circa hæc ipſa tempora poſt Cæſaris interitum, nihil innuit de illis libellis, quamvis omnes recenſere profiteatur, quos adhuc in lucem protulerat. Quin & in Epiſtolis ad Atticum nihil uſquam de *Lælio* ſuo narrat, quantum ſciam, diſerte; quamvis ibi de ceteris omnibus opuſculis, quæ per ea tempora vel procuderet, vel etiam meditaretur, garrire paſſim ſoleat. Sed librorum *de Gloria* plus ſemel inibi indicium eſt, nempe Ep. ad Att. XV. 27. ubi Attico iſtiuſmodi commentarium promittit: *Librum tibi celeriter mittam de gloria*. Deinde poſt menſem unum, aut alterum in XVI. 2. *De Gloria miſi tibi. Cuſtodies igitur, ut ſoles; quæ Salvius, bonos auditores nactus, in convivio dumtaxat legat. Mihi valde placent: mallem tibi*. Vnde conſtat, hoc opuſculum non alii tum temporis, quam Attico tradidiſſe Noſtrum, neque alia illi lege, quam ut traditum a populo ſecluderet. Id quod probe notandum, quia dies abhinc pauculos in Ep. nempe XI. abſolvi tandem libros duos *de Officiis* indicavit. *Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος, quatenus Panætius, abſolvi* (inquit) *duobus &c.* Si qui plura hac de re velint, adeant Diſſertationem noſtram de Ætate Ciceron. Libror. de Leg. p. 33. 40. 41. Chapman.

Summa igitur, & perfecta gloria) De gloria pereruditos, ac diſertiſſimos libros edidit vir magnus Hieronymus Oſorius Luſitanus, Epiſcopus Silvenſium in Algarbiis. Græv.

Quibus rebus pariuntur a ſingulis) Hoc verbum Anemœcio durum ſine cauſa videtur, cum frequens uſus id mollive-

Digitized by Google

que quidam aditus ad multitudinem, ut in univerſorum animos tamquam influere poſſimus. Ac primum de illis tribus, quæ ante dixi, benevolentiæ præcepta videamus: quæ quidem beneficiis capitur maxime: ſecundo autem loco benefica voluntate benevolentia movetur, etiam ſi res forte non ſuppetit; vehementer autem amor multitudinis commovetur ipſa fama & opinione liberalitatis, beneficientiæ, juſtitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum, & ad facilitatem. Etenim illud ipſum, quod honeſtum decorumque dicimus, quia per se nobis placet, animoſque omnium natura, & ſpecie

liverit; nam ut prætercam locos ab aliis notatos, libro ſequent. eſt. *Illud autem, quod ex eo paritur, permagnum videtur*. Lib. II. de Finib. *Cum pecuniæ voluptates pariantur plurimæ*. Et lib. III. *Quibus etiam verba parienda ſunt, imponendaque novis rebus nomina, &c.* FR. FABRIT. Senſus eſt: quibus rebus efficimus, ut ſinguli nos diligant, iiſdem etiam efficimus, ut multitudo. PEARCE.

Benevolentiæ præcepta videamus) Sic habent omnes libri, & MSi, & vulgati. Quidam tamen legendum putant, *benevolentiæ multitudinis*, quia ſequitur provocabulum, *quæ*, quod refert multitudinem, hoc modo, quæ, nempe multitudo, maxime capitur beneficiis; ſic enim in omnibus fere libris legitur. Quod ſi ita legamus, inquiunt illi, ut eſt in libris vulgatis, *benevolentiæ præcepta videamus, quæ quidem beneficiis capitur maxime*, dicet Cicero, benevolentiam capi beneficiis: quod non convenit. Recte illi: ſed nos nimiæ audaciæ putamus, addere vocem integram, cujus nulla in MSis compareant veſtigia. Itaque cum hic nihil mutetur, paullo poſt fortaſſe pro, *capitur*, *paritur*, legendum: quo depravato factum eſt, *arpitur*, inde, *carpitur*, inde, *capitur*; ſi quis tamen ita legi malet: *benevolentiæ multitudinis præcepta videamus, quæ quidem capitur benev. maxime*, non pugnabo: paullo poſt vocem *benevolentia* temere ab aliquo illatam in contextum, delendam puto, & ſubſtituendum nomen, *multitudo*. Et fortaſſe hæc vox huc illata, eorum conjecturam adjuvat, qui ſupra, *benevolentiæ multitudinis*, legi volunt; qua lectione comprobata, ſubintelligetur vox, *multitudo*. LAMBIN. Abſit, ut, invitis libris, intrudamus vocem *multitudinis*: benevolentia capitur, hoc eſt, paratur beneficiis, pro quo ſtatim dicit: *Benefica voluntate benevolentia movetur*, nimirum hominum. Mirum hîc tricari nonnullos, cum ſint clara, & perſpicua. GRÆV.

Beneficiis capitur) In opt. libro, *carpitur*, ſcriptum eſt. *Carpere fructus*, in Paradox. *carpere corpus*, alibi: ſic *carpere* lanam mulieres dicimus. C. LANG. Male: vide notam præcedentem. Quod optime intellexit Auguſtus, qui teſte Tacito, *militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit*. Et ante pater ejus Iulius, de quo Sueton. in ejus vita cap. 26. *Quod ut adeptus eſt, altiora jam meditans, & ſpei plenus, nullum largitionis, aut officiorum in quemquam genus publice, privatimque omiſit*. Lege quæ ſequuntur. GRAV.

Benefica voluntate) *Benefica voluntas*, Senecæ dicitur *amica voluntas* II. de Benef. 5. *Qui tarde, & diem de die extrahens profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit, & tempus, & argumentum amicæ voluntatis*. Ceterum hac, quam oſtendit hic Cicero, via conſecutum eſſe tantam hominum benevolentiam Titum, ut *amor, & deliciæ generis humani* appellare-

ſpecie ſua commovet, maximeque quaſi perlucet ex eis, quas commemoravi, virtutibus: idcirco illos, in quibus eas virtutes eſſe remur, a natura ipſa diligere cogimur. Atque hæ quidem cauſæ diligendi graviſſimæ: poſſunt enim præterea nonnullæ eſſe leviores. Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici poteſt: ſi exiſtimabimur adepti conjunctam cum juſtitia prudentiam; nam & iis fidem habemus, quos plus intelligere quam nos arbitramur, quoſque & futura proſpicere credimus, & cum res agatur, in diſcrimenque ventum ſit, expedire rem, & conſilium ex tempore capere poſſe; hanc enim utilem homines exiſtimant, veramque prudentiam. Iuſtis autem & fidis hominibus, id eſt, bonis, ita fides habetur, ut nulla ſit in his fraudis injuriæque ſuſpicio. Itaque his ſalutem noſtram, his fortunas, his liberos rectiſſime committi arbi-

laretur ab omnibus, dicit Sueton. in ejus vita cap. 8. *Natura benevolentiſſimus*, ſc. erat, h. e. tam benefica erga omnes voluntate, ut diem ſe perdidiſſe diceret, quo nihil cuiquam præſtitiſſet. IDEM.

Maximeque perlucet) In duobus libris, *prolucet*, ſcribitur. In tertio, neque *perlucet*, neque *prolucet*, nec quidquam eorum loco. C. LANG. *Prolucet*, quod Langius in duobus vetuſtis repperit, ego ſpernendum non puto. *Pro* enim habet ſignificationem amplificandi, ac palam faciendi, ut in *prodi*, *provoca*, *protrahe*, *propelle*. Vide Feſtum. FR. FABRIT.

Quoſque & futura proſpicere credimus, & cum res agatur, in diſcrimenque ventum ſit, expedire rem, & conſilium ex tempore capere poſſe) Tali ingenio fuiſſe Themiſtoclem, & hac prudentia brevi Athenienſium benevolentiam ſibi paraſſe C. Nepos in ejus vita teſtatur: *Celeriter, quæ opus erant, reperiebat: quod & de inſtantibus, ut ait Thucydides, veriſſime judicabat, & de futuris callidiſſime conjiciebat. Neque minus in rebus gerendis promtus, quam excogitandis erat. Quo factum eſt, ut brevi tempore illuſtraretur*. Sic recte locum in editis male se habentem diſertiſſimus vir Auguſtus Buchnerus, lumen olim Wittembergæ conſtituit. Quia vero prudentes futura proſpiciunt, prudentiam vere dixerunt divinationem. Idem C. Nep. in Attic. vita de Ciceronis epiſtolis; *Sic omnia de ſtudiis principum, vitiis ducum, mutationibus reip. perſcripta ſunt, ut nihil in iis non appareat, & facile exiſtimari poſſit, prudentiam quodammodo eſſe divinationem*. Hæ ſunt illæ prudentum divinationes, certiores omnium augurum, haruſpicum, & hariolorum reſponſis. De se ipſe Cicero in epiſt. ad Cæcinnam lib. VI. 6. *Quo in bello nihil adverſi accidit, non prædicente me. Quare cum, ut augures, & aſtrologi ſolent, ego quoque augur publicus ex meis ſuperioribus prædictis conſtitui apud te auctoritatem augurii, & divinationis meæ; debebit habere fidem noſtra prædictio*. Vide quæ ſequuntur elegantiſſima. GRÆV.

Iuſtis autem, & fidis hominibus &c.) Vt se habet vulgata lectio: *fides* dicitur *haberi fidis hominibus*. Hoccine a Cicerone profectum tibi videtur? mihi neutiquam. Arbitror igitur legendum eſſe ceteris verbis deletis, *juſtis autem*, id eſt, *bonis viris ita fides habetur, ut &c.* Inſero vocem *viris*, ſecutus Victorium, & MSos omnes meos, & Oxon. Sic in c. 12. *Id ſi ab uno juſto & bono viro conſequebantur, eo erant con-*

arbitramur. Harum igitur duarum ad fidem faciendam juſtitia plus pollet : quippe cum ea ſine prudentia ſatis habeat auctoritatis, prudentia ſine juſtitia nihil valeat ad faciendam fidem ; quo enim quis verſutior, & callidior eſt, hoc inviſior & ſuſpectior, detracta opinione probitatis. Quamobrem intelligentiæ juſtitia conjuncta quantum volet habebit ad faciendam fidem virium ; juſtitia ſine prudentia multum poterit : ſine juſtitia nihil valebit prudentia.

10. Sed ne quis ſit admiratus, cur, cum inter omnes philoſophos conſtet, a meque ipſo ſæpe diſputatum ſit, qui unam haberet, omnes habere virtutes ; nunc ita ſejungam, quaſi poſſit quiſquam, qui non idem prudens ſit, juſtus eſſe : alia eſt illa, cum veritas ipſa limatur in diſputatione, ſubtilitas : alia, cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quamobrem ut vulgus, ita nos hoc loco loquimur, ut alios fortes, alios bonos

contenti. c. II. *Iuſtitiæ, ex qua una virtute boni viri appellantur*. Et I. 7. *Iuſtitia, ex qua boni viri nominantur*. Ex quibus conjicere eſt, ea verba, *id eſt bonis viris*, a Cicerone addita fuiſſe, ut explicarent vocem *juſtis*, non *fidis*. PEARCE.

Iuſtitia) Hic eſt probitas, & vitæ ſanctitas. Sic & apud Hebræos, & Græcos Novi Fœderis ſcriptores. Matth. v.20. Ὅτι ἐαν μὴ περισσευσῃ ἡ δικαιοσυνη ὑμων πλειον των Γραμματεων και Φαρισαιων. Vertit vetus interpres : *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum, & Phariſæorum* ; h. e. niſi ſuperaverit Phariſæorum juſtitiam, ſive vitæ integritatem. GRÆV.

Iuſtitia plus pollet) Cic. pro Planc. 25. *Virtus, probitas, integritas in candidato, non linguæ volubilitas, non ars, non ſcientia requiri ſolet. Vt nos in mancipiis parandis, quamvis frugi hominem, ſi pro fabro, aut pro textore emimus, ferre moleſte ſolemus, ſi eas artes, quas in emendo ſecuti ſumus, forte neſciverit ; ſin autem emimus, quem villicum imponeremus, quem pecori præficeremus, nihil in eo, niſi frugalitatem, laborem, vigilantiam eſſe curamus : ſic populus Romanus deligit magiſtratus, quaſi reipublicæ villicos : in quibus ſi qua præterea eſt ars, facile patitur ; ſin minus, virtute eorum, & innocentia contentus eſt*. IDEM.

Hoc inviſior, & ſuſpectior) Exemplo ſit, ne de aliis dicam, Alcibiades, verſutiſſimus mortalium, cum claſſis Athenienſium ei commiſſa funderetur, non fortuna belli, ſed fraude imperatoris cladem hanc ſe credebant accepiſſe : quia, ut Iuſtinus ait, *omnia credibilia in Alcibiade vigor ingenii, & morum luxuria faciebat*. IDEM.

Ad faciendam fidem virium) Conſtructio eſt : *habebit quantum virium volet, ad faciendam fidem*. PEARCE.

Iuſtitia ſine prudentia . . . . . valebit prudentia) Hæc verba mihi Ciceronis eſſe non videntur, ſed adjectitia, & eadem futilia, cum idem melius in præcedente ſententia dicatur, cumque poſt concluſionem, *quamobrem intelligentiæ* &c. præmiſſa (ut ita loquar) repeti non debeant. IDEM.

A meque ipſo ſæpe diſputatum ſit) De virtutum quaſi conſpiratione, & conſenſu, diſputat Cicero lib. V. de Finibus. Virtutes inter ſe nexas conjugataſque eſſe, docet idem Tuſcul. III. Mneſarchus quoque Athenis docuit, qui

bonos viros, alios prudentes dicamus. Popularibus enim verbis eſt agendum, & uſitatis, cum loquimur de opinione populari, idque eodem modo fecit Panætius. Sed ad propoſitum revertamur. Erat igitur ex tribus, quæ ad gloriam pertinent, hoc tertium, ut cum admiratione hominum honore ab iis digni judicaremur. Admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quæ magna, & præter opinionem ſuam animadverterunt: ſeparatim autem in ſingulis, ſi perſpiciunt nec opinata quædam bona; itaque eos viros ſuſpiciunt, maximiſque efferunt laudibus, in quibus exiſtimant se excellentes quaſdam, & ſingulares virtutes perſpicere: deſpiciunt autem eos, & contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant; non enim omnes eos contemnunt, de quibus male exiſtimant; nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putant, & ad faciendam injuriam inſtructos, eos contemnunt quidem neutiquam, ſed de his male exiſtimant. Quamobrem, (ut ante dixi) contemnuntur ii, qui

qui unam virtutem haberet, omnes habere, ut ait Craſſus lib. I. de Orator. Fr. Fabrit.

Popularibus enim verbis eſt agendum, & uſitatis, cum loquimur de opinione populari) Quod & facere se teſtatur alibi. Lib. I. de Leg. 6. *Sed quoniam in populari ratione omnis noſtra verſatur oratio, populariter interdum loqui neceſſe erit, & eam legem, quæ ſcripto ſancit, quod vult, aut jubendo, aut vetando, ut vulgus, appellare*. Gravius.

Cum admiratione hominum) Senſus eſt, hominibus nos admirantibus: ut dicitur in c. 19. *admiratio audientium*. Alibi eædem voces poſſunt ſignificare, cum nos admiramur homines; ut in c. 14. dicitur *admiratio dicentis*, cum intelligimus dicentem audientibus eſſe admirationi. Hoc monitum lectorem velim, ne ambigui ſenſus verba illa in errorem inducant. Pearce.

In quibus exiſtimant ſe excellentes quaſdam, & ſingulares virtutes perſpicere) Vel unica Semiramis hoc doceat, quæ cum, rebus multis præclare geſtis, fateretur, quæ ſit; *Non hoc*, inquit Iuſtin. I. II. *illi dignitatem regni ademit, ſed admirationem auxit, quod mulier non feminas modo virtute, ſed etiam viros anteiret*. Græv.

In quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant) Exemplo ſit ex eodem regno Sardanapalus, quem cum Arbaces vidiſſet mollitia corporis omnes feminas anteire, *negat, ſe ei parere poſſe, qui ſe feminam malit eſſe, quam virum*. Iuſtin. I. 3. Sic Numanus apud Virgilium IX. Æn. cum ſuos laudaſſet, quod in perpetuis laboribus nutriti etiam in ſenectute vires, & animum eumdem ſervarent, Trojanos deinde tamquam contrariis vitiis obnoxios ſic contemnit:

Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis
Deſidiæ cordi, juvat indulgere choreis.
O vere Phrygiæ, nec enim Phryges. Idem.

Eos contemnunt quidem neutiquam) Sic Langius, & Lambinus ediderunt, eodemque modo in uno ex MSis noſtris legitur. Ceteri cum vulgatis habent: *Haud eos contemnunt quidem, ſed de iis* &c. *Neutiquam* eſt nullo modo, ut de Senectu-

Digitized by Google

qui nec ſibi, nec alteri, ut dicitur; in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt. Admiratione afficiuntur ii, qui anteire ceteros virtute putantur, & cum omni carere dedecore, tum vero iis vitiis, quibus alii non facile poſſunt obſiſtere: nam & voluptates, blandiſſimæ dominæ, majores partes animi a virtute detorquent; & dolorum cum admoventur faces, præter modum plerique exterrentur: vita, mors, divitiæ, paupertas, omnes homines vehementiſſime permovent. Quæ qui in utramque partem excelſo animo magnoque deſpiciunt, cumque aliqua his ampla, & honeſta res objecta eſt, totos ad se convertit, & rapit: tum quis non admiretur ſplendorem pulcritudinemque virtutis?

II. Er-

Senectute: *Mihi vero, & Flacco neutiquam probari potuit*. Idem in commentario de virtutibus apud Soſipatrum: *Illud neutiquam probantes*. FR. FABRIT.

Qui nec ſibi, nec alteri, ut dicitur) Sic fere proverbiales ſententiæ efferuntur, quaſi vulgo, vel a primo verbo notæ. CAR. LANG. *Qui nec ſibi, nec alteri, ut dicitur*) Verbum, *proſunt*, quod eſt in vulgatis libris, non comparet in MSis, niſi quod in uno ſcriptum vidi ſupra vocem, *alteri*, alia manu, ſupple, *proſunt*, ex hoc fonte, ſcilicet in contextum manavit, cujus rei exempla ſunt in bonis libris innumerabilia, & plura, quam velle debeant, qui hæc ſacra tractant. LAMBIN. Verbum, *proſunt*, quod vulgo hîc additur, Langius, & Lambinus recte ſuſtulerunt; abeſt enim a MSis, & ſententiæ proverbiales raro integræ enuntiantur. FR. FABRIT.

Admiratione autem afficiunt ii) Sic legendum, libris omnibus invitis, non, ut vulgo, *admiratione afficiuntur*. Nam *admiratione* affici dicuntur, qui admirantur alterum: *admiratione afficere* autem ii, qui ſunt aliis admirabiles propter aliquam præſtantiam, ut hîc. LAMBIN. *Admiratione autem afficiuntur*) Lambinus edidit, *afficiunt*, atque ita legendum eſſe, libris omnibus invitis, affirmat: quod *admiratione affici* dicantur, qui admirantur alterum: *admiratione afficere* autem ii, qui ſunt aliis admirabiles propter aliquam præſtantiam, ut hîc. Ego hanc Lambini noſtri emendationem eo magis probo, quod Paulus Manutius in Variis lectionibus teſtatum reliquerit, eſſe libros antiquos, in quibus *afficiunt*, legatur. FR. FABRIT. Minime gentium librorum præſtantium ſcriptura eſt movenda. Nam *admiratione afficiuntur*, qui tales se præbent, ut eos homines admirentur & colant. Sic *honore affici* dicuntur, qui honorantur, *præmio affici*, in quos præmium confertur. Vide de iis, quæ admirationem, & æmulationem pariunt Ariſtotel. II. Rhet. 10. GRAV.

Voluptates, blandiſſimæ dominæ majores partes animi a virtute detorquent) Cic. I. de Legibus: *Imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium, cujus blanditiis corrupti, quæ natura bona ſunt, quia dulcedine hac, & ſcabie carent, non cernimus ſatis*. Hinc virtus apud Sil. Ital. XV.

Quippe nec ira Deûm, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola noces animis illapſa voluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris
Circa te ſemper volitans infamia pennis. IDEM.

Majores partes animi) Id eſt, rationem (ait Maturantius) quæ animi major pars eſt: nam *animus tres partes*

11. Ergo & hæc animi deſpicientia admirabilitatem magnam facit : & maxime juſtitia (ex qua una virtute viri boni appellantur) mirifica quædam multitudini videtur : nec injuria ; nemo enim juſtus eſſe poteſt , qui mortem , qui dolorem , qui exſilium , qui egeſtatem timet, aut qui ea , quæ his ſunt contraria , æquitati anteponit , maximeque admirantur eum , qui pecunia non movetur : quod in quo viro perſpectum ſit , hunc igni ſpectatum arbitrantur . Itaque illa tria , quæ propoſita ſunt ad gloriam , omnia juſtitia conficit : & benevolentiam , quod prodeſſe vult

tes habet (ut Platoni placuit) rationis, iræ , cupiditatis . Lucull. c. 39. *Eſt animus in partes tributus duas , quarum altera rationis eſt particeps , altera expers* . Tuſc. diſp. II. 20. Ita vox *majores* idem valebit , quod *potiores* . Sed notandum eſſe videtur, MSos Regios tres, & Lameth. habere , non *animi a virtute* , ſed *a virtute animi* . Hinc alii veram excogitent ſcriptionem ; nam mendoſus eſt , ut opinor , locus . Fortaſſe ſcripſit Cicero : *majorem partem a virtute detorquent* : ut vox *animi* videatur gloſſatoris eſſe , & voces *majorem partem* ſignificent majorem partem hominum ; nam de hominibus , non de partibus animi putes dixiſſe , cum ſequatur paulo poſt : *plerique exterrentur* . Sic *magna pars* , ſc. hominum, dicitur in Horat. Serm. I. VI. 90. & hic *major p rs* in l. 41. PEARCE . Quænam *animi* ſunt *partes majores*? Si cum Platonicis , aliiſque hominum animos in tres partes tribuas , το λογικον , το επιθυμητικον , & θυμικον , ex quibus poſteriora , tamquam partes majores , *detorqueri voluptatibus a virtute* intelligas , hærendum eſt in luto . Nam ſi per *majores* velis *plures* ex tribus , id , opinor , vix aures Latinæ paterentur ; ſi autem velis *potentiores* , aut *præſtantiores* , philoſophia Tulliana reclamet . Quod ſi animæ το λογικον harum cuivis adjunxeris , unde quæſo exſtiterint *tam excelſo , magnoque animo* viri , qui *deſpiciunt* & dolores, & voluptates , ut loquitur ipſe Cicero in ſequentibus , cum *omnium* hominum animæ ejuſdem plane ſint generis? Fruſtra eos quæras profecto, quorum tantam (ut ait) *virtutem admireris* , ſi res ita se habeat , & Ciceronem ipſum laqueis difficillimis indueris . At aliud , ni fallor , Noſter voluit , nempe *maximam partem hominum* iſtiuſmodi illecebris a virtute detorqueri , uti etiam *plerosque* dicit , *præter modum exterreri* , cum *dolorum admoventur faces* . Legerem itaque : *majoris partis animos* ; ut major idem ſit Noſtro, quod Horatio Serm. II. III. 121. *Maxima pars hominum* . CHAPMAN.

Animi deſpicientia) Intellige hæc dicta eſſe de illo, qui tam excelſo animo eſt , ut deſpiciat vitam , mortem , divitias , & paupertatem : hic eſt , qui facit , ut homines ipſum multum admirentur . PEARCE.

Mirifica quædam res) Poſtrema vox in noſtris MSis non legitur , nec eſt neceſſaria . Victorius quoque , & Langius eam non habent . FR. FABRIT.

Nemo enim juſtus eſſe poteſt , qui mortem , qui dolorem) Iuſti enim hominis eſt non timere mortem , exilium , egeſtatem pro patria . Nemo poteſt eſſe juſtus , qui pluris facit divitias, & voluptates, quam juſtitiam , & harum rerum cauſſa facit aliquid injuſte . GRÆVIUS .

Hunc dignum ſpectatu arbitrantur) Tres vet. libri : *Hunc igni ſpectatum arbitrantur* : q. d. omnibus numeris perfectum, ut ad aurum alluſio ſit , quod igni examinatur ; ſic dicimur aliquem ſpectare ex cenſu , ex voce , ex moribus , ut pro Roſcio Comœdo : *Nemo enim illum ex trunco corporis ſpectabat* . Sed magis placet recepta lectio , ut in Lælio : *Vir maximus & ſpectatus* . Et

vult plurimis : & ob eamdem cauſam , fidem : & admirationem , quod eas res ſpernit , & negligit , ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur . Ac mea quidem ſententia omnis ratio , atque inſtitutio vitæ adjumenta hominum deſiderat : in primiſque ut habeas quibuſcum poſſis familiares conferre ſermones , quod eſt difficile , niſi ſpeciem præ te boni viri feras . Ergo etiam ſolitario homini , atque in agro vitam agenti , opinio juſtitiæ neceſſaria eſt : eoque etiam magis , quod ſi eam non habebunt , injuſti habebuntur : nullis præſidiis ſepti multis afficientur injuriis . Atque iis etiam , qui vendunt , emunt , conducunt , locant , contrahendiſque negotiis implicantur , juſti-

Et alibi : *Femina ſpectatiſſima* . C. LANG.

Hunc igni ſpectatum arbitrantur) Cum & libri vet. tres , quibus Langius eſt uſus , & noſtri ſic habeant , *igni ſpectatum* , exiſtimavi me , qui pollicitus ſum hominibus , ad librorum MSorum normam & auctoritatem hanc editionem directurum , nihil mea fide , meoque officio alienum facturum, ſi ita edendum curarem . Eſt autem translatio ab auro optimo , perfectiſſimo , & putiſſimo . Ovid. *Scilicet , ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum* , &c. Velim tamen ſic legi : *hunc tamquam igni ſpectatum arb.* Omnino recepta & vulgata lectio mihi non probatur , *hunc dignum ſpectatu* : quod ſi quem hæc antiqua ſuboffendat , quæ non debet , neque vulgata placeat , fortaſſe non rejecerit cujuſdam viri docti conjecturam , qui putat legendum , *hunc virum ſpectatum arbitrantur* . Sed mihi omnino antiqua videtur recta , & ſincera , maxime ſi addatur , *tamquam* . LAMBIN.

Hunc igni ſpectatum arbitrantur) Hanc veterem ſcripturam primus , quod equidem ſciam , Petrus Balduinus in lucem protulit , ac ſimili Platonis loco ex VI. de Republ. confirmavit . Platonis verba ſunt : *Τον δε πανταχου ακηρατον εκβαινοντα , ωσπερ χρυσον εν πυρι βασανιζομενον , στατεον αρχοντα* &c. id eſt : *Cujus integritas in omnibus rebus cognita fuerit , tamquam aurum igni ſpectatum , is reip. adminiſtrationi eſt præficiendus* . Igni vero aurum optime probari , in vulgus notum eſt . Hoc Plato etiam lib. III. de Rep. *χρυσον εν πυρι βασανιζειν* , dicit . Ovidius : *Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum* . Hanc igitur lectionem Carolus Langius in tribus libris antiquis inventam , ut ipſe fatetur , immerito repudiavit : Lambinus vero , & Turnebus lib. XIX. Adverſar. cap. I. recte probant , & vulgatam illam . *Hunc dignum ſpectatu arbitrantur* , improbant . At enim Cicero *virum ſpectatum* ſæpe dicit , recte : *dignum* vero *ſpectatu* ubi umquam dixit ? Quem autem pecunia non moveri ſit perſpectum , eum non jam dignum ſpectatu , ſed ſatis ſpectatum , & cognitum dixeris . Eſt igitur retinenda vetus lectio , in qua ineſt translatio ab auro optimo , perfectiſſimo , & putiſſimo : quæ verecundior fiet , ſi legas , *Hunc tamquam igni ſpectatum* , idque Lambino placere intelligo . FR. FABRIT.

Solitario) Solitarius homo , & qui in agro vitam agit , ſumuntur hîc pro duobus generibus hominum . Aliter non regerent verba pluralis numeri , quæ proxime ſequuntur . FACCIOLAT.

Et nullis præſidiis ſepti) Vulgo abeſt *&* , ſed MSi Cant. & Reg. tert. habent *& nullis* &c. Sic hæc cum priore ſententia bene copulabitur . *Si eam* ſolitarii homines *non habebunt , injuſti habebuntur , & nullis præſidiis ſepti* . PEARCE.

Digitized by Google

juſtitia ad rem gerendam neceſſaria eſt : cujus tanta vis eſt , ut nec illi quidem , qui maleficio & ſcelere paſcuntur , poſſint ſine ulla particula juſtitiæ vivere ; nam qui eorum cuipiam , qui una latrocinantur , furatur aliquid , aut eripit ; is ſibi ne in latrocinio quidem relinquit locum : illi autem , qui archipirata dicitur , niſi æquabiliter prædam diſpertiat , aut interficiatur a ſociis , aut relinquatur : quin etiam leges latronum eſſe dicuntur , quibus pareant , quas obſervent . Itaque propter æquabilem prædæ partitionem , & Bardylis Illyrius latro , de quo eſt apud Theo-

Iuſtitia ad rem gerendam) Nonnulli libri veteres habent , *ad rem gubernandam* : ego legendum putarim potius vel , *ad remp. gerendam* , vel , *ad remp. gubern.* verumtamen nihil muto : non enim hic loquitur de Rep. gerenda , ſed de privata . Lambin. *Ad rem gerendam*) Conſentiunt in hac lectione noſtri libri manuſcripti cum vulgatis , nec cauſam video, cur quidquam mutetur ; rem enim gerunt , qui negotia contrahunt vendendo , emendo , &c. Fr. Fabrit.

Qui maleficio , & ſcelere paſcuntur) Hinc leno apud Terentium inquit :

Leno ſum , fateor , pernicies communis adoleſcentium ,
Perjurus , peſtis, tamen tibi a me nulla orta eſt injuria . Grav.

Clam furatur aliquid) *Clam* , in noſtris MSis , & Victorianis non legitur, in iiſdem eſt , *relinquit locum* : eſt vero hæc diſputatio apud Platonem extremo libro primo de Republ. unde Cicero expreſſit . Fr. Fabrit.

Is ſibi ne in latrocinio quidem relinquit locum) Plato I. de Republ. Δοκεις αν ἡ πολιν , ἠ ϛρατοπεδον , ἠ λῃϛας , ἠ κλεπτας , ἠ αλλο τι εθνος , ὅσα κοινῃ επι τι ερχεται αδικως , πραξαι αν τι δυνασθαι , ει αδικοιεν αλληλυς ; *An cenſes civitatem aliquam, vel exercitum , ſeu latrones , ſeu fures , vel alium quemvis cœtum hominum injuſte aliquid una aggredientium perficere poſſe quidquam , ſi injuria invicem ſe affecerint ?* Et ſtatim : Στασεις γαρ πυ , ὦ Θρασυμαχε , ἡγε αδικια , και μισῃ και μαχας εν αλληλοις παρεχει · ἡ δε δικαιοσυνη ὁμονοιαν και φιλιαν . *Seditiones , Thraſymache , injuſtitia inimicitias , contentioneſque inter illos parit : juſtitia vero concordiam, & amicitiam* . Grev.

Aut interficiatur a ſociis , aut relinquatur) Ita octo Manutii MSi, & omnes fere mei : ſed ut hæc lectio ſuum locum habeat , neceſſe eſt , ut (parentheſi interjecta) ante hæc verba ſubintelligantur , *cujus tanta vis eſt , ut* . Pearce .

Bargulus Illyrius) Quidam lib. *Bargulis* , alii *Barguris* . Car. Lang. *Et Bargulis Illyrius*) In quibuſdam libris, *Bargulus* hic latro nominatur . Etſi vero, cum Theopompi hiſtoria non exſtet , certi nihil de hoc afferre poſſum , conjectura tamen non omnino inani , ut puto , adducor , ut ſuſpicer, hunc eſſe *Bardylin* Illyrium, quem Theopompus opes regias apud Illyrios habuiſſe , atque a Philippo Amyntæ filio victum oppidis nominis Macedonici ceſſiſſe in Philippicis ſcriptum reliquerit : lege Diodorum Siculum lib. XVI. Fr. Fabrit. Hujus Bardylios filiam Bircennam uxorem duxit Pyrrhus , teſte Plutarch. in ejus vita . Grævius . *Bardylis Illyrius latro*) Is ab Helladio apud Photium in editis Cod. 279. Βραδυλλις dicitur his verbis : Βραδυλλις δε τις Ιλλυριων εϛρατηγησεν , ανθρακευς γεγονως . *Bradyllis carbonarius cum fuiſſet , Illyricum duxit exercitum* . Plutarcho autem in Pyrrho idem utique eſt Βαρδυλλις , cujus filiam duxit Pyrrhus Epiri rex uxorem, Βιρκενναν την Βαρδυλλιος τυ Ιλλυριων (ſc. βασιλεως) ; quod & verum ejus nomen videtur, quia duplicem λ in nominibus amabant Illyrii .

Cete-

Theopompum, magnas opes habuit, & multo majores Viriatus Luſitanus, cui quidem etiam exercitus noſtri, imperatoreſque ceſſerunt: quem C. Lælius, is, qui ſapiens uſurpatur, prætor fregit, & comminuit, ferocitatemque ejus ita repreſſit, ut facile bellum reliquis traderet. Cum igitur tanta vis juſtitiæ ſit, ut ea etiam latronum opes firmet, atque augeat, quantam ejus vim inter leges & judicia in conſtituta rep. fore putamus?

12. Mihi quidem non apud Medos ſolum, ut ait Herodotus, ſed etiam apud majores noſtros, juſtitiæ fruendæ cauſa videntur olim bene morati reges conſtituti. Nam

cum

Ceterum Diodoro etiam plane *Βαρδύλις ὁ τῶν Ἰλλυριῶν βασιλεὺς* Lib. XVI. quem Philippus Alexandri M. pater ſecundo regni ſui anno circ. Ol. CV. 2. fuſum fugatumque debellavit. Conf. etiam Henr. Valeſ. ad Excerpt. Hiſt. p. 121. ubi olim in hoc loco Ciceronis corrupte lectum *Bargulus*, teſtatur. CHAPMAN.

Viriatus Luſitanus) *Viriathus* libri meliores, & monumenta antiquitatis. Apud Appianum in Hiſpanica eſt *Οὐριάθης*, apud Diodorum in fragmentis lib. LII. *Οὐρίανθος*, ubi juſtitia ejus in prædæ partitione commemoratur. FR. FABRIT. In antiquis tamen monumentis, quæ in Luſitania ſunt inventa, & a Reſendio edita, ex quo habuit illa Gruterus, ſemper Viriatus ſcribitur. GRAV.

Quem C. Lælius, is qui &c.) Illud contigit circ. V. C. 609. Q. Fabio Max. & L. Hoſtilio Mancino Coſſ. quorum meminit ipſe Lælius apud Cicer. de Amicit. c. 25. ſuæque Præturæ eo anno geſtæ: *Meminiſtis*, inquit, *Q. Maximo fratre, Scipio, & L. Mancino Coſſ.... prætore me, quinquennio ante quam conſul ſum factus*. Plura de Viriato qui volet, adeat præter alios Diodor. Sic. in Fragm. apud Excerpt. Valeſ. p. 346. & Fragment. Lib. 32. & Appianum in Ibericis; qui de Lælio tamen nihil tradiderunt. Ceterum ut duo Scipiones Africani, ita duo etiam Lælii accurate diſtinguendi ſunt, pater, & filius, ne cum veterum ac recentiorum nonnullis graviſſime hallucinemur. Lælius pater comes erat fidiſſimus Scipionis Africani prioris (ejus nempe, qui Hannibalem profligavit bello Punico ſecundo) ac multa ſub eo præclare geſſit in Hiſpania, atque Africa. Lælius autem filius ſodalis erat ejus Scipionis Africani, Paulli filii, qui multis poſt annis Carthaginem delevit bello Punico tertio, floruitque circa V. C. 610. dictus etiam a literis & ſcientia *ſapiens*; idemque cum Scipione illo ſuo Terentii Comici familiaris. Vide Ciceron. Læl. c. 24. 25. Bentl. ad Hor. Carm. IV. 8. Tanaqu. Fabr. ad Donat. vit. Terent. ſub finem. CHAPMAN.

Qui ſapiens uſurpatur) I. e. cui communis vox, & diuturna conſuetudo tribuit cognomen ſapientis. Sed hic vocis ſenſus rariſſimus eſt. PEARCE.

Judicia, & conſtituta reip.) Duo ex MSis noſtris cum Victorio & Manutio legunt, *Judicia, & inſtituta reip.* Paulo poſt: *Fruendæ juſtitiæ*, non, *ſervandæ* eſt in libris vetuſtis. FR. FABRIT. Legendum omnino, ut eſt in Pithœanis excerptis, & jam ediderunt ante Langius, & Fr. Fabritius: *& judicia in conſtituta rep.* h. e. recte compoſita, & ordinata. Sic *triumviri reip. conſtituendæ*, & alia. GRAV.

Juſtitiæ fruendæ cauſſa videntur olim bene morati reges conſtituti) Imitatus eſt Ariſtotelem in lib. V. Pol. niſi quod ad reges tranſtulit Cicero, quæ Ariſtoteles de tyrannis dixit: *Οἱ δὲ τύραννοι ἐκ τοῦ δήμου, καὶ τοῦ πλήθους ἐπὶ τοὺς γνωρίμους, ὅπως ὁ δῆμος ἀδικῆται*

P 3 μηδὲν

cum premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute præſtantem, qui cum prohiberet injuria tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari jure retinebat. Eademque

μηδεν ὑπ' αὐτων : φανερον δ' εκ των συμβεβηκοτων· σχεδον γαρ οἱ πλειστοι των τυραννων γεγονασιν εκ δημαγωγων, ὡς ειπειν πιστευθεντες εκ του διαβαλλειν τους γνωριμους· αἱ μεν γαρ τουτον τον τροπον κατεστησαν των τυραννιδων. Tyrannus vero ex populo & multitudine ſumitur adverſus nobiles, atque illuſtres viros, ne quam populus ab eis injuriam accipiat: atque hoc ex eventis intelligere licet. Nam plerique omnes fere tyranni ex levibus populi cuſtodibus, ac ductoribus facti ſunt, (ſi dicere fas eſt) fidem apud populum conſecuti, claris, & illuſtribus viris falſo criminandis, & calumniandis; aliæ enim tyrannides hoc modo conſtitutæ ſunt. F. Vrsin.

Cum premeretur inops multitudo) Sic Moguntina editio omnium princeps, & Romana altera; neque aliter invenit in duobus ſuis MSis Aldus Nepos. Palatinus noſter uterque habet, *in otio, multitudo*. Guilielmio placebat, quod habebatur in tribus Suffridi MSis *premeretur in otio inops multitudo*; at mihi illud *in otio* natum videtur ab altero *inops*. Vulgati fere *premeretur initio multitudo*. Gruterus. Puto legendum *innoxia multitudo*, quæ ſine læſione alterius cuperet honeſte vivere. I. Fr. Gronov.

Ad unum aliquem confugiebant) Ariſtot. III. Polit. 11. *Hanc ob cauſſam Regum poteſtati ſe olim tradebant, quia rarum erat invenire viros multos virtute præſtantes*. Grev.

Qui cum prohiberet injuria tenuiores) *Prohiberet injuria*, id eſt, defendere ab injuria, ut Eraſmus recte obſervavit. Sic in Maniliana: *Erit igitur humanitatis veſtræ magnum eorum civium numerum calamitate prohibere*. Cæſar lib. V. de Bello Gallico: *Trinobantibus defenſis, atque ab omni militum injuria prohibitis*. Non igitur placet, quod in Victoriana editione legitur: *Cum prohiberet injuriam tenuioris*. Quod vero Langius ex libris antiquis legit; *Summos cum infimis pari jure pertinebat*; habent quoque ſic exemplaria noſtra manuſcripta: verum genus loquendi non agnoſco; neque exempla, quæ Langius profert, huic loco conveniunt. In uno MSo, veteri lectione abraſa legitur: *Summi cum infimis pari jure vivebant*. Lambinus veterem lectionem adjuvandam, itaque legendum eſſe putat: *Ad ſummos cum infimis paria jura pertinebant*, i. e. perveniebant, & permanabant, ut lib. I. de Nat. Deor. *Venæ in omnes corporis partes pertinentes*. Fr. Fabrit. *Prohiberet injuria tenuiores*) Ita MSi Mead. ſec. & Mill. Sed Victorius edidit *injuriam tenuioris*, quod habent tres Regii Codices cum aliis nonnullis: *tenuioris* vero errore videtur ibi ſcriptum fuiſſe pro *tenuioribus*. Hoc quidem Ciceronianum eſt, ut patet ex nota mea ad I. 16. At non minus a Cicerone agnoſcendum eſt *prohiberet injuria tenuiores*, i. e. patienda. Sic enim in Orat. pro Leg. Manil. c. 7. quem locum adduxit Fabritius: Et Virgil. Æn. I. 544.

. . . . . *Hoſpitio prohibemur arenæ*. Pearce.

Pari jure retinebat) *Pertinebant*, in omnibus libris erat. Sic de Nat. Deorum: *Nervi toto corpore pertinentes*. Et rurſum: *Deus pertinens per naturam cujuſque rei, per terras Ceres, per maria Neptunus* &c. Livius lib. XXIII. & lib. XXII. Varro, aliique loquuntur. Car. Lang. *Summos cum infimis pari jure retinebat*) Secutus ſum libros vulgatos. Nam MSi habent, *pertinebant*: unde ſuſpicor, locum eſſe corruptum, & lectionem vulgatam ex conjectura, & ingenio alicujus non indocti hominis eſſe natam: quam tamen non probo, exiſtimoque longe aliter eſſe adjuvandum, atque hoc modo eſſe legendum: *Ad ſummos cum infimis paria jura pertinebant*; *pertinebant* autem, id eſt, perveniebant & permanabant. Sic de Natura Deorum: lib. I. *Venæ in omnes corporis partes pertinen-*

Digitized by Google

demque conſtituendarum legum fuit cauſa, quæ regum. Ius enim ſemper quæſitum eſt æquabile; neque enim aliter eſſet jus: id ſi ab uno juſto, & bono viro conſequebantur, eo erant contenti: cum id minus contingeret, leges ſunt inventæ, quæ cum omnibus ſemper una, atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perſpicuum eſt, eos ad imperandum deligi ſolitos, quorum de juſtitia magna

rinentes, *δυνατοι*. Si quis tamen vulgatam retinere, & tueri volet, non valde pugnabo; ſic enim propemodum loquitur infra eodem libro: *Commoda civium non divellere, atque omnes æquitate eadem continere*. LAMBIN. Cave, mutes *retinebat*, nimirum in fide & officio. In I. ad Famil. 7. *Virum enim excellentem, & tibi tua præſtanti in eum liberalitate devinctum, nonnihil ſuſpicantem, propter aliquorum opinionem ſuæ cupiditatis, te ab ſe alienatum, illa epiſtola retinuiſti*. Ibid. *Qui nos, quos favendo in communi cauſſa retinere potuerunt, invidendo abalienarunt*. Inſigne habes hujus ſententiæ exemplum in Solone. Athenienſis reſpublica factionibus laborabat, & diſſidiis civilibus graviſſime. Potentiores oppreſſerant tenuiores propter æs alienum, ut aut cogerentur in nexu duram ſervire ſervitutem apud creditores, aut qui mollius habebantur, creditoribus ſextam partem fructuum omnium, quos capiebant ex ſuis, quos ipſi colebant, fundis pendere, unde dicti ſunt *θητες ἑκταμοριοι*. Confugiebat multitudo preſſa ad Solonem, qui præ ceteris civibus virtutis, & ſapientiæ fama florebat. Is vero leges tam æquas tulit, ut parem gratiam, ut Iuſtinus loquitur, ab omnibus traheret. *Σεισαχθεια* levavit tenuiores, factiones vero inter potentiores extinxit, & id effecit, ut æquis florerent legibus Athenæ, hoc eſt, ut æquitate conſtituta ſummi cum infimis pari jure uterentur. Vide Plutarchum in ejus vita. *Æquitas* hîc eſt illud æquum jus, ſive ut vocat, *par jus*, *æquabile jus*, *ισονομια*, quæ cives omnes iiſdem legibus ſubjicit, & reſpectu legum æquales facit, ut

Tros, Rutiluſve fuat, nullo diſcrimine habeatur. Dignitate, & ordinibus ſunt alii aliis ſuperiores, ſed non legibus. Si potentiſſimus, & princeps reip. tenui, & capite cenſo injuriam facit, æque pœnis legis eſt obnoxius, quam infimæ ſortis civis. GRÆV.

Ius enim ſemper quæſitum eſt æquabile) Ariſtot. lib. II. Pol. *Το μεν γαρ δικαιον, ισον δοκει ειναι. Iuſtum enim æquabile videtur eſſe*. F. VRSIN. Vide & H. Grot. de Iure Belli & Pacis lib. I. c. 1. GRÆV.

Eo erant contenti) Nec mirum. Talis enim juſtus, & bonus Rex non ſecus curam gerit ſuorum civium, ac bonus paſtor ſui gregis, aut pater ſuæ familiæ, ut Xenophon, & Plato docuerunt. IDEM.

Quæ cum omnibus ſemper una, eademque voce loquuntur) Imitatus hunc locum eſt Ammianus Marcellinus lib. XXVII. *Eupraxius Cæſarienſis Maurus, Magiſter ea tempeſtate memoriæ* &c. *nuſquam a ſtatu naturæ diſcedens intrepidæ, ſed conſtans ſemper, legumque ſimilis, quas omnibus una eademque voce loqui in multiplicibus advertimus cauſſis*. Cui ſententiæ affine eſt illud apud T. Livium in principio lib. II. *Leges rem ſurdam, & inexorabilem eſſe, ſalubriorem inopi, quam potenti, nil laxamenti, & veniæ habere, ſi modum exceſſeris*. Vt hæc annotavit ad Ammianum Marcellinum vir magnus Henricus Valeſius, ut & iſta ex Dionis Chryſoſtomi oratione de ſervitute verba: *Και μην ὁ νομος αυςηρος εςι, και απηνης· εθος δε ουδεν ηδιον. καθολον τους μεν νομους φασι ποιειν δουλων πολιτειαν*. *Etenim lex eſt ſevera, & immitis; conſuetudine vero nihil eſt jucundius. Omnino igitur ajunt, leges facere ſervorum rempublicam*. Sed Io. Fridericus Gronovius ὁ πανυ hunc locum oſtendit a Cicerone ſumtum ex Demoſthenis XIV. oratione adverſus Ariſto-

gna eſſet opinio multitudinis. Adjuncto vero, ut iidem etiam prudentes haberentur, nihil erat, quod homines his auctoribus non poſſe conſequi ſe arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda, & retinenda juſtitia eſt; tum ipſa propter ſeſe: nam aliter juſtitia non eſſet: tum propter amplificationem honoris, & gloriæ. Sed ut pecuniæ non quærendæ ſolum ratio eſt, ſed etiam collocandæ, quæ perpetuos ſumtus ſuppeditet, nec ſolum neceſſarios, ſed etiam liberales: ſic gloria & quærenda & collocanda ratione eſt. Quamquam præclare Socrates, hanc viam ad gloriam proximam, & quaſi compendiariam dicebat eſſe, ſi quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis eſſet. Quod

riſtogitonem: Ἅπας ὁ των ανθρωπων βιος, καν μεγαλην πολιν οικωσι, καν μικραν φυσει και νομοις διοικειται. Τουτων ἡ μεν φυσις εϛιν ατακτον και ανωμαλον, και κατ' ανδρα εκαϛον ιδιον του εχοντος, οἱ δε νομοι κοινον και τεταγμενον ταυτο πασιν. Vertit Wolfius: *Univerſa vita mortalium, ſive magnam urbem incolant, ſive parvam, natura & legibus regitur. At natura quidem confuſa, & inæqualis eſt, & a peculiari cujuſque pendet ingenio, leges autem communes & ordinatæ ſunt, & eædem univerſis*; vide ibi plura. Idem.

Adjuncto vero) Locutio elegans, & uſitata. Salluſt. lib. V. hiſtoriar. apud Priſcian. *At Lucullus audito Marcium Regem procoſ. per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere*. Et iterum: *Legiones Valerianæ comperto, lege Gabinia Bithyniam, & Pontum conſuli datam*. C. Lang. Verba *ut iidem etiam prudentes haberentur*, funguntur vice ſubſtantivi caſu ablativo, & ad participium *adjuncto* referenda ſunt, genere loquendi eleganti, & nonnumquam alibi uſurpato. Pearce.

Tum ipſa propter ſeſe) Divine Seneca ep. 113. *Sacra res eſt juſtitia, alienum bonum ſpectans, nihil ex ſe petens, niſi uſum ſui ... me juſtum eſſe gratis oportet; parum eſt ... me in hanc pulcherrimam virtutem ultro etiam impendere juvet ... non eſt quod ſpectes, quod ſit juſtæ rei præmium majus, quam juſtum eſſe*. Nam, ut alibi idem dicit, *rerum honeſtarum pretium in ipſis eſt*. Hinc qui ſic juſtitiam colit dicitur Ovidio V. de Triſt. el. 14.

... pretium, cui virtus ipſa petitum.

Græv.

Nam aliter juſtitia non eſſet) *Id enim ipſum injuſtiſſimum eſt, juſtitiæ mercedem quærere*, ut ait Cic. I. de Legib. Et IV. Academ. *Caritas, amicitia, juſtitia reliqua virtus eſſe nulla poteſt, niſi erit gratuita; nam quæ mercede aliqua ad officium pellitur, ea non eſt virtus, ſed fallax imitatio, ſimulatioque virtutis*. Idem.

Sic gloriæ quærendæ, & collocandæ ratio eſt) *Sic* omnes quidem libri habent: & ita legendum videtur, non ſic, *ſic gloriæ & quærendæ, & collocandæ ratio eſt*. Atque hoc modo operarii iſti ediderunt olim me imprudente, & inſcio, cum juſſiſſem lectionem vulgatam, & receptam ſervari, quæ eſt, *ſic gloria & quærenda, & collocanda ratione eſt*. Lambin.

Hanc viam ad gloriam proximam, & quaſi compendiariam dicebat eſſe, ſi quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis eſſet) Vide de hoc loco, & unde hauſerit Cicero hoc apophtegma Socratis, diſputantem P. Victorium Var. lect. lib. V. cap. 11. Græv.

Si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis eſſet) Quod & ICti inculcant, qui in D. monent, ut ſis quod eſſe velis, nihilque malis; ut & Horat. I. ep. 16.

Tu recte vivis, ſi curas eſſe, quod audis.

Euripides:

Ει μη δοκειν αριϛος, αλλ' ειναι θελης

Βαθ-

Quod ſi qui ſimulatione, & inani oſtentatione, & ficto non modo ſermone, ſed etiam vultu, ſtabilem ſe gloriam conſequi poſſe rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tamquam floſculi, decidunt, nec ſimulatum poteſt quidquam eſſe diuturnum. Teſtes ſunt permulti in utramque partem, ſed brevitatis cauſa, familia erimus contenti una. Tiberius enim Gracchus P. F. tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit. At ejus filii, nec vivi probabantur bonis, & mortui numerum obtinent jure cæſorum.

13. Qui igitur adipiſci veram gloriam volet, juſtitiæ fungatur officiis: ea quæ eſſent, dictum eſt libro ſuperiore. Sed, ut facillime, quales ſimus, tales eſſe videamur, etſi in eo ipſo vis maxima eſt, ut ſimus ii, qui haberi velimus, tamen quædam præcepta danda ſunt; nam ſi quis ab

Βαθειαν αυλακα δια φρενων καρπυμενος,
Εξ ἡς τα κεδνα βλαςανει βυλευματα.
Si non videri optimus, ſed eſſe velis,
Profundum ſulcum mentis conſerens,
Ex illa pulcra provenient conſilia.
IDEM.

Inani oſtentatione) Brevi detegitur oſtentatio, & irridetur, licet primo fallat. Phædrus lib. I.

Virtutis expers verbis jactans gloriam
Ignotos fallit, notis eſt deriſui.

Vide Terentii Thraſonem, & alios Comicorum pyrgopolinicas. IDEM.

Nec ſimulatum poteſt quidquam eſſe diuturnum) Quinctilian. lib. XII. cap. 1. *Prodit ſe, quamlibet cuſtodiatur ſimulatio: nec umquam fuerit tanta eloquendi facultas, ut non titubet, aut hæreat, quoties ab animo verba diſſentiunt. Vir autem malus aliud dicat neceſſe eſt, quam ſentit.* IDEM.

Tiberius enim Gracchus, Publii filius) Ex more veterum in Pithœi excerptis, & aliis vetuſtioribus libris, ut & editis: *Tiberius enim Gracchus*, P. F. IDEM.

Mortui nomen obtinent jure cæſorum) Libri veteres nonnulli habent *numen*, nonnulli *numer.*; ex quibus alii *nomen* fecerunt, alii *numerum*, quod magis probo, præſertim cum ſic plane habeant alii nonnulli veteres. Langius tamen edidit *nomen*: quem hîc non invitus olim ſecutus ſum. LAMBIN. *Nomen obtinent jure cæſorum*) Sic habent nonnulli libri manuſcripti, quos Langius, & Lambinus hîc ſecuti ſunt; in aliis eſt: *Numerum obtinent jure cæſorum*, id eſt, in iis, qui jure cæſi ſunt, numerantur; quod magis placet. FR. FABRIT. Non erat elegantiæ Langianæ immutare meliorum codicum, & primarum editionum ſcripturam tam elegantem. *Numerus* enim Ciceroni, aliiſque ſcriptoribus optimis ſæpiſſime ſtatus eſt, & conditio hominis. Cic. III. de Nat. Deor. 20.: *Errantes ſtellæ numerum Deorum obtinebunt.* Divin. in Cæcil. c. 19. *Cum is tibi parentis numero fuiſſet.* C. Nep. Epaminon. c. 7. *Erat enim ibi privatus numero militis.* Cæſar. II. de Bello Civili: *Reliquæ copiæ miſſis ad Varum noctu legatorum numero centurionibus, ſeſe ei dederunt.* I. FR. GRONOV. Apud quem plura vide I. Obſerv. c. 4. GRÆV. Quibus adde de Cl. Orat. c. 47. *Cneuſque Pompeius Sexti filius aliquem numerum obtinebat*, ſc. inter Oratores. Orat. Philipp. II. 29. *Quem locum apud ipſum Cæſarem obtinuiſti? quo numero fuiſti?* Multi MSi habent *nomen*: at vox *numerum* reperitur in tribus Regiis. PEARCE.

ſi

Digitized by Google

ab ineunte ætate habet cauſam celebritatis, & nominis, aut a patre acceptam, (quod tibi, mi Cicero, arbitror contigiſſe) aut aliquo caſu, atque fortuna, in hunc oculi omnium conjiciuntur, atque in eum, quid agat, quemadmodum vivat, anquiritur: & tamquam in clariſſima luce verſetur, ita nullum obſcurum poteſt nec dictum ejus eſſe, nec factum. Quorum autem prima ætas propter humilitatem,

Si quis ab ineunte ætate habet cauſam celebritatis, & nominis aut a patre acceptam) Si quis claris parentibus eſt natus. Nobilitatem multi ſunt, qui elevant, ut Socrates in Theæteto, qui ait, unumquemque noſtrum, cum innumeros majores habuerit, inepte jactare nobilitatem, cum in cujuſque hominis genere, & reges, & mendici, & liberi, & ſervi multi fuerint: eſſe itaque nobilitatem inane nomen. Sed nobilitatis tamen ſemper apud omnes gentes magnus fuit honos, magnum præmium, ut ea patefecerit poſteris viam ad magnas dignitates conſequendas, iis etiam, quos, ſi obſcuro fuiſſent genere prognati, nemo dignos habuiſſet adſpectu, & alloquio. Hinc nobilitatem vocat blandam conciliatriculam Cic. pro Sext. *Erat hominum opinioni nobilitate ipſa, blanda conciliatricula, commendatus: omnes boni ſemper nobilitati favemus, & quia utile eſt reipublicæ nobiles homines eſſe dignos majoribus ſuis, & quia valet apud nos clarorum hominum, & bene de rep. meritorum memoria etiam mortuorum.* Hos multis exemplis oſtendit Seneca, aliis etiam cauſſis additis, quam quas Cicero attulit, IV. de Benef. 30. *Non ſine ratione ſacra eſt magnarum virtutum memoria: & eſſe plures bonos juvat, ſi gratia bonorum non cum ipſis cadat. Ciceronem filium quæ res conſulem fecit, niſi pater? Cinnam nuper quæ res ad conſulatum recepit ex hoſtium caſtris? quæ Sextum Pompeium, alioſque Pompeios, niſi unius viri magnitudo? tanta quidem, ut ſatis alte omnes ſuos etiam ruina ejus attolleret. Quid nuper Fabium Perſicum, cujus oſculum etiam impuri vitabant, ſacerdotem non in uno collegio fecit, niſi Verrucoſi, & Allobrogici, & illi trecenti, qui hoſtium incurſioni pro rep. unam domum objecerant? Hoc debemus virtutibus; ut non præſentes ſolum illas, ſed etiam ablatas e conſpectu colamus. Quomodo illæ id egerunt, ut non in unam ætatem prodeſſent, ſed beneficia ſua etiam poſt ipſas relinquerent: ita & nos non una ætate grati ſumus. Hic magnos viros genuit, dignus eſt beneficiis, qualiſcumque eſt: dignos dedit. Hic egregiis majoribus ortus eſt: qualiſcumque eſt, ſub umbra ſuorum lateat. Ut loca ſordida repercuſſu ſolis illuſtrantur, ita inertes majorum ſuorum luce reſplendeant.* Euripides in Temeneſi apud Stobæum:

Φευ φευ. το φυναι πατρος ευγενους απο
Οσην εχει φρονησιν, αξιωμα τε.
Καν γαρ πενης ων τυγχανη χρηστος γεγως
Τιμην εχει τιν᾽ αναμετρουμενος δε πως
Το του πατρος γενναιον ωφελει τροπω.

Vertit Grotius:

Proh quanta res eſt, quam valens ad gratiam,
Claro parente ducere excelſum genus:
Nam qui bonis eſt natus, in re paupere
Retinet honorem, & decoris antiqui memor
Seſe ipſe contra tela fortunæ erigit.

GRÆVIUS.

Aut aliquo caſu) Qualis fuit Æmilius Lepidus, *qui puer etiam tum progreſſus in aciem, hoſtem interemit, civem ſervavit: cujus memorabilis operis index eſt in Capitolio ſtatua bullata, & incincta prætexta SC. poſita. Iniquum enim putavit, eum honori nondum tempeſtivum videri, qui jam virtuti maturus fuiſſet*; ut litteris prodidit Valer. Max. III. 1. ubi vide plura eorum exempla, quos caſus in adoleſcentia illuſtravit. IDEM.

Ita nullum obſcurum poteſt nec dictum ejus eſſe, nec factum) Itaque generis claritas, ut magnum adjumentum poſteris

Digitized by Google

tem, & obſcuritatem in hominum ignoratione verſatur, hi ſimul ac juvenes eſſe cœperunt, magna ſpectare, & ad ea rectis ſtudiis debent contendere; quod eo firmiore animo facient, quia non modo non invidetur illi ætati, verum etiam favetur. Prima igitur eſt adoleſcenti commendatio ad gloriam, ſi qua ex bellicis rebus comparari poteſt, in qua multi apud majores noſtros exſtiterunt: ſemper enim fere bella gerebantur. Tua autem ætas incidit in id bellum, cujus altera pars ſceleris nimium habuit, altera felicitatis parum. Quo tamen in bello, cum te Pompeius alæ alteri præfeciſſet, magnam laudem, & a ſummo viro, & ab exercitu

ris eſt ad gloriam, & decus, ſic, ſi a virtute majorum deficiant poſteri, nobilitatis ſplendor lumen quaſi eis præfert ad prodendam infamiam, & omnium oculis, & probris objiciendam. Præclare Marius apud Salluſt. in Iugurthin. c.85. *Profecto ita ſe res habet: majorum gloria poſteris quaſi lumen eſt: neque bona eorum, neque mala in occulto patitur.* Vide Iuvenalis Sat. VIII. In excerptis Pithœi legitur: *Ita ut nullum obſcurum poſſit nec dictum ejus eſſe, nec factum*; ſed vulgata non eſt ſollicitanda. IDEM.

In hominum ignoratione) Caveat lector, ne labatur hic in ſenſu vocis *ignoratione*: de iis hoc dicitur, non qui ignorant homines; ſed qui ab hominibus ignorantur, quique minus cogniti ſunt propter generis humilitatem, & obſcuritatem. Ita rurſus Cicero loquitur in III. 17. *Qui ignoratione omnium propoſita*, i. e. qui propoſito, ut omnes ejus factum ignorent. PEARCE.

Rectis ſtudiis) Virtute, labore, probis inſerviendo, non ambitione vulgi, largitionibus, conviviis, aliiſque malis artibus. Vide Marii modo laudatam orationem apud Salluſtium. GRAV.

In qua multi apud majores noſtros exſtiterunt) Bellicæ enim rei, & eloquentiæ ſtudebant Romani, ceteras artes fere negligebant, & Græcis relinquebant.

Duo ſunt quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli, & ſapientia pacis;

ut Sulpitia canit. Sane omnes Romani poſt annum tyrocinii militiæ nomen dabant. Non poterant, niſi militaſſent, adſpirare ad civiles dignitates ullas. IDEM.

Alæ alteri præfeciſſet) Alæ tum temporis dicebantur equitum turmæ ex provincialibus conſcriptæ, quas in legionariarum XXX. turmarum locum, quæ olim legebantur ex equeſtri ordine, addebantur tum legionibus: erant autem nonnumquam quinquagenariæ, nonnumquam milliariæ, ſub primis certe Imperatoribus, ut pluribus diſputat vir genere & ingenio ſummus Herm. Rhabodus Schelius in accuratiſſimis diſſertationibus ad Hyginum, & Polybium de caſtris Romanorum. Vides autem non primum fuiſſe Auguſtum, qui liberis Senatorum militiam auſpicantibus, cum tribunatum legionis, tum præfecturas alarum dederit, ut Suetonius notat in ejus vita, ſed hoc jam feciſſe Pompeium. Sed quæ eſt illa *altera ala*? Singulæ legioni una tantum ala addebatur. Vereor, ne τo *alteri* natum ſit vitiô librarii oſcitantis ex voce *alæ* forte bis repetitæ, ideoque delendum, & ſcribendum *cum te Pompeius alæ præfeciſſet*. Nam licet duæ alæ legioni adjicerentur, aut plures eſſent in exercitu, & loqueretur de alis ſociorum, quis tamen intelligeret, quæ eſſet ala altera, ſi non legionis nomen adſcribatur? Sed hæc omnia ſunt abſurda iis, qui militiam Romanorum norunt. Itaque perſuaſiſſimum habeo, τo *alteri* expungendum eſſe. GRAV. Ego vero potius

citu conſequebare equitando, jaculando, omni militari labore tolerando; atque ea quidem tua laus pariter cum repub. cecidit. Mihi autem hæc oratio ſuſcepta non de te eſt, ſed de genere toto: quamobrem pergamus ad ea, quæ reſtant. Vt igitur in reliquis rebus multo majora ſunt opera animi, quam corporis: ſic hæ res, quas perſequimur ingenio ac ratione, graviores ſunt, quam illæ, quas viribus. Prima igitur commendatio proficiſcitur a modeſtia, tum pietate in parentes, tum in ſuos benevolentia. Facillime autem, & in optimam partem cognoſcuntur adoleſcentes, qui

potius puto (ſi qua menda in hoc loco inſit) vocem *alteri* ſuum ortum debuiſſe voci *altera*, quæ proxime præceſſerit, quæque in MSis nonnullis, quos vidi, ſupra caput vocis *alteri* in priore linea poſita ſit. At, ne Grævii conjecturæ totus aſſentiar, faciunt MSi, qui omnes *το alteri* exhibent. Video etiam Corn. Nepotem in vita Eumenis c. 1. dixiſſe: *Noviſſimo tempore præfuit etiam alteri equitum alæ, quæ heterice appellabatur*, pro quo idem dixit in c. 13. *In his* (annis) *uni equitum alæ præfuiſſet*. De ſenſu vocis *alterius* amplius deliberandum eſſe arbitror. Pearce.

Graviores) *Gratiores* habent Victorius, Manutius, Lambinus, aliique veteres editores: ita etiam MSi tres Regii, Mead. ſec., & Mill. Quod placet, quia hîc Cicero de iis rebus loquitur, quæ adoleſcentem commendant, gratumque faciunt. Idem.

Modeſtia) Mire hæc facit ad conciliandos hominum animos. Sophocl. Ajac. Flagell.

Φευ φευ το σωφρον ὡς ἁπανταχου καλον
Και δοξαν ἐσθλην ἐν βροτοις κομιζεται.
Heu heu! quam ubique pulcra eſt modeſtia,
Et egregiam gloriam inter homines affert.

Exemplum vivum eſt Demetrius Philippi Macedoniæ Regis filius, a patre miſſus Romam ad ſatisfaciendum ſenatui, qui modeſtia ſua veniam patri, non jure defenſionis, ſed patrocinio pudoris obtinuit, auctore Iuſtino lib. XXXII. 2. Vide ſuperius lib. I. c. 34. Grav.

Tum pietate) Duæ particulæ *tum* inſerviunt conjunctioni, non ordini. Ait igitur, primam & potiſſimam commendationem oriri a modeſtia, & pietate in parentes, & in ſuos benevolentia. Facciol.

Pietate in parentes) De illo enim magna ſibi promittunt, ut Athenienſes de Cimone: *Cujus magnitudinem futuram pietatis documenta prodiderunt. Quippe patrem ob crimen peculatus in carcerem conjectum, ibique defunctum, tranſlatis in ſe vinculis, ad ſepulturam redemit*, ut Iuſtinus ait II. 15. Quod non ignorarunt imperatores, qui mimo pietatis, cum adirent imperium, populi benevolentiam aucupabantur. Edictum primum, quo Tiberius, Auguſto mortuo, cogebat ſenatum, erat: *De honoribus parentis conſulturum, neque abſcedere a corpore, idque unum ex publicis muneribus uſurpare*. Tacit. I. Ann. 7. Claudius ſtatim cum ſuſcepiſſet imperium, *converſus ad officia pietatis, jusjurandum neque ſanctius ſibi, neque crebrius inſtituit, quam per Auguſtum*. Vide multa apud Sueton. Claud. c. 11. & ſimilia de Nerone cap. 8. *Orſus hinc a pietatis oſtentatione Claudium apparatiſſimo funere elatum laudavit, conſecravitque*; & quæ ſequuntur. Grav.

Facillime autem eſt in optimam partem) Editiones Lambini, & Brugnoli Ven. 1514. delent copulam *&*, quæ rectius fortaſſe abeſſet; *facillime* enim *cognoſci*, non eſt commendatio adoleſcentis, ſed *facillime in optimam partem cognoſci*, ſive cognoſci ob id, quod laudandum eſt. Pearce.

Qui

Digitized by Google

qui ſe ad claros, & ſapientes viros, bene conſulentes reip. contulerunt: quibuſcum ſi frequentes ſint, opinionem afferunt populo, eorum fore ſe ſimiles, quos ſibi ipſi delegerint ad imitandum. P. Rutilii adoleſcentiam ad opinionem & innocentiæ, & juris ſcientiæ P. Mucii commendavit domus; nam Lucius quidem Craſſus, cum eſſet admodum adoleſcens, non aliunde mutuatus eſt, ſed ſibi ipſe peperit maximam laudem ex illa accuſatione nobili, & glorioſa; &, qua ætate qui exercentur, laude affici ſolent (ut de Demoſthene accepimus) ea ætate L. Craſſus oſtendit, id ſe in foro optime jam facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari.

14. Sed

Qui ſe ad claros, & ſapientes viros, bene conſulentes reip. contulerunt) Vide ſuperius ad lib. I. c. 34. GRÆV.

P. Rutilii adoleſcentiam) Recenſetur etiam inter diſcipulos P. Mutii a Pomponio de Orig. Iur. §. 40. Ejus adoleſcentis familiaritate delectatus eſt C. Lælius ſapiens: Cic. in Læl. Bello Numantino Tribunus militum ſub Scipione militavit, cujus hiſtoriam poſtea litteris mandavit: Appian. in Iberic. Tribunus plebis C. Hoſtilium Mancinum Conſularem a patre patrato Numantinis deditum, & non receptum, cum Romam rediiſſet, in Senatum venire non dubitantem, e Senatu juſſit educi, quod eum civem negaret eſſe. Cic. I. de Orat. 40. Conſulatum geſſit A. V. 648. collega Cn. Mallio, vel Manlio Cn. F. Maximo, ut eſt in nummo aureo apud Golz. Poſt Conſulatum Q. Mucio P. L. P. M. Scævolæ Aſiæ Proconſuli legatus fuit. Epit. Liv. 70. De ſcriptis ejus vide Cujacium II. Obſerv. 27. & Torrent. ad Sueton. Aug. 89. RUPERTUS.

P. Mucii) Hic eſt P. Mucius P. F. Q. N. P. PRON. Scævola Coſ. fuit A. V. 620. collega L. Calpurnio Piſone Frugi. Pontificatum maximum adeptus eſt, occiſo fratre P. Licinio Craſſo Muciano ab Ariſtonico in Aſia. Tertius ejus frater fuit Q. Mucius Scævola Augur. Omnes tres æque virtutis, ac integritatis, ac Iuriſprudentiæ laudibus floruerunt. P. Mucium Pontificem Cicero in Bruto vocat Iuriſconſultorum diſertiſſimum. Sed & filius ejus Q. Mucius Scævola juris fuit peritiſſimus. Vide de his Muciis Rupertum ad Pompon. de Orig. Iuris §. 39. & 41. GRÆV.

L. quidem Craſſus) Annos natus unum & viginti, ut Cicero teſtatur III. de Orat. ſed ſecundum auctorem dialogi de Cauſſis Corruptæ Eloquentiæ, quem Quinctilianum eſſe nullus dubito, c. 34. annos natus undeviginti C. Carbonem accuſavit, & damnavit. De quo Cicero multis in locis. In Bruto de claris oratoribus: *Craſſus verſatus eſt in omni fere genere cauſſarum. Mature in locum principum cauſſarum venit. Accuſavit C. Carbonem eloquentiſſimum hominem admodum adoleſcens: ſummam ingenii laudem non modo, ſed etiam admirationem eſt conſecutus*. Plura ibi vide. IDEM. Quaſi Cicero dixiſſet: Excipio quidem Lucium Craſſum, qui non, ut Rutilius, aliique fere, aliquem ſibi ad imitandum delegerit. Hæc videtur vis eſſe conjunctionis *nam*. PEARCE.

Exercentur) Ii intelliguntur, qui domi ſeſe declamitando exercebant, ut paratiores poſtea ad cauſas in foro dicendas accederent. IDEM.

Id ſe in foro optime jam facere) Hæc eſt vera hujus loci lectio, quam ante Langium Victorius publicavit. Quod autem in vulgatis quibuſdam, *jam præmeditatum*, in aliis *impræmeditatum* legitur, id e gloſſemate irrepſiſſe, veterum librorum auctoritas demonſtrat. FR. FABRIC.

Quod etiam tum poterat cum laude meditari) Locus erat corruptiſſ. *Meditari*

Digitized by Google

14. Sed cum duplex ratio ſit orationis, quarum in altera ſermo ſit; in altera contentio: non eſt id quidem dubium, quin contentio orationis majorem vim habeat ad gloriam; ea eſt enim quam eloquentiam dicimus; ſed tamen difficile dictu eſt, quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitaſque ſermonis. Exſtant epiſtolæ & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Caſſandrum, & Antigoni ad Philippum filium, trium prudentiſſimorum, (ſic

tari eſt exercere, & tam ad corpus, quam ad animum pertinet. Itaque *domi meditari*, pro periclitari, & declamatorio genere ſeſe exercere dixit. Intelligit autem nobilem illam Carbonis accuſationem, de qua ipſe in Bruto; & Tacitus de Oratoribus: L. Craſſus, inquit, anno ætatis nono decimo C. Carbonem accuſavit: uno & viceſimo Cæſar Dolabellam. Car. Lang. *Etiam* mihi valde ſuſpectum eſt. Sententia ſane facilior erit, & concinnior, ſi id deleveris. Graevius. Cenſeo, vocem *etiam* male hunc locum occupaſſe: nam *etiam* ante *tum* non modo non prodeſt, ſed etiam obeſt ei, quod hic de Craſſo dicitur: neque enim alio, quam illo adoleſcentiæ ſuæ tempore poterat id *domi cum laude meditari*. Quocirca libenter ordinem verborum ſic diſpoſuerim: *Id ſe in foro optime etiam jam facere, quod tum poterat* &c. vel ſic potius: *Id ſe in foro optime jam facere, quod tum poterat domi etiam cum laude meditari*. Pearce.

Quin contentio orationis majorem vim habeat etiam ad gloriam) Hæc eſt ſcriptura Palatinorum, a quibus nihil abit F. aut Romana ed. prima, niſi quod ea *& ad gloriam*; ſicque etiam ſeqq. edd. præterquam quod deſtituantur illo *&*: at poſteriores: *Orationis plurimum poſſit, & ad majorem vim habeat ad gloriam*. Lambinus vero: *Plus poſſit, majoremque vim habeat & ad gratiam, & ad gloriam*. Valde licenter. Gruter. Recte Gruterus. Sed τo *etiam*, aut quod in aliis eſt *&*, exſcindendum quoque, auſpiciis editionis primæ, & meliorum aliarum. Debet ſane deleri, ſententia quoque, & recte loquentium conſuetudine poſtulante. Graevius.

Quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitaſque ſermonis) Nam ſecundum Tragicum veterem:

Εν δ' ευπροσηγορουσιν εϛι τις χαρις.

In comitate magna vis eſt gratiæ, ut vertit H. Grotius. Contra, quam abſurda ſit arrogantia, & faſtus, egregie docet Plutarch. diſſert. ad princ. ineruditum: Νυν ουκ εχοντες οἱ πολλοι των βασιλειων και αρχοντων μιμουνται τους ατεχνους ανδριαντοποιους, οἳ νομιζουσι μεγαλους και ἁδρους φαινεσθαι τους κολοσσους, αν διαβεβηκοτας σφοδρα, και διατεταμενους, και κεχηνοτας πλασσωσι. και γαρ ουτοι βαρυτητι φωνης, και βλεμματος τραχυτητι, και δυσκολια τροπων, και αμιξια διαιτης ογκον ἡγεμονιας, και σεμνοτητα μιμεισθαι δοκουσιν, ουδ' ὁτιουν των κολοσσικων διαφεροντες ανδριαντων, οἱ την εξωθεν ἡρωικην και θεοπρεπη μορφην εχοντες, εντον εισι γης μεϛοι και λιθου και μολυβδου. *Plerique principum, atque regum ob amentiam imitantur imperitos ſtatuarios, qui exiſtimant, coloſſos ſuos magnos, & venuſtos futuros, ſi tibiis quam maxime diductis diſtentos, & hiantes finxerint: ſic iſti gravitate vocis, & vultus torvitate, & morum aſperitate, & averſatione conſuetudinis aliorum majeſtatem imperii præ ſe ferre putant: nihil omnino differunt tamen ab iſtis coloſſis, qui foris heroica, aut divina forma ſunt, intus terra, lapidibus, & plumbo ſunt repleti*. Idem.

Et Antigoni ad Philippum filium) Ita legitur in libro manuſcripto, cum in vulgatis deſit vox *filium*. F. Ursin. Illud *filium*, quamvis exſtet in codicibus nonnullis, eliminandum cenſuerim, velut Noſtro ſuppoſitum. Ex omnibus enim Antigonis apud Græcos Regibus, vel Ducibus, ne unus quidem erat, cujus dari ad *Philippum filium* epiſtolas credibile ſit. Antigonus primus,

(ſic enim accepimus) quibus præcipiunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant, militeſque blande appellando deliniant. Quæ autem in multitudine cum contentione habetur oratio: ea ſæpe univerſam excitat. Magna eſt enim admiratio copioſe, ſapienterque dicentis: quem qui audiunt, intelligere etiam, & ſapere plus quam ceteros arbitrantur. Si vero ineſt in oratione miſta

primus, Alexandri inter ſucceſſores celeberrimus, habuit quidem filium Philippum, at Demetrio Poliorceta filio altero annis aliquot *minorem natu*, & nullius nominis, quique obiit in prima juventute, Plutarcho teſte: *Αντιγονῳ δυοιν υιων . . . γενομενων . . . τον μεν Φιλιππον, ȣ πολλοις ετεσι τȣ Δημητριȣ νεωτερον οντα συνεβη τελευτησαι. Cum Antigonus duos ſuſcepiſſet filios . . . At Philippus non multis annis Demetrio minor forte deceſſit*: in Demetr. Vnde vero abſimile fuerit, ut ad hunc, prætermiſſo Demetrio ſummæ ſpei juvene, & patri in deliciis, Antigonus præcepta ſcriberet. Antigonus autem *Gonnatas* dictus, Demetrii illius filius, quique regnum Macedoniæ obtinuit, nullum genuit filium, quod ſcimus, *Philippum* nomine, ſed heredem imperii reliquit *Demetrium* puerulum (Iuſtin. XXVI. 2.) cui frater minor erat ultimus Antigonorum, *Doſon*, & *Soter* nuncupatus. Hujus quidem Demetrii filius erat *Philippus*, cui, mortuo patre cum infans adhuc eſſet, tutor datus eſt Antigonus ille *Soter*, ejuſque matre in matrimonium accepta, fuit ipſi vitricus, & rex interea Macedonum (Polyb. lib. II. p. 183. lib. IV. p. 485. Iuſtin. XXVIII. 3.) Atque huic quidem Antigono epiſtolas illas, de quibus Cicero, tribuendas omnino exiſtimem, propter viri ſapientiam, virtutem, & gloriam ſummam. Eum præconiis immortalibus ornavit Polybius, ſcriptor ipſe graviſſimus; quin & ea ipſa in illo prædicavit, unde natas Epiſtolas crediderís. Nam *Αντιγονος*, inquit, *καλως μεν ζων προεστη της τε βασιλειας και τȣ παιδος αυτȣ· καλως δε, τον βιον μεταλλαττων, προενοηθη προς το μελλον, περι παντων των πραγματων*, κ. τ. λ. p. 485. *Antigonus & dum viveret qua Regnum, qua Puerum ipſum ſapienter rexit: & cum moreretur rebus omnibus in poſterum providit* &c. Conf. lib. V. p. 499. 500. Hinc utique is animus, eæ artes, eæ vires poſtea Philippo, ut Græciæ univerſæ terrorem incuteret, Romaniſque ipſis arma intentaret. Hinc porro eum facili errore Antigoni *filium* Scholiaſtes aliquis appellavit, quem Cicero ipſe *privignum* potius dixiſſet. CHAPMAN.

Blando appellando ſermone deliniant) Tres libri veteres non habent, *ſermone*; alii, *blando appellando ſermone deleniunt*, ſeu *deliniunt*, quos ſequimur: vulgati, *blande appellando ſermone deliniant*, quæ lectio ferri non poteſt. LAMBIN.

Ea ſæpe univerſam excitat) Lib. manuſcriptus unus habet: *Ea ſæpe univerſam excitat turbam, vel gloriam*. Ex quo facile conjicio, dictionem *gloriam*, ex indocto aliquo gloſſematio irrepſiſſe; nam *univerſam* refertur ad multitudinem. Quid vero ſignificet *univerſam excitare gloriam*? CAR. LANG. *Ea ſæpe univerſam excitat, magna eſt &*) Vocem *gloriam*, quæ reperitur in libris vulg. poſt verbum *excitat*, in manuſcr. vero nullum ejus exſtat veſtigium, funditus delevi; quæ ſine dubio ab aliquo ſciolo adjecta eſt, qui non videret ſubintelligi *multitudinem*, & repeti e ſuperiore. LAMBIN. *Ea ſæpe univerſam excitat*) Vulgo additur *gloriam*; quod Langius recte ſuſtulit, & notat *univerſam* referri ad multitudinem; quod vero alii, *univerſam gloriam*, ſummam, & perfectam interpretantur, non placet. FR. FABRIT.

Si vero ineſt in oratione miſta modeſtia gravitas) Pith. excerpta: *Si vero ineſt in oratione miſta modeſtia, & gravitas*. GRAEVIVS.

Sed

miſta modeſtiæ gravitas, nil admirabilius fieri poteſt; eoque magis, ſi ea ſunt in adoleſcente. Sed, cum ſint plura cauſarum genera, quæ eloquentiam deſiderant, multique in noſtra repub. adoleſcentes, & apud judices, & apud ſenatum dicendo laudem aſſecuti ſint, maxima admiratio eſt in judiciis: quorum ratio duplex eſt; nam & ex accuſatione, & defenſione conſtat: quarum etſi laudabilior eſt defenſio, tamen etiam accuſatio probata perſæpe eſt. Dixi paullo ante de Craſſo; idem fecit adoleſcens M. Antonius; etiam P. Sulpicii eloquentiam accuſatio illuſtravit, cum ſeditioſum & inutilem civem C. Norbanum in judicium vocavit. Sed hoc quidem non eſt ſæpe faciendum, nec umquam niſi

Sed cum ſint plurima cauſarum genera) *Plura* Langius; quod noſtri libri manuſcripti probant. Fr. Fabrit.

Nam ex accuſatione, & defenſione) Rectius Pith. excerp. *nam & ex accuſatione, & defenſione conſtat*. Græv.

Tamen etiam accuſatio probata perſæpe) Plerique olim adoleſcentes famam captabant accuſatione. Plutarchus in Lucullo, cum ſcripſiſſet admodum juvenem accuſaſſe patris ſui accuſatorem Servilium Augurem, eamque rem probaſſe populum Romanum, tamquam excelſi animi, & decoris plenam, ſubjicit hæc verba: Εδοκει δε και αλλως αυτοις (Ρωμαιοις) ανευ προφασεως ουκ αγενες ειναι το της κατηγοριας εργον. αλλα και πανυ τους νεους εβουλοντο τοις αδικουσιν επιφυομενους οραν, ὥσπερ θηριους ευγενεις σκυλακας. *Videbatur alioquin Romanis, vel nulla cauſſa juſta ſuppetente, res non pudenda accuſatio, ſed delectabantur juvenibus improbos conſectantibus ad inſtar canum generoſorum, qui feras perſequuntur*. Idem.

Niſi aut reip. cauſa, ut ii quos ante dixi, aut ulciſcendi) Has ſeptem voces: *Ut ii quos ante dixi; aut ulciſcendi*, ex libro Gallico velut poſtliminio recepi; quas homines Chriſtiani tamquam ultionem approbantes, expulerant. Intelligit autem M. & L. Lucullos fratres, qui Servilium Augurem accuſarunt: quo accuſatore L. Lucullus ipſorum pater damnatus fuerat repetundarum, ut Plutarchus narrat, & ipſe Cicero in Lucullo. Item de provinciis conſular. *Quæ fuerunt*, inquit, *inimicitiæ in civitate graviores quam Lucullorum, atque Serviliorum, quas in viris fortiſſimis non ſolum extinxit Reip. dignitas, & ipſorum, ſed etiam ad amicitiam conſuetudinemque traduxit*. Non negaverim tamen etiam receptam ſcripturam retineri poſſe. Nam & reip. cauſſam in Servilii accuſatione prætexuere Luculli. Car. Lang. *Ut ii quos ante dixi: aut ulciſcendi*) Hæc verba, quæ in omnibus exemplaribus deſiderabantur, Carol. Langius ex libro Gallico reſtituit, ea autem Ciceronis eſſe, ipſa veritas pervincit; nam & Carbonem Craſſus, & Antonius, & Norbanum Sulpicius reipub. cauſa accuſarunt. Duo autem Luculli, L. & M. admodum adoleſcentes paternas inimicitias magna cum gloria ſunt perſecuti, & patris ſui accuſatorem Servilium Augurem accuſarunt. Cicero, & Plutarchus in Lucullo. Fr. Fabrit. Vides, recentiſſimas editiones non ſemper emendatiſſimas eſſe. Sine dubio recte has voces ex veteri codice reſtituit Langius. Non potuerunt ex cerebro librariorum profluxiſſe. Superant enim hæc eorum captum, & eos fugiebat hæc hiſtoria parum vulgo cognita, de Lucullis paternas inimicitias perſequentibus. In meo libro eſt lacuna multarum paginarum, ut in illo nihil ſubſidii hic nobis ſuppeditet. Græv.

Pro

piſi aut reipub. cauſa, ut ii, quos ante dixi; aut ulciſcendi, ut duo Luculli; aut patrocinio, ut nos pro Siculis; pro Sardis; pro M. Albutio Iulius: in accuſando etiam M' Aqui-

Pro Sardis; pro M. Albucio Iulius) T. Albucius homo Epicureus pro Pr. in Sardinia piratas ſuperavit: inde inſolentius ſe geſſit, & velut triumphi ſpeciem ibi duxit: etiam ſupplicationem a ſenatu petivit: quæ non modo petitio repudiata, ſed & ipſe Albucius a C. Iulio, L. F. Strabone, Sardis id eum rogantibus, accuſatus, & damnatus eſt. Hæc fere Cicero in Divination. in Piſonem, & de Provinciis Conſul. Orationis hujus meminit & Sueton. in Iulio. Quis igitur non videt hic, non *pro M. Albucio*, ut habent omnia exemplaria etiam manu exarata, ſed *in Albucium* legi debere? agit enim Cicero de accuſationibus. Mox, *M' Aquillium* L. Fuſius accuſavit, ut ex Bruto apparet. Quamquam ibi vulgo *M. Aquilius* ſcribatur; minus tamen corrupte, quam hic *M. Manilius*, ut ante nos legebatur. C. LANG. *Pro Sardis Iulius*) Libri vulgati, quibuscum congruunt omnes manuſcripti, habent *pro Sardis, pro Albucio Iulius*. At Langius cum videret, hoc cum hiſtoria pugnare, quia Iulius Albucium accuſavit Sardorum rogatu, ſic edidit: *pro Sardis contra Albucium*. Ego neque, *pro Albucio*, neque, *contra Albucium*, verba Ciceronis eſſe puto, ſed ex annotatione aliqua nata. Nam abſurdum ſit hic nomen ejus, qui accuſatus ſit, commemorari; Verris, quem M. Tullius, Servilii, quem duo Luculli accuſarunt, ſileri. LAMBIN. In vulgatis libris omnibus, conſentientibus manuſcriptis legitur; *pro Sardis, pro M. Albutio Iulius*, quod perſpicue mendoſum, & falſum eſt; nam conſtat ex Divinatione in Verrem, C. Iulium Cæſarem rogatum a Sardis T. Albucium accuſaſſe, non defendiſſe. Quocirca Doletus, Manutius, Corradus, & Langius hic legendum putarunt: *pro Sardis in*, vel *contra Albucium Iulius*. Sigonius in Fragmentis Ciceronis legit: *Pro Sardis vero M. Albucium Iulius Cæſar*. Lambinus totum illud *pro M. Albutio*, non Ciceronis eſſe, verum ex annotatione natum putat; itaque ſuſtulit; *nam abſurdum ſit*, inquit, *hic nomen ejus, qui accuſatus ſit, commemorari: Verris, quem M. Tullius: Servilii, quem duo Luculli accuſarunt, ſileri*. FR. FABRIT. Locum mendoſum eſſe vere viderunt docti viri, ſed non auſus tamen ſum contra librorum omnium fidem aliquid immutare cum Paullo Manutio, Langio, & Lambino. Quo tamen magis animum attendo, tanto maculæ his verbis, ut habentur in libris editis, & manuſcriptis, magis patent, & oculos feriunt; iis enim, quæ viri docti attulerunt ad exemplarium ſcripturam falſi convincendam, accedit, quod Albutii prænomen fuerit T. uti conſtat ex Lucilii verſibus, quibus perſtringitur apud Cic. I. de Finib. 3.

Χαιρε, inquam, Tite: lictores, turma omnis, cohorſque:

Χαιρε Tite.

Sed & ex aliis monumentis, & Tullii locis conſtat, Titum, non Marcum dictum eſſe hunc Albutium. Puto autem nomen hic excidiſſe accuſatoris Albutii, quod nobis ſervavit Apuleius in Apologia, qui, ut clare patet, hæc verba Ciceronis, in quibus agit de juvenibus, qui laudem invenerunt, & gloriam accuſationibus, reſpicit. Verba ejus ſunt: *Neque autem gloriæ cauſſa me accuſat, ut M. Antonius Cn. Carbonem, C. Mutius A. Albutium, P. Sulpitius Cn. Norbanum, C. Fuſius M. Aquilium, C. Curio Q. Metellum. Quippe homines eruditiſſimi, juvenes laudis gratia primum hoc rudimentum forenſis operæ ſubibant, ut aliquo inſigni judicio civibus ſuis noſcerentur*. Vides hic omnes eos commemorari, quorum Cicero hic meminit, & C. Mutium vocari accuſatorem *T. Albutii*; male enim in Apuleio ſcribi *A.* pro *T.* docti monuerunt dudum. Nec dubito, *Mutium* quoque hic fuiſſe lectum olim, & ex hoc loco id nomen, ut cetera, hauſtum ab Apuleio. Sed cum librariorum incuria, aut alio quodam caſu plures hujus vocis *Mutius* periiſſent litteræ,

M' Aquilio L. Fuſii cognita induſtria eſt. Semel igitur, aut non ſæpe certe. Sin erit, cui faciendum ſit ſæpius, reip. tribuat hoc muneris, cujus inimicos ulciſci ſæpius, non eſt reprehendendum: modus tamen adſit. Duri enim hominis, vel potius vix hominis videtur, periculum capitis inferre multis. Id cum periculoſum ipſi eſt, tum etiam ſordidum ad famam committere, ut accuſator nominetur: quod contigit M. Bruto, ſummo genere nato, illius filio, qui juris civilis in primis peritus fuit. Atque etiam hoc præceptum officii diligenter tenendum eſt, ne quem umquam innocentem judicio capitis arceſſas: id enim ſine ſcele-

habitum fuit a ſcribis, ac lectoribus pro prænomine Albutii; & quia nemo reperiebatur, qui aut pro, aut contra Albutium ſteterat, nomen Iulii fuit loco ſuo motum, & huc male translatum. Videtur ſane mihi Cicero ſcripſiſſe: *P. Sulpicii eloquentiam accuſatio illuſtravit, cum ſeditioſum, & inutilem civem C. Norbanum in judicium vocavit: Sed hoc quidem non eſt ſæpe faciendum, nec umquam niſi aut reip. cauſſa, ut ii quos ante dixi, aut ulciſcendi, ut duo Luculli, aut patrocinio, ut nos pro Siculis, pro Sardis Iulius; Mutius Albutium;* ſc. reip. cauſſa in judicium vocavit, ſive accuſavit. Nam Qu. Mutium Augurem diem T. Albutio dixiſſe de repetundis Cicero in Bruto quoque prodidit: *Mutius Augur, quod opus erat, per ſe ipſe dicebat: ut de pecuniis repetundis contra T. Albutium.* Græv. Sed ne ſic ſatis ſanum eſſe locum arbitror: nam cum Cicero antea non nominaſſet *Verrem* a ſe pro Siculis accuſatum, non videtur hic voluiſſe Albutium accuſatum nominare. Mihi quidem ex conjectura placet legere: *pro Sardis Mutius, & Iulius;* uterque enim Sardorum cauſa T. Albutium in judicium arceſſivit. Pearce.

In accuſando etiam M' Aquilio L. Fuſii cognita induſtria eſt) Sic legendum: non, ut eſt in manuſcr. *Manilio*. Nam conſtat ex Bruto Ciceronis M' Aquilium a Fuſio accuſatum eſſe, ab Antonio defenſum. Lambin. In libris vulgatis, & manuſcriptis noſtris non *M' Aquillio*, ſed *Manlio*, vel *Manilio* legitur: unde Sigonius, *Manio*, emendat. Paullus Manutius, *M' Aquillio* repoſuit; de quo ego in Hiſtoria Ciceronis plura ſcripſi. Fr. Fabrit. Apud Apuleium vocatur *C. Furius: C. Furius M. Aquilium;* ſed proculdubio, legendum: *L. Fuſius M' Aquilium*. *M'* jam emendaverant viri docti. Furius autem, & Fuſius idem nomen. *Ut Valeſii, & Fuſii in Valerios, Furioſque venerunt: ita arbos, labos, vapos* etiam, & *clamos*, ac *laſes ætatis fuerunt*. Quinctil. I. Inſtitut. 4. Meminit iſtius L. Fuſii Cicero etiam in Bruto, ubi ait eum ex accuſatione M' Aquilii fructum cepiſſe. Fuit autem M' Aquilius graviſſimorum criminum accuſatus, ſed Antonii patrocinio ſervatus. Grævius.

Reipublicæ tribuat hoc muneris) I. e. curet, ut hoc munus reipublicæ cauſſa videatur ſuſceptum eſſe. Pearce.

M. Bruto) De quo locus inſignis eſt in eamdem ſententiam in Bruto de Claris Orat. *Iiſdem temporibus M. Brutus, in quo magnum fuit dedecus generi ſuo, qui cum tanto nomine eſſet, patremque optimum virum habuiſſet, & juris peritiſſimum, accuſationem factitaverit, ut Athenis Lycurgus. Is magiſtratus non petivit, ſed fuit accuſator vehemens, & moleſtus, ut facile cerneres naturale quoddam ſtirpis bonum degeneraviſſe vitio depravatæ voluntatis*. Græv.

In judicium capitis arceſſas) Sic edidit Manutius, pro quo in aliis legitur: *Iudicio capitis arceſſas*. Sic pro Flacco: *Cn. Pompeium contendiſſe a D. Lælio paterno amico ac perneceſſario, ut hunc hoc judi-*

ſcelere fieri nullo pacto poteſt. Nam quid eſt tam inhumanum, quam eloquentiam a natura ad ſalutem hominum, & ad conſervationem datam, ad bonorum peſtem, perniciemque convertere? Nec tamen, ut hoc fugiendum eſt, item habendum eſt religioni, nocentem aliquando, modo ne nefarium, impiumque defendere; vult hoc multitudo, patitur conſuetudo, fert etiam humanitas. Iudicis eſt, ſemper in cauſis verum ſequi; patroni, nonnumquam veriſimile, etiam ſi minus ſit verum, defendere: quod ſcribere (præſertim cum de philoſophia ſcriberem) non auderem, niſi

judicio arceſſeret. Langius neque *judicio*, neque *in judicium*, habet, ſed tantum: *Ne quem umquam innocentem capitis arceſſas*. Sic pro Dejotaro inquit: *Non ficto crimine inſectari, non expetere vitam, non capitis arceſſere*, FR. FABRIT. Pith. Excerp, *in judicio capitis arceſſas*. Mallem cum Langio delere *judicio*, ſi ſuffragarentur libri. Sed vulgatam non immuto, codicibus invitis; eam recte tuetur Fabritius. GRAEV.

Eloquentiam ... ad bonorum peſtem, perniciemque convertere) Hoc toties Quinctilianus quoque inculcat, qui inter alia lib. XII. cap. 1. ait: *Mutos naſci, & egere omni ratione ſatius fuiſſet, quam providentiæ munera in perniciem mutuam convertere*; ſed vide totum caput. IDEM.

Item habendum eſt religioni) *Item* ſignificat ſimiliter; ut apud Varronem, Ciceronem, Salluſt. alioſque: pro quo librarii recentiores ſcripſerant ſæpe *ita*, & *iterum*. C. LANG. *Item habendum eſt religioni*) *Item* pro ſimiliter, ex libris antiquis repoſuit Langius. Adducitur hic locus bis a Nonio, & utroque loco editiones ſuperiores *item* habent; ex quibus ego lego: *Nocens a nefario, & impio diſtare, uti nocens levius videri poſſit; M. Tullius de Officiis lib. II. voluit: Nec tamen, ut hoc fugiendum eſt, item eſt habendum religioni nocentem aliquando, modo ne nefarium, impiumque defendere*; qui locus in editione Iuniana ad vulgatos libros Ciceronis eſt conformatus. FR. FABR. *Item* probat vetuſtiſſimus codex Grævii. GRAEV.

Nocentem aliquando, nefarium, impiumque) Hic locus adhuc in omnibus editionibus inquinatiſſimus eſt. Numquam licet viro bono nefarium, & impium defendere. Sed fœdiſſimam mendam, uti ex Nonio tollendam ſuſpicatus erat eruditiſſimus Fabritius, auctoritate mei pervetuſti codicis, in quo clare ſcriptum eſt, *nocentem aliquando, modo ne nefarium impiumque*, ſuſtuli. Hæc veriſſima hujus loci ſcriptura præcidit omnes Ciceronem impugnantium, quaſi impia hic docuiſſet, cum nefarios, & impios defendi poſſe ſtatuiſſet, cavillationes, & nos eum tuendi munere levat. GRAEVIUS. Hoc laxius, quam res poſtulat, dicitur; neque enim aut humanitas, aut ſocietatis utilitas patitur, ut patronus nocentem defendat, niſi hoc ſibi propoſito, aut ne plura crimina ei objiciantur, quam admiſerit; aut ne ea, quæ admiſerit, majora eſſe, quam veritas ſinat, videantur; aut denique ne majus ſupplicium a judicibus inferendum poſcatur, quam quod legibus conſtitutum ſit. PEARCE.

Fert etiam humanitas) Humanitatis eſt hominem ſervare. Cic. pro Q. Ligario: *Nil eſt tam populare, quam bonitas. Nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt; homines enim ad Deos nulla re propius accedunt, quam ſalutem omnibus dando*. GRAEV.

Nonnumquam veriſimile, etiamſi minus ſit verum, defendere) Cornelius Celſus apud Quinctilianum Inſtitut. Orat. II. 15. *Orator ſimile tantum veri petit. Non enim bona conſcientia, ſed victoria litigantis eſt premium*; quam tamen ſententiam ibidem refellit Quinctilianus, & cap. 1. lib. XII. IDEM.

niſi idem placeret graviſſimo Stoicorum Panætio. Maxime autem & gloria paritur, & gratia defenſionibus: eoque major, ſi quando accidit, ut ei ſubveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri, urgerique videatur; ut nos, & ſæpe alias, & adoleſcentes, contra L. Sullæ dominantis opes pro Sex. Roſcio Amerino fecimus; quæ, ut ſcis, exſtat oratio.

15. Sed expoſitis adoleſcentium officiis, quæ valeant ad gloriam adipiſcendam, deinceps de beneficientia, ac liberalitate dicendum eſt. Cujus eſt ratio duplex; nam aut opera benigne fit indigentibus, aut pecunia: facilior eſt hæc poſterior, locupleti præſertim; ſed illa lautior ac ſplendidior, & viro forti claroque dignior. Quamquam enim in utroque ineſt gratificandi liberalis voluntas, tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur: largitioque, quæ fit

Extat oratio) I. e. ex ſcriniis meis exiit, & in manibus eſt hominum. Alibi id ſcriptum, quod tempus non perdidit, dicitur exſtare. Pearce.

Illa lautior, & ſplendidior) Rationes Ciceronis videntur eſſe graviſſimæ, propter quas beneficientiam, quæ præſtatur opera, præferat liberalitati ex arca. Nam quin honeſtiore via Cicero novus homo ſibi opera conciliarit civium animos, ut illorum ſuffragiis ſummas dignitates conſequeretur, quam Iulius Cæſar, aliique largitionibus, dubitari non poteſt. Longe plures etiam poſſumus demereri opera, & officiis noſtris, quam pecunia, quæ ſane brevi exhauriretur, ſi plurimos illa nobis velimus devincire. Sic Milo brevi ampliſſima tria patrimonia profudit, cum hac ratione benevolentiam civium ſibi ſtuderet parare. De hac vero Cicero loquitur benignitate. Non tamen inficiatur, interdum etiam alterum fontem eſſe recludendum. Nihil certius, nihil liquidius. Graevius. Proba ſatis lectio eſt *lautior*; verum ita *cū ſplendidior* affinis, ut mallem *latior*, i. e. amplior, uberior: id quod ipſum probare aggreditur Cicero in ſequentibus: unde tandem infra concludit: *Quamobrem non dubium eſt, quin illa benignitas, quæ conſtat ex opere, & induſtria, & honeſtior ſit, & latius pateat, & poſſit prodeſſe pluribus*. Chapman.

Altera ex arca) Cum in libro Abbatiæ Vallis S. Lamberti tres hæ voculæ, *Altera ex arca*, non legerentur, deſii eas, ut antea, ſuſpectas habere: imo ut ſubdititias rejeci. C. Lang. Hæc verba *altera ex arca* nos in libris manuſcr. reperimus. Itaque retinenda cenſemus: valdeque a Langio diſſentimus, qui ea hinc furcis expulit. Lambin. *Altera ex arca*) Hæc verba Langius unius libri auctoritatem ſecutus delevit: quæ Lambinus in ſuis manuſcriptis reperit, ac merito retinenda cenſet; nam, ut taceam, aliter plenam rationem duarum partium beneficientiæ non reddi, apud Lactantium lib. VI. cap. II. ubi de hoc loco Ciceronis diſputatur, arcæ quoque fit mentio. Fr. Fabric. Firmat meus quoque liber optimus, *ex arca*. Ciceroni ſane hoc loquendi genus eſt valde frequens. I. ad Att. 9. *Arcæ noſtræ confidito*. Plura quamvis obvia non congero. Grav. Non ſatis ex ratione ducta videtur hæc ſententia: pecunia enim, qua indigentes juvantur, tam ex virtute, quam opera depromi poterit; modo ea inſit mens, & liberalis voluntas in donante, ut hominum commodis, & utilitatibus inſerviat.

ſit ex re familiari, fontem ipſum benignitatis exhaurit; ita benignitate benignitas tollitur: qua, quo in plures uſus ſis, eo minus in multos uti poſſis. At qui opera, id eſt, virtute & induſtria, benefici, & liberales erunt, primum, quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adjutores habebunt: deinde conſuetudine beneficientiæ paratiores erunt, & tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. Præclare epiſtola quadam Alexandrum filium Philippus accuſat, quod largitione benevolentiam Macedonum conſectetur. Quæ te, malum, inquit, ratio in iſtam ſpem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupiſſes? An tu id agis, ut Macedones non te regem ſuum, ſed miniſtrum, & præbitorem ſperent fore? Bene miniſtrum, & præbitorem; quia ſordidum regi: melius etiam, quod largitionem corruptelam eſſe dixit. Fit enim deterior, qui accipit, atque ad idem ſemper exſpectan-

viat. Qua virtute quid honeſtius ab operam præbentibus effici poſſit? PEARCE.

Opera, id eſt, virtute, & induſtria) Suſpecta mihi ſunt verba, *id eſt virtute*: ſequitur enim in concluſione hujus argumentationis: *Quamobrem... illa benignitas, quæ conſtat ex opera, & induſtria*: nihil igitur neceſſario hîc de *virtute* dicendum fuit. Adde, quod, cum *induſtria* non minus *virtus* appellari poteſt, quam *opera*, Cicero (ut opinor) potius dixiſſet *opera & induſtria, id eſt virtute*. Sed ex mea ſententia delenda ſunt verba, *id eſt virtute*. IDEM.

Preclare epiſtola quadam) Sic bene omiſſa particula *in* meus antiquus codex, & Palatini. GRÆV.

Quæ te malum, inquit, ratio) Hanc lectionem probat Eraſmus. *Quid rationis*, in quibuſdam ſcriptis, & impreſſis Venetis, aliiſque nonnullis eodem ſenſu legitur. FR. FABRIT. Firmat hanc ſcripturam meus primus, & Palatinus. GRÆV.

Miniſtrum, & præbitorem ſperent fore) Sic & Grævii optimus, & Palatini; male vulgati *putent fore*; quod & Gruterus notavit. IDEM.

Bene miniſtrum, & præbitorem) Quin ſint hæc verba Ciceronis, non eſt dubitandum. Sunt enim prætereita ab oſcitante librario, propter earumdem vocum iterationem, ut ſæpe animadvertimus ab eis factitatum. LAMBIN.

Bene miniſtrum, & præbitorem) Hæc verba librarii tamquam otioſe, & ſine cauſa iterata omiſerant; quibus Cicero approbat reprehenſionem Philippi, quod ſordidum ſit regi, miniſtrum, & præbitorem a ſuis putari; qui autem hæc verba hîc deeſſe non viderunt, ii contra fidem omnium librorum antiquorum ediderunt: *Quo quid ſordidius regi?* FR. FABRIT.

Quia ſordidum Regi) Sic omnes libri; & ita infra lib. III. loquitur: *Eſt ei ſenatus aſſenſus; turpe imperio*. Et paullo ſupra hoc ipſo libro: *Id cum periculoſum eſt, tum etiam ſordidum ad famam*. Sunt autem Ciceronis verba, non Philippi; quod arguunt iſta ſequentia, *Melius etiam* &c. Demoſthenes ſane Olynthiaca prima Philippum ſimul & Regem, & ducem, & ταμιαν, hoc eſt præbitorem fuiſſe ſcribit. Quidam hîc pro *præbitorem* ſcribunt *diribitorem* vocabulo proprio illo quidem, ſed quod in nullo exemplarium meorum legitur. CAR. LANG.

Fit enim deterior, qui accipit, atque ad idem ſemper exſpectandum paratior.)

ctandum paratior. Hoc ille filio: ſed præceptum putemus omnibus. Quamobrem id quidem non dubium eſt, quin illa benignitas, quæ conſtat ex opera, & induſtria, & honeſtior ſit, & latius pateat, & poſſit prodeſſe pluribus; nonnumquam tamen eſt largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum eſt: & ſæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum: ſed diligenter, atque moderate. Multi enim patrimonia effude-runt

Quod magna mercede didicerunt illi Imperatores Romani, qui largitionibus dignitatem imperatoriam ſunt conſecuti. Semper enim plus offerentium patebant injuriis, & mox ab iis militibus, quos emerant, ſpe majoris auctoramenti incenſis tollebantur e medio. Hi, qui deceſſores ſua hac via & arte de poſſeſſione male parti imperii deturbarant, mox eadem deturbabantur. Semper enim alios largitores, & præbitores exſpectabant. Qui ſimul ac promittebant, ſimul illi ad ſcelus erant parati. Pulcre de Vitellio Tac. III. Hiſt. 86. *Amicitias dum magnitudine munerum, non conſtantia morum continere putat, meruit magis, quam habuit.* Infinita fere ſunt in Auguſtæ hiſtoriæ monumentis exempla. GRAV.

Sæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum) Quos Lactantius hic idoneos homines intelligat, explicat Turnebus lib. III. Adverſariorum cap. 16. FR. FABRIT. Ambiguitate vocis *idoneus* inductus injuria Lactantius invadit in hæc verba. Lactantii ævo, ſicut & apud ICtos *idonei* homines haud alii fere, quam boni, & locupletes dicebantur, ideo tamquam aſtutum, & *ἀπιχαρέστον* hoc præceptum reprehendit, quaſi illis ſolum foret impertiendum, qui reſtituere poſſent, lib. VI. cap. 11. Et perſuaſit, quod mirum, Turnebo lib. III. Adverſ. c. 16. Sed *idoneos indigentes* omnino dicit Cicero probos homines paupertate oppreſſos: ut in Cæcilium: *Vt homines idonei, atque integri cauſſam reip. legumque ſuſciperent*; & Cornific. IV. ad Herennium: *Populi officium eſt res optimas, & homines idoneos maxime ſuis ſententiis eligere, & probare.* Gronov. IV. Obſerv. c. 9. GRAV. Lactantius Div. Inſtit. VI. 11. in hunc locum invectus ait: *Quid* idoneis? *nempe iis, qui reſtituere, ac referre gratiam poſſint . . . non* idoneis *largiendum eſt; ſed, quantum poteſt, non* idoneis; *id enim juſte, id pie, id humane fit, quod ſine ſpe recipiendi feceris . . . Quid perſonas eligis? quid membra inſpicis? Pro homine tibi habendus eſt, quiſquis idea precatur, quia te hominem putet.* Hæc ille & plura ad hanc rem; ſed velut qui ad mentem Ciceronis parum attenderit; cum in omni largitione delectum perſonarum ob eas cauſſas, quas memorat Cicero, habendum eſſe nec ratio vetat, nec Chriſtiana Religio. PEARCE.

Sed diligenter, atque moderate) *Diligenter* hic ſignificat cum delectu, & *cum ingenio*: ut loquitur Iureconſultus, a *dilego*; pro quo longe diverſa ſignificatione *deligo* ſcribunt. In IV. Nicomachicorum hæc tractantur, ad quem locum Cicero reſpicere videtur. C. LANG. Recte Langius exponit *diligenter* cum delectu, non cuivis promiſcue, ſed dignis, & idoneis indigentibus. Sic *diligenter ſcribere* apud Cic. eſt eleganter, magno verborum delectu adhibito. In eodem ſenſu *diligentia* in orat. pro Planc. *Non eſt conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia*; hoc eſt populus agit omnia temere, inconſulte, nullo rerum, hominumve delectu habito, & diſcrimine. Sic & elegantia in orat. pro Sulla: *Vos, qui cum ſumma elegantia, atque integritate vixiſtis.* Hoc eſt adhibito judicio in omnibus rebus. Sunt ejuſdem originis. Nam ſicut a *diligo* eſt *diligens*, ſic ab *eligo elegans*, & *elegantia*. Cum vero addit mode-

Digitized by Google

runt inconſulte largiendo. Quid autem eſt ſtultius, quam, quod libenter facias, curare, ut id diutius facere non poſſis? Atque etiam ſequuntur largitionem rapinæ. Cum enim dando egere cœperint, alienis bonis manus afferre coguntur: ita, cum benevolentiæ comparandæ cauſa benefici eſſe velint, non tanta ſtudia aſſequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt. Quamobrem nec ita claudenda eſt res familiaris, ut eam benignitas aperire non poſſit; nec ita reſeranda, ut pateat omnibus: modus adhibeatur, iſque referatur ad facultates. Omnino meminiſſe debemus id, quod a noſtris hominibus ſæpiſſime uſurpatum jam in proverbii conſuetudinem venit, largitionem fundum non habere: etenim quis poteſt modus eſſe, cum & idem, qui conſuerunt, & idem illud alii deſiderent?

16. Omnino duo ſunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales: prodigi, qui epulis, & viſcerationi-

moderate; ſignificat modum in dando eſſe tenendum, quem cum non ſervaſſet Vitellius, oſtendit Tacitus, merito ſibi perniciem conflaſſe. *Inerat*, inquit III. Hiſt. 68. *ſimplicitas, ac liberalitas: quæ, niſi adſit modus, in exitium vertuntur*. Qui ſine dilectu donant, eos lepide Socrates, Gratias virgines tamquam ſcorta proſtituere dixit apud Stobæum: Σωκρατης ιδων τινα προχειρως πασι χαριζομενον, και ανεξεταστως υπηρετυμενον· κακως ειπεν απολοιτο, ότι τας χαριτας παρθενυς ουσας πορνας εποιησε. *Socrates, cum facile quemdam omnibus gratificari, nulloque delectu ſuppeditare animadvertiſſet: male pereat, inquit, quia Gratias virgines proſtituit*. GRÆVIVS. Alibi *diligenter* facere, eſt ſtudioſe, & quaſi cum dilectione ejus, quod fit, aliquid facere. At *diligenter* hic (quaſi *deligenter*) facit is, qui cum delectu facit, qui indigentes ab indigentibus diſtinguit, videtque, qui quibus anteferendi ſint in beneficiis conferendis. Vtrumque ſenſum, videre eſt in c. 18. *In deligendis idoneis debemus judicium, & diligentiam adhibere*. PEARCE.

Quod libenter facias curare, ut id diutius facere non poſſis) Ambroſ. lib. III. de Virg. vel. *Quod velis prolixe facere, aliquando ne feceris*. GRÆV.

Atque etiam ſequuntur largitionem rapinæ) Exempla ſunt infinita. Suetonius, cum Caligulam narraſſet immenſas opes, totumque illud Tiberii Cæſaris vicies ac ſepties millies HS non toto vertente anno abſumſiſſe, addit cap. 38. *Exhauſtus igitur, atque egens ad rapinas convertit animum, vario, & exquiſitiſſimo calumniarum, & auctionum, & vectigalium genere*. Idem cum cap. 30. & ſeqq. in Nerone prodidiſſet, illum imperatorem non alium pecuniæ fructum putaſſe, quam profuſionem, in cap. 32. ſubnectit: *Ita jam exhauſtus, & egens, ut ſtipendia quoque militum, & commoda veteranorum protrahi, ac differri neceſſe eſſet, calumniis, rapiniſque intendit animum*. IDEM.

Cum & iidem, qui conſueverunt) *Conſuerunt* eſt in optimo libro noſtro, κατα συγκοπην uſitatam apud Ciceronem; in eodem eſt *Idem* pro *iidem*, quomodo veteres hunc nominativum fere ſemper extulerunt, ut Hieronymus Ferrarius in Philipp. I. annoravit: qui autem id non obſervarunt,

tionibus, & gladiatoriis muneribus, ludorum venationumque apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem, aut nullam omnino ſint relicturi. Liberales autem, qui ſuis facultatibus aut captos a prædonibus redimunt, aut æs alienum ſuſcipiunt amicorum, aut in filiarum collocatione adjuvant, aut opitulantur in re vel quærenda, vel augenda. Itaque miror, quid in mentem venerit Theophraſto in eo libro, quem de divitiis ſcripſit: in quo multa præclare, illud abſurde. Eſt enim multus in laudanda magnificentia, & apparatione popularium munerum, taliumque ſumtuum facultatem fructum divitiarum putat. Mihi autem ille fructus liberalitatis, cujus pauca exempla poſui, multo & major videtur, & certior. Quanto Ariſtoteles gravius, & verius nos reprehendit,

illi hic ediderunt: *Cum idem & qui conſueverunt*. Fr. Fabrit.

Gladiatorum muneribus) Meus optimus: *gladiatoriis muneribus*, quem ſequor. Graev.

Aut æs alienum ſuſcipiunt amicorum) *Cauſa* additur in Manutianis, & aliis vulgatis; quæ vox a libris antiquis recte abeſt. Suſcipit autem æs alienum amicorum, qui, quod amici debent, diſſolvendum in ſe recipit. Fr. Fabrit. Tales erant in Athenienſium republica *ερανισαι*. Dicebantur autem *ερανισαι*, qui amicorum æs alienum, collecta ſtipe ab aliis amicis, diſſolvebant. Fuit enim apud Athenienſes mos plenus pietatis, & humanitatis, ut, qui adverſa fortuna ſuis bonis erant evoluti, implorarent amicorum opem, ut eorum pecunia, quam quilibet pro facultatum modo, aut lubitu conferebat, levarentur anhelante inopia; hac tamen lege, ut, ſi quando quis in re lautiore cœpiſſet eſſe, & emerſiſſet ex illa graviſſima paupertate, ſingulis amicis, quod tum contulerant, reſtitueret. Hæc pecunia, quæ conferebatur, dicebatur *ερανος*, & fuit medium quoddam inter *δανειον*, creditumque proprie dictum, & ſtipem, quæ mendico datur, quam Græci *ελεημοσυνην* vocant. Qui illam conferebant dicuntur *ερανιζειν τινι*, & qui accipiebant *ερανιζεσθαι*: de quo plura vide, quibus hæc debentur, apud Iſ. Caſaubonum in notis ad Theophraſti Characteres *περι Αυθαδειας*, apud Salmaſ. de Uſuris cap. 3. & Obſervationibus ad Ius Atticum cap. 1. & ſeqq. Idem.

Eſt enim multus in laudanda magnificentia, & apparatione popularium munerum) Hanc apparationem munerum non laudat ideo, quod fieret ad deliniendam, & ſibi conciliandam multitudinem, ſed quia inſtituti erant hi ludi in honorem Deorum. Et hanc ob cauſſam ea laudat quoque Xenophon non uno loco, & ipſe Ariſtoteles IV. ad Nicom. 2. Nam Græcorum, & ceterorum populorum religio tum fere tota vertebatur in magnificentia. Hinc & Salluſtius de Romanis bello Catilinar. *In ſuppliciis Deorum magnifici, domi parci*. Ipſe Cic. orat. pro Muræna: *Odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit*. Sed qui pecunias ſuas profundebant popularis tantum favoris captandi cauſſa merito Cicero, nec non Ariſtoteles reprehendunt. Idem.

Quanto Ariſtoteles gravius) Muretus malebat *Ariſto*, quod horum nihil inveniretur in Ariſtotele. Gruter. Fortaſſe ex iis libris, quos de Repub.

Digitized by Google

dit, qui has pecuniarum effuſiones non admiremur, quæ fiunt

pub. ſcripſit Ariſtoteles, & quorum magnam partem tempus nobis invidit, huc adducta fuerunt. PEARCE.

Veriùs nos reprehendit) Cicero videtur in hac ſententia exprimenda non nihil laborare; id quod alias quoque ei contingit, ubi de Græco ſermone quid transfert: ut optime etiam a D. Hieronymo in præfatione Euſebii annotatum eſt. Duo hæc verba, *Nos reprehendit*, ut adulterina exploſi: eſt enim oratio truncata, ut ſubintelligantur vel ea ipſa, vel *quæritur*, *admiratur*, *expoſtulat*, aut ſimile quidpiam: id manifeſtum fieret, ſi Ariſtotelis ea ſententia Græce exſtaret: fortaſſis & aliæ tunc mendæ ſe proderent; nam in iis libris Ariſtotelis, qui ſuperſunt, nihil tale offendo. In IV. enim Nicomachiorum (quos libros Cicero in III. de Finib. & Diogenes in Eudoxo videntur ad Nicomachum Ariſtotelis F. referre) non improbantur ſumtus, qui in ludos, & id genus alia impenduntur. Obſcuritatem huic loco facit mutatio perſonarum in verbis, *Admiremur*, & *attenderint*; cujuſmodi ſæpe occurrit in bonis auctoribus: deinde eadem repetita ſententia ibi: *Qui non admiremur*; & : *In his immanibus*: tum etiam inſolens ſignificatio verbi *admirari*, quod proprie eſt magnifacere; id quod negant Stoici, niſi in ea, quæ propter ſe pulcra ſint, cadere. Hoc vero loco ſignificat, alienum, & abſurdum exiſtimare, ut & infra lib. III. *Homo autem juſtus*, inquit, *iſque, quem ſentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod ad ſe transferat, detrahet: hoc qui admiratur, is ſe, qui ſit vir bonus, neſcire fateatur.* Id quod ſubjicit: *Cum præſertim*, ἀνακεφαλαίωσις eſt ad confirmationem, & explicationem Ariſtotelicæ ſententiæ. Quanto, inquit, verius Ariſtoteles nobiſcum expoſtulat, qui tantopere obſtupeſcamus, ſi eum, qui obſeſſus ab hoſte ſit, audimus immenſo comparaſſe commeatum in tanta quidem neceſſitate: contra vero nihil admirabile, nihil ſtupendum nobis videatur, ſi pecuniam innumerabilem, ad plebeculam duntaxat oblectandam videamus projici: eo vero magis, quod nulla plebi inde utilitas, nulla præbenti dignitas quæritur. Nam poſtea ſubjicit, duobus caſibus has largitiones fieri poſſe; in populi egeſtate, & ſi per eam majus aliquod emolumentum vel Reip. vel etiam tibi acquiras. Sane immenſa patrimonia in nonnullorum ædilitiis muneribus profuſa fuiſſe conſtat. C. LANG. *Gravius, & verius nos reprehendit*) Langius hoc totum, *nos reprehendit*, tollit de medio, ut adulterinum. Ego retineo, ut in libris veteribus repertum; & ad ſententiam neceſſarium. LAMBIN.

Verius nos reprehendit, qui has pecuniarum effuſiones non admiremur) Vel delenda particula *non*, vel *improbemus* legendum, ut eſt in aliquibus exemplaribus, pro *admiremur*, quod non ita placet. F. URSIN. *Non demiremur*) *Admiremur* habent noſtri libri ſcripti cum impreſſis aliis. *Admiramur* autem non tantum, quæ expetenda, ſed & quæ fugienda eſſe exiſtimamus. Salluſtius de Bello Iugurth. *Quo magis pravitas eorum admiranda eſt, qui dediti corporis gaudiis per luxum, & ignaviam ætatem agunt.* *Demirari* eſt valde mirari, auctore Donato in Terent. FR. FABRIC. Hic *admirari* dicitur de eo, quod vituperandum cenſemus. Sic etiam in III. 19. cum dixerat Cicero de viro bono, nihil cuiquam, quod in ſe transferat, detrahente, addit: *Hoc qui admiratur, is ſe, quid ſit vir bonus, neſcire fateatur*. Vide de Finib. IV. 22. de Nat. Deor. I, 3. PEARCE. *Non* deletur contra mentem auctoris, quæ ab illa voce tota pendet: neque aliter ratiocinatio ejus poteſt intelligi, ut patet ex ſequentibus. GRUTER. Pith. Excerpta: *Quanto Ariſtoteles gravius, & verius hos reprehendit, qui has effuſiones pecuniarum admirentur*: quod non longe abit a conjectura Urſini. Meus vetuſtiſſimus codex a vulgata non recedit, niſi quod *admiretur* in eo ſcriptum ſit, pro vulgato *admiremur*; ſed hoc ſi admittamus, ſcribendum primo *admirentur*, ut non ſolum Pithœi, ſed & Manutii codex præ ſe fert: & pro *nos* recipiendum ex Pithœano *hos*: *Quanto Ariſtoteles gravius, & verius hos* repre-

Digitized by Google

ſiunt ad multitudinem deleniendam: at ii, qui cum ab hoſte obſidentur, ſi emere aquæ ſextarium mina cogerentur, hoc primo auditu incredibile nobis videri, omneſque mira-

reprehendit, qui has effuſiones pecuniarum non admirentur. Sin *admiremur* retineamus, quod editio prima, totque alii codices retinent, *nos* quoque retinendum. Sane hoc præſtat, & ſic ſcripſiſſe Ciceronem arguunt ſequentia: *hoc primo incredibile nobis videri*, ubi male *nobis* expungunt nonnulli editi, invitis libris veteribus, inter quos & meæ, & Pithœi membranæ optimæ fidei. In meis tamen additur vox *auditu* non fruſtra: ſic enim ille: *At ii, qui cum ab hoſte obſidentur, ſi emere aquæ ſextarium cogantur mina, hoc primo audito incredibile nobis videri*; optime. Sententia eſt hæc: Ariſtoteles graviter reprehendit nos ſcilicet omnes, qui non admiremur reperiri homines tam fatuos, qui tantum effundant pecuniæ in ludos, & munera, brevis temporis oblectationem, eos vero miremur, qui mina in obſeſſa urbe ſextarium aquæ emerint. Hoc verbis ſequentibus ſic explicat: *ſed cum attenderint* nimirum animum homines, *veniam neceſſitati dare*, hoc eſt, ignoſcere hominibus tam caro aquam ementibus; nec id mirari: *In his immanibus jacturis, infinitiſque ſumtibus*, qui ſcilicet fiunt in munera, *nihil nos magnopere mirari*, ſed omnes judicare; recte, & bene illos impendi, quæ maxime firmant lectionem verborum illorum: *Nos reprehendit, qui pecuniarum effuſiones non admiremur*, quæ & doctorum virorum conjecturæ, & nonnulli libri convellebant. Sed iis fraudi fuit perſonarum immutatio veteribus non infrequens, quod modo Cicero dicat, *nobis videri*, ſtatim *cum attenderint*; cum videretur dicendum fuiſſe, *ſi attenderimus*. Sed Cicero ſententiam reſpicit; per *nos* enim intelligantur omnes ii, qui hæc vane mirabantur, inter quos ſane Cicero non erat. Porro *jacturæ* hic ſunt ſumtus, donationes, prodigæ largitiones, ut ſæpe apud Ciceronem. Pro Cluent. *Primum illum judicem pecunia corrupit, deinde ipſum Aurium, non magna jactura facta, tollendum curavit*. Pro Flacco: *Quæ jacturæ, quanta largitio?* Pro Milone: *Qui annona levanda, jacturiſque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in ſuſpicionem incidit regni appetendi*, hoc eſt, largiendi de ſuo: quæ loca debemus τῷ μακαρίτῃ Gronovio, qui plura congeſſit IV. de Pec. Vet. contra virum magnum, qui pro *jacturas* reponi volebat *pacturas*. Eum vide. Grævius.

At ii, qui cum ab hoſte obſidentur) Diu docti interpretes queſti ſunt, hunc totum locum perſonarum immutatione, aliiſque obſcuritatem afferentibus laborare: unde enim reguntur voces infinitivi modi *videri*, *mirari* &c.? At fortaſſe Cicero ſcripſit: *Ait, ii, qui ab hoſte* &c. vel: *Ait enim, qui* &c. *Ait* ſc. Ariſtoteles, vel (ſi Muretum audias) *Ariſto*; cujus verba latine reddita ea eſſe, quæ ſequuntur, nullus dubito; quia poſt dicitur: *Bene etiam colligit* &c. In MSis *at*, & *ait* ſæpius confunduntur. Exemplo ſit I. 40. *O puerum pulcrum, Pericle! at enim Prætorem* &c. ubi ita multi MSi habent *ait*, ita multi *at*, ut fere numero ſint pares. Video etiam eamdem conjecturam doctiſſimo Chapmanno in mentem veniſſe. Pearce.

Cogerentur) Ita vulgo: ſed *cogantur* malo, ſecutus lectionem MSi Palatini primi, latinæ linguæ (opinor) ratione poſtulante. Idem.

Primo auditu) Ita Grævius edidit ex ſuo MSo. Si hæc vera eſt lectio, ſenſus eſt: quam primum *audierint*. Caveat enim lector, ne cenſeat hoc opponi ſecundo auditui. Sed ab omnibus fere MSis *auditu* abeſt, & commode abeſſe poteſt, cum *primo* idem ſignificat, quod *primo auditu*. Idem.

Cum attenderint) Nulla eſt hic immutatio perſonarum, qualis iis in mentem venit, qui cenſent, Ciceronem (cum præceſſerit *nobis*) debuiſſe ſcribere *attenderimus*. Sed non opus eſt; præceſſerat enim proxime vox tertiæ perſonæ *omnes*, i. e. omnes homines; recte igitur dicitur *attenderint*. Idem.

Ipſa-

Digitized by Google

mirari: ſed, cùm attenderint, veniam neceſſitati dare: in his immanibus jacturis, infinitiſque ſumtibus, nihil nos magnopere mirari; cum præſertim nec neceſſitati ſubveniatur, nec dignitas augeatur; ipſaque illa delectatio multitudinis ſit ad breve exiguumque tempus; eaque a leviſſimo quoque: in quo tamen ipſo una cum ſatietate memoria quoque moriatur voluptatis. Bene etiam colligit, hæc pueris, & mulierculis, & ſervis, & ſervorum ſimillimis liberis eſſe grata: gravi vero homini, & ea, quæ fiunt, judicio certo ponderanti, probari poſſe nullo modo; quamquam intelligo, in noſtra civitate inveteraſſe jam a bonis temporibus, ut ſplendor ædilitatum ab optimis viris poſtuletur: itaque & P. Craſſus cum cognomine dives, tum

Ipſaque illa delinitio multitudinis) Quidam libri manuſcripti habent: *Ipſaque illa delectatio*; quod Victorius recepit, ac duas voces, *duratura*, & *animo*, quæ in vulgatis libris ex interpretatione addita leguntur, ex auctoritate veterum librorum ſuſtulit; quod factum Langius recte probavit: ſed Victorio quoque laus debetur, quod primus gloſſemata multa ejecit. FR. FABRIT. Sane *delectatio* firmat quoque meus, & Pithœi codex, ut & Pall. & duo Guiliel. quod merito recepi. GRÆVIVS.

Ad breve exiguumque tempus) Ita omnes libri: Et in Catone majore: *Iam ſenſus moriendi, ſi aliquis eſſe poteſt, is ad exiguum tempus; præſertim ſeni*. Sueton. in Tiber. *Prægrandibus oculis, & qui, quod mirum eſſet, noctu etiam, & in tenebris viderent, ſed ad breve*. Quod ſequitur: *In quo tamen ipſo*, ſcilicet, leviſſimo quoque, intellige: nam interpretes cæcutiunt hîc. CAR. LANG. Gruterus ex conjectura Lambini, & duobus codicibus Guilielmii addidit *ſit*, quod tamen nec in meo, nec in Pithœano habetur. GRÆV.

Et ſervorum ſimillimis liberis) Vide lib. VII. ad Famil. ep. 1. IDEM.

Quamquam intelligo) Verbum *intelligo* in exemplari Vallis D. Lamberti abeſt. In altero legitur quidem, ſed tranſpoſitum: in Parcenſi *intelligam* pro eo eſt ſcriptum. Profecto cum de ſuis temporibus agat, debuit non verbo intellectus, ſed ſenſus uti. Ego ſi cum bona Grammaticorum venia liceret, ipſum ejicerem: tota hæc oratio erat mendoſiſſima. CAR. LANG. *Intelligo* tamen agnoſcit Grævii vetuſtus, & Pith. nec poteſt deleri ſine ſententiæ detrimento. GRÆV.

Inveteraſſe jam bonis temporibus) *A bonis temporibus*, Langius, & optimum exemplar noſtrum; quod ſignificat, a bonis temporibus cœptum in conſuetudinem veniſſe. FR. FABRIT. In meo tamen optimo, & Palat. primo legitur: *Inveteraſſe etiam bonis temporibus*. GRÆV. Eadem Grævii lectio eſt in Lincoln. Oxon. MSiſque Mill. & Cant. & eam ſequendam eſſe cenſeo: abeſt etiam præpoſitio *a* ab omnibus MSis Oxon. & ſex meis. Senſus eſt: Hic mos vetus fuit, etiam antequam tempora eſſe bona deſierunt. Vulgata lectio *inveteraſſe jam a bonis temporibus*, non uno modo mihi diſplicet. PEARCE.

Vt ſplendor ædilitatum ab optimis viris poſtuletur) Hinc alibi Cicero vocat ædiles curatores urbis, ludorumque ſollemnium. Hinc idem in Verrina: *Nunc ſum deſignatus Ædilis; habeo rationem, quid a populo Romano acceperim. Mihi ludos ſanctiſſimos maxima cum cerimonia Cereri, Libero, Liberæque faciendos: mihi Floram matrem populo, plebi-*

tum copiis, functus eſt ædilitio maximo munere. Et paullo póſt L. Craſſus cum omnium hominum moderatiſſimo Q. Mucio, magnificentiſſima ædilitate functus eſt: deinde C. Claudius, Appii F. multi poſt, Luculli, Hortenſius, Silanus: omnes autem P. Lentulus, me conſule, vicit ſuperiores: hunc eſt Scaurus imitatus. Magnificentiſſima vero noſtri Pompeii munera ſecundo conſulatu: in quibus omnibus, quid mihi placeat, vides. Vitanda tamen eſt ſuſpicio avaritiæ.

17. Mamerco, homini divitiſſimo, prætermiſſio ædilitatis conſulatus repulſam attulit. Quare & ſi poſtulatur a populo, bonis viris ſi non deſiderantibus, attamen approbantibus, faciendum eſt, modo pro facultatibus, nos ipſi ut fecimus: &, ſiquando aliqua res major, atque utilior populari largitione acquiritur: ut Oreſti nuper prandia in ſemi-

plebique Romanæ ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquiſſimos, qui Romani ſunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione Iovi, Iunoni, Minervæque eſſe faciendos. GRÆVIUS.

Luculli) Sic recte emendarunt viri docti: conſtat enim, duos Lucullos fratres L. & M. eodem anno ædilitatem geſſiſſe, de qua Plutarch. & Plin. lib. VIII. c. 7. Itaque Stephanus Pighius in Valerio Maximo cap. 4. lib. II. bene emendavit: *Verſatilem fecerunt Luculli; argentatis choragiis P. Lentulus Spinther adornavit*; quomodo legendum, atque emendandum eſſe, Carolus Sigonius in libris Emendationum decem annis ante admonuerat. FR. FABRIT. Equidem in Pithœi Excerptis, in Palatinis, & Langii libris, *Luculli*; in meo, *poſt Lucullum*. GRÆV.

Homini ditiſſimo) *Divitiſſimo* hic ſcriptum reperi; ut *divitior*, dixit Terent. & Cicero ipſe in Paradoxis. Haud ſcio, an hic eſt Mam. Æmilius Lepidus coſ. cum D. Bruto anno DCLXXV. Decimam vero Herculis intelligit, quam Plautus *partem Herculaneam* vocat. Ea in ſemitis perſolvebatur; quia ille itineribus præeſt: Sex. Pompeius, ubi de Sango. Vide Varron. lib. V. de Ling. Lat. Perſolvebatur autem potiſſimum a mercatoribus, ſi quid evenerat ex voto; nam & theſauris eum præponebant: de qua re ex Perſio Satyrico. CAR. LANG. *Mamerco homini divitiſſimo*) *Divitiſſimo* pro *ditiſſimo* Langius ex ſuis libris repoſuit; quod ego quoque in tribus libris manuſcriptis invenio. Sic *divitior* eſt in Lælio, & in Paradoxis; ego quoque apud Q. Curt. l. IV. *divitiſſimus quiſque*; & l. X. *divitiſſimarum gentium* ex libris vetuſtis emendavi. FR. FABRIT. Adſtipulatur huic ſcripturæ *divitiſſimo* primus Grævii. GRÆV.

Poſtulatur a populo) Aliud Cicero ſignificavit, cum diceret c. 20. *Atque etiam a ſe poſtulari, aut exſpectari aliquid ſuſpicantur*. Et in l. 1. de Legib. *Veritas a te poſtulatur*; i. e. poſtulatur, ut tu veritatem loquaris. Hic vero non idem valet præpoſitio *a*, quod in illis locis: *populus* eſt enim, qui poſtulat, non is, a quo poſtulatur. PEARCE.

Ut Oreſti nuper prandia) Is erat, ut opinor, *Cn. Aufidius Oreſtes*, qui conſul fuit A. V. C. 683. cum P. Lentulo Sura. Gentis quidem *Aureliæ* cognomen erat *Oreſtes*; ſed, cum eum adoptaret Cn. Aufidius (teſte orat. pro Dom. c. 13.) ſequebatur etiam nominis alterius hereditas. Porro,

Digitized by Google

ſemitis decumæ nomine magno honori fuerunt: ne Marco quidem Seio vitio datum eſt, quod in caritate aſſe modium populo dedit: magna enim ſe & inveterata invidia, nec turpi jactura, quando erat ædilis, nec maxima liberavit. Sed honori ſummo nuper noſtro Miloni fuit, quod gladiatoribus emtis reip. cauſa, quæ ſalute noſtra continebatur, omnes P. Clodii conatus furoreſque compreſſit. Cauſa igitur largitionis eſt, ſi aut neceſſe eſt, aut utile. In his autem ipſis mediocritatis regula optima eſt. L. quidem Philippus Q. filius, magno vir ingenio, in primiſque clarus, gloriari ſolebat, ſe ſine ullo munere adeptum eſſe omnia, quæ haberentur ampliſſima; dicebat idem C. Curio.

ro, *decumæ nomine* ita ex ipſa conjectura intelligo. Cum Oreſtes patronus eſſet oppidi, vel agri alicujus, uti mos erat apud nobiles Romanos, unde *decumæ* populo Romano quotannis penderentur pro inſtituto veteri in provinciis, (vide Verr. teſt. paſſim) Oreſtes *decumæ* ejus nomine, ut clientes ſuos ſublevaret, prandia ipſe populo Romano in ſemitis extra urbem præbere voluit. CHAPMAN.

Decumæ nomine) Fructuum decumas primum regibus, deinde vero Diis præſtari conſueviſſe, ſcribit Aurelius Victor de origine Gentis Romanæ. Itaque narrat Suetonius in Caligula cap. 26. *Scenicis ludis decumas datas*: hoc eſt, dona populo ſparſa, ſi placet, in honorem Deorum. FACCIOL.

Ne Marco quidem Seio) In uno libro *M. Sergio* erat corrupte, ut puto. Nam Plin. XV. *Anno*, inquit, *DCXXC. M. Seius L. F. Æd. Cur. olei denas libras ſingulis aſſibus præſtitit populo R. per totum annum*: quo tamen loco manuſcriptus liber *M. Servio* habet. *Servio* autem pro *Sergio*, & contra perſæpe occurrit. Meminit ejuſdem Cic. pro Plancio. CAR. LANG. *Ne M. quidem Seio*) Sic legendum: non *Sergio*, ut Langius in quibuſdam libris eſſe admonet; de quo Plinius lib. XV. cap. 1. FR. FABRIT.

In caritate aſſe) Sic Grævii primus, aliique meliores cum editi, ut Victorii, Langii, Fabritii, tum manu exarati codices. Vulgo male inſeritur: *in caritate annonæ aſſe*. GRÆVIUS. At hæc vox *annonæ* ineſt in edit. Mogunt. & Romana, in MSo Mill. & quatuor Oxon. quamvis in multis MSis abſit. Mihi quidem videtur *annonæ* huic loco neceſſarium eſſe, cum non appareat, quid eſſet *carum*, ſi illud omittamus. Alibi Noſter ſolet plene ſuum ſenſum exprimere, ut in III. 12. *In Rhodiorum inopia, & fame, ſummaque annonæ caritate*. Ib. 23. *Sit ne boni viri, in maxima caritate annonæ familiam non alere*. Cur non igitur hic, niſi vitio librariorum? PEARCE.

Gladiatoribus emtis) Cum Clodius magnam manum armatorum hominum comparaſſet, qua utebatur ad turbandam rempublicam, ad leges, & judicia evertenda, ei ut reſiſteret Milo & ipſe gladiatores emit, & vim vi repulit. Vide Dionem lib. XXXI. ad annum V. C. 697. & Cic. II. ad Quintum fratrem ep. 6. GRÆV.

Quæ ſalute noſtra continebatur) Nihil hic inaniter jactat, nihilque ſibi tribuit Cicero, quod non ſit veriſſimum. Nam per ejus latus petebatur reſpublica. Tanta ejus erat, & Catonis auctoritas, ut non poſſent impune graſſari in rempublicam, qui dominationem affectabant, niſi aut iis ſubmotis, aut eorum dignitate fracta, quod nemo poteſt ignorare, niſi hoſpes in hiſtoria horum temporum. IDEM.

Dicebat idem Cotta, Curio) In duobus exemplaribus, *Curio*, non legitur. In

Curio. Nobis quoque licet in hoc quodammodo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis ſuffragiis adepti ſumus, noſtro quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modo nominavi, ſane exiguus ſumtus ædilitatis fuit. Atque etiam illæ impenſæ meliores, muri, navalia, portus, aquarum ductus, omniaque, quæ ad uſum reip. pertinent; quamquam, quod præſens tamquam in manum datur, jucundius eſt, tamen hæc in poſterum gratiora. Theatra, porticus, nova templa verecundius reprehendo propter Pompeium: ſed doctiſſimi non probant, ut & hic ipſe Panætius, quem multum in his libris ſecutus ſum, non interpretatus: & Phalereus Demetrius, qui Periclem, principem Græciæ vituperat, quod tantam pecuniam

In alio perquam antiquo, *dicebat autem Quotta Curio*. Cum autem tres ea tempeſtate Cottæ Conſulares fuerint, C. M. L. ut Aſconius recenſet, non debuit ſine prænomine Cottam nominare. Itaque nonnumquam putavi legendum *C. Cotta*. Nam & in fronte Verrinarum veteris libri, *in Curium Verrem* inveni ſcriptum, pro *in C. Verrem*. Sed magis placet *C. Curio*; ut puta *C. Scribonius Curio*, orator bonus, & perpetuus improborum hoſtis, inquit Cic. In Vatinium, & Verr. II. pro lege Manil. pro Rabirio. Is Coſ. fuit cum Cn. Octavio, anno DCLXXII. de quo puto loqui Valerium libro IX. dum Curionem omnibus honoribus abundantem appellat. Scio, alios *Cotta*, *Curio*, ſic interpungere. Sed viderint illi. Car. Lang. *Dicebat idem C. Curio*) In libris vulgatis eſt *Cotta Curio*; quod mendum manavit ab imperitia librarii, qui prænominis notam non intellexit; itaque in uno ex manuſcriptis noſtris legitur: *Dicebat idem coram Curio*. Similiter erratum fuit in prænomine C. Gracchi inferius. Fr. Fabrit. Nihil certius eſt ſententia Langii, & Fabritii; quamvis reclamet cum ceteris meus quoque optimus. In Pithœanis tamen Excerptis: *dicebat idem Cotta Curio*. Si Cicero Cottam, & Curionem idem dixiſſe voluiſſet ſignificare, ſcripſiſſet proculdubio: *dicebat idem Cotta, & Curio*. Sequor igitur hîc vi veri victus Langium potius, & Fabritium, quam codices. Grævius. In Mead. ſec extat: *Dicebat idem autem Curio*. Fortaſſe Cicero ſcripſit, (ſi quis eſt hîc conjecturæ locus) *Dicebat autem idem C. Curio*. Pearce.

Noſtro quidem anno) I. e. anno legitimo, quo primum honores petere licebat per ætatem, vel ordinem, ut vere Ciceroni contigit in Quæſtura, Ædilitate, Prætura, Conſulatu petendo. Hinc ipſe in orat. contra Rull. c. 2. *Si recordari volueritis . . . de novis hominibus reperietis eos . . . qui anno ſuo petierint, ſine repulſa non eſſe factos: me eſſe unum, qui conſulatum petierim, cum primum licitum ſit; Conſul factus ſim, cum primum petierim . . . Eſt illud ampliſſimum, Quirites, quod hoc honore ex novis hominibus primum me . . . affeciſtis; quod prima petitione, quod anno meo*. Chapman.

Quod contigit eorum nemini) Sc. ut cum primum per leges liceret, honoribus, quos peterent, fruerentur. Pearce.

Tamquam in manu datur) *In manum* habent libri manuſcripti cum impreſſis Victorianis, & Langianis. Fr. Fabrit.

Tamen hæc in poſterum gratiora) Hoc præſtitit egregie Auguſtus, qui moriens prædicavit, *ſe urbem marmoream relin-*

Digitized by Google

niſm in præclara illa propylæa conjecerit. Sed de hoc genere toto in iis libris, quos de repub. ſcripſi, diligenter eſt diſputatum. Tota igitur ratio talium largitionum genere vitioſa eſt, temporibus neceſſaria; & tum ipſa & ad facultates accommodanda, & mediocritate moderanda eſt.

18. In illo autem altero genere largiendi, quod a liberalitate proficiſcitur, non uno modo in diſparibus cauſis affecti eſſe debemus. Alia cauſa eſt ejus, qui calamitate premitur, & ejus, qui res meliores quærit, nullis ſuis rebus adverſis. Propenſior benignitas eſſe debebit in calamitoſos,

relinquere, quam lateritiam accepiſſet. GRÆVIVS.

In præclara illa propylæa) Hæc erant arcis, quæ Cecropia dicebatur, veſtibula, lapide albo tecta, quibus exſtruendis Pericles annos quinque, & bis mille ac duodecim talenta impendit, hoc eſt, noſtra pecunia, duodecies centies mille, & ſepties mille ducenti coronati, teſte Suida, & Harpocratione in *προπυλαια*. Per ſolas horum veſtibulorum portas quinque patebant aditus in arcem. Illarum claves Archontes ſinguli ſingulis diebus tantum, ne tyrannidem affectare unquam poſſent, aſſervabant, quique eas die habebant, dicebantur *Επιστατας*. I. Meurſius in Cecrop. cap. 6. IDEM.

Tota igitur ratio talium largitionum genere vitioſa eſt, temporibus neceſſaria) Tales impenſæ omnes nimiæ in ædificia publica, in ludos, munera, & ſi quæ aliæ ſunt hujus generis, ſunt improbandæ: ſed ſi natus ſis iis temporibus, quibus neceſſario ſunt faciendi in talia ſumtus, ut effugias avaritiæ ſuſpicionem, pro ratione facultatum ſunt faciendi, & ſic moderandi, ne incurramus in reprehenſionem aut ſordidorum, aut prodigorum. IDEM.

Ad facultates accommodanda) Ariſtot. IV. ad Nicom. 2. ubi docuerat, qui ſumtus ſint honorifici, addit: *Εν δαπαναις και προς τον πραττοντα αναφερεται το τις ων και τινων ὑπαρχοντων. αξια γαρ δει τουτων ειναι. Διο πενης μεν ουκ αν ειη μεγαλοπρεπης. ου γαρ εστιν αφ' ὧν πολλα δαπανησει πρεποντως. ὁ δ' επιχειρων ηλιθιος, παρα την αξιαν γαρ και το δεον. In omnibus etiam reſpiciendus eſt is, qui facit aliquid, quiſnam, & quibus facultatibus ſit inſtructus. Decet enim illa convenire & operi, & facienti ſumtus. Quamobrem pauper non poteſt eſſe magnificus, non enim habet ex quibus ſumtus faciat convenientes magnifico. Qui autem id aggreditur, ſtultus eſt. Facit enim, quod ſe non decet, nec ei convenit.* Equidem *Inops potentem dum vult imitari, perit.* Phædrus lib. I. Fab. 24. Igitur *μακαριος ὁς ουσιαν και νουν εχει. χρηται γαρ εις ἁ δει καλως. Felix cui opes, & mens ſuppetunt: nam recte iiſdem, ubi res poſcit, utitur*, ſecundum pulcherrimum Democratis dictum. IDEM.

Propenſior benignitas eſſe debet in calamitoſos) Hæc enim eſt benignitas neceſſaria, quam ſine reprehenſione, & ſcelere negligere non poſſumus: *Primo*, inquit Seneca I. de Benef. 11. *demus neceſſaria, deinde utilia, deinde jucunda, utique manſura. Incipiendum autem eſt a neceſſariis; aliter enim ad animum pervenit, quod vitam continet: aliter, quod exornat, aut inſtruit.* Et ſtatim: *Ex his, quæ neceſſaria ſunt, quædam primum obtinent locum, ſine quibus non poſſumus vivere, quædam ſecundum, ſine quibus non debemus, quædam tertium, ſine quibus nolumus. Prima hujus notæ ſunt hoſtium manibus eripi, & tyrannicæ iræ, & proſcriptioni, & aliis periculis, quæ varia, & incerta humanam*

Digitized by Google

toſos, niſi forte erunt digni calamitate: in iis tamen, qui ſe adjuvari volent, non ut ne affligantur, ſed ut altiorem gradum adſcendant, reſtricti omnino eſſe nullo modo debemus: ſed in deligendis idoneis judicium & diligentiam adhibere: nam præclare Ennius:

Benefacta male locata malefacta arbitror.

Quod autem tributum eſt bono viro & grato, in eo cum ex ipſo fructus eſt, tum etiam ex ceteris: temeritate enim remo-

nam vitam obſident. Vide ibi plura; & in lib. II. cap. 10. exemplum illuſtre Arceſilai amico pauperi, & paupertatem ſuam diſſimulanti clam ſuccurrentis. Idem.

In iis tamen, qui ſe adjuvari volent) Quibuſdam legendum videtur, *in eos tamen*: & item mihi. Lambin. *In iis tamen*) Admonet Lambinus, quibuſdam legendum videri: *In eos tamen*, quod eſt uſitatius: verum libri ſcripti cum impreſſis conſentiunt. Fr. Fabric.

Sed ut ad altiorem gradum adſcendant) Hæc Seneca vocat beneficia utilia in loco paullo ante laudato: *Subſequuntur utilia, quorum varia, & lata materia eſt. Hic erit pecunia non ſuperflua, ſed ad ſanum habendi modum parata: hic erit honor, & proceſſus ad altiora tendentium*. Græv.

In deligendis idoneis judicium, & diligentiam adhibere) Nam qui indignis dat, non eſt liberalis dicendus, ſed alius aliquis, ut docet Ariſtoteles IV. ad Nicom. cap. 1. Ο' ελευθεριος ὑν δωσει τυ καλυ ἑνεκα, και ορθως, οἱς γαρ δει και ὁσα, και ὁτε, και ταλλα ὁσα ἑπεται τῃ ορθῃ δοσει. Et: Ο' δε διδυς οἱς μη δει, η μη τυ καλυ ἑνεκα, αλλα δια τινα αλλην αιτιαν, υκ ελευθεριος, αλλα αλλος τις ῥηθησεται. *Itaque liberalis dabit honeſti cauſſa, & recte; quibus enim oportet, & quantum, & quo tempore, & cetera omnia obſervabit, quæ recte dandi rationem ſequuntur*. Et ſtatim: *At qui dat vel quibus dandum non eſt, vel non honeſti gratia, ſed aliqua alia cauſſa impulſus, hic non eſt liberalis, ſed alio quodam nomine appellabitur*. Inferius rationem reddit, cur non quibuslibet dandum, ne ſcilicet, ut ſuperius in libro primo præcepit Cicero, fons liberalitatis exareſcat: Ουδε τοις τυχυσι δωσει, ἱνα εχῃ διδοναι οἱς δει, και ὁτε και ὁ καλον. *Neque quibuslibet largietur, ut ſuppetat ei, quod largiri poſſit, quibus oportet, & quo tempore, & ubi honeſtum eſt*. Nam *beneficium eſt, quod judicio datur, non quod furore, aut morbo*, ut pulcherrime Seneca Pater in Controverſiis. Id quod filius pluribus explicat lib. I. de Benef. cap. 14. ſed & vide quæ ſuperius in lib. I. cap. 15. Cicero prodidit, & quæ ad illa notavimus. Idem.

Benefacta male locata malefacta arbitror) Rationem oſtendit Phædrus lib. I. Fab. 8.

Qui pretium meriti ab improbis deſiderat,
Bis peccat: primum quoniam indignos adjuvat:
Impune abire deinde quia jam non poteſt.

Et in eamdem ſententiam lib. IV. Fab. 18. dicit:

Qui fert malis auxilium, poſt tempus dolet.

In meo pervetuſto pro *benefacta* legitur *beneficia*. Idem.

Cum ex ipſo fructus eſt) Unde Publius Syrus Mimus:

Beneficium dando accipit, qui digno dedit. Idem.

In eo cum ex ipſo) Senſus eſt: In eo ipſi tribuendo is, qui dat, fructum capit tum ex ipſo illo bono viro & grato, tum ex ceteris, qui eam liberalitatem ſibi commune perfugium eſſe arbitrantur. Pearce.

Tum ex ceteris) Bonis, qui liberalitatem hanc laudant, & virum tam benignum amant, & colunt. Confirmat hoc eximiæ liberalitatis commemoran-

Digitized by Google

remota, gratiſſima eſt liberalitas: eoque eam ſtudioſius plerique laudant, quod ſummi cujuſque bonitas commune perfugium eſt omnium. Danda igitur opera eſt, ut iis beneficiis quam plurimos afficiamus, quorum memoria liberis, poſteriſque prodatur, ut iis ingratis eſſe non liceat: omnes enim immemorem beneficii oderunt: eamque injuriam

morandum exemplum Scipionis Africani junioris apud Polyb. in Excerptis Peireſcianis, qui cum Æmiliæ hereditatem creviſſet, & ſplendidiſſimum illum apparatum, quo utebatur in publico, præſertim cum ſacris operaretur, donaſſet matri ſuæ, quæ propter rei familiaris anguſtias abeſſe pompa conſuerat, ſed cum poſt publico, ac celebri ſacrificio progreſſa cum illo apparatu Æmiliæ, reliquas mulieres advertiſſet, univerſæ Scipionis liberalitatem, animique magnitudinem collaudantes, ſublatis in cælum manibus P. Scipioni fauſta omnia precabantur. Vide lib. XXXI. Excerpta. GRÆVIVS.

Summi cujuſque bonitas commune perfugium eſt omnium) Vnde Græcorum dictum: χρηςος ανηρ κοινον αγαθον. *Vir bonus commune bonum*. Hoc pluribus explicat mox ipſe Cicero cap. 20. hujus libri: *Videndumque illud eſt, quod, ſi opulentum, fortunatumque defenderis, in illo uno, aut forte in liberis ejus manet gratia. Sin autem inopem, probum tamen, & modeſtum, omnes non improbi humiles, quæ magna in populo multitudo eſt, præſidium ſibi paratum vident*. IDEM.

Vt hos beneficiis quam plurimos afficiamus) In manuſcriptis noſtris eſt: *Vt iis beneficiis quam plurimos afficiamus*; quomodo Victorius edidit, ac ſine dubio eſt legendum. FR. FABRIT. Subſcribit Fabritio Grævii primus. GRÆV.

Immemorem beneficii) Videtur hîc Cicero ad illud Terentii in Andr. I. 1. 16. reſpexiſſe:

. . . Iſthæc commemoratio
Quaſi exprobratio eſt immemoris beneficii.

Libet vero, hac occaſione capta, ea apponere, quæ Cl. R. Bentleius dixit in Not. ad Andr. II. 1. 20. *Veteres in nominibus ſubſtantivis exeuntibus in ius, aut ium, ſemper genitivos caſus i ſimplici efferebant: numquam* auxilii, conſilii, imperii, negotii, *ſed* auxili, conſili, imperi, negoti. *Ego vero a puero diu credidi, ut didiceram, hujuſmodi genitivos per contractionem fieri, & idcirco tali apice ſignatos vidi*, imperî, conſilî. *Poſtea ſuſpicio mihi incidit, rem aliter ſe habuiſſe. Diutina autem obſervatione facta, de plano affirmare auſim, neminem ex veteribus duplicem i in genitivis illis uſurpaſſe: non Virgilium, non Horatium, non priorum Poetarum quemquam: ſi quid aliter nunc feratur, mendoſum eſſe; ſicut Ennii illud apud Ciceronem de Senect.* Ecquid erit præmii; *Codices quippe alii* præmi *habent, quæ vera lectio eſt. Primus ex Poetis, qui hodie exſtant, Propertius bis, vel ter, Ovidius ſæpiſſime, & poſt eum alii omnes geminum i uſurpant. Sub Auguſti ſc. ſeneſcentis ætate mutatio iſta facta eſt. Quod ſi in Poetis ubique hoc obtinuit, quis dubitet, quin idem obtinuerit in oratione ſoluta? Cicero itaque ſic ſemper loquutus eſt, quod maxime attendendum eſt eis, qui numeros oratorios cupiunt intelligere. Nigidius Figulus, Romanorum a Varrone doctiſſimus, apud Gellium XIII. 24. inquit*: Voculatio qui poterit ſervari? Si non ſciemus in nominibus, ut *Valeri*, interrogandi ſint, an vocandi: nam interrogandi ſecunda ſyllaba ſuperiore tono eſt, quam prima; deinde noviſſima dejicitur. At in caſu vocandi, ſummo tono eſt prima, deinde gradatim deſcendunt. *Explicante ibidem Gellio*, Voculatio *apud Nigidium eſt, quem accentum nos dicimus*: caſus interrogandi, *quem nos genitivum. Ergo Nigidii ætate, qui poſt Auguſtum natum vixit, a nominibus in* ius *nulla erat diſtinctio vocativi, & genitivi, niſi ſolo accentu. A recto* Valerius *vocativus* Valeri,

riam in deterrenda liberalitate ſibi etiam fieri; eumque, qui faciat, communem hoſtem tenuiorum putant. Atque hæc benignitas etiam reip. utilis eſt, redimi e ſervitute captos, locupletari tenuiores: quod quidem vulgo ſolitum fieri ab ordine noſtro, in oratione Craſſi ſcriptum copioſe videmus. Hanc ergo conſuetudinem benignitatis largitioni munerum longe antepono: hæc eſt gravium hominum, atque

leri, *genitivus* Valeri *pronuntiabatur*. *Ad hanc faciem ubique Terentius*, gaudi, fili, viti, preti *genitivos facit*. Hæc Bentleius, quibus addo; & ad hanc faciem Cicero corrigendus eſſe videtur; quod ſi mihi citius in mentem venerit, non dubitarem ubique reponere *benefici* pro *beneficii*, *offici* pro *officii*, ceteraſque voces eodem modo immutare. PEARCE.

In deterrenda liberalitate) Metonymia eſt adjuncti pro ſubjecto; *in deterrenda liberalitate*, pro *in deterrendis hominibus liberalibus*, ne ſint benefici. In duobus libris manuſcriptis legitur: *In deterenda liberalitate*; quod Ioachimus Camerarius probat, & ait, ſententiam eſſe, alienos etiam exiſtimare ſibi injuriam fieri, ſi oblivione liberalitas deteratur, id eſt, deminuatur. FR. FABRIT. Sed *deterrenda* probat Grævii primus. GRÆV.

Locupletari tenuiores) Exemplum inſigne apud Plinium lib. I. ep. 19. *Municeps tu meus, & condiſcipulus, & ab ineunte ætate contubernalis*: & quæ ſequuntur. Dein: *Eſſe autem tibi centum millium cenſum, ſatis indicat, quod apud nos decurio es. Igitur, ut te non decurione ſolum, verum etiam equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas equeſtres facultates trecenta millia nummum. Te memorem hujus muneris amicitiæ noſtræ diuturnitas ſpondet*. Et aliud lib. II. ep. 4. ad Calvinam: *Cum viventa eo* (patre tuo) *nubenti tibi in dotem centum millia contulerim, præter eam ſummam, quam pater tuus quaſi de meo dixit,* (*erat enim ſolvenda de meo*) *magnum habes facilitatis meæ pignus, cujus fiducia debes famam defuncti, pudoremque ſuſcipere, ad quod ne te verbis magis, quam rebus horter, quidquid mihi pater tuus debuit, acceptum tibi ferri jubeo. Nec eſt quod verearis, ne ſit mihi iſta onoroſa donatio. Sunt quidem omnino nobis modicæ facultates, dignitas ſumtuoſa, reditus propter conditionem agellorum neſcio minor, an incertior, ſed quod ceſſat ex reditu, frugalitate ſuppletur, ex qua velut e fonte liberalitas noſtra decurrit. Quæ tamen ita temperanda eſt, ne nimia profuſione inareſcat*. Qui locus pulcherrimus eſt, & in primis ad hoc argumentum, in quo nunc Cicero verſatur, pertinet. Eſt enim inſigne liberalitatis ad facultates accommodatæ, & quam mediocritas moderatur, exemplum. Hæc debentur I. Fr. Gronovio, ut & ſequens. Martialis conqueritur exoleviſſe priſtinam illam benignitatis in tenuiores conſuetudinem lib. V ep. 19. Nam cum laudaſſet ſeculi illius felicitatem:

Eſt tamen hoc vitium, ſed non leve, ſit licet unum,
Quod colit ingratas pauper amicitias.
Quis largitur opes veteri fidoque ſodali?
Aut quem proſequitur non alienus eques?

De mira liberalitate Cimonis, qui dicitur multos locupletaſſe, vide C. Nep. in ejus vita cap. 4. IDEM.

Quod quidem vulgo ſolitum fieri ab ordine noſtro in oratione Craſſi ſcriptum copioſe videmus). Similia his prodidit Tacitus IV. Annal. 63. cum explicaſſet, quanta hominum multitudo perierit ruina Fidenatis amphitheatri ſub Tiberio, addit: *Ceterum ſub recentem cladem patuere procerum domus, fomenta, & medici paſſim præbiti: fuitque urbs per illos dies, quamquam mœſta facie, veterum inſtitutis ſimilis, qui magna poſt prælia ſaucios largitione, & cura ſuſtentabant*. IDEM.

Cave-

Digitized by Google

que magnorum: illa quaſi adſentatorum populi, multitudinis levitatem voluptate quaſi titillantium. Conveniet autem cum in dando munificum eſſe, tum in exigendo non acerbum, in omnique re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando, vicinitatibus & confiniis, æquum & facilem; multa multis de jure ſuo cedentem: a litibus vero, quantum liceat, & neſcio an paullo plus etiam, quam liceat, abhorrentem. Eſt enim non modo liberale, paullum nonnumquam de ſuo jure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum. Habenda autem eſt ratio rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere flagitioſum eſt; ſed ita, ut illiberalitatis

Conveniet autem cum in dando munificum eſſe) Idem præcipit Ariſtot. IV. Ethic. ad Nicom. 1. *Ελευθεριυ δε εϛι σφοδρα και το ὑπερβαλλειν εν τῃ δοσει, ὡς τε καταλειπειν ἑαυτῳ ελαττω. το γαρ μη επιβλεπειν εφ' ἑαυτον, ελευθεριυ. Valde proprium eſt liberalis hominis, ita in dando munificum eſſe, ut ſibi pauciora relinquat. Nam ſui rationem non habere, liberalis eſt.* IDEM.

Tum in exigendo non acerbum) *Acerbi* Latinis dicuntur, qui debita exigunt ad aſſem ſine ulla remiſſione. Sueton. Vitell. 1. *Cum libertino cuidam acerbius debitum repoſcenti, injuriarum formulam, quaſi calce ab eo percuſſus, intendiſſet.* Idem in Nerone 44. *Exegit ingenti faſtidio, & acerbitate nummum aſperum, argentum puſtulatum*, ut nullam aliam pecuniam vellet accipere. Et in Caligula 43. *Expeditionis Germanicæ impetum cepit, neque diſtulit, ſed legionibus, & auxiliis undique excitis, delectibus ubique acerbiſſime actis*; ut nulli gratiam faceret militiæ. Et in Octav. c. 27. *Reſtitit quidem aliquamdiu collegis, ne qua fieret proſcriptio, ſed inceptam utroque acerbius exercuit.* Sequentia vide, quæ oſtendunt, *acerbe exercere proſcriptionem*, eſſe inexorabilem, nulli proſcripto parcere. Sic apud Cic. XV. ad Famil. 4. *acerbiſſima tributa* ſunt, quæ ſine ulla remiſſione exiguntur. Et in III. ad Famil. 8. *Acerbiſſima exactio*, cum nulli quidquam remittitur. Acerbi exactoris exemplum habes apud Theophraſtum *περι Μικρολογιας· Δεινος δε και ὑπερημεριαν πραξαι, και τοκον τοκυ. Debitum ſi quis preſtituta die non ſolverit, pœnam pro mora, ac uſuram uſuræ ſolet exigere.* IDEM.

Vicinitatibus, & confiniis) Meus primus: *vicinitatibus, & confinibus*. Pith. Excerpta, & duo Manut. *vicinantibus, & confiniis*. Sed nihil muto. *Vicinitates, & confinia*, ſunt vicini, & confines, ut *matrimonia, ſervitia*, uxores, ſervi, recte monente Grutero. Quomodo vero differant *confines*, & *vicini* docet lex IV. D. fin. regund. *Hoc judicium locum habet in confinio prædiorum ruſticorum, urbanorum diſplicuit; neque enim confines hi, ſed magis vicini dicuntur; & ea communibus parietibus plerumque diſterminantur.* Et ſtatim: *Sive vis publica intervenit, confinium non intelligitur.* Sic recte Manuſcripti. IDEM.

Multa multis de jure ſuo cedentem) Hinc Ariſtot. IV. Nicom. 1. *Ευκοινωνητος εϛιν ὁ ελευθερος εις χρηματα· δυναται γαρ αδικεισθαι μη τιμων γε τα χρηματα. In re pecuniaria facilem ſe præbet liberalis, & quia pecuniam contemnit, injuriæ eſt opportunus.* IDEM.

Quam quidem dilabi ſinere flagitioſum) *Delabi*, ut Victorius edidit, in uno MSo legitur. *Dilabi* tamen placet, ut in illo: *Male parta, male dilabuntur.* FR. FABRIT. Liberalis non negligit rem familiarem, ut idem Ariſtoteles in laudato libro: *Ουδε αμελησει των ιδιων, βυλομενος γε δια τυτων τισιν επαρκειν. Nec negliget ſuam rem familiarem, quippe qui velit*

tatis, avaritiæque abſit ſuſpicio. Poſſe enim liberalitate uti, non ſpoliantem ſe patrimonio, nimirum is eſt pecuniæ fructus maximus. Recte etiam a Theophraſto eſt laudata hoſpitalitas: eſt enim (ut mihi quidem videtur) valde decorum, patere domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus: idque etiam reip. eſt ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe noſtra non egere. Eſt autem etiam vehementer utile iis, qui honeſte poſſe multum volunt, per hoſpites apud externos populos valere opibus, & gratia. Theophraſtus quidem ſcribit, Cimonem Athenis etiam

ex hac aliquibus commodare, eiſque ſuppeditare, quæ deſiderant. Graev.

Poſſe enim liberalitate uti non ſpoliantem ſe patrimonio) Nam liberalis poteſt eſſe, qui eſt in re tenui. Ariſtot IV. Nicom. 1. Κατα την ουσιαν ἡ ελευθεριοτης λεγεται. ου γαρ εν τῳ πληθει των διδομενων το ελευθεριον, αλλ' εν τῃ του διδοντος ἑξει. αὑτη δε κατα την ουσιαν διδωσιν. ουδεν δε κωλυει ελευθεριωτερον ειναι τον τα ελαττω διδοντα, εαν απο ελαττονων διδῳ. *Ex facultatibus penditur, & dicitur liberalitas. Non enim in multitudine eorum, quæ dantur, ſed in habitu ejus, qui dat, ſita eſt vis liberalitatis. Hic autem dat pro facultatibus. Nihil igitur obſtat, quo minus is liberalis ſit, qui pauciora donat, ſi modo ex paucioribus donet.* Hoc Servator noſter Chriſtus ipſe docet apud Marcum de vidua inope duos denarios gazophylacio immittente, quos acceptiores Deo ait fuiſſe, copioſis divitum nummis, quia erat pauperior. Idem.

Laudata eſt hoſpitalitas) Laudata eſt hoſpitalitas mirifice cum a Philone lib. περι Φιλανθρωπιας, tum a doctoribus Chriſtianis, & veteribus quoque Philoſophis. Hinc & ſumtum, qui impenditur in hoſpitem probat Plautus Mil. Glor. III. 1.

In mala uxore, atque inimico ſi quid ſumas, ſumtus eſt,
In bono hoſpite, atque amico quæſtus eſt, quod ſumitur.

De hoſpitalitatis jure vide Thomaſinum in libello de Teſſeris Hoſpitalitiis, & Sobrini mei Ioannis Schilteri viri doctiſſimi, & ampliſſimi, qui Duci Saxoniæ eſt a conſiliis, mihi vero non neceſſitudine tantum, ſed & ſtudiorum, & animorum ſocietate a teneris annis fuit conjunctiſſimus, diſſertationem de Hoſpitalitatis Iure. Idem.

Qui honeſte poſſe multum volunt) I. e. qui ſe potentes eſſe velint, ſed non ſine honeſtate. Pearce.

Cimonem Athenis) Cur *Athenis*, cum id, quod Cimon fecerit, dicatur feciſſe in villa? nam ſequitur: *ita enim inſtituiſſe, & villicis imperaviſſe, ut* &c. Senſus loci hic videtur eſſe: Non ſolum cum ruri eſſet, Cimonis domus hoſpitibus patuit; ſed *Athenis* etiam cum eſſet, curavit, ut Laciadæ (qui ejuſdem, cujus ipſe, Curiæ erant) in villa ſua per villicos hoſpitio exciperentur. Idem. Ariſtoteles dicit apud Plutarchum: Των δημοτων αυτου Λακιαδων παρεσκευαζετο τῳ βουλομενῳ το δειπνον . . . οικοι καθ' ἡμεραν. *Curialium ejus Laciadarum cuivis paratam cœnam . . . domi quotidie fuiſſe.* In Cimon. p. 885. Quibus addit Plutarchus, non modo Laciadis, verum etiam tenuioribus quibuſcumque Athenienſium Cimonis domum, ac cœnam in dies ſingulos patuiſſe. Illud porro obiter monendum eſt, recte ſe habere *Laciadas*, ut conſtat ex pluribus veterum teſtimoniis; ac proinde corrigi debere *Pauſaniam* in editis, ubi *Lacidæ* vocantur. Ita enim hodie I. 37. edit. Kuhn. Λακιου τεμενος εστιν ἡρωος, και δημος, ὁν Λακιδας ονομαζουσιν, απο τουτου. *Eſt pagus Lacii herois, itemque populus, quem Lacidas ab eo dicunt.* Chapman.

In

etiam in ſuos curiales Laciadas hoſpitalem fuiſſe: ita enim inſtituiſſe, & villicis imperaviſſe, ut omnia præberentur, quicumque Laciades in villam ſuam devertiſſet.

19. Quæ autem opera, non largitione beneficia dantur, hæc tum in univerſam remp. tum in ſingulos cives conferuntur: nam in jure cavere, conſilio juvare, atque hoc ſcientiæ genere prodeſſe quam plurimis, vehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam. Itaque cum multa præclara majorum, tum quod optime conſtituti juris

In ſuos curiales) Male Manutius φρατορες exponit, ſunt δημοται, ejuſdem pagi homines. Curiales latine vocavit Cicero petito ex ſua repub. vocabulo, quo Græcum expreſſit. Quis neſcit, populum Romanum diviſum fuiſſe in triginta curias, quæ cum convenirent, publice curiata habebantur comitia: ejuſdem vero curiæ homines dicebantur Curiales. Populus vero Atticus erat deſcriptus in pagos, quos ipſi δημους vocant, ejuſdem vero pagi homines δημοτας appellabantur. De Λακια pago, e quo erat Cimon, vide Meurſium in libro de Δημοις Atticis. GRÆV.

Ita enim inſtituiſſe & villicis imperaviſſe, ut &c.) Adnectenda ſunt præcedentibus, *ita enim inſtituiſſe*: deinde, quod de *villicis* traditur, non ad cœnam Cimonis, vel hoſpitium *Athenis* ſunt referenda, ſed ad rem prorſus aliam. *Villa* utique, unde *villici* nomen, non in urbe, ſed ruri fuit, ubi Cimon (teſte Corn. Nep. Cim. c. 4.) *prædia compluribus locis, hortoſque habuit*; & in eis quoque tanta uſus fuit liberalitate, ut ipſis numquam *cuſtodem impoſuerit, fructus ſervandi gratia, nec quiſquam impediretur, quominus ejus rebus, quibus vellet, frueretur*. Ita Nepos ſcilicet. Quin & idem Theopompus Nepote longe antiquior, verbis tam luculentis expoſuit, ut ea haud piguerit adſcribere. Κιμων δ' Αθηναιος εν τοις αγροις και τοις κηποις ουδενα του καρπου καθιςη φυλακα, όπως οι βουλομενοι των πολιτων εισιοντες οπωριζωνται, και λαμβανωσιν ει τινες δεοιντο των εν τοις χωριοις· επειτα την οικιαν παρειχε κοινην άπασι, και δειπνον αει ευτελες παρασκευαζεσθαι πολλοις ανθρωποις, και τους απορους προσιοντας των Αθηναιων εισιοντας δειπνειν. *In agris, & hortis, qui fructus cuſtodirent, Cimon Athenienſis nullos eſſe permiſit, ut e civibus, qui vellent ingreſſi fructus legerent, & ſi quid egerent, quod proveniret in ſuis poſſeſſionibus, aſportarent, ut collibuiſſet. Præterea domum ſuam omnibus ille communem exhibebat, parata ſemper frugali cœna, quæ multis hominibus ſatis eſſet, ut tenuis fortunæ cives, ac inopes accedentes, & ingreſſi cœnarent.* Apud Athen. lib. XII. pag. 533. Hinc lucem accipient iſta Plutarchi, quæ tali quidem egent interprete. Των αγρων τους φραγμους αφειλεν, ινα και τοις ξενοις, και των πολιτων τοις δεομενοις αδεως υπαρχη λαμβανειν της οπωρας. *Prædiis ſuis ſepta detraxit, ut peregrini, & cives, quotquot quærerent, libere ſumerent poma.* In Cimon. Conf. in Pericl. CHAPMAN.

In jure cavere) Eſt hominis juris prudentis, qui conſultori ſuo rationem præſcribit, formulamque dictitat paciſcendi, aut contrahendi, & monitis, conſilioque inſtruit, ne conditionem deteriorem faciat. BVDÆVS.

In jure cavere) I. e. clientibus cavere. Notiſſimum eſt, proprie Iuriſconſultos dici *cavere alicui*, cum provident conſilio, ſcriptove, ſollemnibuſque formulis inſtruendo, ne quis in contrahendo decipiatur. Hæc Grævius ad Cic. Ep. ad Famil. III. 1. ubi legitur de Valerio: *Melius ei cavere volo, quam ipſe aliis ſolet.* Et ita Ovid. de Arte amandi I. 84.

Illo ſæpe loco capitur conſultus amore,

ris civilis ſummo ſemper in honore fuit cognitio, atque interpretatio: quam quidem ante hanc confuſionem temporum in poſſeſſione ſua principes retinuerunt: nunc ut honores, ut omnes dignitatis gradus, ſic hujus ſcientiæ ſplendor deletus eſt: idque eo indignius, quod eo tempore hoc contigit, cum is eſſet, qui omnes ſuperiores, quibus honore par eſſet, ſcientia facile viciſſet. Hæc igitur opera grata multis, & ad beneficiis obſtringendos homines accommodata. Atque huic arti finitima eſt dicendi gravior facultas, & gratior, & ornatior. Quid enim eloquentia præſtabilius, vel admiratione audientium, vel ſpe indigentium, vel eorum, qui defenſi ſunt, gratia? Huic quoque ergo a majoribus noſtris eſt in toga dignitatis principatus

Quique aliis cavit, non cavet ipſe ſibi. Pearce.

Iuris civilis ſummo ſemper in honore fuit cognitio) Oſtendit Craſſus lib. I. Orat. *Quid*, inquit, *præclarius, quam honoribus, & reip. muneribus perfunctum ſenem, ſuo jure dicere id, quod apud Ennium dicit ille Pythius Apollo, ſe eſſe eum, unde ſibi, ſi non populi, & reges, at omnes ſui cives conſilium expetant, ſuarum rerum incerti: quos ego mea ope ex incertis certos, compoteſque conſilii dimitto, ut ne res temere tractent turbidas*. Sed alibi etiam multus eſt in juris ſcientia prædicanda; & merito. Græv.

Cum is eſſet) Servius Sulpicius ſignificatur. Lambin. *Cum is eſſet*) Servium Sulpicium ſignificari, recte Lambinus admonet; atque ita Conradus quoque in Commentario doctiſſimo in Brutum Ciceronis hunc locum interpretatur: quem docti quidam inepte de Iulio Cæſare intelligunt. Fr. Fabritius.

Huic quoque ergo majoribus noſtris eſt in toga dignitatis principatus datus) Cum prius nullo ſenſu legeretur, *in tota dignitate*, de exemplari Vallis S. Lamberti locum reſtitui. Cicero togæ ſignificatione libenter pro pace, & otio publico abutitur, ut Philipp. III. *Ut cum illum videant glorioſiſſimum D. Bruto diem, quo die propter ejus ſalutem ad togam redierimus*. Quod ſequitur, *gratuito defendentis*, id eſt gratis. Sic enim Ciceronem feciſſe Plutarchus ſcribit; & ipſe Craſſum in Paradox. notat, ut mercedem patrociniorum paciſcentem. Car. Lang.

In toga dignitatis principatus) Ita hunc locum plane mendoſum præclare reſtituit Langius ex uno libro manuſcripto. In uno quoque ex noſtris ſic emendatus locus hic legitur, cum in ceteris, ut & in vulgatis depravate ſit, *in tota dignitate*, nullo plane ſenſu. Fr. Fabrit. Cic. pro Muræn. c. 11. *Gravis illa eſt, & plena dignitatis dicendi facultas, quæ ſæpe valuit in conſule deligendo, poſſe conſilio, atque oratione, & ſenatus, & populi, & eorum, qui res judicant, mentes permovere*. Et ſtatim: *Non mirum, ſi ob hanc facultatem homines ſæpe etiam non nobiles conſulatum conſecuti ſunt: præſertim cum hæc eadem res plurimas gratias, firmiſſimas amicitias, maxima ſtudia pariat*. Grævius. Senſus eſt: Eloquentiæ prior dignitatis locus datus eſt, quam ceteris artibus, quibus cives in toga, i. e. in pace utuntur. Hoc dictum videtur, ut excludantur artes bellicæ, quæ maximo apud Romanos in honore fuerunt. Hinc Pompeium dicit Vell. Patercul. II. 29. *fuiſſe civem in toga modeſtiſſimum*. Extat etiam *toga* in MSo Mert. pr. & interpretatione ſupra allata ſe ſatis tuetur. Cicero ante dixerat I. 23. *Non minorem utilitatem*

patus datus. Diſerti igitur hominis, & facile laborantis, quodque in patriis eſt moribus, multorum cauſas, & non gravate, & gratuito defendentis, beneficia, & patrocinia late patent. Admonebat me res, ut hoc quoque loco intermiſſionem eloquentiæ, ne dicam interitum, deplorarem, ni vererer, ne de meipſo aliquid viderer queri. Sed tamen videmus, quibus exſtinctis oratoribus, quam in paucis ſpes, quanto in paucioribus facultas, quam in multis ſit audacia. Cum autem omnes non poſſint, ne multi quidem, aut juriſperiti eſſe, aut diſerti, licet tamen opera prodeſſe multis, beneficia petentem, commendantem judicibus, & magiſtratibus, vigilantem pro re alterius, eos ipſos, qui aut conſuluntur, aut defendunt, rogantem: quod qui faciunt, plurimum gratiæ conſequuntur, latiſſimeque eorum manat induſtria. Iam illud non ſunt admonendi, (eſt enim in promtu) ut animum advertant, cum juvare alios velint, ne quos offendant: ſæpe enim aut eos lædunt, quos non debent; aut eos, quos non expedit: ſi imprudentes, negligentiæ eſt: ſi ſcientes, temeritatis. Vtendum etiam eſt excuſatione adverſus eos, quos invi-

tatem afferunt, qui togati Reipublicæ præſunt, quam qui bellum gerunt. PEARCE.

Gratuito defendentis) Lege enim Cincia vetitum erat, ne quis ob cauſſam orandam pecuniam, donumve accipiat, Tacit. IX. Annal. c. 5. Egregiam, & doctam de lege Cincia diſſertationem edidit Fridericus Brummerus, extinctus in ipſo ætatis flore, cum ingenii excolendi cauſſa per Gallias in Italiam contenderet. GRÆV.

Quam in paucis ſpes) Subintellige *ponenda*, vel *collocanda eſt*: ut in I. 7. de Orat. *In quibus magnam ſpem majores natu dignitatis ſuæ collocarant.* Quam pauci (explicante Pet. Marſo) ſint, de quibus ſperare liceat, quod futuri ſint clari oratores. PEARCE.

Commendantem judicibus, & magiſtratibus) Solebant rei a viris gravibus, & auctoritate præditis laudari judicibus, & commendari, qui eorum ut & majorum merita in remp. prædicabant. Cic. I. ad Famil. 9. *Cur laudarim* (Vatinium) *peto a te, ut id a me neve in hoc reo, neve in aliis requiras: ne tibi ego idem reponam, cum veneris; tametſi poſſum abſenti. Recordare enim, quibus laudationem ex ultimis terris miſeris; nec hoc pertimueris: nam a me ipſo laudantur, & laudabuntur iidem.* Seneca de Livio Druſo de Brevit. Vitæ cap. 6. *Adſus pupillus adhuc, & prætextatus judicibus reos commendare, & gratiam ſuam foro interponere tam efficaciter, ut quædam judicia conſtet ab illo rapta.* Hunc locum annotavit Gronovius. Commendationes magiſtratibus plures invenies paſſim in Tullianis epiſtolis, præcipue in libro XIII. GRÆV.

Qui aut conſuluntur) *Conſuluntur* jureconſulti, oratores *defendunt*. CAR. LANG.

Vt animadvertant) Grævii primus, & Palat. prim. recte *ut animum advertant*. Sic ſæpe veteres, quod in plurimis locis librarii mutarunt in *animadvertere*. GRÆVIVS.

Vtendum etiam eſt excuſatione adver-

ſus

Digitized by Google

invitus offendas, quacumque poſſis, quare id, quod feceris, neceſſe fuerit, nec aliter facere potueris: ceteriſque operis, & officiis erit id, quod violatum eſt, compenſandum.

20. Sed cum in hominibus juvandis aut mores ſpectari, aut fortuna ſoleat: dictu quidem eſt proclive, itaque vulgo loquuntur, ſe in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam ſequi: honeſta oratio eſt: ſed quis eſt tandem, qui inopis, & optimi viri cauſæ non anteponat in opera danda gratiam fortunati, & potentis? a quo enim expeditior & celerior remuneratio fore videatur, in eum fere eſt voluntas noſtra propenſior. Sed animadvertendum eſt diligentius, quæ natura rerum ſit: nimirum enim inops ille, ſi bonus eſt vir, etiam ſi referre gratiam non poteſt, habere certe poteſt. Commode autem, quicumque dixit, pecuniam qui habeat, non reddidiſſe, qui reddiderit, non habere, gratiam autem, & qui retulerit, habere, & qui habeat, retuliſſe. At, qui ſe locupletes,

ſus eos, quos invitus offendas, quacumque poſſis) Egregium hujus rei exemplum eſt apud ipſum Tullium in III. ad Famil. ep. 12. ubi excuſat filiæ nuptias Appio, quam Dolabella duxerat Appii accuſator, illo tempore, quo Appium accuſarat. Idem.

Ceteriſque operis, & officiis erit id, quod violatum eſt, compenſandum) Sic legendum eſt, atque ita habent libri manuſcripti, non *Certiſque*, ut eſt in vulgatis. Victorius etiam *penſandum* edidit, pro *compenſandum*. Fr. Fabrit.

Honeſta oratio eſt) Ut dicant mores ſpectandos eſſe in collocandis beneficiis, cum tamen divites potius, & potentes juvent, quam inopes. Verum eſt, quod Martialis ſcribit:

Semper eris pauper, quia pauper es, Æmyliane;
Dantur opes nullis nunc, niſi divitibus.

Matth.

Inops ille, ſi bonus eſt vir, etiamſi referre gratiam non poteſt, habere certe poteſt) Rationem reddit Seneca II. de Benef. 31. *Cum omnia ad animum referamus, fecit quiſque, quantum voluit.* Paullo poſt: *Gratus quoque poteſt eſſe homo voluntate. Quoties quod propoſuit, quiſque conſequitur, cupit operis ſui fructum. Qui beneficium dat, quid proponit? prodeſſe ei, cui dat, & voluptati ſibi eſſe. Si, quod voluit, effecit, pervenitque ad me animus ejus, ac mutuo gaudio affecit, tulit, quod petiit. Non enim ſibi invicem aliquid reddi voluit: aut non fuit beneficium, ſed negotiatio.* Equidem qui meminit, gratiam retulit, teſte eodem Seneca II. de Benef. 24. *Nec referre poteſt gratiam, niſi qui meminit, & qui meminit, jam refert.* Græv.

Commode autem quicumque dixit) Totum hunc locum profert Nonius, & valde inepte, ac ridicule interpretatur, hoc modo, *dixit pecuniam*, hoc eſt, dat, quaſi vero, *dixit pecuniam*, legendum ſit ſine diſtinctione. Lambin. Quaſi plenius dixiſſet: *Commode autem dixit is, quicumque id dixit.* Pearce.

Pecuniam qui habeat) Vide Manut. & Antonium Iulianum de hac ſententia diſputantem apud Gell. IV. Græv.

Et qui retulerit, habere) Quidam libri: *Et qui reddiderit, non habere, & qui habuerit, retuliſſe.* Vide orationem pro

Digitized by Google

tes, honoratos, beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt: quin etiam beneficium ſe dediſſe arbitrantur, cum ipſi quamvis magnum aliquod acceperint: atque etiam a ſe poſtulari, aut exſpectari aliquid ſuſpicantur: patrocinio vero tuo ſe uſos, & clientes appellari, mortis inſtar putant. At vero ille tenuis, cum, quidquid factum ſit, ſe ſpectatum, non fortunam putet, non modo illi, qui eſt meritus, ſed etiam illis, a quibus exſpectat, eget enim multis, gratum ſe videri ſtudet: neque vero verbis auget ſuum munus, ſi quo forte fungitur, ſed etiam extenuat. Videndumque illud eſt, quod ſi opulentum fortunatumque defenderis, in uno illo, aut forte in liberis ejus manet gratia, ſin autem inopem, probum tamen, & modeſtum, omnes

pro Plancio, & Gellium. LANGIVS.

Quin etiam beneficium ſe dediſſe arbitrantur, cum ipſi quamvis magnum aliquod acceperint) De his loquitur Seneca II. de Benef. 24. *Alius accepit faſtidioſe, tamquam qui dicat: Non quidem mihi opus eſt, ſed quia tam valde vis, faciam tibi mei poteſtatem.* GRONOV.

Æque etiam a ſe aut poſtulari, aut exſpectari aliquid ſuſpicantur) Hunc locum ex meo primo codice ſic reſcripſi: *atque etiam a ſe poſtulari, aut exſpectari aliquid*; nemine, puto, reclamante. GRÆV.

Patrocinio vero ſe uſos) MSus meus primus: *patrocinio vero tuo ſe uſos*; non male. IDEM. Nulli MSi mei, aut Oxonienſes habent *tuo* ante *ſe*. Sex etiam ex meis habent *aut*, vice *&*. Vtrumvis arbitror male huic loco hærere, & Ciceronem potius ſcripſiſſe, *patrocinio vero ſe uſos clientes appellari*, i. e. ſe, cum uſi fuerint patrocinio alicujus, clientes ejus appellari. PEARCE.

Mortis inſtar putant) Qua in ſententia fuit Pompeius, qui teſte Cæſare III. de Bello Civili ad amicos agentes de pace: *Quid mihi*, inquit, *aut vita, aut civitate opus eſt, quam beneficio Cæſaris habere videbor?* I. FR. GRONOV.

Non fortunam putat) *Non enim beneficium eſt, quod fortunam ſpectat*; ſecundum veriſſimum Senecæ dictum. GRÆVIVS.

Probum tamen, & modeſtum) Alibi *probus* ſignificat eum, qui juſto eſt animo, & minime malo; cui contrarius eſt *improbus*. Hîc vero alium, & (ut opinor) maxime proprium ſenſum habet vox *probum*, & in ſequente ſententia *improbi*: *probus* enim eſt *modeſtus*, *improbus* contra: hinc Salluſtius de Pompeio dicit, eum fuiſſe *oris probi, animi inverecundi.* Sic Horat. in Serm. I. III. 56.

---- Probus quis
Nobiſcum vivit: multum demiſſus homo

ſc. vocatur. Sic Quinct. Inſt. Orat. I. 3. *Probus ab illo ſegni & jacente multum aberit*. Et ib. XI. 3. *Perfricare faciem, & quaſi improbam facere*. Atque etiam Cicero in I. 26. de Orat. *Erat mirificus in Craſſo pudor, qui tamen non modo non obeſſet ejus orationi, ſed etiam probitatis commendatione prodeſſet*. Eodem (opinor) ſenſu dicitur a Virg. Georg. I. 145.

---- Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Itemque ib. in 119. *anſer* vocatur *improbus*, quia ſæpius licet repulſus ad eumdem paſtum redit. Hæc ideo notanda eſſe putavi, quia lexicis Latinis hic vocis ſenſus fere ignotus videtur. PEARCE.

Cer-

omnes non improbi humiles, quæ magna in populo multitudo eſt, præſidium ſibi paratum vident. Quamobrem melius apud bonos, quam apud fortunatos, beneficium collocari puto. Danda omnino opera eſt, ut omni generi ſatisfacere poſſimus: ſed ſi res in contentionem veniet, nimirum Themiſtocles eſt auctor adhibendus, qui, cum conſuleretur, utrum bono viro pauperi, an minus probato diviti filiam collocaret: Ego vero, inquit, malo virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam, quæ viro. Sed corrupti mores, depravatique ſunt admiratione divitiarum: quarum magnitudo, quid ad unumquemque noſtrum pertinet? Illum fortaſſe adjuvat, qui habet, ne id quidem ſemper: ſed fac juvare, utentior ſane ſit, honeſtior vero quo-

Corrupti mores depravatique ſunt admiratione divitiarum) De hoc omnes conquerantur, quicumque vitia Romæ corruptæ deplorarunt. Iuvenal. Sat. 6.

Nullum crimen abeſt, facinuſque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit. Et ſtatim:
Prima peregrinos obſcena pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſecula luxu
Divitiæ molles.

Et Lucanus lib. I.

Namque ut opes nimias mundo fortuna ſubacto
Intulit, & rebus mores ceſſere ſecundis,
Prædaque, & hoſtiles luxum ſuaſere rapinæ.

Vide Liv. præfat. & Salluſtium in proœmio belli Catilinarii. Nec Romæ tantum, ſed omnibus rebuſpublicis diu florentibus idem fatum incumbere Polybius oſtendit lib. VI. 55. Græv.

Ne id quidem ſemper) Nam ſi avarus eſt, *tam ei deeſt, quod habet, quam quod non habet*. Sin avarus non eſt, divitiæ tamen ipſæ ſæpe poſſeſſores perdiderunt. *Nimiæ opes*, inquit Curt. IV. 11. *magnæ jacturæ locum faciunt*. Ariſtot. id ipſum quoque docet, multos ſcilicet homines ipſas facultates multis incommodis & malis affeciſſe, quoſdam etiam perdidiſſe, non quod ipſæ cauſſæ ſint malorum, ſed quod facturos irritant, ut ait Poſidonius. Hinc Euripides in Pliſthene:

Πολλων τοι χρηματ' αιτι' ανθρωποις κακων.
Multorum malorum cauſſa hominibus ſunt opes.

Egregie Apuleius in Apolog. quem locum notavit Rachelius: *Immodicæ divitiæ veluti ingentia, & enormia gubernacula facilius mergunt, quam regunt, quod habent irritam copiam, noxiam nimietatem*. Quot in proſcriptione Sullana truncata fuerint divitiarum cauſſa, Plutarchus oſtendit in Sulla. Sed exemplorum infinita eſt copia. Idem.

Potentior ſane ſit) Vnus liber pro, *potentior*, habet *opulentior*; alii tres, *utentior*: conjiciant docti. Car. Lang. *Opulentior ſane ſit, honeſtior vero*, &c.) Etiam noſtri libri habent, *utentior ſane ſit*. Vnde feci, *opulentior ſane ſit*, quomodo habet codex unus, & alter. Nam, *utentior*, ſuſpicor eſſe ſcriptum a librario aliquo pro, *opulentior*, omiſſis duabus prioribus litteris. Hinc *utentior*. Quidam amicus meus putat potius eſſe reponendum, *locupletior*. Eſt qui mavult, *ditior*. Non deeſt qui, *juvantior*, reponendum cenſeat: ut referatur ad magnitudinem divitiarum: hoc modo: *Magnitudo divitiarum juvantior ſit*. Adrianus Turnebus nulla conjectura opus eſſe exiſtimat, ſed legendum eſſe, ut habent veteres codices, *utentior*: quod comparativum

quomodo? Quod ſi etiam bonus erit vir, ne impediant divitiæ, quo minus juvetur, modo ne adjuvent: ſitque omne judicium, non quam locuples, ſed qualis quiſque ſit. Extremum autem præceptum in beneficiis, operaque danda eſt, ne quid contra æquitatem contendas, ne quid pro injuria. Fundamentum enim perpetuæ commendationis, & famæ eſt juſtitia, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile.

21. Sed quoniam de eo genere beneficiorum dictum eſt, quæ ad ſingulos ſpectant: deinceps de iis, quæ ad univerſos, quæque ad remp. pertinent, diſputandum eſt. Eorum

tivum eſt a participio, *utens*. Iudicet lector ingenioſus: mihi quidem non placet. LAMBIN. Vide Turneb. Adverſ. XIX. 1. qui tuetur antiqui libri ſcripturam, & *opulentior* a ſemidoctis hominibus proſeminatum eſſe contendit. Sane meus quoque liber antiquiſſimus *utentior* probat: eleganter utique. Nam *utentior* eſt, qui plus impendit in cultum vitæ, qui pluribus utitur ad vitam tuendam, qui majores ſumtus in ſe tuendo facit. Vti enim eſt ſuſtinere impendia, ſe tueri, ſuſtentare, ut multis exemplis docuit ὁ πάνυ Gronovius lib. II. de Pecunia Vetere cap. 7. ſic, & *εἰς χρείαν* apud Divum Paullum epiſtola ad Philipp. IV. 16. Ἅπαξ *καὶ δὶς εἰς τὴν χρείαν μοι ἐπέμψατε*: ubi recte vetus interpres, & Latine: *Semel & bis in uſum mihi miſiſtis*; quod recentiores male mutarunt. Eſt enim *in uſum mittere*, *mittere unde utaris*, ut Plautus, & Terentius loquuntur, quo te ſuſtentes, & alas. GRÆV. *Potentior ſane ſit*) Ita MSi Mill. & Mead. ſec. item edit. Mogunt. Roman. Victorii, & Manutii: & hanc lectionem ſequendam puto: Grævius in textum adduxit *utentior*, in nonnullis MSis (inter quos tres Regii) inventum, eamque ſic explicat, *qui pluribus utitur ad vitam tuendam*. At Cicero dixerat antea, *divitias illum*, *qui habet*, *juvare*; hoc vero plus eſt dicere, quam quod inde *utentior* eſſe poſſit. Hîc omnino opus videtur verbo, quod conſequentiam divitiarum adjuvantium exprimat; id quod facit vox *potentior*: illum, qui eas habet, divitiæ *juvant*; ſequitur igitur, ut *potentior* ſit: ſin legamus *utentior*, ordo invertitur argumenti; &, quia dives *utentior* eſt, ideo ſequitur, ut divitiæ illum *juvent*. PEARCE.

Modo ne adjuvent) Modo ne propter divitias divitem juvemus, ſi vir non eſt bonus, ſed propter bonitatem. GRÆV.

In beneficiis operaque danda eſt) I. e. in iis beneficiis conferendis, quæ ex opera danda conſtant, nam de his ſolis, non de iis, quæ largitione dantur, hîc Cicero loquitur; ut videre eſt in initio cap. 19. Vnde puto eum ſcripſiſſe *in beneficiis opera danda eſt*, omiſſa copula *que*. PEARCE.

Ne quid contra æquitatem) Ne in injuſta cauſſa juves amicum. Vide de hac re, quouſque liceat amico in cauſſa iniqua, & capitali navare operam, diſputantem Gellium lib. I. Noctium Atticarum cap. 3. GRÆV.

Ne quid pro injuria) Ita MSi ſeptem Oxon. duo Regii, & Mill. ita etiam Editiones Mogunt. Rom. Victorii, omneſque (opinor) ante Grævianam, in qua legitur *per injuriam*. Sed voces *pro injuria* melius opponuntur præcedentibus *contra æquitatem*: ut dicitur in III. 36. de Orat. *pro omnibus, & contra omnia diſputare*. Video tandem Grævium in poſteriore editione reſtituiſſe *pro injuria*. PEARCE.

Eorum

rum autem ipſorum partim ejuſmodi ſunt, ut ad univerſos cives pertineant, partim ſingulos ut attingant, quæ ſunt etiam gratiora: danda eſt opera omnino, ſi poſſit, utriſque, nec minus, ut etiam ſingulis conſulatur: ſed ita, ut ea res aut proſit, aut certe non obſit reip. C. Gracchi frumentaria magna largitio; exhauriebat igitur æra-

Eorum autem ipſorum partim) Noſtrorum librorum alii habent: *Eorum autem ipſorum quædam partim*: alii, *ipſorum quæ, partim*. Langius aliquid fuiſſe diſſimilitudinis in ſuis libris non admonet. Nos alterutro modo legi poſſe arbitramur, vel: *Eorum autem ipſorum quædam partim*, vel, *Eorum autem ipſorum partim*. Lamb. *Eorum autem ipſorum*) In noſtris libris nulla hîc varietas eſt. Quod autem in quibuſdam legitur: *Ipſorum quædam partim*, non dubito, quin particula *quædam* ex interpretatione in contextum irrepſerit. Fr. Fabrit. Senſus eſt: Quæ, quamquam ad univerſos, non ad ſingulos pertinent, tamen ſingulis aliquo modo proſunt, hique ex illis beneficiis quemdam fructum capiunt. Hæc videtur eſſe vis vocis *attingant*. Pearce.

Aut certe non obſit reip. Helii, & P. Gracchi frumentaria magna largitio fuit) In fidelioribus codd. ſcriptum invenio. *Aut ne obſit reip. C. Gracchi frumentaria* &c. quam lectionem tueri poſſumus tum Ciceronis auctoritate III. Tuſc. quæſt. & in Bruto, tum Flori Epitome 60. in T. Livium, tum Plutarchi in vita Gracchorum. Quidam codices habent *Tyb. Gracchi*, cujus collega fuit in tribunatu M. Octavius, quam lectionem Valer. Max. lib. III. cap. 2. non nihil confirmat, ubi agit de P. Scipione Naſica. Pet. Balduin. Cum legeretur *C. Helii*, *T. Gracchi*, ego C. Gracchi ſcripſi, ut habent vet. libri. Cauſſam mendæ prodit Maguntiacenſe exemplar, quod a principe Typographiæ editum eſt anno MCCCCLXV. in quo tantum *C. Gracchi*, legitur. Itaque ex C. factum eſt, *Celius*, deinde *C. Elius*: nota eſt hiſtoria *C. Gracchi*, & *M. Octavii* ex Livio, aliiſque. C. Lang. Librarii falſa interpretatione prænominis effecerunt, ut in libris vulgatis jam legatur, *C. Helii & T. Gracchi*: & in quibuſdam, *P. Gracchi*, cum *C. Gracchi* in manuſcriptis noſtris abſque ulla varietate legatur. Fr. Fabrit. Sempronia C. Gracchi tribunitia de frumento pauperibus ſemiſſibus, & trientibus diſtribuendó jubebat, ut frumentum publice emeretur, ſinguliſque menſibus per ſingulas tribus viliſſimo pretio plebi divideretur: eratque locus Romæ conſtitutus, in quo frumentum publicum aſſervabatur una cum legibus frumentariis, qui dicebatur, horrea Sempronia. P. Manutius. Frumentariæ legis Sempronianæ ſive Gracchanæ duo erant capita præcipua; quorum unum ſervavit poſteris Epitome Livii, alterum Appianus; niſi forte (quod ſuſpicor) referri putes unum idemque ab utroque, omiſſis tantum hinc illinc in eadem re particulis quibuſdam. *C. Gracchus* (Epitom. Liv. LX.) *Tib. frater, Tribunus plebis eloquentior, quam frater, pernicioſas aliquot leges tulit, inter quas frumentariam; ut ſemiſſe & (f. aut) triente frumentum plebi daretur.* Appianus autem: Επεβȣλευε τῃ βȣλῃ, *σιτηρεσιον εμμηνιον ὁρισας ἑκάςῳ των δημοτων απο των κοινων χρηματων, ȣ προτερον ειωθος διαδιδοσθαι. Senatui* (Gracchus) *laqueos intendit, lege lata, ut menſtruum plebi viritim frumentum divideretur ex ærario publico, id quod antea numquam eſt factum*. De Bell. Civ. vol. II. pag. 617. 618. Ubi, ut opinor, deſunt *ſemiſſe aut triente*, pretio leviſſimo; & in Epitome Livii *menſtruum*, quibus integram legem haberemus. Alibi autem nuſquam exſtat apud veteres, quod ſciam, tam diſerta Legis hujus recenſio, cum ceteri omnes eam leviter tantum attingant. Illa ſolum adjicere libet, quæ Cicero eleganter de ipſa efferebat in Or. pro Sextio c. 48. *Frumentariam*

ærarium: modica M. Octavii, & reip. tolerabilis, & plebi neceſſaria: ergo & civibus, & reipub. ſalutaris. In primis autem videndum erit ei, qui rempub. adminiſtrabit, ut ſuum quiſque teneat, neque de bonis privatorum publice deminutio fiat: pernicioſe enim Philippus in tribunatu, cum legem agrariam ferret, quam tamen antiquari facile paſſus eſt, & in eo vehementer ſe moderatum præbuit: ſed cum in agendo multa populariter, tum illud male: non eſſe in civitate duo millia hominum, qui rem haberent. Capitalis oratio, & ad æquationem bonorum pertinens: qua peſte quæ poteſt eſſe major? Hanc enim ob cauſam maxime, ut ſua tenerent, reſpub. civitateſque conſti-

ariam legem C. Gracchus ferebat: jucunda res plebi Romanæ; victus enim ſuppeditabatur large ſine labore. Repugnabant boni, quod & ab induſtria plebem ad deſidiam avocari putabant, & ærarium exhauriri videbatur. Hæc autem contigerunt circa an. V. C. 631. Conf. Vell. Paterc. II. 6. CHAPMAN.

M. Octavii) *Cn. Octavius, M. filius, tantum auctoritate, dicendoque valuit, ut legem Semproniam frumentariam populi frequentis ſuffragiis abrogaverit.* Cic. in Bruto 62. Ex iis autem Tullii verbis, quibus in hoc loco Octavii laudat moderatam largitionem, fere colligere eſt, non totam Gracchi frumentariam legem abrogaſſe M. Octavium, ſed nova lege ſua quodammodo moderaſſe rempublicam, & ærarium intolerabili damno ſublevaſſe. Verum, qua ratione hoc præſtiterit, cum nullum iſtius extet caput, obſcurum eſt. Videtur tamen ſtatuiſſe vel majus pretium in ſingulos modios ſecundum annonæ caritatem, vel uti triente atque ſemiſſe minus, quam emtus eſſet, civibus modius venderetur. Tale quid Apuleia ſequens lex frumentaria videtur inſinuare, quæ modios denuo ad trientes atque ſemiſſes Semproniæ legis, hac Octavia abrogata, non ſine tumultu redegit. Steph. Vinand. Pighius. GRÆV.

Philippus) L. Marcius Q. F. Q. N. Philippus, tribunus plebis fuit anno V. C. DCXLIX. IDEM.

Non eſſe in civitate) Fr. Sayus legendum conjecit, *non eſſe debere in civitate* &c. Mihi potius placet: *non eſſe in civitate duo millia hominum, qui rem habere deberent.* Vtramvis viam inſiſtas, lector, facile hinc videbis, quomodo oratio iſta dicatur *capitalis, & ad æquationem bonorum pertinens.* PEARCE.

Capitalis oratio, & ad æquationem) Ex iis, quæ iſte L. Marcius Philippus dixerit, quomodo hoc Cicero colligit? Audi Petr. Marſum: Ad æquationem bonorum, *ut omnes tantum haberent in bonis; quoniam nolebat Philippus, aliquem poſſe ſupra quingenta jugera poſſidere; ut ea, quæ ſupereſſent ex tanta agrorum copia, plebi dividerentur; ut tandem non eſſet fere aliquod diſcrimen inter principes & plebeios: quo nihil poteſt eſſe pernicioſius; cum non liceat unicuique, quod ſuum eſt, poſſidere, & deſides aliorum bona invadant. Quid ibi* (*inquit Maturantius*) *voluit Philippus, cum dixit,* non eſſe in civitate &c. *niſi,* ut *divitibus bona auferrentur, & viritim dividerentur?* IDEM.

Vt ſua tenerentur) *Vt homines ſua tuerentur*, eſt in uno libro ſcripto, in aliis: *Vt ſua tenerentur*, id eſt, ut quæ propria cujuſque eſſent, ea teneri poſſent, quemadmodum Camerarius interpretatur, quod Plato lib. IV. de rep. dicit: Των *αυτων μη ϛερεσθαι.* FR. FABRIT. In meo & Palatino primo eſt, *ut ſua tenerent*, quod ſine hæſitatione recepi; *r* ex ſequente voce negligentia ſcribæ fuit bis ſcriptum,

conſtitutæ ſunt. Nam etſi duce natura congregabantur homines, tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, urbium præſidia quærebant. Danda etiam opera eſt, ne quod apud majores noſtros ſæpe fiebat propter ærarii tenuitatem, aſſiduitatemque bellorum, tributum ſit conferendum: idque ne eveniat, multo ante erit providendum: ſin quæ neceſſitas hujus muneris alicui reip. obvenerit: (malo enim quam noſtræ ominari, neque tamen de noſtra, ſed de omni repub.

ptum, inde alii interpoſuerunt quintam vocalem. GRÆV. At hæc lectio Grævii facit, ut Cicero videatur dicere, reſpublicas, civitateſque ideo conſtitutas fuiſſe, ut ea ſua tenerent. Vt igitur hoc, quod non voluit ille, non intelligatur, reſcribendum cenſeo cum omnibus ante Grævium editionibus, cum quinque MSis meis, aliiſque multis, *ut ſua tenerentur*, i. e. ut quæ propria cujuſque eſſent, ab ipſo teneri poſſent. PEARCE.

Duce natura congregantur homines) Coeunt in ſocietatem civilem, inſtigante natura humana, quia homo eſt animal ſociale, ut ſupra docuit libro primo. GRÆVIUS.

Aſſiduitatemque bellorum) Quæ ſine magnis ſumtibus, & ſtipendiis geri non poſſunt. Notum eſt illud Taciti in hanc rem IV. Hiſtor. 74. *Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt*. IDEM.

Multo ante erit providendum) Parcimonia & frugalitate, quæ magnum vectigal eſt. Πλυτος γαρ ακριβης υχ' ἑτω εκ τυ πολλα λαμβανειν, ως εκ τυ μη πολλα αναλισκειν αθροιζεται, ut Mæcenas Auguſtum prudenter monet, apud Dionem lib. LXII. hoc eſt: *Magnæ opes non tam multa capiendo, quam haud multa perdendo, quæruntur. Et tantas vires habet frugalitas, ut tot impendiis, tot erogationibus vel ſola ſufficiat*, ut Plinius oſtendit cap. 41. Paneg. quod totum eſt legendum. IDEM.

Sin qua neceſſitas hujus muneris) *Sin quæ*, eſt in omnibus manuſcriptis noſtris, & impreſſis Victorii libris, ut apud Terentium in prologo Heauton. *Si quæ laborioſa eſt, ad me curritur*: ſic enim ex libro Bembino Faernus emendavit, & verſus exigit. Equidem apud Ciceronem multis locis: *Si quæ*, *Ne quæ*, in libris vetuſtis invenio, ubi in vulgatis *Si qua*, & *Ne qua*, legitur, quod Priſcianus lib. V. hæc magis probet. Sequenti verſu lege: *Malo enim alii, quam noſtræ ominari*, quomodo in tribus manuſcriptis perſpicue legitur, & Lambinus edidit, ubi Langii codex habet: *Malo enim, quam noſtræ ominari*, atque ita in ſuis Lambinus ſe inveniſſe ſcribit. FR. FABRIT.

Malo enim alii, quam noſtræ ominari) Sic quidem habent omnes libri veteres; *Malo enim, quam noſtræ ominari*: ſed videtur aliquid deeſſe, ut fortaſſe ita ſit legendum, *alii enim malo, quam* &c. vel, *alii enim malo*, vel *cuivis enim malo* &c. vel, *malo enim alii, quam* &c. quemadmodum edidimus. LAMBIN. Male Lambinus hæc contra librorum antiquorum omnium fidem interpolavit. Nam & meus, & Palat. primus illam quoque ſcripturam agnoſcunt, quam in ſuis repererunt omnibus Lambinus, Langius, Manutius. Ex præcedentibus nimirum repetendum *alicui reipublicæ*, nimirum *alii*. GRÆV. Hoc equidem cum injuria Ciceronianæ dictionis factum eſſe puto. Grævius etiam affirmavit ſuum MSum & Pal. pr. cum vulgatis ſtare: ſed inveni vocem *alteri* in edit. Mog. & Rom. & in MSis Mill. & Mead. ſec. Vox etiam aut *alteri*, aut *alii* extat in novem MSis Oxon. in Cant. & Reg. tertio: Manutius item teſtatur, *alteri* ineſſe in quatuor, quos excuſſit, MSis. Si vox *alicui* in præcedente ſententia idem ſignificet, quod *alii cui* (de quo vide notam meam ad I. 7.) tum non neceſſe erit, ut inſe-

Digitized by Google

pub. diſputo') danda erit opera, ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, neceſſitati eſſe parendum; atque etiam omnes, qui remp. gubernabunt, conſulere debebunt, ut earum rerum copia ſit, quæ ſunt neceſſariæ: quarum qualis comparatio fieri ſoleat, & debeat, non eſt neceſſe diſputare: eſt enim in promtu: tantum locus attingendus fuit. Caput autem eſt in omni procuratione negotii, & muneris publici, ut avaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio. Vtinam, inquit C. Pontius Samnis, ad illa tempora me fortuna reſervaviſſet, & tum eſſem natus, ſi quando Romani dona accipere cœpiſſent! non eſſem paſſus diutius eos

inſeramus huic loco vocem vel *alteri*, vel *alii*. PEARCE.

Neque tamen de noſtra) *Neque tam de noſtra* placet, ut habet manuſcriptus liber. F. VRSIN. Victorius, & MSus Mill. cum ſex Manutii, & tribus Oxon. habent *neque tantum de noſtra*. Vulgo vero legimus, *neque tamen de noſtra*: vox vero *tamen* ſuam & propriam vim hîc, opinor, habere non poteſt. Cl. Chapmanno videtur legendum eſſe, *neque jam de noſtra*. PEARCE.

Vt earum rerum copia ſit, quæ ſunt neceſſariæ) Inprimis annonæ. Nam *vulgo una ex rep. annonæ cura*, Tacito doctore IV. Hiſt. 28. & ab ejus aut cura, aut neglectu fere pendet amor, aut odium in principem. Lucan. III. de Cæſare:

Gnarus & irarum cauſſas, & ſumma favoris
Annonæ momenta trahi, namque aſſerit urbes
Sola fames, emiturque metus, cum ſegne potentes
Vulgus alunt; neſcit plebes jejuna timere.

Non ignoravit hoc Auguſtus, qui in novo principatu populum annona illexit, & ſibi devinxit, ut auctor eſt Tacitus Ann. II. Inde annonæ curam ſollicitiſſime ſemper egerunt principes, quibus ſalus ſua curæ fuit. Vide Sueton. Claud. cap. 18. Contra in quantum odium incurrerit Nero, cum in publica fame Alexandrina navis nunciaretur pulverem luctatoribus aulicis advexiſſe (ſolebant autem Alexandrinæ naves commeatum advehere) idem ſcriptor oſtendit in Nerone in ejus vita cap. 45. *Quare omnium in ſe odio concitato nihil contumeliarum defuit, quin ſubiret. Statuæ ejus a vertice currus appoſitus eſt cum inſcriptione Græca, nunc demum agona eſſe, traheret tandem*, & quæ ſequuntur. GRÆV.

Vt avaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio) Quanta onerarit invidia Galbam, & brevi everterit avaritia, vide Sueton. in ejus vita cap. 12. & ſeq. Alia innumera paſſim occurrunt. IDEM.

Pontius) Samnitium Imperator, qui Romanos ad furcas Caudinas ſub jugum miſit. Pronuntiavit autem hoc apophtegma, cum M. Curius ejus aurum contempſiſſet. ERASMVS.

Et tum eſſem natus, quando Romani dona accipere cœpiſſent) Meus veterrimus codex: *& tum eſſem natus, ſi quando Romani dona accipere cœpiſſent*. Hæc eſt Ciceronis manus, quæ ſcrupulum omnem, qui Gruterum urit, amovet. Is ad hunc locum notat, ſe non videre, quomodo votum hominis huc quadret, niſi velimus vatem fuiſſe, aut potius hæc ipſum pronunciare apud inferos. Addit, viderint acutiores, num ex verbis ipſis erui poſſit genus aliquod carminum. Sed nec carmen eſt, nec vaticinium, nec oratio mortui apud inferos. Optat tantum Samnis, ut illis temporibus natus eſſet, ſi umquam illa tempora futura ſint, quando Romani dona accipere

eos imperare. Næ illi multa ſecula exſpectanda fuerunt: modo enim hoc malum in hanc rempub. invaſit; itaque facile

cipere cœpiſſent. Sed num unquam iſta dies ſit oritura, qua dona capturi ſint, ignorat, & prævidere non poteſt: hoc enim notat *ſi quando*. Ex illis optimis membranis recepi quoque, quod & Manutius in duobus ſe reperiſſe codicibus teſtatur, *reſervaviſſet*. Græv.

Næ illi multa ſecula exſpectanda fuerunt) Legebatur prius, *nec illi quidem multa ſecula expect. f.* Sed cum particula, *quidem*, in veteri codice nullo extaret, repoſui *næ*, pro *nec*: quamquam a C. Pontii morte uſque ad Marcium Cenſorinum, & M. Manilium coſ. quo anno L. Piſo Tr. pl. fuit, anni ſunt non plus CXLI. ad Hirtii, & Panſæ conſulatum, poſt quem libri de Officiis ſcripti ſunt, anni CCXXVII. tantum interceſſerunt: quo ſpatio paullo plus duobus ſeculis continetur; ſiquidem ſeculum centum annis finimus. Pontius enim a Q. Fabio Gurgite ſecuri percuſſus eſt, anno ab V. C. CCCCLXII. ut omnes tradunt. Sed & in Bruto, ſi recte memini, ſpatium minus trecentorum annorum, *multa ſecula* appellat. Interim Plutarch. emendandus in Parallelis, ubi *Marius Lamargus* Pontium deviciſſe ſcribitur. *Fabius*, reponendum: *Lamargus* enim, pro *Gurges*, ab interprete relictum eſt. Item locus in Bruto reſtituendus, ubi de hoc L. Piſone agit: *Quæſtiones*, inquit, *P. repetundarum hoc adoleſcente conſtitutæ ſunt, quæ antea nullæ fuerunt.* Sic enim legendum non *quæſtiones perpetuæ*. Error autem natus ex his, *p. rep.* videtur. Quod ſubdit, *proximæ quoque duriores*, ideo eſt, quod primæ illæ caput non deminuerent. Nam L. Lentulus repetundarum damnatus anno ſequente Cenſor fuit. Poſteriores exilium irrogarunt: Pædian. in Divinationem: quod P. Rutilii, C. Catonis, C. Verris exemplis conſtat; quos exilio damnatos Cicero pro Balbo, & Velleius teſtantur. C. Lang. *Næ illi multa ſecula*, &c.) Sic habent etiam noſtri libri veteres, hoc eſt, Memmiani, Huraltini, Cujatiani, Pithœanus, Danielis: neque eſt in illis ullum particulæ, *quidem*, veſtigium. Non eſt ſcriptum tamen in illis, *næ*, per diphthongum, *æ*, ſed, *ne*, per vocalem, *e*, quomodo ſcribendum eſſe arbitror. Sed uſum ſcribendi in hac re populo conceſſi: ſcientiam mihi reſervavi, ut ait M. Tullius. Quod autem Adr. Turnebus, qui biennio fere poſt horum librorum editionem Langianam, hunc locum ſic emendandum cenſet, quaſi a nemine alio ſit emendatus, quaſique ipſe occupaverit, hanc cauſſam afferre poſſum, vel illum non vidiſſe editionem Langianam, vel, ut viderit, tamen cum haberet emendationem in ſuis Adverſariis jampridem perſcriptam, ut & multas alias, non exiſtimaſſe ſe cuiquam injuriam facturum, ſi, quæ multis ante annis & excogitaſſet, & litteris mandaſſet, ea quamvis ab aliis eſſent editione occupata, ipſe quoque ederet: quod in multis aliis video ei accidiſſe. Quin multa quoque ſic erant a nobis emendata & impreſſa, ut ei viſum eſt, antequam Adverſaria ſua ederet. Neque id mirum eſt, utpote qui iisdem libris veteribus uſi ſimus, neque ſit mirum, eos, qui eadem ſtudia tractant, in eadem quaſi veſtigia incurrere. Lambin. *Næ illi multa ſecula*) Hæc eſt veterum librorum ſcriptura, ut Lambinus, & Langius de ſuis teſtantur, & ego de meis affirmare poſſum, niſi quod veteres libri, *Ne*, abſque diphthongo ubique edunt, de quo Faernus in Andriam Terentii. Manutianæ editiones variant: ſed poſteriores, *Næ illi*, habent; atque ſic legendum eſſe cum Adr. Turnebus lib. XIX. Adverſariorum cap. I. probat, tum ratio ſubjecta pervincit, quia enim recens hoc malum erat, non modo anni, ſed & ſecula aliquot C. Pontio, qui Veturio, & Poſtumio coſſ. anno CDXXXII. Romanos apud Caudium vicit, exſpectanda fuerunt, ante quam inveniret, qui dona acciperet. Fr. Fabric.

Modo enim hoc malum in hanc remp. inva-

Digitized by Google

facile patior tum potius Pontium fuiſſe, ſiquidem in illo tantum fuit roboris. Nondum centum & decem anni ſunt, cum de pecuniis repetundis a L. Piſone lata eſt lex, nulla antea cum fuiſſet. At vero poſtea tot leges, & proximæ quæque duriores: tot rei, tot damnati, tantum Italicum bellum propter judiciorum metum excitatum: tanta, ſublatis legibus & judiciis, expilatio direptioque ſociorum, ut imbecillitate aliorum, non noſtra virtute valeamus.

22. Laudat Africanum Panætius, quod fuerit abſtinens. Quid ni laudet? ſed in illo alia majora: laus abſtinentiæ, non hominis eſt ſolum, ſed etiam temporum illorum. Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus eſt

invaſit) A ſeptuaginta, aut centum annis. Nam ſexcenteſimo quadrageſimo anno Iugurtha certe graſſatus eſt, & propemodum totum ſenatum emit. Cicero autem ſcribebat ſeptingenteſimo octavo, & tamen *modo* dixit. Sic Flor. L. II. *Quod Carræ nuper*, hoc eſt ante annos CLII. Nam Craſſus cecidit anno ſexcenteſimo nonageſimo octavo, Trajanus imperabat anno octingenteſimo quinquageſimo, quo vixit ſcripſitque Florus. I. F. GRONOVIVS.

Nondum centum & decem anni ſunt) L. Piſo Frugi tribunus pl. fuit Cenſorino, & Manilio coſſ. ut ipſe docet in Bruto: *L. Piſo, tribunus plebis, legem primus de pecuniis repetundis Cenſorino, & Manilio coſſ. tulit*: is fuit annus V. C. DCIV. GRÆV.

A L. Piſone) Is fuit L. Calphurnius Piſo Frugi, celebris annalium conditor, majori tamen fide, quam eloquentia: idemque Conſul fuit circa an. V. C. 620. cum P. Mutio Scævola. Porro legis iſtius annum deſignat Noſter accuratiſſime in Bruto c. 27. ſuperius a Grævio allato. Cenſorinus autem, & Manilius Conſules erant circa an. V. C. 605. (vide Cenſorin. de die Nat. c. 17.) &, teſte Cicerone in Bruto c. 15. *annis LXXXIII.* (ita quidem in editis, ſed leg. *LXXXVI.*) *ante ſe Conſulem*. Quin & alibi, ne forte hunc L. Piſonem alium utique, quam *Frugi* putemus, quod fieri certe poſſet propter L. Piſonem Cæſonium, eorum ipſum temporum, & virum Conſularem, Noſter cognomine adjecto illum *Frugi* appellat in Orat. Verr. III. 84. *L. Piſo ille Frugi, qui legem de pecuniis repetundis primus tulit*. CHAPMAN.

Poſtea tot leges, & proximæ quæque duriores) De his legibus de repetundis erudite diſputat P. Manutius libro de Legibus Romanis. Vide & quæ Torrentius notavit ad Sueton. Iul. c. 4. GRÆVIVS.

Tantum Italicum bellum propter judiciorum metum excitatum) Ex multis cauſſis unam adfert, tamquam ſolam & præcipuam Cicero. Nam in legibus Liviis fuerat, ut cauſſam dicere cogerentur, qui ſuſpecti eſſent corruptelæ munerum. Cum autem Senatus illis legibus reſiſteret, Italicum ſeu ſociale bellum motum eſt. I. FR. GRONOV.

Sublatis legibus, & judiciis) Tempore belli Italici, & dein Mariani. Nam inter arma ceſſant leges. Finita Sullana dominatione, legibus Pompei latis reſtituta ſunt judicia. I. FR. GRONOV. Quem vide ad Senecæ Suaſor. VI. GRÆVIVS.

Tanta expilatio direptioque ſociorum) Nihil hîc moveo. Non poſſum tamen, quin ſignificem lectoribus, in fidiſſimo meo codice ſcribi: *tanta expilatio, ni-*

Digitized by Google

eſt Paullus: tantam in ærarium pecuniam invexit, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum: at hic nihil domum ſuam præter memoriam nominis ſempiternam detulit. Imitatus patrem Africanus, nihilo locupletior, Carthagine everſa. Quid? qui ejus collega in cenſura fuit L. Mummius, numquid copioſior, cum copioſiſſimam urbem funditus ſuſtuliſſet? Italiam ornare, quam domum ſuam maluit; quamquam, Italia ornata, domus ipſa mihi videtur

ditioque ſociorum, non fruſtra. Videtur Cicero reliquiſſe: *tanta expilatio nudatioque ſociorum*? Nam *nudare* Ciceroni ſæpe eſt ſpoliare. In V. Verrin. *Idem monumenta antiquiſſima ſpoliavit, nudavitque omnia*. Sic & alibi: Viderint acutiores. Idem.

Tantum in ærarium pecuniæ invexit) Sic Plutarchus in Æmilio: Τοσαυτα εις το δημοσιον τοτε χρηματα ετεθη, ὡςε μηκετι δεηθηναι τον δημον εισενεγκειν αχρι της Ἱρτιυ και Πανσα χρονων, id eſt: *Tantum pecuniæ in ærarium intulit, ut populus uſque ad Hirtii, & Panſæ conſulatum tributum conferre neceſſe non habuerit*. Fr. Fabrit. In meo illo veterrimo, & Palatino primo ſcribitur: *tantum in ærarium pecuniam invexit*; quod cur damnemus, nulla eſt cauſſa. Ceterum Aldus Manutius cum ex Velleio Paterculo notaſſet, pecuniam hanc ærario illatam fuiſſe *bis millies centies ſeſtertium*, idque conficere ſexagies ter centena ſcutatorum millia, fallitur; ſunt enim tantum quinquagies bis centena quinquaginta millia coronatorum, hoc eſt, ut vulgo loquuntur, quinque milliones, & bis centena quinquaginta millia coronatorum. Græv.

At hic nihil domum ſuam intulit, præter memoriam nominis ſempiternam) Meliores libri, *memoriam præter*: ſic alibi: *Quos inter*. C. Langius. Duo MSi D. & F. quos conſuluit Guilielmius, Palat. primus & quintus, nec non meus antiquiſſimus: *At hic nihil domum ſuam præter memoriam nominis ſempiternam detulit*, quos merito ſequimur. Nam hæc corruperunt ſcioli, & ſemidocti, qui ignorarunt vim *deferre*, inde ſubſtituerunt *inferre*, alii præterea, inculcarunt *in*: nam plerique editi *in domum ſuam intulit*. Sed præferenda eſt vetuſtiſſimorum librorum auctoritas, fulta idoneorum Latinæ linguæ auctorum teſtimoniis. C. Nep. Timoth. 1. *Adverſum Cotym bella geſſit, ab eo mille & ducenta talenta prædæ in publicum detulit*. Sic editiones optimæ Schotti, Savaronis, Lambini, aliæque: quin & ſic recentiores Boecleri, & Boſii laudant cum in notis, tum in indice. In contextu tamen perperam *retulit*. Liv. 39. *Qui per infrequentiam furtim SC. factum ad ærarium detulerit*. Pro hoc vulgus diceret: *in ærarium intulit*. Sic *in beneficiis ad ærarium deferri* ſæpe apud Ciceronem legitur, ut in lib. V. epiſt. ad Fam. 20. *Quod ſcribis de beneficiis, ſcito a me & tribunos militares, & præfectos, & contubernales dumtaxat meos delatos eſſe*. Vide, quæ ibi notavi in ead. epiſtola: *Quamquam juſtis de cauſſis rationes deferre properarim*: pro ærario inferre rationes. Sic & in *cenſum deferre* dicebantur Romani facultates, cum eas profiterentur apud cenſores, ut in tabulas referrentur. Senec. l. de Benef. 3. *Nec illis fraudi eſt, ſi aliud quid in cenſum detulerunt*. Grævius. Cum dicat Cicero, *nihil domum ſuam detulit*, hoc ſignificat, ex Macedonia nihil ad domum ſuam detulit; poſita voce *domum* pro *ad domum* poſt verbum, quod motum exprimit. Pearce.

Copioſiſſimam urbem) Corinthum, quam ſtatuis, & picturis ſpoliavit, quibus ornaret Italiam. Erat autem Mummius ita rudis & incurioſus harum rerum, ut cum tabulas ac ſtatuas in Italiam portandas locaſſet, juſſerit, conducentibus prædici, ſi eas perdidiſſent, novas reddituros. Vell.

tur ornatior. Nullum igitur vitium tetrius, (ut eo, unde digreſſa eſt, referat ſe oratio) quam avaritia, præſertim in principibus rempub. gubernantibus: habere enim quæſtui rempub. non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam & nefarium. Itaque, quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spar-

Vell. Patercul. lib. I. cap. 3. FACCIOLAT.

Nullum igitur vitium tetrius) In meo primo codice in contextu eraſa eſt hæc vox, in margine alia manus adſcripſerat *tetrius*. In Excerptis Pithœi, & uno Aldi: *nullum igitur vitium deterius*. Sic fuiſſe in meo quoque, ipſum ſpatium expunctæ vocis videtur oſtendere. Nec male: nam, ut alibi Tullius ait: *quod optimo diſſimillimum eſt, id eſt deterrimum*. Vitiorum igitur omnium peſſimum ait eſſe avaritiam. GRÆVIUS.

Ut eo, unde egreſſa eſt, referat ſe oratio) *Egredi oratio ab aliqua re* quam Latine dicatur, & quid ſit Latinis, judicent, qui Latine docti ſunt. Novi, quid ſit *egredi relationem* apud Tacitum, pro quo & alibi *excedere* dixit; ſed hoc nihil ad hoc loquendi genus. Ne multis te morer, maculam, quæ omnes obſidet editiones, & meos quoque fugiſſet, ut ceterorum, qui in his libris expoliendis elaborarunt, oculos, detexit ſimul ac deterſit probatiſſimus meus MSus, in quo *ut eo unde degreſſa eſt, referat ſe oratio*, nimirum αρχαϊκως ſcribitur, pro *digreſſa eſt*. Notiſſimum eſt loquendi genus. In prima Verrina: *Verum huc longius, quam voluntas fuit, a propoſito digreſſa eſt oratio mea.* Sed putidum eſt exempla congerere in re trita. Cauſſa corruptionis fuit huic loco, ut infinitis aliis, eædem litteræ, quæ finiunt præcedentem vocem *unde*, & quæ inchoant ſequentem *degreſſa*. Prior ſyllaba ſequentem abſorpſit, unde cum *greſſa* nihil notaret, natum eſt *egreſſa*. IDEM.

Remp. gubernantibus) *Reip. gubernatoribus* habet vetus liber, eadem ſententia: & paullo ſupra: *nondum enim centum, & decem anni*, &c. & : *neque de noſtra tantum*: in impreſſis deſunt duo adverbia *enim*, & *tantum*; quorum alterum ad ornatum, alterum ad ſententiam neceſſaria ſunt. F. URSIN. Meus, & Pal. primus, *principibus remp. gubernantibus*, ſine copula, quos merito ſequor. GRÆV.

Habere enim quæſtui remp. non modo turpe eſt) Equidem veteres Athenienſes, qui ex Solonis inſtituto rempublicam adminiſtrabant, ε εμποριαν, αλλα λειτυργιαν ενομιζον ειναι των κοινων επιμελειαν. *Exiſtimabant reip. adminiſtrationem non eſſe mercaturam, ſed publicum miniſterium*, inquit Iſocrates in Areopagitico. Nam ut idem in præcedentibus ait, omnes laboribus, & frugalitati adſueverant, neque ſua negligebant, nec alienis inhiabant: nec e publico rem privatam ſtabiliebant, ſed de ſuo quiſque, cum res poſtulabant, etiam rempublicam juvabat: nec melius ſciebant, quos e curia, quam quos de ſuo reditus haberent. Quin etiam a veſtigalibus civitatis tantopere abſtinebant, ut illis temporibus difficilius eſſet invenire, qui remp. capeſſere vellent, quam nunc, qui ejus adminiſtratione carere poſſint. Et paullo inferius adjicit, ſi munus ſuum recte adminiſtraſſent magiſtratus, cenſuiſſe Athenienſes, laudandos eos eſſe, illo honore contentos; quæ & Ariſtotelis eſt ſententia in Politicis, magiſtratibus honorem deferendum ſine ſpe quæſtus. Quod autem hic Iſocrates de Athenienſibus, idem de veteribus Romanis prodidit Salluſtius in Bello Catilinario, cap. 7. & ſequentibus: inprimis vide cap. de avaritiæ malo. IDEM.

Quod Apollo Pythius oraculo edidit) Num *oraculo*, aut *reſponſo edere aliquid*, quiſquam auſit venditare pro locutione Latina? Exemplum deſidero. Veteres ſemper dixerunt *oraculum*, *reſponſum edere*, & ſic Cicero ſcripſit & hoc loco, ut fidem nobis facit ille nunquam ſatis laudatus codex meus,

Spartam nulla re alia, niſi avaritia perituram, id videtur non ſolum Lacedæmoniis, ſed & omnibus opulentis populis prædixiſſe. Nulla autem re conciliare facilius benevolentiam multitudinis poſſunt ii, qui reipub. præſunt, quam abſtinentia & continentia. Qui vero ſe populares volunt, ob eamque cauſam aut agrariam rem tentant, ut poſſeſſores ſuis ſedibus pellantur: aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, ii labefactant fundamenta reipublicæ; concordiam primum, quæ eſſe non poteſt, cum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniæ: deinde æquitatem, quæ tollitur omnis, ſi habere ſuum cuique non licet: id enim eſt proprium (ut ſupra dixi) civitatis, atque urbis, ut ſit libera, & non ſollicita ſuæ rei cujuſque cuſtodia. Atque in hac pernicie reip. ne illam quidem conſequuntur, quam putant, gratiam: nam cui res erepta eſt, eſt inimicus: cui data, etiam diſſimulat ſe accipere voluiſſe: & maxime in pecuniis creditis occultat ſuum gaudium,

in quo: *Itaque, quod Apollo Pythius oraculum edidit*; & ſic Pithœana Excerpta, niſi quod *in* perperam addant; in iis enim ſcribitur: *in oraculum edidit*: ſed præter hos, firmant hanc ſcripturam quindecim libri Manutii; ut mirer dudum non fuiſſe tot librorum ſcripturam receptam, cum vulgata ſit abſurda. Idem.

Spartam nulla re alia) Oraculum a Scholiaſte Ariſtophanis in Pace, & Suida in verbo διειρωνοξενοι ita refertur. Ἀ' φιλοχρημάτια Σπαρταν ολει, αλλο δε ȣδεν. *Avaritia Spartam perdet, præterea nihil*. Meminit Plutarchus in Agide, ubi avaritiam φιλοχρημοσυνην vocat. Hoc autem oraculum Apollo Alcameni, & Theopompo regibus edidit, ut ſcribit idem in Apophtegmatis Laconicis. Fr. Fabrit.

Quam abſtinentia & continentia) Rationem reddidit ſuperius cap. 11. hujus libri: *Maxime admirantur eum, qui pecunia non movetur: quod in quo viro perſpectum ſit, hunc igne ſpectatum arbitrantur*. Grævius. *Abſtinentia* eſt a rebus alienis, *continentia* a ſuis; ubi enim licet uti rebus ſuis, ſed tamen moderate uteris, *continens* es: *abſtinens* vero, ſi non attigeris res alienas, etſi id fieri per te poſſit impune. Maturantius.

Aut agrariam rem tentant) Duo popularium hominum genera notat; eos, qui legem agrariam tulerunt, eoſque, qui pro tabulis novis ſtabant, de quibus ultimis vide notam ad finem cap. ſequentis: legum agrariarum hoc erat propoſitum, ut agri, quos nobiles occuparant, & poſſederant, iterum publici eſſent, & plebi viritim dividerentur. Pearce.

Ut ſit libera, & non ſollicita ſuæ rei cujuſque cuſtodia) Mallem: *ſuæ rei cuique cuſtodia*, h. e. quod quiſque acquiſivit recte, ut ſecure, & palam ſine metu raptoris, aut invaſoris tenere, atque eo frui queat. I. Fr. Gronov. Uſitatius, fateor, eſt Ciceroni dicere *cuique*: ſed ad eumdem modum, quo hîc, dicit ille in III. 12. *Ut nihil ſuum cujuſque ſit*. Et in I. 31. *Quod eſt cujuſque ſuum maxime*. Pearce.

In pecuniis creditis) Grævius protulit *in iis pecuniis creditis* ex antiquioribus, & emendatioribus libris. *In iis pecuniis creditis*, ſc. quæ novis tabulis condonantur: de his antea Cicero dixerat,

Digitized by Google

dium, ne videatur non fuiſſe ſolvendo. At vero ille, qui accipit injuriam, & meminit, & præ ſe fert dolorem ſuum: nec, ſi plures ſunt ii, quibus improbe datum eſt, quam illi, quibus injuſte ademtum eſt, idcirco plus etiam valent. Non enim numero hæc judicantur, ſed pondere. Quam autem habet æquitatem, ut agrum multis annis, aut etiam ſeculis ante poſſeſſum, qui nullum habuit, habeat, qui autem habuit, amittat?

23. Ac propter hoc injuriæ genus Lacedæmonii Lyſandrum Ephorum expulerunt: Agin regem (quod numquam antea apud eos acciderat) necaverunt: exque eo tempore tantæ diſcordiæ ſecutæ ſunt, ut & tyranni exſiſterent, & optimates exterminarentur, & præclariſſime conſtituta reſp. dilaberetur: nec vero ſolum ipſa cecidit, ſed etiam reli-

xerat, & de his ſolis verum eſt, id, quod hîc dicit. IDEM.

Non enim numero hæc judicantur, ſed pondere) Nimirum benevolentiæ. Plus poteſt unus, cui aliquid inique ademtum eſt, ad gloriam infuſcandam, & æterna ſtigmata inurenda, imo & ad ulciſcendum injuriæ auctorem, quam plurimi, qui aliquid acceperunt injuſte. Teſtes hujus veriſſimæ ſententiæ ſunt Iulius Cæſar, & tot alii tyranni, qui ultorum manus non potuerunt effugere illa effuſa largitione in amicos, & populum. Vide Sueton. & alios. GRÆV.

Lyſandrum Ephorum) Non fuit hic Lyſander Ariſtaclyti filius, qui vicit ad Ægos Potamos, ut plerique interpretes exiſtimant, ſed Lyſander Lybyos filius Ephorus, de quo Plutarchum in Agide vide. GRÆV. Male interpretes ante Grævium hæc de illo Lyſandro intelligebant, qui cum Agide rege Lacedæmonio Cononem Athenienſium ducem profligavit; deinde fractis Athenienſium rebus triginta iis Tyrannos impoſuit Ol. XCIII. 4. XCIV. 1. Verum recte Grævius monuit paucis, accipienda eſſe de Lyſandro altero, cujus artes, & res geſtas expoſuit Plutarchus in Agide, & Cleomene. Hic nempe Lyſander Ephorus centum prope annos & ſexaginta poſt ſuperioris victoriam circa Ol. CXXXIV. 1. impulſu, atque auſpiciis alterius itidem Agidis, regis optimi apud Laconas, neque malo id in Spartam animo aut conſilio, tabulas novas ac leges agrarias ſancire voluit. Vnde ortis continuo diſſidiis atque turbis graviſſimis, ea demum acciderunt, quæ hîc refert Cicero. Pauſanias autem Agidem non a ſuis, ut Noſter, aliique tradiderunt, ſed in pugna adverſus Mantinenſes, cum dux eſſet Lacedæmoniorum, ab hoſtibus interfectum fuiſſe tradit in Arcad. c. 10. Neque id ex levi aliquo rumore, vel ſublecta Hiſtorici fide, ſed ex monumento triumphali vetuſtiſſimo apud Mantinenſes, quod ipſe perluſtraverat: ubi (inquit) prælii utrinque forma atque exitus deſcribitur, ὁ τροπος λεγεται της μαχης &c. CHAPMAN.

Exque eo tempore) Sic meus primus, & unus Manutii, Pith. Exc. *Atque eo tempore*. Non longe a vera ſcriptura abeunt plerique editi, in quibus inſulſe tamen legitur: *ex quo eo tempore*, pro *exque eo tempore*. GRÆV.

Tyranni exſiſterent) Machanidus, & Nabis, de quibus Polybius, & Livius. GRONOV.

Optimates exterminarentur) Ephori occiderentur & tollerentur a Cleomene. Vide Plutarchum in vita Cleomenis. IDEM.

reliquam Græciam evertit contagionibus malorum, quæ a Lacedæmoniis profectæ manarunt latius. Quid? noſtros Gracchos, Ti. Gracchi ſummi viri filios, Africani nepotes, nonne agrariæ contentiones perdiderunt? At vero Aratus Sicyonius jure laudatur, qui cum ejus civitas quinquaginta annos a tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem clandeſtino introitu urbe eſt potitus. Cumque tyrannum Nicoclem improviſo oppreſſiſſet, ſexcentos exſules, qui fuerant ejus civitatis locupletiſſimi, reſtituit, remque p. adventu ſuo liberavit. Sed cum magnam animadvertet in bonis, & poſſeſſionibus difficultatem, quod & eos, quos ipſe reſtituerat, quorum bona alii poſſederant, egere iniquiſſimum arbitrabatur, & quinquaginta annorum poſſeſſiones moveri non nimis æquum putabat, propterea, quod tam longo ſpatio multa hereditatibus, multa emtionibus, multa dotibus tenebantur ſine injuria, judicavit, neque illis adimi, neque his non ſatisfieri, quorum illa fuerant, oportere. Cum igitur ſtatuiſſet, opus eſſe ad eam rem conſtituendam pecunia, Alexandriam ſe proficiſ-

Sed etiam reliquam Græciam) Cum ſcilicet miſcuiſſent ſeſe Achæi rebus Laconicis, nec jubentibus Romanis, ut illis abſtinerent, parere vellent. IDEM.

Quæ a Lacedæmoniis profectæ) Sic omnes quidem libri habent, & manuſcr. & impreſſi: ſed legendum arbitror, libris invitis *profecta*, ut referatur ad *mala*, non ad *contagiones*. LAMBIN. Lege: *Quæ a Lacedæmoniis profectæ*. FABRIT. Subſcribit Grævii primus. GRÆVIUS. Lambinum ſequor. *Mala* (ut opinor) elegantius, & verius dicuntur profecta a Lacedæmoniis, & latius manare, quam *contagiones*. PEARCE.

Urbe eſt potitus) *Potior*, accuſandi, vel auferendi caſum habet. Tuſcul. II. *Ego doleam, ſi ad decem millia annorum aliquam gentem noſtram urbem potituram putem?* Et de Invent. II. *Si eum portum, quem conſpicerent, potiti eſſent*. G. LANG. *Urbem eſt potitus*) Tres libri Memmiani cum vulgatis in hoc conſentiunt, quod habent, *urbe eſt potitus*, niſi quod in uno videtur eraſa fuiſſe lineola ſupra vocalem ultimam vocis, *urbe*; alii ita ut Langiani, *urbem*. Omnino utrovis modo legi poteſt, vel *urbe potitus*, vel *urbem potitus*: ut edidit Langius. LAMBIN. *Urbem eſt potitus*) Sic edidit Langius ſecutus auctoritatem librorum veterum, atque ita Cicero etiam Tuſculana prima. Sic Philip. VII. *Pacem nunquam fruemur*. Philip. X. *Pecuniam ad rem militarem utatur*: Faernus ex antiquo libro Vaticano edidit. FR. FABRIT. Græv. prim. Pith. Exc. Pall. *urbe eſt potitus*. GRÆV.

Tyrannum Nicoclem) Quidam libri *Metoclem*, alii *Metodeum*. Sed Plutarch. in Arato, *Nicoclem*, vocat. C. LANG. Grævii primus, *tyrannum Niclodem*. GRÆV.

Quinquaginta annorum poſſeſſiones movere) Quamvis vulgata non ſit improbanda, rectius tamen meus primus: *Quinquaginta annorum poſſeſſiones moveri*. IDEM.

Neque his non ſatisfieri) Sc. iis, qui illas

proficiſci velle dixit, remque integram ad reditum ſuum juſſit eſſe: iſque celeriter ad Ptolemæum ſuum hoſpitem venit, qui tum regnabat alter poſt Alexandriam conditam: cui cum expoſuiſſet, patriam ſe liberare velle, cauſamque docuiſſet, a rege opulento vir ſummus facile impetravit, ut grandi pecunia adjuvaretur. Quam cum Sicyonem attuliſſet, adhibuit ſibi in conſilium quindecim principes, cum quibus cauſas cognovit & eorum, qui aliena tenebant, & eorum, qui ſua amiſerant: perfecitque æſtimandis poſſeſſionibus, ut perſuaderet aliis, ut pecuniam accipere mallent, poſſeſſionibus cederent: aliis, ut commodius putarent, numerari ſibi, quod tanti eſſet, quam ſuum recuperare. Ita perfectum eſt, ut omnes, concordia conſtituta, ſine querela diſcederent. O virum magnum, dignumque, qui in noſtra repub. natus eſſet! Sic par eſt agere cum civibus, non (ut bis jam vidimus) haſtam in foro ponere, & bona civium voci ſubjicere præconis. At ille Græcus (id quod fuit ſapientis, & præſtantis viri) omnibus conſulendum putavit: eaque eſt ſumma ratio & ſapien-

illas poſſeſſiones hereditatibus, vel emtionibus, vel dotibus tenebant ſine injuria. PEARCE.

Patriam ſe liberare velle) *Liberare* non a tyrannis; nam eos antea expulerat: ſed eam ita liberare, ut omnis difficultas in bonis & poſſeſſionibus tolleretur, &, dum ſua a ſingulis civibus tenerentur, concordia inter eos conſtitueretur. Huic loco lucem dabunt ea, quæ Cicero dixerat in priore capite: *Qui vero ſe populares volunt, ob eamque cauſſam, aut agrariam rem tentant, ut poſſeſſores ſuis ſedibus pellantur; aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant; ii labefactant fundamenta reipublicæ .... id enim eſt proprium civitatis atque urbis, ut ſit libera, & non ſollicita ſuæ rei cujuſque cuſtodia.* Cum dicitur Aratus *cauſam docuiſſe* Ptolemæo, intellige, cur vellet patriam ſuam liberare: *Nam* (ut antea dixerat Cicero) *eos, quos ipſe reſtituerat, quorum bona alii poſſederant, egere iniquiſſimum eſſe arbitrabatur; & quinquaginta annorum poſſeſſiones movere, non nimis æquum putabat, propterea quod* &c. IDEM.

Perfecitque æſtimandis poſſeſſionibus, ut perſuaderet aliis) Sic recte legitur in libris melioribus: pro quo in Manutianis, & aliis quibuſdam eſt: *Præfecitque æſtimandis poſſeſſionibus, & ut perſuaderent aliis*. Verum Aratus quindecim principes concordiæ inter cives conciliandæ non præfecit: ſed cum ipſe ad hanc rem αυτοκρατωρ eſſet electus, principes illos ſibi in conſilium adhibuit, & cum illis poſſeſſiones æſtimavit, & concordiam conſtituit, ut Plutarchus in Arato ſcribit. FR. FABRIT.

Vt perſuaderet aliis, ut pecuniam accipere mallent) Hoc etiam fecit rex Ferdinandus, ut auctor eſt Mariana lib. XXIX. 14. GRÆV. Omnes MSi mei, omneſque fere alii habent *perſuaderent*: ſc. ut illi quindecim principes perſuaderent. Opinor vero Ciceronem ſcripſiſſe *perſuaderetur*, imperſonaliter, id eſt, ut perſuaſum eſſet aliis &c. PEARCE.

Digitized by Google

ſapientia boni civis, commoda civium non divellere, atque omnes æquitate eadem continere. Habitant gratis in alieno. Quid ita? Vt, cum ego emerim, ædificarim, tuear, impendam, tu, me invito, fruare meo? Quid eſt aliud aliis ſua eripere, aliis dare aliena? Tabulæ vero novæ quid habent argumenti, niſi ut emas mea pecunia fundum, eum tu habeas, ego non habeam pecuniam?

24. Quamobrem ne ſit æs alienum, quod reipub. noceat,

Commoda civium non divellere) In vulgatis libris eſt: *Commoda civium defendere, non divellere*, ſed verbum *defendere*, cujus in libris antiquis ne veſtigia quidem ulla comparent, Langius, & Lambinus deleverunt. Verſu ſequenti, *habitent*, recte legi, ut ſit ſenſus figuratus, pro habitare ne debent, Turnebus initio lib. XIX. Adverſariorum ſcribit. FR. FABR. Commoda civium non divellere eſt, omnium commodis ſtudere, non exſulibus tantum conſulere, ſed ceteris etiam civibus, qui in urbe ſunt. GRÆV.

Omnes æquitate eadem continere) Eadem æquitate uſus eſt Solon in conſtituenda rep. Athenienſium. Iuſtinus II. 7. *Tanto temperamento inter plebem, ſenatumque egit, cum, ſi quid pro altero ordine tuliſſet, alteri diſpliciturum videretur, ut ab utriſque parem gratiam traheret*. Hinc ipſe dicere ſolebat: *æqualitas haud parit bellum*. Vide, quæ ibi Bongarſius, & Berneccerus notarunt, nec non, quæ ſuperius ipſe Cicero diſputavit de cura omnium ordinum, & civium. IDEM.

Habitant gratis in alieno) Legendum *habitent* cum MSis Cant. Reg. quarto, Mead. duobus, tribus Oxon. & cum MSis Turnebi, & Palatinis. Et concinnius videtur *habitent*: quaſi pleniore modo ſententia ſic eſſet ſupplenda: Tu jubes, tu concedis, ſive tu æquum putas, ut *habitent gratis in alieno*. Doctus vero vir quidam mavult *habitas*, quia mox dicitur, *tu, me invito, fruare meo?* PEARCE.

Quid eſt aliud aliis ſua eripere) Victorius legit: *Quid eſt aliud quam aliis*. Manutius: *Quid eſt aliud niſi aliis*, quorum neutrum probo. Sic Philip. I. libri veteres habent: *Quid eſt aliud hortari adoleſcentes, ut turbulenti, ut ſeditioſi, ut pernicioſi cives velint eſſe?* Et Philip. II. *Quid eſt aliud tollere e vita vitæ ſocietatem?* ubi in vulgatis, *quam hortari*, & *quam tollere*, legitur, quas mendas Ferrarius ſuſtulit. FR. FABRIT.

Tabulæ novæ) Cum priſtina debita ſupremi magiſtratus decreto abolentur, de quibus exſtat erudita diſſertatio Ioannis Schefferi. GRÆV. *Tabulæ vere novæ*) I. e. quibus propoſitum fuit pecunias creditas debitoribus condonare. Hac enim lege lata fieri potuit, ut, qui ante legem pecuniam ad fundum aliquem emendum mutuatus eſſet, poſt legem & fundum emtum, & pecuniam etiam creditam, qua emtus eſſet, ſibi retineret; creditor vero nec fundum, nec pecuniam ſuam recuperaret. *Novæ* hæ tabulæ appellantur, quia abolitis veteribus aliæ tabulæ eſſent faciendæ. PEARCE.

Ne ſit æs alienum quod reip. noceat) Ne pars civitatis a potentioribus civibus nimio fœnore prematur. Inde enim oriuntur tumultus, ſeditiones, inteſtina bella. Romæ non longe poſt exactos reges orta eſt *prima diſcordia ob impotentiam fœneratorum, quibus in terga quoque ſerviliter ſævientibus, in ſacrum montem plebs armata ſeceſſit*, ut Florus ait lib. I. 24. de qua vide Livium lib. II. 32. Quinam erant, qui cum Catilina parricidale bellum patriæ inferebant? *Qui alienum æs grande conflaverant*, inquit Salluſt. Bello Catil. XIV. *quo flagitium, aut facinus redimerent*. Ipſe hoc C. Manlius in epiſt. ad Q. Marcium Regem apud Salluſt. in Catil. XXXIII. fatetur quaſi, cum ſuos ſocios ſic deſcribit: *Miſeri, egen-*

ceat, providendum eſt: quod multis rationibus caveri poteſt: non ſi fuerit, ut locupletes ſuum perdant, debitores lucrentur alienum: nec enim ulla res vehementius remp. continet, quam fides: quæ eſſe nulla poteſt, niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum. Numquam vehementius actum eſt, quam me conſule, ne ſolveretur: armis & caſtris tentata res eſt ab omni genere hominum, & ordine: quibus ſic reſtiti, ut hoc tantum malum de repub. tolleretur: numquam nec majus æs alienum fuit, nec melius, nec facilius diſſolutum eſt: fraudandi enim ſpe ſublata, ſolvendi neceſſitas conſecuta eſt. At vero hic nunc victor, tum quidem victus, quæ cogitarat, ea perfe-

egentes, violentia, atque crudelitate fœneratorum plerique patria, ſed omnes famæ, atque fortunis expertes ſumus. Eos ita deſcribit Cic. II. Catilin. *Hi dum ædificant tamquam beati, dum prædiis, lecticis, familiis magnis, conviviis, apparatibus delectantur, in tantum æs alienum inciderunt, ut, ſi ſalvi eſſe velint, Sulla ſit iis ab inferis excitandus.* Equidem Ariſtoteles quoque in Politicis cauſſam multarum ſeditionum oſtendit eſſe paupertatem civium. GRÆV.

Quod multis rationibus caveri poteſt) Quam multis legibus, & immodico fœnori remederi ſtuduerint Romani fruſtra, quia privatis commodis publicum poſtponitur, vide apud Tacitum VI. Annal. 16. & luxum coercere legibus ſumtuariis, veſtiariis, & quæ ſunt aliæ hujus generis, de quibus egregie Tiberius apud eumdem ſcriptorem III. Annal. c. 53. IDEM.

Non ſi fuerit) Hic locus elegantiſſimus peſſime fuerat attrectatus. Hoc autem dicit: Videndum in primis, ne ſit æs alienum, quod reip. officiat. Sin vero jam ſit contractum, non per leges agrarias, non per novas tabulas, quærenda ratio ejus diſſolvendi; ut ſcilicet creditores, quia locupletes ſint, ſuum non conſequantur; debitores, quia inopes, lucrentur alienum: hanc enim viam eſſe iniquam, tum etiam reip. damnoſam: ita enim futurum, ut ſocietas omnis tollatur, ſi rerum contrahendarum nulla fides ſit: in ſumma, alieni rapiendi, ſui perdendi libido augeatur deſidioſis & improbis. Itaque alia ad hoc ingrediendum &c. C. LANG. *Non, ſi fuerit*) Sic eſt quoque in noſtris manuſcriptis, pro quo vulgati mendoſe habent: *Si hoc non fuerit*. Sententia eſt perſpicua: Monet enim Cicero, ejus, qui reip. præſit, officium eſſe proſpicere, ne ſit æs alienum, quod reip. noceat: non autem ſi fuerit æs alienum, id eſt, ſi cives habeant æs alienum, novas tabulas proponere, quibus pecuniæ creditæ condonentur; ita ut locupletes, qui pecunias crediderunt, perdant ſuum, debitores alienum, quod a locupletibus ipſis eſt creditum, lucrentur, & non reddant. FR. FABRIT.

Armis & caſtris tentata res) A Catilina, & ſociis. GRÆV.

Hoc tantum malum) Potior videtur lectio *totum*, quæ eſt in MSis Mead. pr. Cant. & Reg. tertio, in quatuor Oxon. & Palat. ſecundo: eſt etiam in Victorii editione. Quod plus in ſe continet *totum*, quam *tantum*, eo ſe mihi magis commendat. PEARCE.

Solvendi neceſſitas) Pal. prim. *vendendi*, quod agros reſpicit, & poſſeſſiones obæratorum. GRUTER.

At vero hic noſter victor, tum quidem victus) Libri omnes manuſcripti: *At vero hic nunc victor, tunc quidem victus, quæ cogitarat, tum ea perfecit, cum ejus jam nihil intereſſet.* Sic & Moguntiacenſis; niſi quod pro *nunc*, habet *noſter*, & contra pro *tunc*, habet *nunc*.

C. CA-

Digitized by Google

perfecit, cum ejus jam nihil intereſſet: tanta in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipſum eum delectaret peccare, etiam

C. Cæſar paucos dies ante, quam iniret ædilitatem, in ſuſpicionem venit conjurationis cum P. Sulla, M. Craſſo, L. Autronio, quod Plutarch. & Sueton. aperte referunt; Cicero hic indicat, ut ſupra monui. Salſe igitur *hic noſter victor*, & invidioſe in mortuum; *tunc quidem victus*, nempe detecta conjuratione, & auctoribus partim cæſis, partim ſpe ſua fruſtratis. Nam æs alienum cauſſa fuit & illius, & Catilinariæ conſpirationis, ut ex Salluſt. patet. Refertur autem a Sueton. & Plutarch. Cæſarem anno poſt Catilinarios motus in Hiſpaniam procoſ. profecturum, a creditoribus fuiſſe retentum, ac M. Craſſum DCCC. XV. talentorum pro eo ſpopondiſſe. Quod ſubditur, *ea perfecit* &c. Nempe ſe ac Bibulo coſ. dum agros publicos egentibus largiebatur, atque invito Senatu, & collega ſuo, omnia ex libidine ageret, dominationem, quam poſtea perfecit, inde auſpicatus: *tunc vero ejus nihil intererat*, æs alienum donari, novas tabulas concedi, cui, quantum luberet, de publico liceret ſumere, ſeſe ære alieno liberare. *Sed tanta fuit*, inquit, *in eo lubido peccandi*. Sunt enim nonnulli adeo naturæ vitio, impotentes, ſuperbi, importuni, ut, quod ſemel libuit, vel cum jactura, & periculo, aliquando perficere velint: quaſi vero indignum ſit de errore decedere: quo genere hominum nulla peſtis major ab noverca natura editum eſt. Si accedunt opes, ſi genus, ſi demum dignitas, jam Siculum regnum exſpectes. His ego Brutum aliquem, aut Ahalam libenter objecerim. Si legas: *Nunc quidem victus*, ad Cæſaris necem referre debeas, & ſit frigide dictum. Cicero enim lubenter nobilem illum ſuum conſulatum inculcat. C. Langius. *At vere hic noſter victor, tum quidem victus*, &c.) Omnes fere libri veteres, & quos vidi, & quos non vidi, ut teſtantur viri docti, habent: *At vero hic nunc victor*: nonnulli: *hic noſter victor*: quos ſequor. Aſſentiorque propemodum Langio, qui putat, hoc dictum eſſe invidioſe, & amare in Cæſarem: quamquam licet etiam dicere, *noſtrum*, dixiſſe, quia ſupra Græcos poſuerat. Itaque velim ſic legi: *At vero hic noſter, nunc victor, tum quidem victus*, &c. *Tum autem*, id eſt, me conſule. Sed hujus loci explicationem pete a Langio. Lambin. *At vero hic nunc victor, tunc quidem victus*) Legi in libris vetuſtis, Balduinus, Turnebus, Langius, & Lambinus admonent, & ego video. Lambinus etiam in quibuſdam libris, *noſter victor*, reperit, idque ſecutus eſt, quamvis malit: *At vero hic noſter, nunc victor, tunc quidem victus*. Notat Cæſarem, qui Pompeium, & Pompeianos, in quibus Cicero erat, jam vicerat, ac rerum potitus erat: tunc autem, cum a Cicerone conſule conjuratio Catilinaria, (cujus Cæſarem participem fuiſſe, Salluſtius, Plutarchus, & Suetonius ſcribunt) eſt oppreſſa, victus, quæ eo tempore cogitarat, ea & conſul & victor perfecit, cum jam nulla cauſa eſſet, cur ea perficeret. Sic ego hunc locum ante annos multos publice interpretatus fui, ſecutus emendationem Balduini, & Victorii, qua in re Langium idem fere ſentire, poſtea deprehendi. Manutius legit: *At vero hic noſter victor nunc quidem victus*, & *victum* interpretatur, interfectum a Bruto, Caſſio, & aliis. Fr. Fabric. Cicero, ut opinor, ſcripſit, *hic Noſter*, quo nomine Cæſarem ante deſignarat in cap. 7. Sequor igitur MSS. Mead. ſec. Mill. tres Regios, editiones Mogunt. & Victorii, in quibus exſtat *Noſter*; quod & Lambinus teſtatur ſe in vet. cod. inveniſſe. *Noſter victor* eo ſenſu dicitur, quo in c. 7. civitas Romana dicitur Cæſari *parere cum maxime mortuo*. Pearce.

Ea perfecit) Non recte hæc cepit Langius de agris publicis, quos egentibus largitus eſt; intelligenda ſunt de æſtimationibus poſſeſſionum, per quas quarta parte crediti creditores ſunt fraudati. Sueton. Iul. 42. Cæſar III. de Bell. Civ. 1. Sequentia quo-

etiam ſi cauſa non eſſet. Ab hoc igitur genere largitionis, ut aliis detur, aliis auferatur, aberunt ii, qui rempubl. tuebuntur: in primiſque operam dabunt, ut juris, & judiciorum æquitate ſuum quiſque teneat: & neque tenuiores propter humilitatem circumveniantur, neque locupletibus ad ſua vel tenenda, vel recuperanda obſit invidia: præterea quibuſcumque rebus, vel belli, vel domi poterunt, remp. augeant imperio, agris, vectigalibus. Hæc magnorum hominum ſunt: hæc apud majores noſtros factitata: hæc genera officiorum qui perſequuntur, cum ſumma utilitate reip. magnam ipſi adipiſcentur & gratiam, & gloriam. In his autem utilitatum præceptis Antipater Tyrius Stoicus, qui Athenis nuper eſt mortuus, duo præterita cenſet eſſe a Panætio, valetudinis curationem, & pecuniæ; quas res a ſummo philoſopho præteri-

quoque: *cum ejus nihil intereſſet* reſpiciunt illa tempora, quibus Cæſar, ſpoliata Gallia, ære alieno, quo laboraverat maxime, liberatus erat. Sueton. in ejus vita cap. 18. I. FR. GRONOV. Pal. prim. *Quæ cogitarat cum ipſius intererat, tum ea perfecit, cum ejus jam nihil intereſſet*, neſcio an melius. GRVTERVS.

Propter imbecillitatem) Omnes vet. *propter humilitatem*: quod non diſplicet. CAR. LANG. *Propter humilitatem circumveniantur*) Non diſplicet vulgata lectio, *propter imbecillitatem*. Sed ſi veteres codices omnes habent, *propter humilitatem*, quid eſt quamobrem eorum auctoritatem negligamus? LAMBIN. Ita quoque Victorius edidit. GRÆVIVS.

Ad ſua vel tenenda) Langius legit: *Ad ſua vel tuenda*, cum in libris emendatis, & antiquis ſit: *Ad ſua vel tenenda*, ut in librum primum annotavi. FR. FABRIT.

Obſit invidia) Semper enim plebs, & tenuiores invident potentibus, & divitibus, ut monuit Ariſtot. in Politicis. Et Plaut. Captiv. III. iv. 51.

Eſt miſerorum, ut malevolentes ſint, atque invideant bonis. GRÆV.

Hæc genera officiorum qui perſequuntur) Mallet vir doctus cum duobus Manutii: *Hæc genera officiorum, qui ſequuntur*. Sed non recedendum a plurium codicum auctoritate. Nam & alibi *perſequi* accipit Cicero pro ſequi. Sic II. Academ. *Si vero Academicam veterem perſequemur*, hoc eſt, ſequemur. Et c. I. lib. III. *A rep. forenſibuſque negotiis armis impiis, vique prohibiti otium perſequimur*. Quod hic *perſequi officia*, pro eo dixit *exſequi* in Epiſtolis ad Atticum: *Ego, ſi me aliquando veſtri, & patriæ compotem fecerit fortuna, certe efficiam, ut maxime lætere unus ex omnibus amicis, meaque officia, & ſtudia, quæ parum antea luxerunt, ſic exſequar, ut me æque tibi, ac liberis noſtris reſtitutum putes*. IDEM.

Antipater Tyrius Stoicus) Hic alius eſt ab illo Antipatro Tyrio, qui æqualis fuit Carneadi, quem ſcriptis oppugnavit, cum coram non auderet cum illo congredi, unde dictus eſt Καλαμοβόας, quaſi qui calamo clamaret, ut auctor eſt Plutarchus de Garrulitate. Dicebatur etiam Antipater Sidonius, ab aliis Tarſenſis. Sed hic longe recentior eſt, æqualis Ciceroni, & Catoni Uticenſi. IDEM.

Duo præcepta cenſet eſſe a Panætio prætermiſſa) Ita hæc leguntur in libris Manutianis, quorum loco Victorius, & noſtra exemplaria ſcripta habent: *Duo*

Digitized by Google

præteritas arbitror, quod eſſent faciles: ſunt certe uti
les. Sed valetudo ſuſtentatur notitia ſui corporis, & ob
ſervatione, quæ res, aut prodeſſe ſoleant aut obeſſe
& continentia in victu omni, atque cultu, corporis tuen
di cauſa; & prætermittendis voluptatibus; poſtremo ar
eorum, quorum ad ſcientiam hæc pertinent. Res autem
familiaris quæri debet iis rebus, a quibus abeſt turpitu
do: conſervari autem diligentia, & parſimonia: iiſdem
etiam rebus augeri. Has res commodiſſime Xenophon So
craticus perſecutus eſt in eo libro, qui Œconomicus in
ſcribitur: quem nos iſta fere ætate cum eſſemus, qua e
tu nunc, e Græco in Latinum convertimus.

25. Sed utilitatum comparatio, quoniam hic locus era
quartus a Panætio prætermiſſus, ſæpe eſt neceſſaria. Nam
& corporis commoda cum externis, & externa cum cor
poris, & ipſa inter ſe corporis, & externa cum exter
nis comparari ſolent. Cum externis corporis hoc modo
com-

Duo preterita cenſet eſſe a Panætio, quæ aptius cum ſequentibus cohærere Camerarius ſcribit. Fr. Fabrit.

Et obſervatione, que res) Familiare eſt Ciceroni nominibus conſtructionem verbi ſui dare. Sic ſupra: *Spe, ſibi id utile futurum*. C. Lang. *Obſervatione, que res*) Familiare eſt Ciceroni, ut recte Langius annotat, nominibus conſtructionem verbi ſui dare, quod qui non animadverterunt, illi hic contra veterum librorum auctoritatem ediderunt: *Obſervatione earum rerum, que res aut prodeſſe*, &c. Fr. Fabrit. Iam ante ſic ediderat Victorius, ut Langius obſervarat, quod etiam tuetur Pithœi codex, & Palatini. Grævius.

Continentia in victu omni, atque cultu, corporis tuendi cauſſa) Quod exemplo Platonis Seneca docet epiſt. 58. *Illud cogitemus, poſſe aliquatenus noſtra providentia longiorem prorogari huic corpuſculo moram, ſi voluptates, quibus major pars perit, potuerimus regere, & coercere. Plato ipſe ad ſenectutem ſe diligentia pertulit. Erat quidem corpus validum, ac forte ſortitus, & illi nomen latitudo pectoris fecerat: ſed navigationes, ac pericula multum detraxerunt viribus: parſimonia tamen, & earum, que aviditatem evocant, modus, & diligens ſui tutela, perduxit illum ad ſenectutem multis prohibentibus cauſſis*: plura ibi vide. Paullo poſt: *Poteſt frugalitas producere ſenectutem*. Sed & Spurinnæ exemplo Plinius oſtendit lib. III. ep. 1. cum ante continentiam ejus prædicaſſet, addit: *Inde illi poſt ſeptimum & ſeptuageſimum annum aurium, oculorumque vigor integer, inde agile, & viridum corpus, ſolaque ex ſenectute prudentia*. Vide & Plutarchi præcepta de conſervanda valetudine. Idem.

Et pretermittendis voluptatibus) Aut hic intelligendæ ſunt nimiæ, & vitioſæ voluptates, quo in ſenſu vox ſæpius accipitur: aut (ſi de omnibus voluptatibus verba intelligas, ut videntur ſignificare) ſupplenda ſunt verba *continentia in* ante *pretermittendis voluptatibus*. Pearce.

Conſervari diligentia, & parſimonia) Nam ſine parcimonia *nec ulle opes ſatisfaciunt, nec ulle non ſatis patent: preſertim cum in vicino remedium ſit, & poſſit ipſa paupertas in divitias ſe, advocata frugalitate, convertere*, ut ait Seneca

Digitized by Google

comparantur : Valere ut malis, quam dives eſſe. Cum corporis, externa hoc modo : Dives eſſe potius, quam maximis corporis viribus. Ipſa inter ſe corporis ſic : Vt bona valetudo voluptati anteponatur, vires celeritati. Externorum autem: Vt gloria divitiis, vectigalia urbana ruſticis. Ex quo genere comparationis illud eſt Catonis ſenis : a quo cum quæreretur, quid maxime in re familiari expediret, reſpondit : Bene paſcere. Quid ſecundum? Satis bene paſcere. Quid tertium? Male paſcere. Quid

neca de Tranquillitate Animi cap. 9. vide Plutarchum etiam libro de vitando ære alieno. GRAV.

Valere ut malis, quam dives eſſe) Attende (inquit Eraſmus) compoſitionem, *valere ut malis*, quaſi carmen ſit, non proſa oratio. Fortaſſe hic ordo verborum ſequendus eſt, *ut valere malis, quam dives eſſe*. At in MSo Mead. ſec. & in quodam vet. cod. C. Stephani legitur : *valere utrum malis, quam dives eſſe*; quæ lectio ſatis se commendat, & cum ſequentibus bene convenit. PEARCE.

Bene paſcere) Rem pecuariam quam ampliſſimam habere, magnoſque pecoris greges, & lecta jumentorum armenta. I. FR. GRONOV.

Satis bene paſcere) Mediocriter, vel minus, quam omnino bene. Cato de R. R. 137. *In loco bono parte octava corbi dividat, ſatis bono ſeptima, tertio loco ſexta*. Cic. I. ad Att. 19. *Videor mihi noſtrum illum conſularem exercitum, bonorum omnium, & ſatis bonorum habere firmiſſimum*. III. de Orat. 22. *Quare ſi jam me vultis eſſe oratorem, ſi etiam ſat bonum, ſi bonum denique, non repugnabo*. IDEM.

Male paſcere) Interpretes legunt, *vitire*: & ita in veteri codice uno reperi. Nam Cato in agro comparando, primum locum vineæ tribuit: Columella *vitiſcere* dixit, ſed alio ſenſu. Sed magis placet, *veſtire*; ut non de vineis tantum, ſed de omnibus tam fructiferis, quam arbuſtivis loquatur, ex quibus redit fenus maximum, & nulla opera. Sic in Tuſculan. *Sepulcrum veſtitum vepribus*. Alibi, *Montes veſtiti, atque ſilveſtres*. Salluſt. in Iugurth. *Collis veſtitus oleaſtro, & myrtetis*. Columella: *Agrum vineis veſtire*: omnia jucunda translatione. C. LANG. *Quid tertium: Bene veſtire*) Sic habent omnes libri veteres, quibus uſi ſumus, a quibus diſcedere nefas eſſe duxi. Verum mihi magis placet, *vitire*: quod teſtatur reperiri in uno libro manuſcripto Langius: neque tamen Langii ſententiam improbo, qui, collectis aliquot exemplis ad ſcripturam antiquam, & receptam confirmandam, oſtendit hanc lectionem eſſe alteri anteponendam. LAMBIN. Primus Petrus Marſus putavit hic legendum eſſe, *Bene vitire*, pro bonas habere vites & vineas. Invenit poſtea id verbum in vetuſto exemplari Balduinus, & Langius, item in veteri codice uno. In ſcripto libro domus Hieronymi Coloniæ ad oram libri aſcriptum eſt, *legi*, *& vitire*, quod verbum Balduinus hic probat, atque ex Plinii cap. 5. lib. XVIII. confirmat; idem Lambino magis placet. Langius *veſtire* præfert. Turnebus lib. VI. Adverſariorum, cap. 23. ſcribit, Catonem tertias tribuere familiæ, & numero ſervorum, cum dixit, tertium eſſe *bene veſtire*. FR. FABRIT. Suffridus quoque Petri, & Giſſanius (adde Salmaſium de Vſuris p. 543. qui *bene veſtire* defendit, & eo ſignificari contendit ſervitiorum multitudinem) hic jactant ſuum *veſtire*, aut *vitire*, ſine omni venere, & gratia. *Male paſcere* repoſitum oportuit, quod diſerte exſtat in Palatino noſtro primo, meminitque Columella lib. VI. de Re Ruſtica, ipſa præfatione his verbis: *Ceterum de tam ſapiente viro piget*

Quid quartum? Arare. Et, cum ille, qui quæſierat, dixiſſet: Quid fenerari? Tum Cato: Quid hominem, inquit, occidere? Ex quo, & multis aliis, intelligi debet, utilitatum comparationes fieri ſolere, recteque hoc adjun-

piget dicere, quod cum quidam auctores commemorant, quidnam quærenti cuidam tertium in agricolatione quæſtuoſum eſſet, aſſeveraſſe, ſi quis vel male paſceret, &c. Nimirum quod homines non adſequerentur, quid eſſet *male paſcere*, id Ciceronis fundo omnino eradicarunt. At vult Cato, tantum eſſe utilitatis in pecore paſcendo, ut quamvis maligne paſcatur, ſive male curatum pecus habeat pater familias, ſuperet tamen fructus omnes arationis, reliquæque adeo agriculturæ. GRÆVIUS. Editores poſt Gruterum receperunt lectionem *male paſcere*. At vix mihi perſuadere (fateor) poſſum, Catonem ſapientem, cum ab eo quæreretur, quid eſſet, quod *in re familiari expediret*, vel (ſecundum Columellam) quod *quæſtuoſum eſſet*, reſpondiſſe, *male paſcere*. Hoc enim ita non expedit, ita non quæſtui eſt, ut etiam rei familiari videatur obeſſe. Quapropter potius ſcripſiſſe Ciceronem cenſeo: *Quid tertium? non male paſcere*: quam lectionem ſi ſequamur, nihil abſurdi ſapiens ille vir Cato quærenti protuliſſe videbitur. Primum eſt, ſi quis *bene* paſcat; ſecundum, ſi quis *ſatis bene*; tertium vero, ſi quis *non male*: quod poſtremum, licet minoris ſit fructus, quam vel *bene*, vel *ſatis bene paſcere*, multum tamen abeſt ab eo, quod dicitur *male paſcere*. Similiter (inverſo tamen ordine) Craſſus de ſe dicit in III. 22. de Orat. *Si me vultis eſſe oratorem, ſi etiam ſat bonum, ſi bonum denique, non repugnabo*: ubi *oratorem* idem valere videtur, quod *non malum oratorem*. Apud Noſtrum ſæpius *non mali homines* ii eſſe dicuntur, qui in una, aut altera re non ſunt inutiles humano generi. Sic & *non ſtulti* in Orat. c. 7. *Ut ea, qui utantur, non ſtulti homines haberi poſſint, etiam plerumque prudentes*. Video etiam in Plauti Moſtell. III. II. 29. eum dicere ſe *non male valere*, qui videtur velle ſignificare ſe nec *bona*, nec *ſatis bona* valetudine uſum fuiſſe. Adde, quod ex Catonis libris de Re Ruſt. CXXXVII. Gronovius citat hæc verba: *In loco bono parte octava corbi dividat, in ſatis bono ſeptima, in tertio loco ſexta*. Ubi fortaſſe ille *tertius locus*, qui nec *bonus*, nec *ſatis bonus* erat, *non malus* a Catone credebatur; qui loco *malo* plane nullam omnino partem (ut veriſimile eſt) aſſignaturus eſſet. PEARCE.

Arare) Agriculturam ea de cauſa, cum tamen ars quoque ſit, eaque etiam quæſtuoſa, probaſſe, vel minus improbaſſe videntur, & naturæ convenientiorem judicaſſe, quia lentior per eam ad χρηματισμον progreſſus. Hinc Cato ille Cenſorius dicebat την γεωργιαν διαγωγην verius eſſe, quam προσοδον, oblectamentum, & avocationem potius, quam quæſtum aut reditum. Mihi ſic videtur: Si quis animum habet aliquo tendendi, nihil refert, quam cito eo pervenire queat. Ubi enim pervenerit, tantumdem eſt, ſive triduum in itinere conſumſerit, ſive intra horam perfecerit. SALMAS. de Uſuris cap. 18. Ubi vide plura. GRÆV.

Quid hominem, inquit, occidere) Hac comparatione commodorum non obſcure ſignificavit Cato, ſuper omnes alias ad quæſtum faciendum eſſe efficaciſſimi compendii fenerationem, ſed quæ homines, ex quibus lucrum faceret, interficeret. Non quid dixerit, ſed quid fecerit Cato, quærendum. Niſi ipſe primarius fuiſſet fenerator, poterat videri vere, & ex animi ſententia, quid de feneratione judicaret, promiſiſſe. Sed Græcum omnino ſuſtulit proverbium: Σκυθης τον ονον. Profecto ſi fenerari eſt hominem occidere, ſummus ipſe fuit homicida, qui & improbiſſimum, & inprimis famoſum fenus per libertos ſuos exercebat, quod nauticum vocabatur. Narrat Plutarchus, navigaſſe

adjunctum eſſe quartum exquirendorum officiorum genus. Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, vellem etiam de utenda, commodius a quibuſdam optimis viris ad medium Ianum ſedentibus, quam ab ullis philoſophis ulla in ſchola diſputatur. Sunt tamen ea cognoſcenda: pertinent enim ad utilitatem, de qua hoc libro diſputatum eſt. Reliqua deinceps perſequemur.

ſe ejus libertum cum mercatoribus, & naviculatoribus, & periculum quidem ex parte exigua ipſum reſpiciebat Catonem, emolumenta vero inde maxima recipiebat. Quæ ſequuntur apud Plutarchum, declarant, quomodo ſummum ex mancipiis quæſtum facere ſolitus eſſet. Dabat pecuniam ſervis ſuis, qui inde pueros comparabant, quos variis artibus, ac doctrinis inſtituendos curarent, idque Catonis ſumtibus. Sic eruditos, & cariores ex arte, quam didicerant, factos poſt annum vendebant. SALMAS. ibid. ubi vide plura, & Samuel Puſendorf. lib.V. de Iure naturali, & gentium, §. 8. 9. 10. & ſeqq. GRÆV.

Etiam de utenda) Vet. unus, *vellem etiam de utenda*: quod maximopere placet: & dejerare auſim ità ſcriptum eſſe a Cicerone, neque enim de uſu pecuniæ a feneratoribus numeratæ traditur: quod ſi æque fieret, atque de ea vel quærenda, vel occupanda, magnus fructus ex ea ſchola rediret ad Remp. Optimos viros *εἰρωνικῶς* dictum eſt: nec aliter licebat ea ætate etiam principibus civitatis fenori operam navantibus. CAR. LANG. *Vellem etiam, de utenda*) *Vellem* addidit Langius e libro veteri, ut optet Cicero, & vota faciat, quo feneratores, qui ad medium Ianum ſedeant, ſicut de quærenda, & collocanda pecunia, ſic etiam de utenda agant, ac diſputent. De Iano medio Cicero Philipp. 6. *Itane Ianus medius in L. Antonii clientela ſit? quis umquam in illo Iano inventus eſt, qui L. Antonio mille nummum ferret expenſum?* FR. FABRITIVS. Omnes MSi Oxon. MSi Regii tres, Mead. duo, Cant. & Mill. ceterique omnes (uno Langii excepto) vocem *vellent* omittunt. Et, hac omiſſa, ſatis ſe ſenſus tuetur; hoc enim vult Cicero: feneratores illi commode diſputant, ſive docent, quomodo uti poſſumus noſtra pecunia, in re familiari prudenter adminiſtranda, & in iis rebus, quibus egemus ad uſum, cultumque vitæ, quam minimo pretio comparandis. PEARCE.

A quibuſdam optimis viris) Feneratores *optimi viri* dicuntur non *εἰρωνικῶς*, ut ait Langius, ſed quod illorum maxime interſit ſentire cum bonis, hoc eſt, cum iis, qui pacem, otium, remp. tranquillam & ſalvam velint; hinc etiam ſæpe Cic. dicuntur *boni viri*. IX. ad Attic. 12. *Prætores jus dicunt? Ædiles ludos parant? Viri boni uſuras perſcribunt?* I. F. GRONOV. Quem vide lib. IV. Obſerv. c. 9. Cic. VIII. ad Attic. ep. 1. *Video bonorum, id eſt, lautorum, & locupletium urbem refertam fore*. GRÆV. Hæc Langius putat ironice dicta eſſe de feneratoribus. Ego longe aliter: nam, quamvis Catonis temporibus feneratores male audirent, ſeu potius a Catone ad res ruſticas magis attento infamia notarentur, tamen Ciceronis temporibus, cum divitiæ Romanorum civium increviſſent, multæque provinciæ imperio additæ eſſent, feneratores non modo non infames, ſed neceſſarii fuerunt, ut tantis pecuniis hoc negotiationis genus ſuam utilitatem daret. Vide, quæ dixi in Nota ad I. 42. PEARCE.

Ad medium Ianum) Vide Manut. GRÆVIVS.

IN

Digitized by Google

IN M. T. CICERONIS DE OFFICIIS LIBROS TRES SAMVELIS RACHELII COMMENTARIVS.

PROLEGOMENA.

§. I.

PErpulcra eſt Platonis ſententia, quam in Phædro, ſeu de *Pulcro* legimus: *Οψις ἡμιν οξυτατη των δια του σωματος ερχεται αισθησεων, η φρονησις ουχ ὁραται. δεινους γαρ αν παρειχεν ερωτας, ει τοιουτον ἑαυτης εναργες ειδωλον παρειχετο εις οψιν ιον. Oculorum eſt in nobis ſenſus acerrimus, quibus Prudentiam non cernimus.* Reliqua Cicero noſter I. Offic. & II. de Finib. ad Honeſtatem translata ita exprimit, ut, formam ipſam, ſeu faciem Honeſti, ſi illa oculis cerneretur, mirabilis ſui, ardenteſque amores excitaturam eſſe exiſtimet. Si enim corporum formoſitas, membrorum concinnitas, & pulcra lineamentorum diſpoſitio, ac ſymmetria amatur, quidni Animus admirabili Honeſtatis ſplendore, ac decore exornatus in ſui amorem pellicere poſſit quemvis hominem, qui aliquo ſaltem modo animum ad bonitatem excultum habeat? Quamvis etiam ſæpe, ſecundum Eumenium in Paneg. Conſtant. accidat, *ut ipſa Natura magnis mentibus domicilia corporum digna metetur, & ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi poſſit, quantus illos cæleſtis ſpiritus intrarit habitator;* recte tamen Xanthus ab Æſopo deriſus eſſe fertur, cum a deformi ejus corpore abhorreret; atque admonitus, non corporis, ſed animi formam eſſe inſpiciendam. Notior quoque de Socrate eſt hiſtoria, quam ut hic debeat commemorari. Si itaque *auguſtiſſima quæque ſpecies plurimum creditur trahere de cælo*, uti inquit Latinus Pacatus Paneg. Theodoſ. magnum operæ pretium erimus facturi, ſi & Honeſtatis, quam Cicero tantopere commendat, & ex ejus fonte quatuor rivos derivat, aliaque huc ſpectantia capita, quorum explicatio lucem fœnerari queat toti operi Ciceroniano, per quamdam *ὑποτυπωσιν*, & *σκιαγραφιαν* adumbremus. Etſi enim non exacte formam omnium exprimamus, liceat tamen hac in re imitari Apellem noſtrum, cujus hæc ſunt, Nicom. VII. §. 48. *Δει ισως ὑποτυπωσασθαι πρωτον, ειθ᾽ ὑςερον αναγραφειν. Primum forte oportet rem rudi calamo informare, poſt debitis coloribus expolire, & illuſtrare.*

Digitized by Google

§. 2.

Rem ipſam antequam aggrediamur, principio notandum venit, non una ſignificatione, ſive a bonis auctoribus, ſive Philoſophis, vocem Honeſti uſurpari; noſtri vero inſtituti eſſe, cumprimis de proprie, & κυρίως dicto Honeſto, eique cognatis rebus hic diſſerere. Alia namque Honeſta dicimus, quod Virtuti vel ſint vicina, & adfinia, vel ad illam haud exiguum adjumentum, vel ornamentum adferant. Sic artes ingenuas ſolemus Honeſtas appellare, non quod vir bonus, aut honeſtus eſſe nequeat, qui iis deſtitutus ſit, ſed quod talem virum valde deceant, cum Virtute amice conſpirent, illi adminicula, aut ornatum ſuppeditent. Ratione non abſimili educationem dicimus Honeſtam, quod illa teneros mores fingat, formet, & ad Virtutis culturam inſtruat, idoneis præceptis, ac monitis firmet, imbuatque. Alia Honeſta appellamus, quod Virtutis ſint quædam, ſive ſigna, ſive effecta: ſic famam, nomen, exiſtimationem Honeſtam dicimus, & quidquid ex aliorum de noſtra virtute opinione proficiſcitur. Vnde lacteæ venæ Pater III. Inſtit. c. 1. Honeſtatem definivit: *Honorem perpetuum ad aliquem ſecundo populi rumore delatum*. Alia Honeſta nuncupamus, quæ non ſunt inhoneſta, hoc eſt, quod a Virtute, ſeu genuina honeſtate non abhorreant, & cum illa jungi, & ſubſiſtere poſſint. Ita multas artes, quamvis viles, honeſtas dicimus, quod a viro honeſto non ſint alienæ: quin ipſum etiam Lucrum bonis artibus, & induſtria, non ex fœnore, rapinis, & ſimilibus flagitioſe quæſitum, honeſtum vocamus. Quod tamen rerum genus præ omnibus aliis ægre hujus nominis dignitatem ſuſtinere poteſt. Germanum autem Honeſtum, quod proprio velut jure nominis hujus poſſeſſionem ſibi vindicat, & inter cetera, quæ hoc nomine inſigniuntur, eminet, illud eſt, quod in virtute morum, & actionibus inde pendentibus cernitur. Hæc enim ſua natura ſunt honeſta, ut in horum neglectu omnis vitæ turpitudo conſiſtat: cetera Honeſti nomine venditari conſueta precario quaſi jure in illius communionem admittuntur.

§. 3.

An vero ejuſmodi natura Honeſtum detur, non ſolum ex veteribus multi, ſed & recentioribus in dubium vocarunt. Hem! accipe, ipſe quid tradat Ariſtoteles I. Nicom. 3. §. 3. *Eſt vero in rebus, quæ honeſtæ, & juſtæ ſunt, quas Politica conſiderat, tanta varietas, tantaque in eis verſatur erratio, ut hominum placito ſolum, non autem natura conſtare videantur*. Etſi enim pro patria, pro libertate, pro aris, & focis pugnare, ceu honeſtiſſimum factum inculcaretur; ubi tamen multos ea ratione mortem oppetere vidiſſent, de honeſtate illa dubitabant, atque ita fere diſputabant, non videri hominem ad talia munia obligatum, quæ finem, & exitium omnibus rebus adferrent. *Omnium rerum nihil horribilius eſt morte; nam ea omnium rerum eſt extremum. Nihilque reliquum mortuo eſſe videtur, neque bonum, neque malum*. En abominandam vocem ſummi alias Philoſophi l. III. Nicom. 6. §. 14. Sic cum alii vide-

viderent, divitiis, & opibus non minus alios abuti, quam uti, imo plerumque illas ſtultitiam pati: cum item viderent, improbos fere his affluere, probos, vel in tenui, vel in nulla eſſe fortuna; dubitabant, an Divitiæ ullo pacto eſſent bonæ, aut ullum bonis actionibus ſubſidium præberent. Imo Deum tamquam injuſtum diſpenſatorem rerum ſuarum accuſabant, ſi lautiori fortuna mali præ bonis uterentur. Audi iterum Ariſtotelem II. M. M. 8. *Numquid ſecundæ fortunæ Dii aliquam habent curam? An id minime videri debet? Talium ſiquidem dominum facimus Deum, ut bona, malaque meritis diſtribuat. At Fortuna, & quæ a Fortuna ſunt, prorſus, ut nomen indicat, ut ſors tulerit, fiunt. Quod ſi hujuſmodi diſtributori Deo adſcripſerimus, malum ipſum judicem faciemus, neque juſtum. Id nefas Deo imputare.*

§. 4.

Nolo plura ſingularia perſequi, quomodo vel olim, vel hodie homines circa honeſta, & juſta dijudicanda fluctuaverint; illa tamen attingere, & paucis explicare viſum fuit, quod eorum, & Philoſophus I. Nicom. 3. §. 4. & Cicero cum hoc Opere, tum alias paſſim mentionem faciat. Hoc ſolum velim conſideretur, unde illa immanis opinionum diverſitas, unde tanta Sectarum diverſa ſequentium multitudo exſtiterit, niſi quod circa natura Honeſtum, juſtumque hæſitaverint omnes, & tamquam ad perniciosum ſcopulum impingerent, ſuæque ſalutis, & felicitatis naufragium facerent. Hinc operæ pretium habitum eſt, diverſas omnigenum Philoſophorum ſententias ſcriptis ſedulo mandare: quod fecere non modo Laertius, Plutarchus, Heſychius, Mileſius, aliique, quorum lucubrationes ſuperſtites ſunt; verum etiam Philoſophorum coryphæus Ariſtoteles in libris de Architæ, Speuſippi, Xenocratis, Timæi, Pythagoræ, aliorum placitis a Laertio memoratis, qui cum aliis ejuſdem non paucis monumentis perierunt. Ne quid dicam de iis, qui *περι Αἱρεσεων*, *de Sectis*, *περι Δογματων*, *de Opinionibus*, *περι Βιων*, *de Vitis*, *περι Διαδοχης*, *de Succeſſione* Philoſophorum, eorumque diſciplina ſcripſerunt; Laertio, Eunapio, aliiſque memoratis, nuſpiam amplius exſtantibus.

§. 5.

Eadem cauſa ſummos impulit viros, ut plurimarum gentium, ac rerump. leges, inſtituta, moreſque cum Barbariæ, tum Græciæ veteris diligenter conquirerent, memoriæque mandarent: ſi forſan ex eorum, utcumque diverſiſſimorum, rationibus rite perpenſis certum quid de rebus moralibus, & vere, ſemperque Honeſto, ac Iuſto elici, & conſtabiliri poſſet. Nec tamen hoc ita de omnibus ſimpliciter acceptum volo, ac ſi non multa ex iis plane ad jus gentium, aut certas Reſp. ſpeciatim pertinuerint. Nam omnia hæc ad Iuris Vniverſalis de Honeſtate indagationem plurimum conferre arbitrabantur. Inde eſt, quod Ariſtoteles volumen conſcripſerit, *Νομιμα Βαρβαρικα*, *Mores*, ſeu *Inſtituta barbarica*, ſeu populorum, extra Græciam qui habitabant, opus dudum perditum, ſed quod citatur ab Apollonio Hiſtor. Mi-

 rab.

rab. II. & a Varrone VI. de Ling. Lat. cujus hunc locum recte reſtituit Adr. Turnebus lib. XXIII. Adverſ. c. 25. Idem Ariſtoteles memorat *συνηγμενας πολιτειας*, *Reſp. congeſtas*, quæ Laertio *πολιτειαι πολεων*, *civitatum regimina* dici videntur. Harum Rerump. in unum volumen compactarum numerus erat centum quinquaginta octo, teſte Laertio. Anonymus vitæ Ariſtotelea ſcriptor ducentas quinquaginta fuiſſe ait, quibus alias quinque etiam adjicit Philoponus. Ex quibus ſine dubio *την περι τα ανθρωπινα φιλοσοφιαν*, hoc eſt, *doctrinam moralem*, & *civilem* in partibus reliquis perficere voluit. Mitto ejus *δικαιωματα πολεων*, *civitatum forenſia*: de quibus videri utiliter poterit Iſaac. Caſaubonus ad Laertium. De hoc, ejuſque diſcipulo ita loquitur Cicero V. de Fin. *Omnium fere Civitatum, non Græciæ ſolum, ſed etiam Barbariæ, ab Ariſtotele mores, inſtituta, & diſciplinas, a Theophraſto leges etiam cognovimus*. Ejuſdem Theophraſti quatuor libros *Πολιτικων Εθων*, *morum civilium*, inter id genus alios exprimit Laertius. Non diſſimili conſilio Dionyſius Metathemenos librum *περι Βαρβαρικων Εθων*, *de moribus barbaricis*, compoſuit, teſte eodem. Et Nymphodorus Amphipolites *περι Νομιμων της Ασιας*, *de moribus, atque inſtitutis Aſiæ*, cujus Clemens Alexandrinus meminit Strom. α, qui idem opus in Protreptico videtur appellare *Νομιμα βαρβαρικα*, *Barbarorum ritus, ac inſtituta*. Anacharſis Scytha etiam volumen de Moribus cum Scytharum, tum Græcorum ſcripſit, teſte Laertio. Et Hecatæus de Ægyptiorum Philoſophia, quod opus tam Theologiam, quam Iuriſprudentiam eorum complectebatur. Sed hæc, uti multa alia, temporum injuria interciderunt, quemadmodum & maxima pars *Πολιτειων*, *Rerumpublicarum*, Heraclidis Pontici, qui ſedulam huic Philoſophiæ navavit operam.

§. 6.

Si igitur tot Sectæ tantam opinionum diverſitatem nobis pepererunt, dubitari poſſit, præſtet ne omnino haſce ſcholas præterire, quam in illarum pulvere deſudare, hæſitanteſque magiſtros audire, illarumque ancipiti, nulloque fere loco conſiſtenti diſceptationi immorari? Placet nobis ſimile, quo cum Clemens Alex. Strom. α. horum Philoſophiam confert, *καθαπερ των καρυων ου παν εδωδιμον*, *quemadmodum nucum totum non eſt comedendum*; ita putamina, veluti *ακαταληψια*, *αρρεψια*, *εποχη*, ferrea *της ειμαρμενης* neceſſitas, aliaque ullo pacto ad *αθεϊσμον* abducentia, ſecernenda ſunt a genuinis Philoſophiæ nucleis, & fructibus. Etſi enim a Tertulliano, ceu patriarchæ Hæreticorum traducantur, aliiſque nominibus probroſis infamentur, ipſa tamen naſcentis Eccleſiæ Doctores diligentiſſime veterum Philoſophorum placita congeſſerunt, quod ipſam hanc varietatem opinionum inter ſe colliſam aliquam veritatis lucem ſpargere poſſe exiſtimarent. Teſtes hujus rei, præter alios, adduci poſſunt Epiphanius, Philaſtrius, Iuſtinus, Clemens Alex., Tertullianus, Lactantius, Minutius Felix, Hieronymus, Ambroſius, & Auguſtinus. Sentiebant ſcilicet cum Lactantio lib. VII. de Div. c. 7. *Nullam Sectam fuiſſe tam divinam, nec Philoſophorum quempiam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero: & totam veritatem, & omne divinæ religionis arcanum philoſophos attigiſſe*,

ſed

Digitized by Google

ſed, *aliis refellentibus*, *defendere id*, *quod invenerant nequiviſſe*, *quia ſingulis ratio non quadravit*. Latet enim Veritas ſæpe in profundo Democriti puteo, ut plurimis ſane ſubſidiis opus ſit, quibus illam eruas, iis certe omnibus, quæ quoquo modo huc facere poſſint. Hinc ipſe methodi artifex non ſemel monet, expendenda eſſe omnia argumenta, diverſa etiam, & contraria, quo ſcias, quid ex his repudiare, quid comprobare debeas. Hac de cauſa ipſorum Mathematicorum *ψευδαρια*, ſeu *Aberrationes* ſingulari congeſſit volumine Euclides, teſte Proclo. Mutuas itaque quaſi operas tradunt, ſymbolaſque conferunt Veteres, in hac Opinionum indagine, & veritatis inquiſitione, *συλλαβοντες αλληλοις αντιπαρασχομενοι*, *alii*, *aliis quod deerat*, *invicem ſubminiſtrantes*: quod lib. I. Anthol. c. 4. de cæco, & claudo Leonidas dicit. Atque hinc fuit nata illa Secta, quæ dicebatur Εκλεκτικη, omnium, Clemente Alex. judice, præſtantiſſima, qua Potamo Alexandrinus primum uſus eſt, *εκλεξαμενος τα αρεσαντα εξ εκαστης των αιρεσεων*, *qui ſelegit*, *quæ ſibi in ſingulis placuerunt ſectis*: verba ſunt Laertii in proœmio, cui addi poterit *Suidas* in Potamone. Atque huic etiam addictus fuiſſe videtur Cicero, ceu facile ex ſcriptis ipſius Philoſophicis apparet, etſi pronior fere ubique ſit in Stoicos.

§. 7.

Quam pulcrum autem, quam utile, quamque neceſſarium eſt ſcire, quid in vita ſequi, quid fugere debeas; tam difficilis eſt in hiſce ſciendi ratio. Illis ſane, quibus nulla gratioſa voluntatis divinæ revelatio facta eſt, tam difficilis redditus eſt *της πρακτικης επιστημης τροπος*, ut per ſaxa, & ſalebras quaſi incedentes paſſim impegerint, & in plurimos, eoſque ſæpe abſurdiſſimos errores mentis oculis capti ſe præcipitarint. Operæ pretium itaque fuerit, omiſſis compendiis, ut & nos regias nonnullas vias, a plurimis tritas, ingrediamur, & diſpiciamus, an illæ ad ſolidam honeſtatis cognitionem, & arcem ſint ducturæ.

§. 8.

Primum itaque conſiderabimus illorum methodum, qui ex aliorum animalium actibus, & ſimulacris de Iure Naturæ, cum quo ſociata eſt Honeſtas, colligere ſolent. Notiſſima eſt illa ICtorum definitio, Ius Naturale eſſe, quod natura omnia animalia docuit, atque Ius iſtud non humani generis eſſe proprium, ſed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur, avium quoque commune eſſe: atque hinc deſcendere maris, atque feminæ conjunctionem, quam nos Matrimonium appellamus: hinc liberorum procreationem, hinc educationem. Videmus enim cetera quoque animalia iſtius juris perita cenſeri. His gemina ſunt, quæ ſui defendendi, ſeque, ſuoſque conſervandi cauſa bruta faciunt, formicarum diviſæ operæ, apium reſpublica, & id genus alia.

Digitized by Google

§. 9.

Verum enimvero hæc μιμηματα της ανθρωπινης ζωης, uti loquitur Ariſtoteles IX. Hiſt. anim. c. 7. Virtutum ſimulacra Cicero appellat II. de Finib. nonniſi ſimilitudinem quamdam illius, quod pro jure, normaque Honeſtatis homines obſervant, exhibent; unde nonnunquam hæc ſimilitudo communionem quamdam Iuris, & Honeſti inter hominem, & bruta inducere videtur. Non eſt igitur, cur quemquam moveat, vel veterum ICtorum, vel nonnullorum Theologorum Chriſtianorum auctoritas, qui eum in modum locuti ſunt. Haud enim mihi perſuadere poſſum, ſerio hos omnes proprie dictum Ius inter hominem, & bruta commune eſſe voluiſſe. Si qui tamen omnino ita ſtatuant, haud difficulter ea ſententia hoc principio elevabitur, quod, in quos non cadit injuria, illis quoque nullum jus competat: Si nullum jus, nihil quoque honeſti iiſdem tribui poteſt. Iam vero ICtus l. I. §. 3. ff. *Si quad. paup. feciſſe dic.* diſerte negat, bruto ullam injuriam imputari poſſe, quod *ſenſu*, hoc eſt, ratione careat. Et l. I. ff. *de Injur.* dicit; Injuriam ex eo dictam eſſe, quod non jure fiat; quod Theophilus κακουργημα, *maleficium*, appellat. Præterea nulla ejuſmodi libertas moraliter agendi eſt in brutis, veluti in homine; itaque tantum abeſt, ut Iuſta, aut Honeſta ſint, ut ne quidem capacia ſint ullius juris, vel honeſtatis. Si hoc verum eſt, nec obligari ullatenus poſſunt, cum tamen ad Ius naturæ; & Honeſtatem omnes homines ſint obligati, ut Iuris proprie dicti vocabulum ſine obligatione ne quidem intelligi queat. Cumque jus omne obliget hominem, vel ad honeſtum faciendum, vel ad turpe fugiendum, tum, ſi ex hoc præſcripto non ita vixerit, ſecundario obligatus erit ad pœnam; ſequitur nec juris, quod brutis falſo tribuunt, præmium; nec injuriæ, ſi qua ab illis patrari poſſet, ullam eſſe pœnam. Iam vero bene factis ſubtrahere præmia, & malefacta impunitatis illecebra alere, æque impium eſt, & abſurdum. Quod igitur male, aut turpiter quidquam facere nequit, quamnam cum homine communionem habebit juris, obligationis, officii, præmii, aut pœnæ? Hinc alii recentioris ævi inſignes viri docti, & ICti communionem illam juris prorſus explodunt; id quod dudum faciendum monuerat Laur. Valla lib. IV. Eleg. c. 48. Ex his Io. Coraſius celebris ICtus Tholoſanus, cum vulgarem illam diſtinctionem Iuris naturalis primævi, & ſecundarii eſſet amplexus, iſtud commune brutis cum homine eſſe adſeruiſſet in Opere de Iure civili in artem redigendo, hanc ſententiam ſuam exactius perpendens, in Iuris civilis Miſcellaneis expreſſis verbis damnavit, Plutoniſque familia dignam judicavit. Recte igitur Heſiodus Εργ. και Ημερ. inquit, animalia cetera, præter homines, quibus jura ſint condita,

Εσθειν αλληλους, επει ου δικη εστιν επ' αυτοις.

Hoc eſt, *ſe mutuo vorare, quod nullum illis jus ſit*. Paucis rem omnem complectitur Hugo Grotius l. I. de I. B. P. c. I. n. 2. *Si quando*, inquit, *brutis animantibus juſtitia tribuitur, id fit improprie, ex quadam in ipſis umbra rationis, atque veſtigio. An vero actus ipſe, de quo Ius Naturæ conſtituit, ſit nobis communis*

munis cum aliis animantibus, ut prolis educatio; an nobis proprius, ut Dei cultus, ad Iuris ipſam naturam nihil refert.

§. 10.

Sed his rationibus plurima adverſari videntur cum exempla, tum maximæ auctoritatis teſtimonia. Sic enim nulla eſt brutis juris, aut honeſtatis ratio præſcripta, ſi nulla obligatio, ſi nulla proprie dicta pœna, quomodo cum Textu ſacro has adſertiones conciliabis? Sic enim legitur Geneſ. IX. v. 5. *Sanguinem veſtrum de animabus veſtris requiram, a manu nullius non animalis*. Levitici XII. v. 15. 16. & c. XVIII. v. 23. ſic edicit Dominus: *Vir, qui cum beſtia concubuerit, interficiatur, & beſtiam quoque occidetis. Mulier vero, quæ ſe beſtiæ junxerit, pudicitiamque illi proſtraverit, occides mulierem, & beſtiam. Morte interficiantur. Sanguis eorum ſit ſuper eos*. Ita ex decreto divino bos cornupeta, qui hominem interemiſſet, lapidandus erat, Exod. XXI. v. 28. D. Ambroſius l. V. Hexaemer. c. 3. aſinorum, & equarum ſubmiſſionem *adulterina conjugia*, & *vera adulteria naturæ*, & *adulterium jumentale* appellat. Capite 16. homines vult diſcere ex avibus *hoſpitalia jura*, multaque de ciconiis, hirundinibus, cornicibus, turturibus, apibus, aliiſque animalibus congerit, moreſque hominum ex illorum proprietatibus fingi, & refingi jubet. Capite 17. hæc habet: *Aves non ſcripta, ſed nata lex ſtringit*. Ariſtophanes *in Avibus* lepide dicit, πολλυς ειναι ορνιθων νομυς, *multas eſſe avium leges*: & Ciconiarum κυρβεις, ſeu legum tabulas feſtive memorat. D. Hieronymus in Epiſt. ad Epheſ. l. III. ad c. 5. *Quod in animalibus, & beſtiis ipſo Naturæ jure præſcriptum eſt, ut prægnantes ad partum uſque non coeant, hoc in hominibus ſciant arbitrio derelictum, ut merces eſſet ex abſtinentia voluptatum*. Camelos matrum coitum averſari, præter alios, memorat Ariſtoteles lib. IX. Hiſt. Anim. c. 74. adeo ut, cum ſtragula a peroriga matri injecta camelus quidam fuiſſet deceptus, ſcelere ſuo intellecto, mordicus interemerit hominem. Idem de equo refert Varro l. II. de R. R. c. 7. Ælianus lib. IV. Hiſt. Anim. c. 1. de Scytharum regis equo ſimili arte ad matris congreſſum inducto ita loquitur: *Utrique præcipites ſe agentes morte tam impium flagitium expiabant*, το ασεβημα διελυσαν θανατῳ. Namque & cognationis intellectus in iis eſt, inquit Plinius, lib. VIII. Hiſt. Nat. c. 42. Idem l. VIII. c. 16. ita loquitur: *Odore pardi coitum ſentit in adultera leo, totaque vi conſurgit in pœnam*. Et Theſei argumentum, quo graviter incuſat Hippolytum inceſtus in Phædra noverca falſo inſimulatum: *Feræ quoque ipſæ Veneris evitant nefas*, apud Senecam *in Hippol*. Agathias παιδεραςιαν ita inſectatur:

Δερκεο των αλογων ζωων γενος. υ γαρ εκεινων
Φυσις ατιμαζει θεσμια συζυγιης.
Α'ρσενι γαρ θηλεια συναπτεται.

In Capitolii veſtibulo Canes excubare ſolebant: ab his cum Galli non eſſent animadverſi, ſed anſerum clangore, ac ſtrepitu M. Manlius cum ſuis militibus demum eſſet excitatus: *Ex de causa*, inquit Plinius, l. XXIX. Hiſt. Nat. c. 4. *ſupplicia annua Canes pendunt inter ædem Iuventutis, & Summani*,

ni, vivi in furcas ſambucea arbore fixi. Palumbium gregem, velut ſolemni judicio morte adficere ſui generis adulteros, ſcribit Philo c. 19. Pythagorei quoque de Iure, ac juſtitia hominum, brutorumque communi multa paſſim inculcant. Ex recentioribus *Guil. Alvernus* Pariſienſis Epiſcopus, multa de belluarum Iuſtitia, & Iure, uti ipſe vocat, recitat. Et *Hieronymus Rorarius* in eo eſt, ut perſuadeat hominibus, bruta melius ratione uti, quam homines. Mitto alia aliorum teſtimonia.

§. 11.

His jam reſpondeamus neceſſe eſt. Primum quod attinet de ſanguine humano a beſtiis requirendo, diverſas quidem Hebræorum ea de re eſſe ſententias, tales tamen omnes, quæ Iuris, aut Honeſtatis communionem inter bruta, hominesque nullam adſtruunt, certum eſt. Vetuſta, & receptiſſima apud illos interpretatio hæc eſt, denotari cædem humanam a bruto ab homine aliquo inſtigato factam: Deum ſcilicet non ſolum vindictam ſumturum de cæde ab homine, ſive manu, ſive quovis alio telo, patrata, ſed & quæ fit a beſtia ab homine incitata. Comprobat hoc Salomonis Iarchii gloſſa ad Geneſin, qua meminit, tantam fuiſſe impietatem hominum ante diluvium, ut nocentiſſimas beſtias nutriverint, quo earum miniſterio commodius dominarentur. Hinc etiam Ioſephus interdictum de Homicidio nonniſi ad homines pertinere cenſet: cujus hæc ſunt verba lib. I. Archæol. c. 4. *Iubeo, ut ab cæde humanæ abſtineatis, & ab homicidio ſitis puri, atque eos, qui ejuſmodi quid patrarint, puniatis; aliorum autem animalium omnium uſum vobis permitto.*

§. 12.

Alterum, quod concernit nefarium illum cum beſtia concubitum, in tanti facinoris abominationem bruta cum homine comburi, aut lapidari jubentur, non quod illa proprie peccaſſent, ac veram pœnam luerent. Homines enim, qui ex commiſſo ſcelere reatum contraxerunt, & ex lege interdum ſic puniuntur, ut ſæpe res etiam aliæ, ſive animatæ, ſive inanimatæ in loco ſceleris commiſſi repertæ ex eadem lege cum hominibus ſint comburendæ. Ita non ſolum incolæ urbium apoſtaticarum ob ſua ſcelera erant mactandi, ſed etiam jumenta, & pecora deleri, reliquaque bona comburi jubebantur. Sic Chananæorum ſculptilia, & luci diis gentium dicati igni addicebantur, ut nulla idololatriæ ſupereſſet memoria, illiuſque novandæ occaſio; non ſane, ac ſi hæc tanquam genuina his rebus pœna irrogaretur. Hinc ita Auguſtinus apud Gratianum c. 15. qu. I. I. 4. *Quæritur, quomodo ſit reum pecus, cum ſit irrationale, nec ullo modo legis capax? An quemadmodum transferuntur verba modo locutionis, quæ Græce appellatur Metaphora, ab animali ad inanimale? Sicut dicitur improbus æſtus, vel iratum mare, ita hic translatum, & rationale ad irrationale? Nam pecora inde credendum eſt juſſa interfici, quia tali flagitio contaminata refricant facti memoriam*. Hanc cauſam ex Hebræis interpretibus complures comprobant, extinguendas ſcilicet fuiſſe beſtias oſtentationis vitandæ ſtudio.

Digitized by Google

ſtudio. Vnus illorum ita loquitur: *Quamobrem præcipitur in lege, etiam beſtiam* (cui ſe quis miſcuiſſet) *occidendam eſſe? Ne, ea per plateas tranſeunte, dicant homines: Hæc eſt beſtia, cujus cauſa, aut propter quam lapidatus eſt N.N.* Idem videtur indigitare Philo, quando pecoris occidendi hanc primam facit rationem, *ὅτι τοιούτοις ὀνείδεσιν ὑπηρέτησε, quoniam tam fœdo facinori operam dedit*: quod ex hominis ſcelere tam infame ſit redditum pecus, ut & ipſum ſit abolendum.

§. 13.

Nec diſpar eſt ratio, cur bos cornupeta, qui hominem occidiſſet, lapidandus eſſet: non ſane ob jus aliquod violatum, ſed ut dominus in re ſua puniretur, quod negligentius illum cuſtodiviſſet. Hinc Fl. Ioſephus Archæol. lib. IV. cap. 8. *Lapidetur*, inquit, *bos, μὴ δ' εἰς τροφὴν εὔχρηστος εἶναι καταξιώμενος, quem nec ut alimentum ſumi æquum exiſtimabatur*. Sic enim in Domini commodum cederet. Non igitur fuit hæc pœna bruti; ſeu uti Græci ICti loquuntur, *ἁμαρτήματος ἐκδίκησις, culpæ vindicta*; uti olim cenſuerunt Sadducæi, contra quos ita ſcribit Maimonides: *Quod beſtia occidi debuit, quando hominem interficiebat, id non fiebat ad pœnam ab illa exigendam, quemadmodum improperant nobis Sadducæi, ſed ad pœnam exigendam ab hero. Atque inde erat, quod prohibebatur ei uſus carnis bovis hujuſmodi, ut ſcilicet etiam boum domini majorem in eis cuſtodiendis diligentiam adhiberent*. Quemadmodum in Iure Romano ex lege, *ſi quadrupes pauperiem fecerit*, actio utilis competit, ubi non quadrupes, ſed aliud animal damnum dederit; ita Hebræi Interpretes legem de bove cornupeta etiam ad ceteras beſtias, voluereſque extendunt, quoties ad cædem humanam aliquid contuliſſent.

§. 14.

Quæ ex Ambroſio, aliiſque allata ſunt, partim *μεταφορικῶς* propter aliquam ſimilitudinem, quam brutorum actiones cum noſtris habent, partim *καταχρηστικῶς* ita dicuntur. Hinc brutorum quorumdam conſtantes propenſiones, & naturales inſtinctus Iuris, ac legum vocabulis inſigniuntur. Proinde coitus illi, de quibus Ambroſius loquebatur, homini revera ſunt vetiti, non item brutis; atque etiam hoc videtur velle, hominem propter ſuam obligationem, ne quidem delectari debere iis coitionibus, & ad illas adigere, aut proritare beſtias. Eadem ratione inducti ICti veteres Iuris communionem inter bruta, hominesque ſtatuebant. Exempla vero allata tanti ponderis non ſunt, ut hoc evincant. In ſpecie, quod de Camelo narratur, illum *commiſſi ſceleris memorem* camelarium interemiſſe, eſt vitioſa plane textus Ariſtotelici a Gaza facta translatio. Ipſe Ariſtoteles his verbis rem narrat: *μικρὸν δὲ ὕστερον δακὼν τὸν καμηλίτην ἀπέκτεινε*. Nulla hic mentio ſceleris commiſſi. Conſurrexiſſe leonem in pœnam adulterii, eleganter a Plinio dictum, ſed ſimilitudine ex actibus humanis petita. Præterea undenam ſcimus, quid ſit beſtiis Veneris nefas, ſeu qui coitus illis ſua natura ſint liciti, vel illiciti, honeſti, aut turpes? Poeticum igitur eſt, non vere

te philoſophicum illud Theſei dictum : Nec fuit proprie dictum ſupplicium, quod de canibus ſumptum narrat Plinius . Sed anſeribus uti aliquis honos fuit habitus ; ita canes ſupplicia quædam improprie dicta ſubierunt , ut diligentioris cuſtodiæ ; & beneficiorum erga Remp. præmia , tum ignaviæ , ſocordiæque pœna , velut in ſchemate ; ſeu apologo quotannis civibus repræſentarentur . Pythagoreorum opinio unice niti videtur ipſorum μετεμψυχωσει, ſeu παλιγγενεσια . Mitto reliqua ; & repeti velim ; quæ ſupra ex Grotii lib. I. de I. B. P. c. 1. §. 11. excerpſi .

§. 15.

Cum itaque Ius , Honeſtumque non ſit , niſi inter illos , qui ſocietate vitæ certa ratione , & ordine inita continentur , uti docet Philoſophus V. Nicom. facile apparet , harum rerum communionem inter homines , & bruta minime intercedere . Vbi illud velim obſervari ; ratione originis indagandæ ſine ullo vitio Honeſtum , & naturaliter Iuſtum poſſe conjungi , non tamen plane eſſe idem . Honeſtas enim abſtracte , & in ſe ſpectatur , ut illa voluntati divinæ , noſtræque rationi recte conſtitutæ conformis eſt : Iuſtum vero ſemper intelligitur cum obligatione , & reſpectu erga illos , quibuſcum ſocietatem talem , ubi officia Honeſtatis exercenda ſunt , colimus . Ex his igitur brutorum ſimulacris , & παραδειγμασι , uti Plutarchus nuncupat lib. Ποτερα των ζωων φρονιμωτερα , non poteſt nobis de Honeſtatis , & Iuris natura conſtare . Quo de argumento plura poſt Seldenum diſputavit , & contraria cum ab aliis , tum potiſſimum Cl. Mæſtertio allata argumenta refutavit peculiari libello nobis à ſe liberaliter e Batavis tranſmiſſo , de Subjecto Iuris Naturalis , Vir Cl. Io. Frid. Hornius .

§. 16.

Hinc alii illa ex hominum , gentiumque conſenſu ponderant . Vnde perfrequenter Ius Naturale , & Gentium promiſcue a ICtis Romanis uſurpatur : atque idem Græci ſæpe εθνικον appellant . Vnde nata eſt diſtinctio inter Ius gentium primarium , & ſecundarium : de qua quid ſit ſentiendum , ex ſequentibus puto colligi poſſe . Hunc conſenſum videtur etiam Ariſtoteles fuiſſe ſecutus . Cum enim I. Rhet. 13. Ius tribuiſſet in ιδιον , *proprium* , & κοινον ; *commune* ; quod κατα φυσιν , *ſecundum naturam* , ſeu *naturale* explicat , ſubjicit : Εστι γαρ ο μαντευονται τι παντες φυσει κοινον δικαιον και αδικον , καν μηδεμια κοινωνια προς αλληλους ῃ , μηδε συνθηκη . *Eſt enim aliquid , quod omnes profitentur natura commune jus , & injuſtum , etiamſi nulla inter ipſos communio , nullaque pactio intercedat* . Vbi Commentarius Græcus Anonymi illud παντες interpretatur , και οι Κελτοι , και οι Ελληνες , και οι Σκυθαι . Licet enim Græcis cum Celtis , Scythis , aliiſque barbaris nulla ſit communio ex diſciplina , aut pacto , hos tamen omnes cum Græcis , & ſimilibus in quibuſdam Iuſti , & Injuſti , Honeſti , & Inhoneſti capitibus conſentire , & eaſdem de iis anticipationes (προληψεις appellabat Epicurus , alii κοινας εννοιας) habere.

§. 17.

Digitized by Google

§. 17.

Vberiorem textus Ariſtotelici explanationem nobis ſuppeditat optimus commentator Alexander Aphrodiſienſis l. II. de Anim. c. 42. *Si*, inquit, *natura ſociales, ac communicabiles ſumus; impoſſibile autem eſt, durare ſocietatem ſine juſtitia, neceſſe eſt, jus quoque Natura eſſe. Quod ſi quoniam apud alios aliud jus eſt, propterea negent ipſum eſſe natum, certe id Natura dicent eſſe, quod apud omnes idem eſt. Et ſi jus ſcriptum, quoniam ſcriptum eſt, per Conſtitutionem, & non Natura eſſe dicent, certe neceſſe erit, ut Natura non Poſitione fateantur id, quod non in ſcripto vim habet. Suntque ejuſmodi pleraque, quæ appellare ſolemus ex ipſo adfectu leges non ſcriptas, quæ communes omnibus hominibus ſunt, niſi ſint excæcati. Revereri enim ſeniores, colere Deum, honorare, atque obſervare parentes, & præſtantiores viros, ſunt jura quædam non ſcripta, & communia, quæ naturaliter apud omnes homines retinentur. De his enim, neque paciſcuntur ſecum, neque leges ſanciunt, ſed retinent, tamquam ſtatutas, & confirmatas ab ipſa Natura*. Sed & plura in eamdem ſententiam ibi ſcripta legas. Audiamus iterum Ariſtotelem: *Nec vero*, inquit I. Top. 11. edit. Pac. *oportet omne problema, aut omnem theſin in quæſtionem vocare; ſed eam, de qua quiſpiam dubitare poſſit egens rationis, non pœnæ, aut ſenſus. Nam qui ambigunt, utrum oporteat Deos colere, & parentes diligere, nec ne, pœna: qui vero dubitant, utrum nix ſit alba, nec ne, ſenſu indigent*. Obiter notetur, quam egregie hoc telum in Academiæ Mediæ, & Pyrrhonicæ ſcholæ ſectatores torqueri poſſit.

§. 18.

Ad hunc Gentium conſenſum recurrunt etiam principes Romanorum Philoſophorum, Cicero, & Seneca. Ille II. Quæſt. Tuſc. ita docet: *Omnes eſſe vim, & naturam divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum, aut conſenſus efficit. Non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus. Omni autem in re conſenſio omnium gentium Lex Naturæ putanda eſt*. Hic Ep. 117. ita diſſerit: *Multum dare ſolemus præſumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum eſt, aliquid omnibus videri; tamquam Deos eſſe inter alia ſic colligimus, quod omnibus de Diis opinio inſita eſt, nec ulla gens uſquam eſt adeo extra leges, moreſque projecta, ut non aliquos Deos credat. Cum de animarum æternitate diſſerimus, non leve momentum apud nos habet Conſenſus hominum, aut timentium inferos, aut colentium*. Hujus generis alia apud alios paſſim reperias.

§. 19.

Ex his jam quodammodo intelleximus, quanti faciant nonnulli hanc univerſalem conſenſum. Hinc Ariſtoteles X. Nicom. 2. §. 23. inquit: O πασι δοκει, τυτο ειναι φαμεν. *Quod omnibus videtur*, ſeu, in quo omnes conſentiunt, *illud ceu verum recipitur*. Cujus pronuntiati hanc licet petere rationem ex I. Nicom. 8. §. 2. Τῳ μεν αληθει παντα συναδει τα υπαρχοντα, τῳ δε ψευδει ταχυ διαφωνει ταληθες. *Quod verum eſt, cum eo congruunt omnia, quæ exſtant inter homines: a falſo autem cito verum diſſidet, ac diſcrepat*. Ope-

ra

ræ etiam pretium eſt, cognoſcere Interpretum veterum hac de re ſententiam. Τȣ ἐξηγητȣ jam accepimus. Huic addo Euſtratium, qui ad lib. I. Nicom. c. 7. §. 25. ita commentatur: *Vtitur vero in hoc communi conſenſu, utpote ex ſe fide digno, nulloque extrinſecus ad confirmationem indigente. Nam ubi quid communi conſenſu probatur, quid in eo opus demonſtratione eſt? De quo omnium Natura conſentit, id verum eſſe neceſſe eſt*: inquit iterum Cicero de Nat. Deor.

§. 20.

Hæc quæ de conſenſu attuli, talia profecto ſunt, quæ non ſunt nullo ponenda loco, quin magni facienda. Quando vero fit provocatio ad omnium, aut plerorumque, aut meliorum conſenſum, nondum ſatis planum, atque expeditum videtur, quanto in pretio ille conſenſus ſit habendus, quantamve auctoritatem in moralibus habeat, ut ad hæc facienda, illa fugienda te obligatum eſſe ſcias. Conſenſus itaque omnium, vel intelligi poſſit omnium omnino hominum, uti genus humanum ex ſuis individuis tamquam totum conſtat, vel quatenus illud in varios populos, civilibus ſocietatibus diſtinctos, diſpertiri licet. De poſteriori notione prius.

§. 21.

Vbi protinus præmonendum eſt, Honeſtatem cum parendi neceſſitate intellectam ſemper in ſe complecti Obligationem: unde aliis dici ſolet Ius Naturæ Obligativum: atque hoc proprie tale Ius eſt. Vel ſequius accipitur Honeſtum, quod non eſt inhoneſtum, nec injuſtum, ſeu, quod Honeſto, aut Iuſto non adverſatur; quale eſt omne id, quod licitum eſſe dicimus, diſtincte tamen a vere Iuſto, & Honeſto uſurpatum. Etſi enim omne Honeſtum ſit licitum; non tamen reciproce inferre licet, omne licitum eſſe honeſtum. Quid quod hic honeſtum, & juſtum cum obligatione, ac parendi neceſſitate conſideremus? licitum vero in nuda permiſſione conſiſtat, unde nonnullis illud appellare placet Ius naturæ permiſſivum; ſed ἀκύρως.

§. 22.

Iam tu mihi expende illum gentium conſenſum, quantam utrobique vim habeat, necne. Mihi quantum videtur, ſi libere dicere licet, ita ſtatuerim, Gentium, potiſſimum moratiorum, conſenſum, tamquam bonorum virorum ſuffragia, plurimis illius, quod Liciti, ac Illiciti notione venit, capitibus egregium perhibere teſtimonium, magnaque nos auctoritate confirmari, non repugnare hoc aut illud honeſtati, quandoquidem vel hoc fieri, vel omitti ab iis videamus, qui ipſius honeſtatis non parvam rationem habent. Tales enim ſane ſunt moratiores populi. Natura igitur, quæ conſtans eſt, cujus item leges æternam ac perpetuam obligationem implicant, ſi a cultioribus gentibus exiſtimentur non in contrarium obligare, quod tu facis, aut actum tuum ad aliud, aut aliter faciendum revocare aut reſtringere, ſane non poteris aliter colligere, quam illum actum licitum eſſe.

Digitized by Google

An vero ille conſenſus æque firmum teſtimonium ferat de præcipuo Honeſto, ſeu Iure naturæ obligativo, merito dubites. Non neſcio plurimos ita docere, Ius Naturæ eſſe, ſi tale judicaverint gentes cumprimis politiores: ſed an hæc ſententia ſubſiſtere ac ſufficere poſſit, ut ego me convictum intelligam, & obligatum ad facienda alia, & quidem neutrum fieri omittive ſine peccato poſſe, id vero admodum eſt ſpiſſum.

§. 23.

Dixi nos hic conſiderare jam primo genus humanum per gentes diviſum, quæ diſtinctis civitatibus, ſeu Rebuſp. reguntur, interque has moratiores. Cum vero juxta Philoſophum VIII. Nic. paſſim legamus, omnem ſocietatem jure aliquo regi, & quidem naturæ ſeu fini cujuſque ſocietatis accommodato; ſine dubio ſocietas civilis & ipſa aliquo jure proprio adminiſtrabitur, quod Ariſtoteles appellat πολιτικον, *civile*. Atque hoc I.V. Nic. c.7. pr. dicit eſſe vel Naturale, vel Legitimum. Cum enim Natura non omnibus actionibus humanis leges dictaverit, ſed plurimum arbitrio hominum reliquerit, nullo jure determinatum ac circumſcriptum, hinc nec civilis ſocietas ſolo Iure naturali proprie dicto, cumprimis ut nunc res hominum ſunt, commode regi potuit, ſed etiam νομικῳ, *legitimo*. Tam varia enim ſunt hominum ingenia, tam varia vivendi genera, tam variæ neceſſitates, & tam multiplex indigentia, ut non ſolum non unico Iure naturæ, ſed nec unius generis legitimo regi potuerint: adeoque pro hac rerum diverſitate plurima jura legitima nata ſunt, quæ non ſolum unius civitatis membro nunc, ſed integrarum gentium, ac Rerump. diverſarum utilitatibus conſulerent. Huc pertinent varii generis commercia, fœdera, pacta, επιμαχιαι, συμμαχιαι, & ſimilia. Vnde etiam Ariſtoteles ſpeciatim meminit συμμαχιων, eaſque inquit videri conſtitui inter civitates non aliam ob cauſam, quam ενεκα του συμφεροντος, *utilitatis gratia*. VIII. Nicom. 4. §. 17.

§. 24.

Etſi igitur in ſocietatibus gentium civilibus jura Naturæ exerceri, aut exercita fuiſſe, negandum non ſit; tot tamen illa legum poſitivarum involucris conveſtita ſunt, ut has ab illis ſecernere ſummi, ne dicam deſperati fere laboris ſit. Exemplo ſit Reſp. Hebræorum, de qua ita diſſerit, quem in multis hic ſecuti ſumus, Io. Seldenus in eruditiſſimo Opere de Iure nat. & gent. juxta diſcipl. Hebræor. l. I. c. 3. *Et ſane*, inquit, *quale de Atticis, ac Romanis legibus diximus, eorumque philoſophis ac moribus, tale de Gentibus, quantum ſcio, univerſis aliis eſt dicendum, preter Hebræos unicos. Nullibi ſcilicet ex alius cujuſquam gentis inſtituto, ſeu Philoſophia, ſeu Theologia, ſeu Iuriſprudentia in ea recepta, certa haberi atque ſubtilius ſic definita Iuris Naturalis, ſeu omnium mortalium communis capita, ac ſeorſum a ceteris ſic conſenſu publico diſtincta, ut ejuſdem velut corpus ſingulare, ſimplex, & perpetuo ſibi ſimile tum Nomine, tum Vſu per ſe tam auctoritate dignoſcatur, quam diſciplina publica, & in publica rerum adminiſtratione ſingillatim ac ſolum, atque eo nomine a ceteris diſterminatum, adhibeat*

beatur, Commiſcentur paſſim in libris, quos vulgo terimus, ſæpius, qualiacunque ſunt ea, cum civilibus, e Moſaicis translatis, Evangelicis, Eccleſiaſticis, Gentium, &c. Quanti vero laboris ac difficultatis ſit probe hæc ſecernere, *eod. cap.* ſupra multis declarat. Cum enim graviſſimum conſilium de Veteris Fœderis lectione ex Conſtit. Apoſt. l. I. c. 6. attuliſſet: Ἐςω σοι προ οφθαλμων γινωσκειν, τι νομος φυσικος, και τι εν της δευτερωσεως. *Sit tibi ante oculos propoſitum, ut cognoſcas quid ſit Lex Naturalis, & quid deuteroſis*: qua poſteriori voce ea, quæ Iudæis ſingularia fuerunt, manifeſto notantur, ita ſubjungit: *Verum cum in corpore illo legum Hebræis in deſerto præſcriptarum, Naturalis ſeu Univerſalis nomine verbis expreſſioribus & apertis nulla appellentur, atque in hiſtoria, quæ ſcriptarum hanc legum lationem præcedit, ſeu Geneſin, Diluvium, & ſequentia continet, interdictum habeatur, præter illud in paradiſo primis parentibus datum, unum tantum & alterum, quod integræ hominum Univerſitati traditum eſt, atque e virorum ſanctorum, quæ ibi occurrunt exemplis jura cetera, quæ in univerſum obligent indicare (quod ut faciant perquam anxie ſunt aliqui ſoliciti) ſit pluſquam difficile; fieri ſane nequivit, quin Iura ſeu Officia illa Univerſalia ac Naturalia, atque Philoſophia illa, quam tractamus, Barbarica, non aliter ferme in Corpore illo Moſaico, atque inter Civilia illa, atque Ritualia ſcriptis mandata latuerit, quam aurum purum in corona illa Diis vovenda, quam ex ſolum auro puro locarat faciendam Hiero. Hiſtoria notiſſima eſt. Fuiſſe certe in ea aurum, argentum etiam fuiſſe non omnino dubitabatur. At quantum auri, quantumque argenti ab artifice ſimul commiſtum eſſet, res erat perquam difficilis dignoſcere. Ea quidem res ſummo Archimedis ingenio tandem eſt deprehenſa, hominis ſcilicet, qui ponderum, magnitudinum, ac proportionum, id eſt, rerum, citra quae fruſtra de quantitate auri in Corona, niſi denuo liquata fuiſſet, quæſierat quis, erat callentiſſimus. Abſque mathematico ejuſmodi fuiſſet, tale eſt veriſimilius tunc eveniſſe Syracuſis, quale dudum Romæ. Admiſſi monetæ argenteæ nimil æris accuſabatur monetarius. Is ab iis, qui rebus præerant, impetravit, ut duo conſtituti judices ſeorſum cauſam attentius examinarent, ſententiamque ſeorſum proferrent. Id ipſi juxta fecere, atque eodem die uterque ex eiſdem actis, cauſa atque libellis cognitis, & confeſſione rei audita, ſententiam quidem protulit, ſed prorſus abſolutoriam alter; alter eo uſque damnatoriam, ut plurima aureorum millia Reip. adulteratæ monetæ nomine a reo refundenda cenſeret, & tum bona ejus cetera fiſco addicenda, tum capitale inſuper infligendum ſupplicium. Ingens hic diſcrimen. Et a vero forſan uterque, licet pariter diligentiſſimus, immane quantum receſſit. Alterum manifeſto ſcimus. Atque aliis in rebus diſcernendis ſimile non raro accidit. Perplexa rite extricare, confuſa invicem diſtinguere, veri ac falſi confinia horumque ſinuoſos anfractus ſatis habere exploratos, & demum ex eis, quæ ſuperſtruuntur de fundamentis ſeu principiis recte conjicere, res eſt perquam ardua, pene inacceſſa, & mortalium pauciſſimorum. Id quod in quæſtione de Iure Naturali ex Civili aliquo ſimul, & Naturalis Iuris corpore ſecernendo, jam memorata inprimis etiam obtinet, &c.* Ain tu Seldene? adeone difficile, imo pluſquam difficile, ut tu inquis, eſt, poſſe jus poſitivum a Naturali ſecernere, atque illud quod licet a proprie dicto Iure & Honeſto, in Pentateucho; quanta igitur quæſo erit difficultas, illius præcepta, tamquam ruta cæſa in Philoſophorum,

ICto-

Digitized by Google

ICtorum, aliorumque tam diverſe ſentientium ſcriptis ſparſa, & commiſta diſtinguere, aurumque hoc ab argento ſeparare?

§. 25.

Præterea quando de omnium gentium conſenſu ſermo eſt, tripliciter hoc accipi videmus. Vel enim hoc intelligendum de omnibus omnino gentibus per univerſum orbem diſperſis; vel iis omnibus, quæ nobis innotuerunt: vel denique de iis, quæ ex cognitis politiores ſunt cultioreſque. Primo igitur modo ſi uſurpes, ne recentiorum quiſquam hodie, nedum veterum, omnes in univerſum populos habebit cognitos. Etſi enim aliquem eorum numerum ineant Ptolomæus, Marcianus Heracleotes, Æthicus, & id genus alii, nemini tamen non manifeſtum eſt, quam hoc fruſtra ab iis fuerit tentatum. Atque eſto nomine tenus cuiquam Coſmographorum fuerint cognitæ gentes, habuitne idem exploratos, & quidem accurate & diſtincte, illarum mores & inſtituta? ex quibus tamen unice judicium in his eſt capiendum. Et quamvis proximis ſeculis utraque nobis India patefacta, aliæque terræ commercio fuerint junctæ, nondum tamen omnem globum habitabilem, inhabitabilem veteribus creditum, circumivimus. Si igitur veterum quis ad conſenſum omnium Gentium ſeu hominum provocet, tam lata ſignificatione nihil certe proficiet; quin potius ludibrium debebit iis, qui abditiſſimas Aſiæ, Africæ, Americæque partes perſcrutati ſunt, cum veteribus præter Europæ areolam, & maritima Africæ loca nihil admodum fuerit cognitum; cumprimis, quod ad teſtimonium ac comprobationem Iuris Naturæ faciat. De tali igitur omnium gentium conſenſu ſi verba facias, in aere piſcabere, ſive noſtra, ſive antiquiſſima ſecula ſpectes.

§. 26.

Si altero modo omnium Gentium conſenſum inſpicias, atque hinc jam Iuris, & Honeſtatis normam ac teſtimonium petere inſtituas, videlicet quod perhibeant omnes gentes a nobis cognitæ; nova dubitatio & difficultas oritur, ex varia veterum narratione hiſtorica huic interpretationi adverſante. Suggerit enim nobis protinus Ariſtoteles VII. Nic. 5. §. 20. quaſdam eſſe Barbarorum procul diſſitorum nationes, *εκ φυσεως αλογισοι, και μονον τη αισθησει ζωντες, θηριωδεις, natura plane ſtupidi, ſenſu dumtaxat, & ferino more viventes.* Quod Scholiaſtes Græcus de Scythis, ejuſque generis aliis, Averroes Arabs de populis verſus Auſtrum, & Septentrionem remotioribus capit. Quin ipſe Magiſter ejuſmodi nonnullos nobis commemorat VIII. Polit. 4. *Multæ*, inquit, *ſunt gentes, quæ ad cædem, & humanas carnes comedendas pronæ ſunt, quemadmodum Pontum incolentes Achæi, & Heniochi, και των ηπειρωτικων εθνων ετερα*: quæ poſtrema alii de Epiroticis, alii generalius de Aſiaticis, alii de mediterraneis accipiunt: *ex quibus*, addit, *alii his ſunt ſimiles, alii etiam immaniores.* Plures ejus notæ aliis recenſentur. Quid Andromacha de Aſtyanacte præcipitato apud Senecam in Troade?

Quis

Quis Colchus hoc, quis ſedis incertæ Scytha
Commiſit? aut quæ Caſpium tangens mare
Gens juris expers cauſa?

Sed non ſolum ejuſmodi occurrunt gentes barbaræ plane moribus in veteri, ſed & recentiſſima rerum Geographicarum, aut itinerum longinquorum deſcriptione hiſtorica.

§. 27.

Cum igitur plurimæ gentes nobis cognitæ Cyeoplum more vivant, ubi ουδεις ουδενος ακουει ουδεν, age illarum cognitarum gentium mores videamus, quæ certis legibus & inſtitutis civiliter reguntur. De harum Iure ita canit πολυγραφωτατος Michael Pſellus in *Synopſi legum*:

Νομιμον εθνικον εστιν, ουχι το βαρβαρωδες·
Το γαρ τους εθνους ονομα νομικως ειρημενον
Γενων συλληπτικον εσι νομοις υποκειμενων.
Ius gentium eſt, non illud quod eſt barbaricum,
Scilicet gentis nomen legitime hic acceptum eas:
Nationes complectitur, quæ legibus ſubſunt.

Verum enimvero nec hoc fundamentum ſatis eſſe firmum illa arguunt, quæ ſupra de variis ſectis, ſcholiſque allata ſunt. Quid quod multæ ex his gentes, dum magis jucundum, & cumprimis utile ſpectarunt, eo veſaniæ prolapſæ ſunt, ut Iuri Naturæ & Honeſtati plane repugnantia inſtituta moreſque obſervaverint, veluti in conſanguineorum quorumdam coitu, in exponendis liberis, cædibus, idolomania, aliiſque? Huc enim pertinent Perſarum μητρομιξιαι, portentoſa Ægyptiorum ſuperſtitio, Phœnicum, aliorumque ανθρωποθυσιαι, multaque Græcorum, Romanorum, aliarumque ejuſmodi gentium inſtituta, quorum bene multa congeſſit ſupra invidiam poſitus Callixtus noſtras Epit. Theol. mor. tit. de Legib. 49. ſequ.

§. 28.

Quomodo vero το utile detrahere ſæpe ſoleat Honeſto, jam ſupra attigi, & pluribus a Cicerone his libris explicatur. Iam vero non mihi quiſquam ullam tam moratam adferet gentem, quæ utilitatis ſive veræ, ſive apparentis, rationem præcipuam non habuerit, ſic ut Poetæ credita fuerit *Vtilitas juſti prope mater, & æqui*. Et cum Ius legitimum, quod præcipue Vtilitati ſervit, &, uti Ariſtoteles V. Nicom. 7. §. 11. ait, menſuris ſimile ſit: quæ uti pro locorum conditione, mercium vel abundantia, vel penuria, miris modis variant, ita quoque Ius illud pro vario Rerump. ſtatu & ὁρμῃ variat, ac non raro

- - - - Sidera terra
Vt diſtant, & flamma mari, ſic Vtile Recto;

ut apud Lucanum Pothinus inquit. Hoc ſcilicet argumento ſubnixus Carneades omne Ius Naturale ridebat, vel, ut rectius dicam, nullum eſſe tale Ius & perpetuo Honeſtum omnibus hominibus contendebat. Audiamus Lactan

Digitized by Google

ſtantium Inſt. Div. c.17. *Ejus diſputationis ſumma hæc fuit: Iura ſibi homines pro utilitate ſanxiſſe, ſcilicet varia pro moribus, & apud eoſdem ſæpe pro temporibus, mutata; Ius autem Naturale nullum eſſe. Omnes & homines, & alias animantes ad utilitates ſuas, natura ducente, ferri; proinde aut nullam eſſe juſtitiam; aut, ſi ſit aliqua, ſummam eſſe ſtultitiam, quoniam ſibi noceret alienis commodis conſulens.* Etſi vero hæc diſputatio abſolute ſpectata falſa ſit, ſi tamen ex gentium moribus aut uſu Ius naturæ metiri velis, valde vereor, ne illi in pleriſque concedendum ſit propter rationes jam adductas: perinde uti Medicus conſultus, quæ ſint ſalubria, operam luderet, ſi vel e vulgari hominum victu, aut opiparis lautiorum hominum menſis ac ferculorum ſtruibus illa diſcenda eſſe moneat.

§. 29.

Sed nec hoc diſſimulandum eſt, Naturæ perſonam ſæpe qualemcumque conſuetudinem induere, ſuaque larva multos fallere, ut quod ex hac originem ceperit, pro Naturæ dictatis venditetur. Hinc enim Alexandro Aphrodiſienſi lib. de Fato, Hominum *φύσιν*, & Philoſopho in Rhetoricis ipſa altera Natura dicitur. Qua de re elegans exſtat exemplum apud Herodotum in Thalia. Darius Græcæ originis ſubditos in ſua ditione habitantes convocavit, & ex iis quæſivit, quanta pecunia defunctis parentibus, Indorum more, veſci vellent: qui cum negaſſent ſe ad ejuſmodi immanitatem ullo pretio adduci poſſe, Indos accitos rogavit, quo pretio illi poſſent placari, ut Græcorum more defunctos patres in rogo comburerent, nec deinceps ſuis ventribus tanquam ſepulcris conderent: qui anxie reclamantes meliora illum vel rogare, vel ominari jubebant. Credebant hi ſcilicet deteſtandum per ſe morem niſi retinerent, tum Naturæ, & Officio ſe adverſaturos eſſe. De variis igitur talium gentium inſtitutis ſive legibus, ſive conſuetudine introductis licebit forſan non immerito illud uſurpare Maximi Tyrii Diſſert. I. *Leges & jura pro cujuſque placito in partes its diſtrahuntur dilacerunturque, ut non modo gens cum gente, ſed nec urbs cum urbe, nec familia cum familia, nec homo cum homine, nec unus aliquis interdum ſecum ipſe conſentiat.*

§. 30.

Sed videamus jam poſtremo modo intellectum Conſenſum, qui eſt Gentium moratiorum. Etſi enim proxime diximus de gentibus, quæ legibus quibuſdam civiliter reguntur; eo ſolum id nomine factum eſt, ne ex cognitis gentibus extreme barbaras ſeligere videremur, quæ nullo jure utuntur: hic vero illas intelligimus, quæ non ſolum Legibus uſæ fuerunt, ſed Reſpp. habuerunt florentiſſimas, potentiſſimaſque, quæ item præ aliis virtutis ac ingenii excellentia, ac laude eminuerunt. Ceterum hoc dum paro, quæ, quæſo, Gens primas, quæ ſecundas, atque ſic deinceps tenebit? quæ non principem ſibi locum vindicabit, vel ſaltem pari loco ac dignitate volet haberi? atque ita quotquot moratiores cupiunt eſſe gentes diverſis caſtris continebuntur, & de loco ubi depugnandum fuerit, Græci adverſus Latinos, & adver-

ſus iſtos Ægyptii, Perſæ, Chaldæi, Æthiopes, Iudæi, aliique adverſus alios ſuas copias ducent. Vt jam hinc manifeſtiſſime appareat, ægerrime etiam poſſe ſuperſtrui Ius Naturæ, & Honeſtatem illi moratiorum gentium conſenſui, quandoquidem adhuc ſub judice lis eſt, quænam ſint illæ moratiores: nec enim una alteri cedere vult, ſed pleræque ſub ſignis adhuc commorantur. Hac cauſa inductus videtur Conſtantinus Harmenopulus, ut in Prochiro ſuo lib.I. tit. 1. Ius gentium nihil aliud eſſe voluerit, quam quod diſtribute habetur apud qualeſcumque gentes, utcumque invicem diſcrepans. Ita enim ex translatione loquitur: *Ius gentium eſt, quo gens genteſque utuntur aliquæ. Vt non miſceri matribus apud Sauros (Sarmatas* ſubſtituit Ioannes Mercerus) *& Græcos: contraque iis miſceri apud Perſas.*

§. 31.

Sed eſto, fuerint ſive omnium in univerſum, ſive omnium a nobis cognitarum, vel ex his moratiorum mores in aliquot capitibus, commerciis, conjugiis, ſucceſſionibus, & ſimilibus ſibi conſentanei; unde mihi ex his de Iure Naturæ, & Honeſtate conſtabit, niſi obligationis originem, vim atque auctoritatem videam? Nec enim Ius hoc ſine obligatione intelligi poteſt aut debet, quod Natura ſit conſtans, adeoque tale Ius nobis dictet, quod πανταχȣ την αυτην εχει δυναμιν, uti Philoſophus ait, *ubique eamdem ac perpetuam obligandi vim habet*. Nos vero cum hic conſideremus Gentes civilibus ſocietatibus ac imperiis diſcretas, non videtur una eſſe alia ſuperior, ac per conſequens nec alia aliam obligare poterit. Quid enim eſt obligatio? eſt juris vinculum, quo neceſſitate aſtringimur ad aliquid faciendum, præſtandum, obſervandum, aut fugiendum. An vero gens ſuis moribus libere utens aliam æque liberam, & αυτονομον ſibi ita devincire poterit? non meliori ſane ratione, quam ſi dicas, crapulam in moribus eſſe Germanis, Polonis, Danis, Moſchis, aliiſque; nec recedere ab eo more licere Germanis, quod idem a reliquis non fuerit abrogatus.

§. 32.

Quid vero ſi forſan dubium quem redderet illa Iuris regula: *Refertur ad univerſos, quod fit per majorem partem.* l. 160. ff. de R. I. adeoque plures gentes quod ſtatuerint, eidem parendi neceſſitatem imponi reliquis? Sane ubi ejuſmodi ſunt partes, quæ ad ſui totius eſſentiam conſtituendam requiruntur, ſic ut imperio, vel pacto aliave ratione in unum corpus illæ coaluerint, locum ſuum hæc regula habet: quemadmodum videre eſt in l. 19. ff. ad munic. Grotius II. de I. B. P. c.5. n. 17. Gentes vero non hic eo modo conſideramus, una Rep. tamquam partes continuas comprehenſas, ſed liberas, & ſeorſum ſua quamque ditione ſecretas. Etiamſi igitur duæ, pluresve gentes aliquod Ius ſanxerint, aut a moribus communibus receſſerint, numquid hoc exemplo reliquæ ad idem faciendum erunt obligatæ? Non patet.

§. 33.

Digitized by Google

§. 33.

Rectius igitur forſan Honeſtatis, Iuriſque naturalis originem, & capita elicere licebit ex Rationis humanæ, illius inquam, quam Rectam appellant, uſu & dictamine. Ne quid dicam de illo Paulino ad Rom. I. Το γνωςον' ευ θεν φανερον εςιν εν αυτοις· ὁ γαρ θεος αυτοις εφανερωσε. *Illud quod de DEO cognoſci debebat, manifeſtum illis eſt redditum. Ipſe enim Deus illis manifeſtavit;* h. e. *manifeſtum eſt ex eo, quod in illis eſt, id eſt, ex lumine intrinſeco*: uti ad hunc locum Doctor Angelicus commentatur. Ipſi Gentiles Scriptores paſſim profitentur, κοινας εννοιας και προληψεις, *communes notitias & anticipationes* homini ineſſe, & tantum non connaſci, quibus veluti principiis Mens practica uſu ad plurimas concluſiones ſine errore deſcendere queat. Ejus generis ſunt, Bonum expetendum, Malum eſſe fugiendum, Honeſta eſſe facienda, Turpia fugienda. Cui non dictus Hylæ? ὁ νομος εςιν λογος ὁ ορθος, *Lex*, cumprimis naturalis, *eſt recta ratio*. Ita ſcilicet inclamat nemo non, etſi ſectis vel maxime alter ab altero diffideat.

§. 34.

Hinc quoque ipſe Ariſtoteles Ius Naturale ita deſcribit: Το πανταχȣ την αυτην εχον δυναμιν, και ȣ τῳ δοκειν η μη. *Quod ubique eamdem vim obtinet, & non quia ita videtur, vel non.* V. Nicom. 7. §. 2. Conſtans igitur ſibi hoc jus eſt, nec obnoxium eſt ulli mutationi, aut arbitrio hominum, quod illi adhibent in Iure legitimo, ex variis gentium opinionibus, aut diverſo civili bono orto, ſic ut ſi aliter viſum fuerit, aliave ratione ſuis utilitatibus rectius proſpectum, liceat ab eodem recedere. Vbi notandum illud πανταχȣ *ubique* a Paraphraſte Græco ita exponi, παρ' ανθρωποις τοις ει φρονȣσι και ὑγιως εχȣσι, ȣδε τοις νοσȣσι τας φρενας και διεςραμμενοις. *Apud homines, qui recte, & ut oportet, ſapiunt, non apud eos, quibus laborat mens, aut perverſa eſt.* Atque in eamdem ſententiam loquitur Michael Epheſius ibi: Παρα τοις πλειςοις, και αδιαφοροις, και κατα φυσιν εχȣσιν. *Apud plurimos, qui tamen perverſi non fuerint, ſed ſecundum naturam ſe habuerint. Nam apud eos* (ita enim pergit) *qui ferinum in morem vivunt, prorſuſque excæcatam mentem habent, ac ſolum brutorum voluptatem ſectantur, nullum Naturale Ius eſt.* Verum quid de hac utriuſque commentatione ſentiendum ſit, poſt pluribus declarabo. Adhibeamus adhuc teſtem Iuris Naturæ & Honeſtatis perpetuæ omnium Romanorum veterum eruditiſſimum Philoſophum practicum, Ciceronem, qui I. de Leg. docet: *Eſt enim Ius, quo devincta eſt hominum ſocietas, & quod lex conſtituit una. Quæ lex eſt Recta Ratio imperandi, atque prohibendi, quam qui ignorat, is eſt injuſtus, ſive eſt illa ſcripta uſpiam, ſive nuſpiam.* Et paulo poſt: *Nos legem bonam a mala nulla alia, niſi naturali norma dividere poſſumus. Nec ſolum Ius, & Injuria a Natura dijudicantur, ſed omnino omnia Honeſta, & Turpia. Nam & communis intelligentia nobis res notas efficit ea, quæ in animis noſtris inchoavit, ut Honeſta in virtute ponantur, in vitiis Turpia. Hæc autem in Opinione exiſtimare, non in Natura poſita, dementis eſt.* Quid clarius dici poteſt? & ejus

 gene-

generis complura apud Platonem, Senecam, Plutarchum, ICtos, alioſque reperies.

§. 35.

Hæc ut accurata lance expendantur, duo inveſtiganda ante ſunt: primum, quid ſit Recta Ratio: deinde, an uno hujus Rationis uſus modo, an pluribus conſiderari poſſit. Poſterius enim ſi verum eſt, incredibile eſt, quantum alterum ab altero diſtet. Prius quod attinet, ſciendum eſt, per Rationem ſeu Rationale nos intelligere illam facultatem, quæ illam eſſentialiter habet ac poſſidet. Ipſa hæc ratio, ſeu facultas ratiocinandi a Natura eſt. Recta ut ſit, per ſuam virtutem conſequitur; hoc enim Virtus præſtat, ut illam facultatem, cujus virtus eſt & dicitur, perficiat, & illam ad munus ſuum recte, prompte ac facile obeundum inſtruat. Hæc igitur Rationis *ὀρθότης*, non ut ipſa Ratio, nobis connaſcitur, ſed induſtria adquiritur. Cumque Ratio, vel in Neceſſariis, vel in Contingentibus verſetur, atque his vel *πρακτοῖς*, vel *ποιητικοῖς*, *activis*, vel *effectivis*; non ſane in tam diſſimili materia ut recte ſe gerat, una virtute perficitur, quin potius omnibus iis, quibus licet in neceſſariis & contingentibus *ἀληθεύειν*, *verum colligere*. Enumerantur in hunc uſum ab Ariſtotele VI. Nic. 3. §. 2. quinque; Intelligentia, Scientia, Sapientia, Prudentia, & Ars. Tres priores perficiunt intellectum theoreticum, ut debito modo in neceſſariis poſſit *ἀληθεύειν*, Prudentia intellectum practicum, ſtricte jam hic acceptum: nam alias ſolet ſæpe effectivum comprehendere, ut in rebus agendis, ſeu quid in vita ſequi, quid fugere conveniat, recte ſe gerat. Hinc ita legas licet VI. Nic. ult. §. 17. *Recta Ratio eſt ea, cui prudentia moderatur*. Et §. 21. *Recta de talibus rebus Ratio eſt ipſa prudentia*. Denique Ars perficit intellectum effectivum, ut in effectivis dextre ſuo munere fungatur. Adeoque ſi accurate hæc examinare velimus, Recta Ratio triplex fuerit, Theoretica, Practica, Effectiva. Si igitur cui abſolute Recta Ratio tribuatur, neceſſe eſt, ut omnibus his virtutibus mentis polleat, & quidem in ſummo gradu. Quia enim omnis Moralitatis, ita & virtutum omnium gradus ſunt, ac per conſequens ipſius quoque Rectæ Rationis gradus erunt, ſic ut alius alio maiorem illius *ὀρθότητα* habeat. Quando igitur ab allatis Scriptoribus, & plurimis aliis Recta Ratio fere unice ad *τὰ πρακτὰ*, *res agendas*, refertur, illud ſane non ſit ſatis recta ratione.

§. 36.

Illuſtrari hæc ipſa haud parum poterunt egregia explicatione Adovardi Gualandi Piſani Epiſcopi Cæſenatis, qui lib. IV. de Civ. Facul. cap. 11. ita ſcribit: *Cum Ratio ſuapte natura recta non ſit, & ad reliquas animæ poteſtates, proprioſque actiones dirigendas illam rectam eſſe ſit neceſſarium: quippe quam hujus humanæ vitæ viæque ſolam ducem habemus; quærendum omnino videtur, quonam pacto etiam primum dirigere, ac reddere rectam poſſimus. Rectam vero tum fore exiſtimandum eſt, cum hominem recta ad eum finem perducere poterit, quo eſt ei perveniendum*

dum

Digitized by Google

dum. His autem is eſt, ad quem illum Natura condidit, nempe Felicitas. Tunc igitur Recta Ratio erit, cum erit apta hominem ad felicitatem ſine ulla ambage, & errore perducere: ut bonus gubernator navim in portum, & auriga vehiculum, quo eſt perventurum. Aptam vero ejuſmodi ductui habendam cenſemus, cum Arte (habitu ſeu virtute) *felicitatis adſequendæ fuerit, inſtructa; hæc autem eſt* Civilis *Facultas*, h. e. prudentia. Plura ibi ſequuntur lectu digniſſima. Quia vero quædam inſpergit ὥσπερ ἐπιλέγοντα, nec forſan exacte omnino conveniant cum iis, quæ infra dicturi ſumus, paucis his contenti erimus. Tantum igitur de priori.

§. 37.

Deinde Ratio, ejuſque uſus videtur dupliciter intelligi poſſe. Aut qua in ſe ſpectatur, ſine ulla relatione ad humana natura ſuperiorem facta, cujus auctoritate ad Boni, Malique diſcrimen, illius perſecutionem, & hujus fugam, obligatos nos eſſe agnoſcamus. Alter modus eſt, qua ad Superiorem Ratio refertur, atque inde omnem vim, robur, ipſamque originem, & effectus conſecuta intelligitur. Si quis priori jam modo Rationis, & quidem utcumque Rectæ, uſum conſideret; nondum apparet, quomodo hinc de Iure Naturæ, perpetuaque Honeſtatis obligatione certior eſſe poſſit. Quod tamen non ita accipi velim, ac ſi nullum plane ſubſidium variarum, moratiorum præ primis, gentium, ac prudentiorum virorum rationes, ac argumenta vitæ adferre queant. Nam jam ſupra dixi, plurimum fidei facere hunc conſenſum, cumprimis in iis actionibus ſuſcipiendis, aut faciendis, ubi quæſtio eſt, licitæ ne ſint, an illicitæ. Nec non aliquod momentum addunt adſtruendo Iuri Naturæ obligativo, dum ex tuæ, & multiplici aliorum rationis uſu, ac diffidentibus hominum ſententiis, ac diſputationibus probabiliter aliquid colligis: quemadmodum complurium virginum pulcherrimarum, quas ad feligendi copiam Crotoniatæ celebri pictori Zeuxi dederant, formæ invicem ſatis diſſimiles id ei præſtiterunt, ut unicam Helenæ faciem, ac formoſitatem, quæ magno pretio propoſita pennicillo exprimenda erat, velut excerperet. Sed hoc ſolum urgeo, an inde ita certus eſſe, & convinci poſſim, ut ſine peccato vel hoc omittere, vel agere illud nequeam, & utrobique vel ad omiſſionem, vel ad actionem me ita obligatum ſciam, ut, ſecus ſi a me quidquam fiat, pœnæ obnoxius ſim. Nuda enim illa probabilitas ad hæc non ſufficit, uti infra pluribus demonſtrabitur.

§. 38.

Hoc ut tanto manifeſtius reddatur, &, quid ſtatuendum ſit ſciamus; omnium veterum Philoſophorum principem Ariſtotelem adibimus, contemplabimurque, quibus principiis, ac demonſtrationibus ſuffultus ille in Honeſtatis origine, & natura indaganda utatur. Cum enim ſapientiſſimos quoſque veteres vel legerit, vel audiverit, ipſeque omnis methodi, quæ ad veritatem ducere poſſit, ſummus magiſter, & artifex ſit, vel apud hunc genuinam de Honeſtate diſputationem, legitimaſque demonſtrationes inveniemus,

aut fruſtra aliorum ſcrinia, & loculos excuſſerimus. Hic enim uti pura rivus aquæ fluit: reliqui (Platonem ſemper excipio, nec non Ciceronem) veluti *cavæ tepido ſudant humore lacunæ*. Si tamen præter hos & alii aliquid lucis huic diſputationi adferre poterunt, non penitus ſunt negligendi.

§. 39.

Flaminius nobilis certe Philoſophus Honeſtatem ex Ariſtotele ita definire inſtituit: *Honeſtas*, inquit, *veritas eſt*, *quam ſequatur*, *& admittat appetitus*. Non male, modo ſatis perſpicue hoc dictum ſit. Ariſtoteles τῆς εὐπραξίας, ſeu actionis honeſtæ duo conſtituit principia, Rationem, & Appetitum: quæ neceſſe eſt, ut amice conſpirent, ſiquidem velis vere honeſte agere: quod fiet, ſi illa lucem præferat, recteque dijudicet a malo bonum, hanc vero ut Appetitus ſequatur; ſic enim & in animo, & in actionibus ipſis εὐπραξία illa elucebit. Quemadmodum autem Ratio veritatem inquirit, & commonſtrat, hæc affirmando, iſta negando: ita Appetitus vel cupiditate ſua affirmationi, vel negationi fuga reſpondet. Si itaque, quod Ratio adfirmat, Appetitus perſequatur: &, quod illa negat, hic quoque averſetur, tum oritur illud, quod quæritur Honeſtum. Neutrum tamen fieri poteſt recte, niſi & Ratio, & Appetitio ſuis virtutibus ſint perfectæ. Præclarus hanc in rem exſtat textus VI. Nicom. 12. §. 16. & 17. *Ex Prudentia*, *atque ex ea virtute*, *quæ ad mores pertinet*, *totum Honeſtatis opus abſolvitur*. *Virtus enim ſcopum propoſitum agenti rectum efficit*: *Prudentia vero ea*, *quæ ad ſcopum ducunt*. Hæc eleganter παραφράζει Andronicus quondam a doctiſſimo Heinſio editus: *Præterea*, inquit, *ad omnem actionem honeſtam conducit Prudentia*, *& per eam quodlibet tale opus perficitur*. *Virtus quippe moralis ad finem voluntatem dirigit bonum*, *ſcopumque rectum efficit*. *Prudentia vero ea*, *quæ ad rectum tendunt finem*, *quærit*: *ſed & deliberat*, *quibus potiſſimum mediis optime*, *facillimeque*, *& ut oportet*, *finem adſequi poſſit ſuum*. His addatur cap. 2. lib. VI. Nicom. ubi de Veritate practica prolixius agitur: & quæ diximus *Examine Probabilitatis Jeſuiticæ* cap. 9. ad regul. 9.

§. 40.

Vbi igitur eſt ejuſmodi Rationis, & Appetitus diſpoſitio, atque concordia, ibi animus veris ad Honeſtatem dotibus eſt inſtructus, ſic, ut illa non ſolum externis actionibus ſe prodat, ſed quoque ipſis habitibus honeſtatis animum imbuat, perficiatque. Hinc eſt, quod Ariſtoteles ipſius virtutis definitioni προαίρεσιν inſeruit, quæ nihil eſt aliud, quam vel ὀρεκτικὸς νοῦς, vel ὄρεξις διανοητική, uti loquitur VI. Nicom. 2. §. 18. hoc eſt, ſecundum Paraphraſtem: *Quia appetitus principium eſt mentis agitatio*, *prælectionis autem appetitus*; *erit aut mens*, *quæ appetitu*, *aut appetitus*, *qui tali mentis agitatione utitur*, *ipſa prælectio*. *Hæc autem ſoli animali illi competent*, *quod ratione eſt præditum*. *Is autem eſt homo*. Planius idem dicit ipſe Magiſter III. Nicom. 3. §. 40. *Quoniam id*, *de quo conſilium capitur*, *ſub deliberationem*, *& appetitionem cadit*, *cum ſit ex numero earum rerum*, *quæ in nobis ſitæ ſunt*; *conſilium* (προαίρεσις) *erit*

earum

Digitized by Google

earum rerum, quæ in noſtra poteſtate ſunt, appetitio ex conſultatione proveniens. Omnis itaque Honeſtatis decor, qui in virtute micat, in hoc Rationis, & Appetitus conſenſu conſiſtit, ut illa verum bonum apparente vel plane falſo diſcernere ſciat, hic facili obſequio illi pareat. Si enim Ratio pravis opinionibus dementata Appetitum in ſuum obſequium abripiat, non Honeſtas hinc, ſed Turpitudo exſiſtit.

§. 41.

Nemini vero non apparere exiſtimo, in Flaminiana Honeſtatis definitione non theoreticam, ſed practicam deſignari veritatem, uti jam tum innui. Illa etenim conſiſtit in conſenſu, ſeu adæquatione, uti loqui nonnulli amant, intellectus cum re ipſa. Hac igitur licet multi ſint præditi, nihil tamen impedit, quo minus flagitioſiſſime, uti ſæpe ſit, vivant. Hæc vero, quam quærimus, practica in eo conſiſtit, ut, quod Ratio rectum judicaverit, tamquam præceptum ab Appetitu ſine ulla moroſitate ſit faciendum, & quod pravum judicaverit eadem, ceu prohibitum ſine ulla renitente libidine ab Appetitu intermittatur, & vitetur. Quemadmodum vero iſtius veritatis, quæ unice ad theoriam pertinet, norma, & menſura ipſa illa res eſt, cujus naturam contemplatione noſtra perquirimus, ita forſan Veritatis practicæ etiam quædam erit amuſſis, & norma. Hanc Cicero conſtituit *excellentiam, & dignitatem humanæ naturæ, & finem illum nobiliſſimum*, propter quem videmur a Natura in hujus Vniverſi poſſeſſionem immiſſi: ſicut quidquid cum illa excellentiæ, & finis nobilitate, in actionibus, affectibus, & conſiliis noſtris conſentiat, illud omne Honeſtum: quidquid ab iis diſſentiat, turpe ſit habendum.

§. 42.

Si itaque ad hanc regulam Honeſtatis articulos explorare velimus, duplex denuo Honeſti notio nobis obrepit. Vel enim ipſum factum in ſe ſpectatum cum hominis dignitate, & fine conveniet, vel etiam facti qualitas, & modus cum iiſdem conſpirabit. Aliud igitur eſt genere ipſo honeſtum, aliud non ſolum genere, ſed & modo honeſtum eſt, ſeu, quod etiam honeſte fit. Ariſtoteles breviter hoc ita diſtinguit, quando inquit, multum diſcriminis eſſe inter Iuſtum factum, & Iuſte factum: ita quoque plurimum diſtat Honeſtum factum ab honeſte facto. Hoc enim perfectius eſt, & illud in ſe continet. Nihil enim honeſte fieri poteſt, quod non per ſe ſit honeſtum, aut, ſi latius hoc porrigere allubeſcat, ſaltem quod ſit inhoneſtum, aut turpe. Non item iſtud hoc complectitur; nec enim quod per ſe honeſtum eſt, ſemper honeſte fit. Sic abſolvere innocentem judicio, per ſe honeſtum eſt: illud tamen ſi a te fiat quæſtus cauſa, odio adverſarii ſingulari, ſimilive ratione inducto, nullam inde honeſtatis laudem, ſed vituperationem potius, & pro re nata pœnam mereberis. Sublevare inopiam pauperum, valde honeſtum eſt: ſi vero minus des, quam conveniat, aut ſi de alieno liberalis ſis, aut glorioluam inde captes, aut miſeris convitia immerito ingeras, aut ad

 illi-

Digitized by Google

illicita ſtudia tibi obnoxios reddere velis, tantum abeſt, ut honeſte hæc ſint, ut potius decentiſſimam Honeſtatis faciem polluas, multaque fuligine deformes. Sed in re manifeſta non eſt laborandum. Adeat cui lubet II. Nicom. cap. 4.

§. 43.

Vt igitur Honeſti natura perficiatur, neceſſe eſt, non tantum ipſum factum per ſe cum fine, & excellentia naturæ noſtræ conſpirare, ſed & modum facti. Modus ille in obſervatione ſingularium ſeu circumſtantiarum, quæ in ſingulis actionibus occurrunt, ejuſque moralitatem, ac meritum variant, conſiſtit. Illas circumſtantias enarrat III. Nicom. 1. §. 43. Quis agat, quid agit, *ἢ ἐν τίνι πράττει*, *& qua in re verſetur actio*: adde, quo in loco, aut tempore: *interdum vero & quo, puta inſtrumento, & cujus rei cauſa, & quo modo. Ea autem*, inquit §. 49. *videntur* principem locum obtinere, *ἐν οἷς ἡ πρᾶξις, καὶ οὗ ἕνεκα*, *in quibus & actio conſiſtit, & id, cujus gratia actio ſuſcipitur*. Atque in his conſiſtit illa decantata Ariſtotelis Mediocritas, quam neſcio, cur nonnulli ita carpant, ac vellicent. Ita enim ille definit Virtutem II. Nicom. 6. §. 26. quod ſit habitus *προαιρετικὸς* in Mediocritate illa, quæ ad nos eſt, conſiſtens, definita ratione, pro judicio viri prudentis. Quid enim aliud eſt Mediocritas ad nos relata, quam ea, cujus regula, & norma noſmet ipſi ſumus, & ea, quæ vel in nobis, vel circa nos exſiſtunt?

§. 44.

Cum enim Mediocritate Philoſophus virtutem conſtituere vellet, quæ inter Nimium, & Parum eſt interjecta, ſimulque ad hoſce tres terminos, Exceſſum, inquam, Defectum, & Medium, actiones, & affectus noſtros intendi, & remitti poſſe demonſtraſſet, duplex facit Medium, alterum rei, alterum *πρὸς ἡμᾶς*. Illud ſemper ab extremis ſuis æqualiter diſtare, unum, idemque eſſe omnibus, nullamque ſive ex temporum, ſive perſonarum, aliorumve ſingularium varietate mutationem recipere docet. At Medium ad nos relatum convenientem ubique modum tenet, ut neque exceſſu, neque defectu exorbitet, ſed decorum in actionibus, diligentiſſimaque circumſtantiarum obſervatione religioſe ſemper conſectetur. Eamdem, inquit Ariſtoteles, rationem Gymnaſiarcha in exercitatione corporis, eamdem Aliptes in victu athletarum præſcribendo ſequitur; nec enim idem erit demenſum, & alimentum tironis alicujus, & Milonis *ἐκφορουμε*. Ejuſmodi enim mediocritatem non ſolum Virtutes, ſed etiam Artes, quæ dicuntur *στοχαστικαὶ*, majoremque propter materiæ inconſtantiam prudentiam, qua diſpenſentur, requirant, intendunt; quamquam in aliis rebus hæ, in aliis iſtæ illam indagent. Ita medicus ſi viderit ſex drachmas nimium, duas parum eſſe, non protinus quatuor præſcribit, ac, ſi plures eodem morbo affecti decumbant, non æqualem *δόσιν* omnibus propinabit, ſed conſtitutionis, temperamenti, virium, ætatis, ſexus, victus, vitæ generis variam rationem habebit.

Ita

Digitized by Google

Ita quoque non promiſcue omnibus eadem diæta præſcribenda fuerit : ſæpe etenim quod huic prodeſt , alteri obeſt , quod huic pharmacum , illi venenum eſt . Idem in vita Vir bonus obſervare debet , ut omnia dicta , facta , & conſilia , ad naturæ ſuæ dignitatem , & finem adtemperet , atque ad hanc lancem omnibus actionum attributis appenſis τὸ καλὸν in tali Medio conſectetur .

§. 45.

Nec cuiquam ex his obſcurum amplius eſſe poterit, hanc virtutis mediocritatem , ſeu ipſam Honeſtatem non hærere puncto aliquo mathematico , ſed ſatis magna amplitudine , & per varios moralitatis gradus diduci : ut non dubitet in hanc ſententiam ſcribere Philoſophus II. Nicom. ult. §. 16. *Qui paulum a perfectione deflectit , ſive modum aliquantulum ſuperet , ſive etiam aliquantulum eum deſerat , non vituperatur ; ſed is tantum , qui longius , quam par ſit , ab eo diſcedit .* Eadem etiam repetit IV. Nicom. 5. §. 28. Certum itaque eſt , Honeſtatem quidem eſſe unam eſſentia , ex multis tamen quaſi partibus conflari , & per varios gradus amplificari : quemadmodum corporis pulcritudo ex diverſarum partium apte conſentiente συμμετρίᾳ reſultat . Alexander Aphrodiſienſis Honeſtum circuli centro æquiparat , quod cum reipſa ſit unum, pro varietate tamen linearum , in diverſas partes , atque regiones ex eo productarum , ſit quodam modo varium , & multiplex , & nunc hujus , nunc illius lineæ terminus appellatur . Eadem prorſus ratione Honeſtum , cum natura ſua ſit unum , pro varietate tamen affectuum , actionum , & tot ſingularium , quæ prudenter moderatur , varium quaſi redditur , ac multiplex . Atque hinc etiam non incommode illa , quæ non minus Stoicis , quam Peripateticis placuit , Virtutum ἀντακολουθείας , ſeu connexio colligi poterit , ut ubi una ſit perfecta Virtus , ibi ſint reliquæ omnes . Talis enim cum ab Honeſtate ſeparari nequeat , hæc ſua latitudine omnes Virtutes animo , vel genere ſaltem , ſi forſan ipſarum actionum opportunitates , aut inſtrumenta deſint , complectitur .

§. 46.

Idem etiam eleganter Seneca comprobat , & illuſtrat , quando Honeſtatem in animo , & actionibus inde prodeuntibus *pulcritudinem* eſſe pronuntiat . Atque idem Græci combinata τὸ καλὸν ſignificatione videntur innuere , quod & *honeſtum* , & *pulcrum* ſignificat . Pulcritudo autem vel in concinna extremitatis diſpoſitione , ſecundum I. Cæſarem Scaligerum , vel in partium variarum eleganti ordine , harmonia , & conſenſu conſiſtit . Sed quorſum hæc ? Rem cognoſce ex Tullio noſtro I. Offic. & , ut ſpero , eam amplectere : *Nec vero* , inquit , *illa parva vis naturæ eſt , rationiſque , quod unum hoc animal ſentit , quid ſit ordo , quid ſit quod deceat in factis , dictiſque , qui modus . Itaque eorum ipſorum , quæ adſpectu ſentiuntur , nullum aliud animal pulcritudinem , venuſtatem , convenientiam partium ſentit . Quam ſimilitudinem natura , ratioque ab oculis ad animum transferens , multo etiam magis pulcritudinem , conſtantiam , ordinem in conſiliis , factiſque conſervan-*

ſervan-

Digitized by Google

ſervandum putat : cavetque , ne quid indecore , effeminateve faciat ; tum in omnibus & opinionibus , & factis , ne quid libidinoſe aut faciat , aut cogitet . Quibus ex rebus conflatur , & efficitur id , quod quærimus , honeſtum . Atque hinc , quos libros alii de Officiis inſcripſerant , Nicolaus Damaſcenus , de eodem argumento conditos *de interiore Pulcritudine* inſignivit , teſte Simplicio ad Enchir. Epict. cap. 37. Quemadmodum item ſuavitas concentus muſici maxime in conſenſu, & proportione diverſorum ſonorum , quæ Harmonia dicitur , ſita eſt : eodem modo hæc animi pulcritudo , quæ honeſtas eſt , in convenienti quodam affectuum , conſiliorum , actionumque omnium ordine , conſenſu , & harmonia cernitur , cujus ratio ex *Naturæ noſtræ dignitate* , *ac fine* ſumitur . Si itaque ad hanc cynoſuram , quæ quaſi honeſtatis norma eſt , reſpexerimus , & ex ea actionum noſtrarum rationes moderati fuerimus , obſervatis omnibus , quæ circa factum occurrunt , circumſtantiis , & affectus rationis imperio obſecuti fuerint , actiones denique miniſterio corporis perfectæ , cum hoc animi propoſito , ipſaque adeo natura rationali , ac ſociali conſenſerint , oritur pulcherrimus , & ſuaviſſimus honeſtatis concentus . Si quid diſcrepat in his , & hanc harmoniam turbet , oritur turpitudo .

§. 47.

Idem alia quadam ratione nobis demonſtrare ſtudent Stoici , quando Honeſti naturam in Decoro conſiſtere aſſerunt . Ita enim Cicero ex illorum mente I. Offic. *Hujus vis eſt ea , ut ab honeſto non queat ſeparari . Nam & quod decet , honeſtum eſt : & quod honeſtum eſt , decet .* Conſtituit deinde duplex πρεπον, ſeu decorum , unum tam late patens , quam ipſius honeſtatis ambitus ſe porrigit : alterum particulare , quod potiſſimum ad temperantiam , ejuſque actiones reſtringit . In honeſtatis igitur natura inveſtiganda facile apparet το πρεπον univerſale , ſeu generale eſſe intelligendum . Differentiam vero , quam diſertiſſimus Romuli nepotum inter hæc conſtituit , nec ſatis explicavit , Ariſtoteles ſane neglexit . *Qualis autem* , ait ille , *differentia ſit Honeſti , & Decori , facilius intelligi , quam explanari poteſt . Quidquid enim eſt , quod deceat , id tum apparet , cum antegreſſa eſt honeſtas .* Philoſophus vero , uti dixi , hæc nuſpiam ſeparavit , aut diſtinxit , quin potius ceu ejuſdem naturæ res conjunxit. Ita enim ille loquitur X. Nicom. 8. §. 2. *Δικαια , και ανδρεια , και τα αλλα τα κατα τας αρετας προς αλληλους πραττομεν εν συναλλαγμασι , και χρειαις , και πραξεσι παντοιαις , εν τε τοις παθεσι το πρεπον ἑκαστῳ διατηρουντες . Juſtitiæ , & fortitudinis , & aliarum virtutum actiones exercemus inter nos in contractibus , neceſſitatibus , actionibus omnis generis , in perturbationibus item , cuique competens decorum attribuentes .* Hiſce eleganter ſubjicit Paraphraſtes : *Ταυτα δε παντα , την συνθετον ταυτην συντηρουσι ζωην . Hæc omnia illam , quam commode ordinatam diximus , conſervant vitam .*

§. 48.

§. 48.

Sed videamus amplius, quæ ſit natura decori, ut ita de honeſto quoque nobis diſtinctius conſtet. Cicero igitur procul dubio ex Panætio ita ſcribit: *Decorum id eſſe, quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differat*. Atque hanc deſcriptionem colligit ex eo, quod Poetis πρέπον eſt. Hi igitur, cum vel dici, vel fieri, quid quaque perſona dignum ſit, ſeu illi conveniens, fingunt, πρέπον obſervare dicuntur. Sic juvenis ferox, monitoribus aſper, inconſtans, & prodigus inducitur, Davus callidus, & verſipellis, leno impudens, & ſordidus, ſenex querulus, difficilis, tardus, cenſor, & caſtigator minorum, indulgens Mitio, durus Chremes, vinolenta Canthara, ejuſque generis alia: *Nobis autem*, ait Cicero, *perſonam impoſuit ipſa Natura magna cum excellentia, præſtantiaque animantium reliquorum. Quocirca Poetæ in magna varietate perſonarum, etiam vitioſis quid conveniat, & quid deceat, videbunt. Nobis autem cum a natura conſtantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes datæ ſint: cumque eadem natura doceat non negligere, quemadmodum nos adverſus homines geramus; efficitur, ut & illud, quod ad omnem honeſtatem pertinet, decorum, quam late fuſum ſit, appareat: & hoc, quod ſpectatur in unoquoque genere virtutis. Ut enim pulcritudo corporis apta compoſitione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes cum quodam lepore conſentiunt: ſic hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibus cum vivitur, ordine, & conſtantia, & moderatione dictorum omnium, atque factorum*. Peregregie.

§. 49.

Atque hoc eſt, quod Stoici, & cum illis Cicero, paſſim dicunt, *ſecundum naturam vivere: naturam ducem ſequi: nihil magis eſſe ſecundum naturam, quam honeſtum: nihil æque illi adverſari, quam turpe: naturæ rationem eſſe legem quamdam, quam omnes ſequi debeant*: qua de re pluribus agit Cicero II. de Legib. ubi aſſerit, virtutem nihil eſſe aliud, quam in ſe perfectam, & ad ſummum perductam naturam. Et Seneca, præcipuum Stoæ columen, omnia vitia contra naturam pugnare, debitumque ordinem deſerere, ait. Per naturam itaque intelligunt illam Animæ noſtræ excellentiam, qua a beſtiis diſcreti ſumus, quam ſequi in vita, eſſe virtutem colere, in qua felicitatis humanæ apex conſiſtat. Ut mirer tam ſiniſtre hoc a Lactantio lib. III. cap. 8. fuiſſe acceptum, ut hinc conſecuturam dicat, belluarum more nobis eſſe vivendum; quo tamen nihil ab hujus ſectæ placitis eſt alienius. Nam ex ſuperioribus facile patet, Stoicos, quando naturam ducem ſequi jubent, non intelligere animalem illam, communem nobis cum brutis, eamque ad varii generis libidines proclivem. Unde etiam inter Chriſtianos Stoici ſuos defenſores nacti ſunt, atque inter alios Hieronymum Oſorium *de Chriſtiana Nobilitate*, qui naturæ nomine a Stoicis intellectum aſſerunt, quod hominis eſt proprium, & quod eum a belluis diſpeſcit.

§. 50.

Hæc igitur, ejuſque generis complura alia nonne optima ratione profeſſuntur? num ovum ovo ſimilius eſſe poterit, quam hæc ſunt ſive Peripateticorum, ſive Stoicorum, ſive Ciceronis Eclectici dogmata, Honeſtatem ullo modo attingentia? ſunt ſane non ſolum ſibi hæc conſentanea, etiamſi alio atque alio modo idem dicant, ſed & veriora, quam ſi ex tripode fuiſſent profecta. Sed hac in re potiſſimum totius negotii jam cardo vertitur, quod nondum ſint tam evidentis, & conſtringentis intellectum veritatis, ut omnino ad facienda honeſta, fugienda turpia, me OBLIGATVM profiteri cogat. Stoici quidem nonnihil roboris ſuis hiſce ſcitis addunt, quando nonnumquam naturam ad Deum referunt. Sed nos jam illam exercitii, & veritatis indagandæ gratia ſine ea relatione ad ſuperiorem conſideremus, uti feciſſe videtur Ariſtoteles, qui in tota ſua Philoſophia practica rariſſime Dei, & non niſi obiter mentionem facit. Hinc eſt, quod in Iuris naturalis definitione, ὃ πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν, καὶ οὐ τῷ δοκεῖν, ἢ μή, *quod ubique eandem vim obtinet, & non quia ita videtur, vel minime*; Paraphraſtes, & Michael Epheſius illud πανταχοῦ, ceu ſupra vidimus, ad moratiores gentes reſtrinxerint: videlicet non niſi apud has illius *obſervationem, & uſum* vigere. Id, quod Ariſtotelis menti ſatis convenienter explicatum videtur, cum ille ſupra rectam rationem nihil quidquam conſtituerit, quod huic juri *obligationis* vim adderet. Revera autem illud πανταχοῦ ratione obligationis intelligendum eſt, ad honeſtum, juſtumque ſcilicet omnes omnino homines eſſe adſtrictos; eam enim eſſe illius vim, ut non minus omnes in univerſum, ſinguloſque obliget, quam ignis & hic, & apud Perſas, reliquoſque populos urit. Et quamvis hac ſimilitudine, ſeu inductione & ipſe ad obligationis vim videatur reſpicere, eoque nomine hoc jus ἀκίνητον, *immobile*, ſeu *immutabile* pronuntiet V. Nicom. 7. §. 5. mox tamen ad obſervationem illius relabitur, apud ſolos Deos illud ἀκίνητον eſſe adſerens, neque apud hos perinde, uti apud homines, mutationem pati.

§. 51.

Si itaque nuda, uti dictum eſt, ratio in κριτήριον adhibeatur, primo obſervandum eſt, æque aut magis etiam omnem de honeſto diſputationem incertam reddi, quam ubi de conſenſu moratiorum gentium quæſitum fuit. Quis enim ſuam rationem ceu minus rectam patietur rejici? Quis non, ex Philoſophis præſertim, ſuam rationem & de moribus doctrinam rectiſſimam eſſe venditabit? De Bono enim, & Malo, eorumque finibus numeroſiſſimas fuiſſe olim etiam illorum, qui rectam rationem, & doctrinam profeſſi fuerunt, diſceptationes, & ſententias, ſed mirum in modum diſcrepantes, ſupra jam intelleximus. Et quis eorum tantas potuit componere lites? Excreverat ſcilicet dogmatum, opinionumque multitudo, ac varietas, pro diſquirentium viribus, ac ingenio ad CCLXXXVIII. ſectas, non quæ jam eſſent, ſed quæ eſſe poſſent, adhibitis quibuſdam differentiis, uti jam olim obſer-

vatum

vatum eſſe a Togatorum doctiſſimo M. Terentio Varrone, ex Auguſtino diſcimus lib. XIX. de Civ. Dei cap. 1. Cum igitur quilibet ſuis rationibus ſubnixi veritatem ſibi vendicarent, pereleganter ita conquerentem eam inducit Boethius de Conſol. I. proſ. 3, *Epicureum vulgus, ac Stoicum, ceterique me reclamantem, renitentemque velut in partem prædæ trahebant, & veſtem, quam meis texueram manibus diſciderunt, abreptiſque de ea panniculis totam me ſibi ceſſiſſe credentes abiere. In quibus, quoniam quædam noſtri habitus veſtigia videbantur, meos eſſe familiares imprudentia rata, nonnullos eorum profanæ multitudinis errore perverſit.* Si igitur illi, qui principia bene vivendi, totam vitam & tam ſedulo inquiſiverunt, tantis intervallis inter ſe diſſident, quî certi eſſe poterimus, cui ex his rectæ rationis palma ſit deferenda?

§. 52.

Non ero multus in pravitate rationis, quæ erat in multis, oſtendenda; hoc tamen diſſimulare nequeo, quam illa inſigniter corrupta nonnullis fuerit, ut quæ tantum non ab omnibus turpia, & Naturæ diſplicentia, eique plane contraria credita, illa ab iis non inhoneſto loco poſita fuerint. Sic Zenoni, & Chryſippo, ceu Perſarum Magis, *μητρομιξία*, *maternus concubitus*, nec non filiæ, imo & maſculi licitus habebatur, teſte Sex. Empirico Pyrrhon. hypot. lib. III, cap. 24. & 25. Theodoro philoſopho (ſi hoc nomen illius farinæ hominibus competere poteſt) furtum, ſacrilegium, adulterium, in nullo erat crimine. Laert. in vita Ariſtippi. Heſych. in Theod. Theodorus etiam, & Diagoras Melius, aliique peſſimis ſententiis famoſi, nullos Deos adſeverando, omnem religionem, venerationemque, qua humanam vitam regi neceſſe eſt, ſuſtulerunt: unde etiam *ἄθεοι* cognominati fuerunt. Minut. Fel. in Octav. An autem Athei appellandi fuerint, diſſentientem hac de re videre licet maxima induſtria, & eruditione celebrem Ioan. Gher. Voſſium de Orig. & Progreſſu Idolol. lib. I. cap. 1. Memorat quidem Tatianus contra Græcos, Diagoram Athenienſem, quem eumdem eſſe cum illo Melio putat Voſſius, ſcripſiſſe Sermones Phrygios, quibus hiſtoriam complexus fuerit, quæ ad Cybelen, ejuſque ſacra pertinuerint; ſed eo id ab ipſo fine factum eſſe, ut homines a ſacris illius averteret, ſcribit ad Minutium Iacobus Ouzelius: cui addere licet Cl. Elmenhorſtium, qui plurimos congeſſit Scriptores, qui horum Atheorum meminerunt. Quid dicam de Platone, minime Divino, cum uxorum communionem, & coitum ferme promiſcuum inculcavit V. de Rep. cujus tamen ſententiæ illum poſtea videtur pœnituiſſe, eamque emendare voluiſſe VI. de Legib. His adde Archelai, Ariſtippi, Carneadiſque placita, qui nihil natura honeſtum, aut juſtum eſſe adſerebant, ſed ex arbitrio hominum, eorumdemque utilitate illud omne natum profitebantur: de quibus videatur Laertius. Hac de re ex Platonis Phædro hæc quoque ſunt notanda: Soc. *Cum quis argenti, aut ferri nomen protulerit, nonne univerſi idem intelligimus?* Ph. *Id verum quidem eſt.* Soc. *Quid vero cum juſti, aut boni nomen uſurpaverit, nonne alius alio fertur, & tum inter ſe ipſi, & a nobiametipſis diſſentimus?* Nil dicam de Pyrrhonis, Academiæ Mediæ ſectatoribus, ejuſque generis aliis Scepticis,

Digitized by Google

pticis, qui nullibi conſiſtebant, veritatem ne adſequerentur ulla in re omni ope, ac ſtudio connitebantur, ſublatis omnibus κριτηριοις, ut nullo jure Philoſophis recenſendi, nec rationibus, ſed pœnis refutandi, ac contundendi fuerint. Etiamſi igitur undequaque perſonet illa vox, ὁ νομος εστι λογος ὁ ὀρθος *Lex eſt recta ratio*, nec tamen vel in primis principiis, nedum in concluſionibus conveniunt, ſed trifotmes, imo multiformes chimæras, & neſcio quas μεταμορφωσεις nobis producunt. Crepent itaque licet rectam rationem, cum non magis inter illos de ea conveniat, quam de guſtu: aut perinde ac ſi de menſura nomine tenus veluti pedis, aut ulnæ ſatis ſint concordes, de utrinſque interea quantitate mire diſcrepent. Recte igitur de hac Gentium Philoſophia rectam rationem numquam non obtendente, Tertullianus lib. de Anima: *Nihil divinæ licentiæ ſervat, leges naturæ ſuas opiniones facit.*

§. 53.

Manifeſtum, ut puto, eſt redditum illud rationis incertum. Si tamen fingas, illius uſum, & ὁμονοιαν ſibi ſimillimam, & conſtantiſſimam, numquid igitur hinc obligationis auctoritas (quæ caput, & anima omnis proprie dicti Iuris, adeoque & naturalis eſt) erui poterit? Non ſane videtur fieri poſſe. In ſtatu enim naturali, ſepoſitis civilis imperii, aut ſocietatis pactis, uti toties dictum eſt, hic homines jam conſideramus, quo omnes ſunt æquales. Tua ne igitur recta ratio vim habet me obligandi, an mea te? aut an unius, aut paucorum ſapientiſſimorum habitorum ratio eam habet auctoritatem, ut gentes integras, imo univerſum genus humanum ad facienda, fugiendaque in vita obligare queat? Tu quid ſentias neſcio, ego haudquaquam id fieri poſſe exiſtimo. Vt vero hoc rectius percipiatur, fingamus cum nonnullis veteribus, Platone II. de Rep. Lucretio lib. V. & Cicerone I. de Invent. fuiſſe quoddam tempus, cum in agris homines paſſim beſtiarum more vagarentur, & ſibi victu ferino vitam propagarent, nec ratione animi quidquam, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrarent. Nondum divinæ religionis, non humani officii vatio vel cognita *erat*, vel colebatur: nemo legitimas norat nuptias: non certos quiſquam alebat, vel educabat liberos: non jus æquabile, quid utilitatis haberet, acceperat. Fingamus, inquam, porro, ferinam hanc vivendi libertatem illos paulatim diligentiori rationis uſu, eoque ſimplici, nec ad ſuperioris alicujus auctoritatem relato, ſeorſum impulſos exiiſſe, ac unanimes, non tamen ab æqualitate recedentes, certa quædam vitæ præcepta, ceu Iuris Naturalis formulas agnoviſſe: numquid hinc mihi de veri Iuris effectibus, de officiorum obligatione, neceſſariaque præſtatione ſolide conſtabit? Idem plane videtur de hac obſervatione, utcumque univerſali, ex libero rationis uſu nata, nulla tamen auctoritate præeunte, dicendum, quod ſupra de Gentium ſeorſum conſideratarum Iuris obſervatione annotatum eſt. Ratio enim ſimplex ſuadet quidem, & demonſtrat, jubere, aut obligare non poteſt ſine ſuperioris auctoritate.

§. 54.

Digitized by Google

§. 54.

Sed progredere mecum paulo ulterius, ac finge, univerſos homines in unum corpus civile conſociatos eſſe, ſuoque conſenſu non ſolum certam rationem vivendi, ſed & imperii modum, quo regere hi, alii huic parere debeant, conſtituiſſe: adeo ut jam ſit ordo imperantium, & parentium, atque illi his præſtent, quibus etiam in immorigeros pœnæ jus competat, ſi quid deliquerint, ex nuda ratione ab illis inſtitutum. Quod ſi & ab hoc corpore, & ſtupenda Republica univerſorum hominum, iis ſuperiorem auctoritatem ſemoveris, nullum inter illos perpetuo honeſtum, aut juſtum eſſe poterit, quale certe illud naturale eſſe par eſt. Ut enim paris in parem imperium eſſe nequit; ita nec qui pares fuerint, ex jure aliquo inter ſe ſancito, certorumque officiorum pactione inita, adeo impares ſe factos eſſe exiſtimabunt, ut nulla illis ſuperſit libertas renuntiandi illi ſocietati, & juribus conſtitutis; niſi, inquam, ſuperior adſcita in ſubſidium fuerit auctoritas, cujus illa apud omnes vis ſit, ut omnino ſe obligatos eſſe intelligant, fidem pactis conſtitutam eſſe præſtandam, poteſtati civili parendum, reliquaque omnia, quæ ſocietatibus humanis firmandis inſerviunt, religioſe eſſe obſervanda. Multo magis ſi omnes ad certam ſocietatis, ac imperii formulam ſe obligaverint, omnes ab eo pariter, ſi idem omnibus placeat, recedere poterunt, niſi humanam ſuperiorem auctoritatem ſuppoſueris.

§. 55.

Ex quibus omnibus liquidiſſime apparet, & colligitur, omne omnino Ius principem obligandi vim, & parendi neceſſitatem a Deo conſequi. Quod etiam Ius Naturæ attinet, illo vel continentur, & conſervantur ſocietates naturales ſimpliciores, vel illa humana univerſalis omnium hominum: adeoque illo cum omnes obligentur, neceſſum eſt illa auctoritas a Deo proficiſcatur, qui iis omnibus ſolus eſt ſuperior. Arbitraria jura quod attinet omnia, illa quoque proxime a legislatorum, & paciſcentium placito originem juris conſequuntur, ſed ſolidum effectum, parendi neceſſitatem, item in Iure Naturæ fundatam præcipue habent, puta, Magiſtratibus, & poteſtati civili, vicem Dei in terris repræſentanti, eſſe parendum, & pacta, fidemque datam eſſe ſervandam. Quam obligandi auctoritatem, parendique neceſſitatem, ut ſciant homines ſibi ſanctiſſime eſſe colendam, & obſervandam, meminerint divinæ Providentiæ opus eſſe, quod naturam non ſolum rationalem, ſed & ſocialem acceperint: cumque ſocietatum fines minime teneri poſſint abſque Iuris ordine, & vinculo, hujus temeratores graviſſime Deum offendere, ejuſque iram in ſe provocare. Hæc enim eſt Dei Providentia, ut quo quidque ordine æterno Ejus decreto deſtinatum, & poſt ſuit conditum, eodem conſervetur, adeoque homo, intelligens animal, omni fide, ſtudio, & obſequio ad illos naturales fines contendat, neque ulla actione contraria vel his, vel ordini illi divino refragetur. Sicuti enim morigeros præmia, ita immorigeros ſuæ apud divinam Providentiam manent pœnæ: quæ

Digitized by Google

quæ licet forte, dum vivitur, differantur, penitus tamen illas effugere numquam ſinet Animæ immortalitas. Hinc in Paganorum diſciplina veteri ipſi Dii, ut ad certa pacta, & promiſſa ſervanda ſe ita obligatos eſſe ſcirent, nec ſatis rite a ſe violari poſſe intelligerent, palude Stygia, (*Dii cujus jurare timent, & fallare numen*) tanquam ſuperiori aliquo Numine, invocata adſtringebantur. Nec pœna aliqua a Diis hiſce aberat, ſi quidquam ſe indignum deſignaſſent, Ambroſiæ, & Nectaris, Deorumque conſortiis temporalis interdictio. Sed de his tribus Iuris, omniumque officiorum primariis fundamentis, Dei exſiſtentia, Providentia divina, & Immortalitate Animæ, alias plura diximus: atque jam de honeſto, juſtoque hactenus dicta, Præfationis loco ſufficere poterunt.

M. T.

M. T. CICERONIS DE OFFICIIS

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

QVamquam te) Erat Populus Romanus & rei militaris, & eloquentiæ perſtudioſus. Atque hanc quidem ut magis magiſque excolerent, & pacis, bellique artes majori dexteritate in tanto Imperio tractarent, ſolebant Optimates, generoſique Viri Athenas se conferre, urbem ſapientiæ, eloquentiæ, bellique ſtudiis clariſſimam, ibique familiariter agere cum Philoſophis, ac præcipui nominis Rhetoribus, ex quorum ακροασει & inſtitutione perficerentur. Hinc Cicero ſub perſona Varronis I. Acad. Qu. *Meos amicos, in quibus eſt ſtudium, in Græciam mitto; id eſt, ad Græcos ire jubeo, ut ea e fontibus potius hauriant, quam rivulos conſectentur*. Nonnullos ex his tantus propter hæc ſtudia Philoſophiæ Athenarum amor inceſſerat, ut ſæpe, expeditionibus bellicis peractis, eo diverterent, animumque acroamatibus variis paſcerent, reficerentque: ceu de Pompeio M. legimus. Cicero itaque cum ſciret, quanti ſibi, & ad doctrinam, & prudentiam comparandam profuiſſet vixiſſe Athenis, eo filium quoque ſuum miſit, & cumprimis Cratippo (quem Cicero alibi virum optimum, & Peripateticorum omnium, quos ipſe quidem audierit, facile principem appellat) commendavit. At ille, licet ſpem bonæ indolis olim oſtendiſſet, a patris tamen virtute, cumprimis poſt ejus obitum, penitus degeneravit, ſuoque exemplo comprobavit, Heroum filios eſſe noxas. Tergilla enim, uti refert Plinius Nat. Hiſt. lib. XIV. c. ult. ipſi objecit, quod binos congios uno impetu (αμυσι) haurire ſolitus fuerit, & M. Agrippæ a temulento ſcyphum impactum. Eſſe vero hunc perquam immodicum hauſtum, vel ex illa colligi poterit hiſtoria, quam ibidem recitat Plinius. Novellio enim Torquato Mediolanenſi, cum tres congios uno hauſtu, adſpiciente Tiberio Cæſare, extraxiſſet, Tricongii nomen fuit tributum. Præterea commendatur Cicero Filius a jocandi feſtivitate, virtute homiletica non prorſus inutili quidem, at ſolidam laudem non merente. Ariſtot. I. M. Mor. c. 33. & 7. Eudem. ult. Add. Giſan. ad IV. Nicom. c. 8. circa fin. Fuit tamen Auguſti Cæſaris collega in conſulatu, factus quoque deinde Aſiæ Proconſul. Putant nonnulli, tributum hoc fuiſſe Patris memoriæ, non filii merito. Quam quidem conjecturam ſuo loco relinquo. Sane cum Antonii auctoritas, quem capitalem habebat hoſtem Cicero pater, imminente Triumviratu creſceret, quibus potuit ſtudiis Auguſto præſto fuit, & quotidianis cohortationibus, ac conſiliis in Antonium concitavit. Forſan igitur hanc ob cauſam, feliciter tandem etiam oppreſſo Antonio, Ciceroni, ejuſque poſt Filio æquior fuit Auguſtus. Quidquid ſit, ſimulacrum ſolum ſupererat Magiſtratuum, inprimis Majorum, rebus civilibus jam ad Cæſares devolutis. Iulius enim Cæſar jam ante tyrannidem occupatam conſul collegam habebat M. Bibulum: qui cum omnia pro priſtina dignitate agere vellet, edicta figeret, refigeretque, fruſtra moliebatur omnia, premente, atque evertente omnes ipſius conatus, præcellente collegæ auctoritate, calliditateque. Hinc vulgo jactitabatur, res fuiſſe geſtas Iulio, & Cæſare Coſſ. Suetonius in I. Cæſ. c. 20. apud quem etiam hi leguntur ibi verſus:

Non Bibulo quidquam nuper, ſed Cæſare factum eſt;

Nam Bibulo fieri Conſule nil memini. Quanto magis veroſimile ſit, Cæſares ipſos, eoſdemque Conſules omnem Conſularem poteſtatem ad ſe, nomen, hoc eſt, umbram ſolum collegis ſuis communicaſſe. Sed & hæc potuit eſſe ratio aſtutiſſimo Principi, Ciceronem filium collegam adſciſcendi, quod Imperium illud Monarchicum uti recens, ita Populo, & nobiliſſimis quibuſque valde erat exoſum. Cicero vero pater, propter ingentem patriæ, ac libertatis amorem apud omnes erat in ſummo pretio, atque exiſtimatione. Itaque Auguſtus hunc collegam Conſulem oſtentans, atque ipſe interim ſe maxime invitum regnare ſimulans, tanto facilius Populo imponere, & ejus favore paulatim impetrato ſecurius dominari potuit.

Quorum alter te ſcientia augere poteſt, altera exemplis) Vt ſcias, quomodo recte in vita civili vivere, integritatemque animi conſervare poſſis, & Vniverſalium, & Singularium requiritur cognitio, ac peritia. Vtraque enim hæc ad prudentiam pertinent; uti docetur pluribus VI.Nicom.7. §.23. & c. 8. §.22. Dicitur etiam illa univerſalium cognitio Scientia, ſingularium Experientia. Quatenus vero illa univerſalia, ut πρακτα conſiderantur, & ad ipſam πραξιν diriguntur, Prudentiæ opus eſt. Non igitur ſe dubitare, ait Cicero pater, quin filius exactam a Cratippo univerſalium cognitionem perceperit: quam Scientiam recte appellat; docentis enim eſt, certis allatis rationibus rem demonſtrare, qualis doctrina, ſeu diſciplina ipſa eſt Scientia: tum etiam magnum rerum uſum, atque experientiam ex rebus ſingularibus, atque exemplis frequentiſſimæ urbis collegerit, quæ cum olim ἑλλας της ἑλλαδος, hoc eſt, compendium quoddam Græciæ, dicta fuerit, non potuit non plurimarum rerum, factorumque copiam ſuppeditare. Qui itaque tempore, & loco recte uti novit, is dabit operam, ut in talibus urbibus degens, diligenter, & ſimul caute, quæ geruntur, rimetur, obſervet, &, quid prudentiores de iis judicent, expiſcetur. Deinde hic notandum eſt, delectum eſſe habendum a parentibus, quo mittant ſuos liberos, & ad quos. Videlicet eo mittent, ubi diſcendi, bonorumque exemplorum ad experientiam colligendam ſit copia. Iis vero Doctoribus commendabunt, qui optime, fideliſſimeque ſcientia inſtructi docebunt, & quoque præ aliis prudentia valent ſingularia dijudicandi, & ad ſimiles caſus recte applicandi. Nam περι τα πρακτα, & circa officia noſtra cumprimis verſatur commentatio. Cumque in Europa multæ ſint conſtitutæ Scholæ Regiæ, quas Academias appellamus, & in iis degens juventus non tam legibus, quam libidini ſuæ pareat, & quoque ſtudia ubique, ac diſciplinæ non æque ſolide, ac fideliter tradantur, ſed ſæpe pro nucleis caſſæ nuces venditentur, maxime ſollicitos eſſe decet parentes, quam Academiam, & quos in ea præcipue Doctores filiis ſuis deligere conſultum ſit. In Academiis enim faſtigium ſuæ eruditioni imponere jam ſolent diſcentes, & ab his ad honores properare, reſque gerendas capeſſere. Si ergo non rectius uſi fuerint tempore, loco, informatione, quam Cicero filius, parentibus dedecori, & patriæ ſæpe ſunt oneri, & damno. Bonis enim artibus, qui uti, ac niti nequeunt, malis deinceps ad ſua compendia, & honores graſſantur. Multa quoque hic dici poſſent de Peregrinationum uſu, & abuſu: quæ ſane materia ad publicam cenſuram, & ſub legum auctoritatem revocari meretur: ceu jam fecit Plato XII. de Leg., ubi privatis non vult licere peregrinari, neque aliis, qui quadraginta annos non compleverint. Adde Apuleium de Deo Socratis, ſub fin. Lipſ. cent. I. Miſcell. ep. 22. & Cent. ſing. ad Germ. & Gall. ep. 48. Inprimis legi meretur Claudiani Epigramma de Sene Veronenſi. Muret. lib. XVII. var. lect. c. 8.

Quam quidem ad rem) Quid in Eloquentia Romana, vel Græca præſtiterit Cicero, dicere nil attinet. Philoſophiam practicam Latino ſermone, tanto ſtudio excoluit, ut omnibus Romanis palmam præripuerit. Omnes enim veteres Græciæ ſapientes, etiam quorum monumenta dudum perierunt, legit, nullique ſectæ addictus optima

quæ-

quæque delegit, literiſque mandata dogmata nobis reliquit.

Diſces quamdiu voles) Egregium præceptum didacticum. Hoc erat ſtudium, hic animus Edicti perpetui conditoris Iuliani, cujus hæc memorabilis vox fertur: *Καν τον ετερον ποδα εν τη σορῳ εχω, προσμαθειν τι βουλοιμεν*. *Etiamſi alterum pedem jam in ſepulcro habeam, utique adhuc diſcerem*. Si igitur quæras, quamdiu diſcendum tibi ſit, ex profectus tui exploratione menſuram capies; caveſque, ne falſo perſuaſum habeas, te jam ad ſumma perveniſſe. Nam *Οιησις εςι της προκοπης εγκοπη*, recte dicebat Bion, *Perſuaſio eſt impedimentum profectus*.

Non multum a Peripateticis diſſidentia) Tanto cariores nobis debent eſſe hi libri, quod proxime accedant ad ejus ſententias, qui in Civili Philoſophia principatum ſine controverſia obtinet. Is enim eſt Ariſtoteles Peripateticorum Princeps. Qui igitur feliciter in his ſtudiis progredi volet, illos eliget magiſtros, qui in tanta de rebus practicis opinionum varietate veritati maxime conſentanea docent. Ceterum cum Cicero in hoc opere fere ſequatur Stoicos, eoque fine uſus fuerit Panætii, Poſidonii, Hecatonis Rhodii, Stoicorum libris de Officiis, nec non Antipatro Tyrio, Diogene Babylonio, aliiſque Stoicis, indicandum erit paucis, quibus in rebus, vel ille conſenſus, vel illud diſſidium Peripateticorum, & Stoicorum conſiſtat. Præcepta igitur officiorum ex Stoicorum fontibus hauſit: illa vero ipſa honeſtate fundari infra docet, atque hanc ex quatuor virtutibus, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudine, ac Temperantia arceſſit. Docent præterea Stoici, ſummum bonum unice in virtute conſiſtere: Bona vero corporis, et fortunæ nolebant appellare *αγαθα, καλα*, ſed *προηγμενα*, hoc eſt, ipſo Cicerone libris de Finibus interprete, *Producta*, ſive *Prælata*, horumque contraria *αποπροηγμενα Rejecta*. Peripatetici vero, in virtute quidem, cum *συμπραξει* ſummum Bonum collocabant, & ipſi, ſed plura etiam ad ejus complementum, non tamen eſſentiale, ſubſidia requirebant, quibus tamquam inſtrumentis, aut ornamentis vere Beatus indigeat. Qua de cauſa Princeps *εξηγητων* Peripateticæ Scholæ, Alexander Aphrodiſienſis ſcripſit Commentarium: *Οτι ἡ αρετη ουκ αυταρκης προς ευδαιμονιαν*, *Quod virtus non ſufficiat ad felicitatem*. Cicero igitur etſi in his libris aperte præ ſe ferat, non quidem Peripateticorum Honeſtum a ſe improbari, Stoicorum tamen quam maxime probat. Interim ſæpius etiam ab eorum decretis eum declinantem deprehendas; melius enim ſentit de opibus, honoribus, amicitiis, reliquiſque vitæ adminiculis, quam iſti ſolent.

Utrique Socratici, & Platonici eſſe volumus) Si hæc cum Manutio interpretari, aut potius mutare velis, res foret plana. *Videtur*, inquit ille, *Cicero hoc dicere: Et Stoicos, & Peripateticos ſequi volumus, ut ab his non valde diſſideamus, cum tamen illos probemus maxime*. Mihi quidem hic locus ſemper mendi alicujus ſuſpectus viſus eſt. Quia tamen veteres codices conſtanter ita legunt, (nam Manutius, qui tredecim MSis exemplis in hoc opere emendando uſus eſt, non aliam quamdam lectionem allegat) textus ita retinendus eſt, & mea ſententia ſic explicandus. Vult Cicero rationem tradere, cur non multum diſſidentia a Peripateticis ſua ſint dogmata, adeoque minori cum periculo filius a Cratippo Peripatetico forſan aliter inſtitutus in horum librorum lectione verſari poſſit. Nam, inquit, utrique, hoc eſt, & ego, & Cratippus, Socratici, & Platonici eſſe volumus, q. d. non ita addictus eſt uni Peripateticæ ſectæ Cratippus, ut omnino reſpuat Socratem, & Platonem, quorum ille de rebus moralibus multa præclare dixit, hic graviſſime ſcripſit: præterea ego Academicos magnifacere ſoleo, etiam propter illam diſputandi libertatem *εις εκατερον*. Quemadmodum igitur, inquit, Cratippus Peripato addictus eſt, ut tamen non penitus faſtidiat Academiam, ita ego Peripateticos item ſequar, cum libertate diſputandi, & Stoicorum placita, ubi viſum eſt, præferendi. Nam utrique Socratici, & Platonici eſſe volumus, hoc eſt, probabilia ſequi volumus, & amplecti opinionem Socratis, qui in ſola

 vir-

virtute Felicitatem ponebat, quam ſententiam poſt Stoici arripuerunt. Et Platonici eſſe volumus, ut animi bona quidem præcipua putemus, non tamen ſola: ex qua ſchola cum Peripatetici prodierint, hanc ſententiam & ipſi tenuerunt, quæ non multum diſſidere ab illa Socratis, & Stoicorum Ciceroni hic videtur.

De rebus ipſis utere tuo judicio: nihil enim impedio) Ipſa dogmata quod attinet a me propoſita, ſive omnino probes, nec ne, nihil repugno. Nolo enim ab illis præceptis, quibus te Cratippus imbuit, avocare, aut dubium in iis reddere, aut certæ alicui ſectæ mancipare. Apparet hinc, quomodo Cicero, nec filio quidem ſuo velit obtrudere illud veritati inimicum: *Αυτος εφα*. Deinde obſervandum, ſi bono magiſtro quis fuerit uſus, contrariis præceptis eum non eſſe turbandum.

Se illis æquarunt) Cum mole, ac magnitudine, tum laude, ac dignitate, nec non orationis elegantia, & copia.

Studioſe legas) Cum propter dicendi copiam, & elegantiam, tum incomparabilem civilis doctrinæ, qua Cicero excelluit, & in ea tot præclaros veteres Philoſophos adjutores habuit, quorum nonniſi ſpicilegia reliqua in Ciceronis ſcriptis legere licet, gravitatem.

Demetrius Phalereus) Huic trecentas, & ſexaginta ſtatuas Athenis erectas fuiſſe, memorat Laertius.

Vt Theophraſti diſcipulum agnoſcas) Græci operam navantes diſciplinis linguæ jam erant periti, rerum adeo cognitioni unice intenti. Qua de cauſa complures annos uni præcipue adhærebant Magiſtro, cujus ſæpe dicendi genus non minus, quam placita condiſcebant. Suavitatem dictionis vero in Theophraſto commendatam ipſum indicat nomen. *Θεοφραστον γαρ αυτον δια το της φρασεως θεσπεσιον Αριστοτελης μετωνομασε. Ariſtoteles enim, mutato nomine, eum Theophraſtum appellavit propter divinam eloquentiam,* cum antea Tyrtamus diceretur, teſte Strabone l. XIII.

Quorum uterque) Quiſque explorato ſuo ingenio, ſuo ſtudio, hoc eſt, ad quod aptiſſimus erat, ſe tradidit, Ariſtoteles Philoſophiæ, Iſocrates Eloquentiæ. Ita enim monet ipſe Cicero, ut, ad quas res aptiſſimi erimus, in iis potiſſimum elaboremus; hoc lib. c. 31.

CAPVT II.

QVod, *& ætati tuæ eſſet aptiſſimum, & auctoritati meæ graviſſimum*) Qui docere vult, ea adfert, quæ & docenti, & diſcenti conveniunt. At vero diſciplina de moribus, cui ætati aptior, quam juvenili, tot, tantiſque affectibus æſtuanti? Cui magis convenit illius doctrina, quam cui a Deo, & Natura educationis cura præcipue impoſita eſt? Hinc ita Noſter ad Atticum l. XV. ep. 13. *Nos hic φιλοσοφουμεν. Quid enim aliud? & περι του καθηκοντος magnifice explicamus. Ciceronique προσφωνουμεν. Qua de re enim potius pater filio?* Imitatus ſcilicet eſt Cicero exemplum Ariſtotelis, qui præcipuum Opus Morale Nicomacho filio inſcripſit; & Iſocratis, qui, cum aureas ſuas *παραινεσεις* Demonico, & Nicocli offerret, his uſus eſt verbis: *Ἡγησαιμεν αν ταυτην καλλιστην γενεσθαι δωρεαν, και χρησιμωτατην, και μαλιστα πρεπουσαν ἐμοι τε δουναι, και σοι λαβειν. Optimum, utiliſſimumque hoc eſſe donum crediderim, maximeque conveniens, quod a me detur, & a te accipiatur.* Sed, inquies, quomodo convenit hic inter Ciceronem, & Ariſtotelem, cum ille quidem dicat, hanc doctrinam juvenili ætati eſſe aptiſſimam (quamvis Cicero filius non videatur tum fuiſſe admodum juvenis) hic vero id videatur negare l. Nicom. 3. §. 11. ſeqq. Huic dubitationi non ita difficulter occurritur. Non enim Ariſtoteles adſerit, juvenem nullatenus audire, aut percipere poſſe moralem ſcientiam, ſed non eſſe illum *οικειον* ejus *ακροατην genuinum*, ſeu *germanum auditorem*, dicit. Quis vero eſt *οικειος ακροατης*? qui, & magnum rerum civilium, accuratumque uſum, adfectuſque plane habet compoſitos, ut demonſtrationes ex debitis principiis collectas recte intelligat, intellectis adſenſum præbeat, eaſque vita ipſa, & moribus exprimat. Quia vero per ætatem juvenes nec rerum periti eſſe pote-

runt,

Digitized by Google

runt, I. Metaph. 1. nec adfectus compeſcere; non immerito ait, illos haud eſſe οικειυς ακροατας. Fuerunt tamen ακροαται hujus doctrinæ, & Nicomachus, & Cicero filius, quatenus ſcilicet hanc ideam, ac normam Honeſtatis, & Felicitatis cognoſcentes paulatim diſcebant, quid ſequi in vita, quid fugere eos oporteret.

Nam cum multa) Commendat jam hos libros a materiæ dignitate; nullum enim totius Philoſophiæ argumentum latius patere inquit, quam hoc de Officiis. Quid ita? Quia officia comprehendunt omnia illa jura, quæ homo homini natura debet, quacumque illa ſocietate, tempore, aut loco exhiberi invicem conveniat: breviter, quid per ſe honeſtum ſit, & in univerſum quid quemque deceat, ſive ſit homini negotium cum aliis, ſive ſibi ſecum, officii neceſſitudine contineatur.

In eoque colendo ſita vitæ eſt honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo) Eſt hæc quædam delineatio generalis officii, nec non illius, quod eſt contra officium. Cum enim bonitas moralis partim conſiſtat in faciendis iis, quæ honeſtati ſunt conſentanea, partim in omittendis iis, quæ illi repugnant; hinc recte dicitur, in officio colendo conſiſtere vitæ honeſtatem, & in illo negligendo turpitudinem.

Atque hæc quidem quæſtio) Alia hujus argumenti commendatio. Eſt ne, inquit, qui ſe Philoſophum profiteri auſit, aut nomen hoc tueri queat, qui doctrinam de Moribus neglexerit? Etſi enim olim nonnulli hoc nomine fuerint inſigniti, poſt Socratem tamen, qui Philoſophiam e cælo in terram devocavit, Philoſophi nomen, ac pretium conſequi nequivit, qui τα ηθικα, ſeu καθηκοντα docere inſuper haberet. Etſi enim nonnulli variis opinionum diſſenſionibus circa moralia fuerint disjuncti, hactenus tamen conſentiunt, diſciplinam moralem a Philoſopho docendam eſſe.

Sed ſunt nonnullæ diſciplinæ) Plerique Philoſophi, ſi non omnes, qui doctrinam moralem attigerunt, actionum humanarum eſſe aliquem ultimum finem, in quo Summum Bonum conſiſteret, recte proſpiciebant, quarumcumque etiam illi eſſent diſciplinarum, hoc eſt, ſectarum, αἱρεσεων. Eadem judicii integritate adſequebantur, actionum malarum diverſum eſſe finem, atque extremam in eo latitare miſeriam. At qua in re, ſeu quo bono ille ultimus finis ſit collocandus, mirifice hallucinantur, multique ex his parum ſibi conſtant. Qua errorum periculoſiſſima perplexitate effectum eſt, ut & nobiliſſimam hanc doctrinam, & omne officium, naturæque jura perverterint. Vbi enim recta de Fine vitæ humanæ non fuerit conſtituta ratio, non etiam de actionibus, & officiis eo ducturis certi eſſe poterimus.

Nam qui ſummum bonum) In genere videtur adhuc de opinionum varietate diſſerere. Si qui ſint, qui Summum Bonum non Honeſtate, ſed ſola Vtilitate definiant, & his dogmatibus, ac hypotheſi conſentaneam vitam vivant, hi quidem, ſublata omni bonorum, jurium, atque officiorum communione, ad civilem, aliamve ſocietatem ineptiſſimi ſunt. Hæ enim ſunt probroſæ φιλαυτιας notæ, ut ubique ſibi potiorem lucri, voluptatis corporeæ, & honoris vindicet partem, hæc bona, ſeu præcipua admiretur, deque iis omni ſtudio contendat, IX. Nicom. 8. §. 16. 17. ſeq. Qui igitur hac ratione eſt φιλαυτος, qui quæſo amicitiam, juſtitiam, aut liberalitatem exercebit, ſine quibus tamen nulla prorſus ſocietas ſalva eſſe poteſt? quod ſi tamen interdum accidat, ut alteri benefaciat; non tamen ex proæreſi hoc fit, & conſtanter, ſed potius fortuito, & potentiori naturæ impulſu monitus, quæ omnibus conſulendum eſſe inſtat, quibuſcum ſocietatem aliquam habes. Apparet hinc, quam imprudenter hanc opinionem recoxerint, & civilis ſocietatis fundamentum conſtituerint Vtilitatem, & Conſervationem ſui, non habito reſpectu ad ſocietatem civilem, ejuſque jura, Thomas Hobbes, quique ei adſtipulantur forte alii. His addantur, quæ contra ejuſdem ſententiæ antiquiorem patronum Carneadem diſputat Grotius in Prolegomenis libris de Iure Belli & Pacis præmiſſis.

Fortis vero) Hic videtur aggredi in ſpecie φιληδονυς, & απολαυςικυς, *volupta-*

luptarios, quales fuerunt Epicurei. Epicurei inquam; nam licet Epicurus in voluptate collocaverit Felicitatem; nondum tamen deciſa lis eſt, an promiſcue de omni voluptate hoc ipſe magiſter adſeruerit: quod ſane fieri non potuit, ſi ex animi ſui ſententia hoc effatum protulit: Ουκ εστιν ἡδεως, ανευ του καλως, και δικαιως ζην. *Suaviter vivere non licet, niſi item honeſte, ac juſte vivas*. Sed de Epicuro, ejuſque Schola plura alias. Si quis ergo Voluptatem in genere ſummum credat bonum, quomodo Temperans erit? Temperantia enim naturales, ac neceſſarias cupiditates ad amuſſim Honeſtatis determinat, ſequioris generis penitus damnat. E contrario, ſi quis Dolorem ſummum eſſe malum ſtatuat, qui ipſe fortis erit? Fortitudo enim ad quævis mala etiam maxima animum confirmat, ut pro patria, aris, focisque, aut aliis honeſti finis gratia non dubitet mortem oppetere. Sed, inquit, hæc tam manifeſta ſunt, ut non opus ſit ipſo hujus operis initio prolixis te, Marce Fili, diſputationibus intricare. Remittit vero Lectorem harum rerum cupidum ad libros ſuos de Finibus Bonorum, & Malorum, & eum, qui inſcribitur *Lucullus*, eſtque Academicarum Quæſtionum IV.

Hæ diſciplinæ igitur) Qui igitur doctrinam moralem his, ſimilibuſque hypotheſibus ſuperſtruunt, & ſecundum illas κυριας δοξας vitam inſtituunt, illi neutiquam de officio veri quid tradere poterunt. Suppoſito enim non vero fine, neque ſatis bene conſtitutis mediis, ſeu virtutibus, qualia erunt quæſo officia? Qua propter qui ſolide velint de hoc argumento, tam neceſſario diſputare, neceſſe eſt, ut verba actionibus, & hæ illis, utraque Honeſtati conſentiant: idque obtinebunt non Epicurei, ſed forſan illi, qui ſolam Honeſtatem dicunt eſſe expetendam, Stoici nimirum: aut qui illam maxime dicunt eſſe per ſe expetendam, quemadmodum docuerunt Academici veteres, ac Peripatetici. *Sed quænam per ſe bona habenda ſunt? Certe erunt talia*, inquit Ariſtoteles I. Nicom. 6. §. 18. *ut quæ, vel ſola relicta, & ſine ceteris ſpectata ſequimur: quale eſt ſapere, & videre, & nonnullæ voluptates, & honores. Hæc enim etſi propter aliud quidquam ſequimur, tamen & in per ſe bonis numeranda fuerint*. Iam quodnam eſt bonum μάλιστα αἱρετον, maxime expetendum? Reſpondet idem lib. I. Nicom. c. 2. §. 11. Ὃ μη δι' ετερον, μηδ' ἑτερα χαριν αἱρουμεθα. *Quod nullatenus refertur ad aliud, neque alterius ullius gratia expetitur*. Hic jam nobis latus aperitur campus, diſſerendi de hypotheſibus, ac dogmatibus moralibus præcipuarum ſectarum veterum, Academicæ, Peripateticæ, Epicureæ, Stoicæ: Sed illa diſquiſitio peculiarem requirit operam: & aliquid in eo argumento præſtitimus alibi.

Itaque propria eſt) Ita Cicero IV. Acad. Quæſt. ait, Peripateticos, & Academicos nominibus differre, re congruere: atque ab his Stoicos ipſos verbis magis, quam ſententiis diſſentire. Atque hos ſolos recte de officiis docere poſſe ait, quod de vero vitæ humanæ fine rectius conſtitutas habuiſſe hypotheſes hi Ciceroni viſi fuerint.

Ariſtonis, Pyrrhonis, Herilli) Præcipuos, inquit, tetigi, nam minutorum illorum opiniones dudum fuerunt rejectæ. Videatur de hiſce Laertius. Ariſto Chius ad αδιαφοριαν, Pyrrho ad ακαταληψιαν, εποχην, & αφασιαν confugiebat. Atque Scepticorum quidem ſententiam quamdam etiam legas I. Nicom. c. 3. §. 3. Herillus finem dicebat eſſe ſcientiam, τα μεταξυ αρετης, και κακιας αδιαφορα, verba ſunt Laertii, quamvis Manutius putet non eſſe hunc Herillum, cujus Laertius meminit. Quæ ſententiæ quam fuerint peſtilentes, videre licet ex c. 6. Introd. meæ in opus Ariſtotelis ad Nicomachum, & Examine noſtro Probabil. Ieſuit. Lud. Montaltii Epiſtolis a nobis editis ſubjecto cap. I. Potuiſſent quidem & hi ipſi, ſi ingenio ſuo abuti noluiſſent, etiam ad moralia dogmata tradenda aliquid conferre; ſed ipſi ſibi aditum præcluſerunt, diſcrimine boni, & mali, juſti, & injuſti, honeſti, & inhoneſti, certi, & incerti ſublato, ac ſi plane nihil interſit, utrum hoc ſequaris, an illud. Cic. IV. de Fin.

Sequemur igitur) In hoc de Officiis argumento explanando, dicit ſe præcipue

cipue ſecuturum Stoicos, interque eos nobiliſſimos, qui ſcilicet tuebantur dogma Zenonis: περι των προηγμενων και αποπροηγμενων, hoc eſt, *in mediis momentis quædam reliquerunt*, Cicerone interprete. Non tamen ait, ſe ſerviturum ipſorum decretis, ut, ſicuti Interpretes nonnulli ſibi religioni ducunt, vel latum unguem a verbis authenticis recedere, ita quoque ipſorum ſententiis velit eſſe addictus; ſe potius libertate ſua uſurum, hoc eſt, vere philoſophaturum eſſe. Αμφοιν γαρ οντοιν φιλοιν οσιον προτιμαν την αληθειαν. *Cum utraque cara ſint, pium eſt tamen, antiquiorem habere veritatem*, inquit Ariſtoteles I. Nicom. 6. §. 3.

CAPUT III.

Placet igitur) Hactenus proœmium propoſuit, nunc ad methodum accedit, quam a definitione incipiendam eſſe non incommode monet. Loquitur autem de qualicumque definitione, ſeu deſcriptione Dialectica. Nam alias genuinæ definitionis concinnandæ gratia multa ſæpe diſquiſitione præmiſſa opus eſt: & vero ſe tanto magis initio protinus ad officii definitionem proponendam adduci ait, quod illa a Panætio ipſo prætermiſſa fuerit.

Omnis de Officio) Promiſerat Cicero definitionem, cujus loco videtur adſerre duplicem diviſionem, (quod non ſimplex hujus vocabuli ſit notio) ex qua tamen facile natura cujuſque Officii colligi poſſit. Cumque *Officium* ex Stoica doctrina morali ſingularem quamdam ſignificationem, ac εμφασιν adepta ſit, ceu ex Cicerone, aliiſque apparet, accuratius illud explicandum erit, ut conſtet, quo pacto Cicero non uno his libris modo de Officiis loquens intelligendus, & quam vim, aut locum hæc vox in Peripato habitura ſit. *Officium* Cicero appellat, quod Græca Lingua loquentes Stoici το καθηκον, vel προσηκον dicebant: quo primus uſus fuit illius familiæ princeps Zeno Κιττιευς, cujus etiam liber περι του καθηκοντος in Indice Laertiano comparet. Hinc Cicero III. de Finib. *Primum eſt officium, (id enim appello καθηκον) ut ſe conſervet in naturæ ſtatu, &c.* Et lib XVI. ad Attic. ep. 11. *Quod de inſcriptione quæris, non dubito, quin το καθηκον Officium ſit; niſi quid tu aliud. Sed inſcriptio plenior de Officiis.* Quid ergo το καθηκον denotet, cum ex Stoicorum reliquiis, tum ex Clemente Alexandrino, Simplicio, & Suida commode ſatis intelligi poteſt, quorum verba poſt ſubjiciemus. Vſurparunt autem το καθηκον modo latiſſime, modo ſtrictius. Priori modo acceptum interpretabantur: Οσα λογῳ πρεπει ποιειν, *quæcumque rationi conſentanea ſunt, ut facias*: Οσα λογος αιρει ποιειν, *quæcumque ratio facienda dictat*. Idem quoque ita explicant: Το ακολουθον εν τῃ ζωῃ, *id quod in vita ſequi addecet*: nec non ενεργημα ταις κατα φυσιν κατασκευαις οικειον, *actionem naturæ ſtatui, ac deſtinationi propriam*. Ex quibus apparet, Stoicos illius vocis compoſitionem απο του κατα τινας ηκειν, *ab eo, quod ad aliquos venit*, deſumſiſſe; ut το καθηκον omnem illam comprehendat actionem, quæ cuique convenit, ſeu facienda incumbit. Atque ita Demoſthenes totam hanc ῥησιν loco a Suida in verbo καθηκον citato effert, τα καθηκοντα εφ' εαυτον ποιειν, ea, quæ ad ſe veniunt, hoc eſt, quæ ſui ſunt officii, facere. Adde, ſi lubet, erudite de hoc differentem Cl. Boeclerum Præfat. in lib. Officior. D. Ambroſii. Itaque Stoici tam lata ejus vocis ſignificatione totius Philoſophiæ practicæ ambitum videntur comprehendiſſe. Vnde ita Simplicius in Epicteti Enchiridion c. 37. Διο και ηθικη συναγωγη και η πολιτικη περι τα καθηκοντα αναστρεφονται. *Hinc & moralis, & civilis diſciplina tota circa officia explicanda occupata eſt*. Idemque facile colligitur ex illis Ciceronis verbis, quæ leguntur lib II. de Divin. *Quid de officio? num quis aruſpicem conſuluit, quemadmodum ſit cum parentibus, cum fratribus, cum amicis vivendum? quemadmodum utendum pecunia? quemadmodum honore? quemadmodum imperio? ad Sapientes hæc, non ad divinos referri ſolent*. Eamque ob cauſam Officiorum diviſiones, quibuſcum alii veteres, tum Cicero, utuntur, tam late patent, ut omnem hominis vitam, omneſque actiones complectan-

Digitized by Google

tur. Dicunt enim alia Officia eſſe ſemper facienda, alia non ſemper: alia eſſe περιστατικα, alia ανευ περιστασεως: alia eſſe κατορθωματα, ſeu perfecta, alia καθηκοντα, ſtrictius jam hac voce accipienda, pro communibus, ſeu mediis officiis. Quod ſi το καθηκον late dictum ad Moralis Philoſophiæ regulas examinare velis, ut tamen perfecti officii notio ei tribuatur, nihil differet ab Ariſtotelis Medio rationis, quod ille το καθ' ἡμας, de quo in Prolegomenis dictum fuit, & ſæpe το δεον nominat, a ratione, & quidem quali prudens utitur, hoc eſt, recta definitum. Quæ quamvis ab Ariſtotele ita generatim explicata ſint; non tamen ſunt ita incerta relicta ab illo, ceu putat Robertus Scharrock Præfat. Hypotheſ. de Officiis, ſecundum Ius naturæ. Pluſculum tamen etiam involvit το καθηκον, quam το μεσον καθ' ἡμας Ariſtotelicum, ut & amplitudinem, & reſpectum ad alium ipſius Iuſti Univerſalis exæquare, & complecti, adeoque omnia omnino Iura cumprimis naturæ, ſive univerſæ hominum ſocietati, ſive aliis primævis, ac ſimplicioribus Naturæ, ut & civilibus ſocietatibus condita, continere videatur. De hoc reſpectu, ſeu relatione ad alium, quam ineſſe dixi vocabulo Officii, confirmatur his Epicteti ex Enchiridii cap. 36. verbis: *Τα καθηκοντα ὡς επιπαν ταις σχεσεσι παραμετρειται. Omnia Officia in univerſum mutuis adfectionibus ſunt metienda. Sic igitur*, inquit paullo poſt admirabilis ille Stoicus, *Vicini, Civis, Ducis officium reperies, ſi conſueveris mutuas adfectiones ſpectare*. Quæ omnia peregregie a Simplicio explicantur, qui hanc quoque rationem tradit, cur Epictetus illam σχεσιν voluerit provide ubique attendi: *Ex affectionum enim*, inquit, *diſcrimine, officiorum diſcrimen reperiendum eſt*. Illa igitur σχεσις nihil eſt aliud, quam naturalis neceſſitudo, & obligatio, qua quis aliis, cum quibus in ſocietate vivit, pro cujuſque ſocietatis natura, ac fine, eſt obſtrictus, certamque bonorum, & officiorum communionem iis debet: ceu pluribus idipſum, ac pererudite explicatur a Simplicio d. l. Quod autem Officiorum αθροισμον Iuſtitiæ Univerſalis menſuram implere dixi, eleganter confirmat his verbis Simplicius ad d. c. Epicteti: *Officia*, inquit, *ſunt ea, quæ fiunt, ut decet, & convenit; & quæ quoque digna ſunt: & hæc ejus Iuſtitiæ munera ſunt, quæ omnem virtutem continet: Eſt enim Iuſtitia, quæ ab aliis virtutibus diſtinguitur. Eſt & quæ reliquas in ſe complectitur omnes. Nam Iuſtitiæ eſt, ſuum cuique tribuere. Quare & diſciplina morum, & civilis facultas in officiis verſatur. Iuſtitia, cum eſt animi gubernatrix, cuique animi parti ſuum officium preſcribit. Iuſtitia civitatis moderatrix, & ipſa cuivis Reipubl. parti id tribuit, quo quæque digna eſt*. Hactenus de generali ſignificatione, & natura τȣ καθηκοντος. Idem a Stoicis ſæpe ſtrictius accipi paulo ante monui, quando illi opponitur κατορθωμα. Nam κατορθωμα illi vocant officium rectum, perfectum, αποδεικτικως certum, omnibuſque numeris abſolutum, quod nec in exceſſum, neque defectum exorbitet, ſed ut ubique hilari facilitate appetitus rectæ rationi in agendo obſequatur: quale quidem κατορθωμα, a nemine peragi poſſit, niſi Sapiente Stoico, lib. IV. de Finib. cujus hi ſtupendam, & in nullo uſquam homine inventam ideam depinxerunt: cui geminus eſt vir prudens Ariſtotelicus, cujus judicium norma debeat eſſe, juxta quam omnis & virtus, & actio honeſta ſit metienda. II. Nicom. 6. §. 26. & III. Nicom. 4. Huic igitur κατορθωματι, quando καθηκον opponitur, ſtrictiori hoc ſignificatione accipiendum eſt, & a Zenone hoc modo definitur: Καθηκον μεσον εστιν ο πραχθεν ευλογον εχει τον απολογισμον. Hæc ita hic exprimit Cicero: *Medium Officium id eſſe dicunt, quod cur factum ſit, ratio probabilis reddi poſſit*. Et lib. I. Offic. *Omnis actio vacare debet temeritate, & negligentia: nec vero agere quidquam, cujus non poſſis cauſam probabilem reddere. Hæc eſt enim fere deſcriptio Officii*. Vt adeo το καθηκον ſtricte dictum etiam cognitionis modo differat ab eo, quod κατορθωμα appellant; de hoc enim rationem practicam αποδεικτικως, de iſto nonniſi διαλεκτικως certam eſſe voluerunt Stoici. Et vero utramque cognitionem, επιστημονικην, & δοξαστι-

κην

Digitized by Google

κον in moralibus locum quamque ſuum habere, affatim demonſtravi Exam. Probab. Ieſuit. cap. 6. 7. & 8. Idem καθηκον ſtricte acceptum Stoicis ſolet non ſolum *Medium*, & *Probabile*, ſed & *Commune* dici, quod in communi vita cernatur, quales vulgo fortes, juſtos, prudentes appellare conſuevimus. Hinc tali verborum contentione utitur Cicero III. de Offic. *Tam id Honeſtum, quod in noſtram intelligentiam cadit, tuendum, conſervandumque eſt nobis, quam id, quod proprie dicitur, vereque eſt honeſtum Sapientibus*. Prioribus verbis το καθηκον ſpecialiter dictum, poſterioribus το κατορθωμα denotari manifeſtum eſt. Sed, quæſo, quis eſt ille ευλογος απολογισμος, ſeu, *ratio probabilis*, qua niti dixit Zeno Officiorum medium, undeque illa arceſſitur? Non aliunde quam ex loculis Dialecticis, quatenus hinc depromta argumenta fidem faciunt, aliquid fore, aut eſſe honeſtum, eſſe aliquid etiam utile, quod honeſto non repugnet, eſſe quoque aliquid non aſpernandum jucundum, ſi neque hoc, vel honeſtati, vel veræ utilitati adverſetur. *Huc*, inquit Wolfius, *poſſunt adjungi locus facultatis, neceſſitatis, auctoritatis, & id genus alii*. Antequam vero hanc Stoicorum diſtinctionem dimittam, alia eſſe Officia perfecta, alia Media, ex Cicerone contra Stoicos hoc moveri poſſit dubium. Ita enim ille III. de Orator. *Stoici docent, omnes, qui Sapientes non ſint, ſervos, latrones, hoſtes, inſanos eſſe; neque tamen quemquam eſſe Sapientem. Valde autem eſt abſurdum, ei concionem, aut ſenatum, aut ullum cœtum hominum committere, cui nemo illorum, qui adſint, ſanus, nemo civis, nemo liber eſſe videatur, &c.* Gemina his quoque in ſuis Paradoxis recitat. Quibus ita poſitis, quid de Officiis mediis, ſeu communibus fiet? Num ergo qui horum ſunt cultores, & ipſi ſunt ſervi, latrones, hoſtes, inſani? ita ſane ſequi videtur, cum Sapientes non ſint, atque hæc καθηκοντα non ſint κατορθωματα. Et cum duplicem dicat Cicero de Officio eſſe doctrinam, quarum una agat de vero vitæ humanæ fine recte conſtituendo, quæque ejus ſit natura; altera ſit occupata in tradendis præceptis, juxta quæ καθηκοντα etiam, *Officia media* ſint conformanda; quæritur, an qui talia docent, ſint hoſtilitatis, & inſaniæ magiſtri? Vnde apparet, Stoicos multis modis errare, atque αμαρτανειν? qui dum ſuum Sapientem non ſolum ſupra humanam conditionem evehunt, homines utcumque bonos, juſtoſque maxima injuſtitia, ſtultis, ſervis, latronibus, & inſanis accenſent, atque ita ſemetipſos quoque in tribum ſtultorum, merito ni fallor ſuo, referunt. Recte vero iidem docent, alia Officia ſemper eſſe facienda, alia non ſemper. Cum enim omnium actionum humanarum Lex debeat eſſe menſura, & Officiorum cumprimis Ius naturæ: hujus vero quædam Leges iis ſint conceptæ propoſitionibus, quarum obligatio ſemper juris effectum habet, atque exercet: aliæ vero, eæque plurimæ iis propoſitionibus conſtent, quarum obligatio, & effectus certis caſibus ceſſat, aut ſuſpenditur; accidit, ut iſtis ſine ulla exceptione ſit parendum, his quandoque parendum non ſit, non ſolum quod tali caſu obligatio hujuſmodi legis ſit ſuſpenſa, ſed alia quædam lex plane obliget, ne intempeſtive parendo fraudem facias legi, & intentioni naturæ, quæ ab ejus legis, cujus obligatio certo caſu ceſſat, obſequio, in detrimentum alterius inique ceſſuro, per aliam te legem, cujus hoc ſaltem caſu major eſt auctoritas, revocat. Sed, quæſo, quæ eſt hujus rei cauſa, puta, quod quarumdam legum naturalium obligatio ſuſpendatur, atque adeo quædam officia non ſemper ſint eadem, aut præſtanda? Hoc ſcilicet efficiunt miris modis variantes περιστασεις, ſeu τα καθ' εκαστα Ariſtoteli appellata: unde etiam Stoici alia καθηκοντα dicunt eſſe περιστατικα, alia ανευ περιστασεων. Poſterius vero membrum non eſt ita accipiendum, ac ſi quædam actiones, vel officia omnibus vacent circumſtantiis, ſeu ſingularibus attributis: id quod eſt εκ των αδυνατων, ſeu cuivis liquet ex III. Nicom. c.1. ſed hæc Stoicorum videtur eſſe ſententia, eſſe quædam Officia ανευ περιστασεων, puta tali, quæ ordinariam legis naturæ obligationem non differat,

Digitized by Google

rat, aut ſufflaminet; eſſe vero nonnunquam alias circumſtantias, quorum περιστασεις hanc vim exercere ſoleant, dirigente, & commonſtrante viam prudentia. Rectiſſime hæc illuſtrari poterunt ipſius Ciceronis verbis ex III. Offic. *Si gladium quis apud te ſana mente depoſuerit, repetat inſaniens: reddere, peccatum ſit: non reddere, officium. Quod ſi is, qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ, reddes ne depoſitum? non credo: facies enim contra Remp. quæ debet eſſe cariſſima. Sic multa, quæ honeſta natura videntur eſſe, temporibus fiunt non honeſta*. Huic addemus Senecam, qui ita loquitur lib. IV. de Benef. cap. 10. *Depoſitum reddere, per ſe res expetenda eſt, non tamen ſemper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore. Aliquando nihil intereſt: utrum inficier, an palam reddam. Intuebor utilitatem ejus, cui redditurus ſum, & nociturum illi depoſitum negabo*. Eamque ob cauſam Cicero his in libris diligentiſſime, & ſæpe inculcat, debere prudenter explorari, & expendi τας περιστασεις, ut quæ maximum momentum conferunt ad actionum moralitatem. Vide, quæ diſputavimus Tract. de Princip. act. moral. diſp. 2. §. 22. ſeqq. Hinc cum lib. I. Offic. dixiſſet, quoſdam putare, ſe beneficos eſſe in ſuos amicos, ſi illos quacumque ratione locupletent, ſubjicit: *Id autem tantum abeſt ab officio, ut nihil magis officio poſſit eſſe contrarium*. Eodemque libro, cum quaſdam περιστασεις attigiſſet, addit: *Hæc igitur, & talia circumſpicienda ſunt in omni officio: & conſuetudo, exercitatioque capienda, ut boni ratiocinatores officiorum eſſe poſſimus, & addendo, deducendoque videre, quæ reliqui ſumma fiat, ex quo quantum cuique debeatur, intelligas*. Denique nec hoc prætermittendum eſt, quod hic ait Cicero, de Officio duplicem eſſe quæſtionem, ſeu viſionem, vel inſpectionem, uti ICti veteres loquebantur: *Vnum*, inquit, *genus eſt, quod pertinet ad finem bonorum: alterum, quod poſitum eſt in præceptis, quibus in omnes partes uſus vitæ confirmari poſſit*. Cum enim ſint varia bona humana; eſt aliquod eorum ſummum, & ultimum, ad cujus cynoſuram Stoici ſua decreta componunt, quod τελος, *Finis*, dicitur, & apud Stobæum ex ſententia Stoicorum in Eclogis ita deſcribitur: *Ου ενεκα παντα πραττεται καθηκοντως, αυτο δε πραττεται ουδενος ενεκα. Ad quem omnia recte, convenienterque facta referuntur, ipſe ad nullum*. Vel: *Εφ' ο παντα τα εν τω βιω πραττομενα καθηκοντος αναφοραν λαμβανει, αυτο δ' επ' ουδεν. Ad quem omnia recte, convenienterque facta referuntur, ipſe ad nullum*. Hoc igitur εσχατον ορεκτων, convenit cum Felicitate, ſeu ευπραξια Ariſtotelica, quam ille τελειον τελος appellat, ejuſque rei hanc rationem tradit Magn. Mor. *Perfectus finis eſt, quo potiti nihil petimus ultra, vel egemus: imperfectus, qui cum obvenit, etiam egemus: veluti, juſtitiam adepti, plura volumus; at felicitatem, jam nihil*. Hinc Stoici apud Stob. in Eclog. nimis quam tenui diſcrimine utentes: *Την μεν ευδαιμονιαν λεγουσι σκοπον εκκεισθαι· τελος δε ειναι, το τυχειν της ευδαιμονιας. Felicitatem dicunt ut ſcopum proponi: Finem vero eſſe, Felicitatem adſequi*. Tali itaque fine propoſito, varias bonorum diviſiones extruxerunt Stoici, interque eas & hanc, quod alia bona ſint τελικα, alia ποιητικα, alia utroque ſint loco. Cic. III. de Finib. De quibus omnibus vide, quæ congeſſit Lipſius lib. II. Manud. ad Stoic. Philoſoph. c. 22. & 23. ex Stobæanis Eclogis, Sex. Empirico, Laertio, & aliis. Secundum Academicos, & Peripateticos, bona alia ſunt animi, alia corporis, alia fortunæ. Atque ex his quædam ultimi finis, ſeu perfectæ felicitatis humanæ naturam, ceu partes eſſentiales, conſtituunt: alia ſunt, quæ ad hanc ducunt, ejuſdemque ſunt naturæ cum ipſo illo fine, ſed non ſunt ejuſdem perfectionis: multo enim perfectius bene aget is, qui illum forte finem fuerit adeptus, inque eo exercitatus, quam qui ſit in itinere ad illum contingendum. Præterea multa ſunt alia bona, quæ vitæ humanæ variis neceſſitatibus, & uſibus ſerviunt; ſic tamen, ut poſſint eſſe inſtrumenta etiam, & ornamenta actionum virtutis inchoatarum, & quoque ipſius felicitatis, & perfectiſſimæ ευπραξιας. Cumque dubium non ſit, quin cauſa inſtrumentalis ſit referen-

da

ka ad efficientem, viderint Stoici, quo jure bona externa, atque etiam corporis excluſerint ex pretio, & cenſu bonorum τῶν ποιητικῶν, & tam abjecte de his ſenſerint, ſcripſerintque. Vult itaque Cicero, aliam eſſe θεωρίαν Officiorum, quibus de bonis ultimi finis eſſentialibus, ſeu de ipſo fine, necnon quibus de actionibus honeſtis ad illum finem ducentibus, quæſtio ſit, aliam vero eſſe θεωρίαν, quomodo officii ratio in diſponendis, diſpenſandiſque bonis corporis, & fortunæ conſervanda ſit. Quibus ita explicatis, reſtat, ut majoris perſpicuitatis gratia, ceu promiſimus, Suidæ, & Clem. Alexandrini textus adjiciamus. Nam ex Simplicio citato ad Epictetum capite quædam jam attulimus: reliqua ex eodem ſubinde in hac commentatione intexentur. Clementis verba, cum ſint prolixiora, tantum Latine dabimus Pædagog. lib. I. c. 13. cujus inſcriptio hæc eſt: Ὅτι ὡς τὸ κατόρθωμα κατὰ τὸν ὀρθὸν γίνεται λόγον, οὕτως ἔμπαλιν τὸ ἁμάρτημα παρὰ τὸν λόγον. *Quod quemadmodum id, quod recte, & ex virtute geritur, fit ex recta ratione, ita rurſus peccatum præter rationem. Quidquid præter rectam rationem eſt, peccatum eſt. Iam vero generales affectiones, ita autumant definiendas Philoſophi, ut cupiditatem quidem dicant eſſe, appetitionem rationi inobſequentem: metum item, diſſolutionem rationi immorigeram: voluptatem vero, elationem animæ, quæ itidem non paret rationi. Si ergo inobedientia adverſus rationem peccatum generat, quidni etiam obedientia, quæ exhibetur rationi* (τῷ λόγῳ, *ſcilicet, Filio Dei*) *& a nobis fides vocatur, honeſtum illud, quod officium appellant, progigneret? Nam & ipſa virtus talis eſt diſpoſitio animæ, quæ rationi per omnem vitam conſentit. Quinimo ipſam Philoſophiam, caput rerum, ſtudium rectæ rationis definiunt. Vt neceſſe ſit, delictum eſſe, quidquid per errorem rationis fit: quod merito tali voce, quæ aberrationem notat, Græci appellitant. Quamprimum ergo primus homo peccavit, etiam Deo non obedivit.* Et aſſimilatus eſt, *inquit*, jumentis *homo, qui præter rationem exerraſſet. Merito enim, qui rationis non eſt compos exiſtimatus, jumentis comparatur. Vnde & Sapientia dicit:* Equus ad coitum libidinoſus; & adulter irrationali jumento aſſimilatus. *Atque ideo ſubjicit:* Quecumque ſuper eum ſedente, hinnit. *Non amplius, vult dicere, homo loquitur. Neque enim ratione uti exiſtimandus eſt amplius, qui, præter rationem peccat; ſed bellua potius rationis expers haberi debet, cupiditatum mancipium, cui omnes voluptates quaſi inſident, aut inequitant. Quod autem rationis obſequio recte geritur,* προσῆκον, *&* καθῆκον *Stoici vocant; ita ut Officium ſit id, quod convenit. Porro obedientia illa fundatur præceptis, præcepta monitis: quæ, cum eadem ſint, veritatemque ſibi ſcopum proponant, ad ultimum expetendorum, ſive finem hominis, manuducere, ac inſtituere ſolent. Eſt autem finis pietatis æterna in Deo requies. Itaque finis noſter æternitatis eſt principium. Ipſa autem pietatis perfectio, officia ſolet producere in operibus. Vnde merito in actionibus, non in dictionibus officia conſiſtere creduntur. Actio vero Chriſtiani, eſt animæ rationalis operatio, quæ prudenti judicio, & veritatis deſiderio, non ſine adjumento ſociati corporis perficitur. Officium item eſt voluntas Deum, Chriſtumque in vita ſequens, æternæ vitæ ſuas actiones quodammodo accommodans. Vita inſuper Chriſtianorum, quam nunc informamus, eſt actionum rationi conſentanearum comprehenſio, ſive eorum, quæ ratio docet, conſtans, & immobilis operatio, quam fidem vocamus. Comprehenſio autem illa præceptis dominicis conſtat, quæ cum ſint divinæ ſententiæ, & monita ſpiritualia, nobis præſcripta ſunt; quippe quæ & nobis ipſis, & proximis accommodare poſſumus, a quibus rurſum ad nos revertuntur; plane ſicut pila ſolet repercuſſa ad eum, qui projecit recurrere. Vnde neceſſaria ſunt ad divinam inſtitutionem officia, tamquam & a Deo præcepta, & ad ſalutem tradita. Et quandoquidem neceſſaria alia quidem illuc ſpectant, ut hic ſolum vivamus, alia autem in hac vita ad futuræ felicitatem erigunt; ita conſentaneum eſt, officiorum alia quidem ad vivendum, alia ad bene vivendum ordinari. Quæ igitur præcipiuntur ad vitam generaliter, & ſicut gentes quæque ſolebant, degendam, ea jam multorum notitiæ ſunt expoſita: quæ vero ad bene vivendum pertinent, ex quibus æterna vita conſequi-*

tur,

Digitized by Google

tur, *ea per modum delineationis*; *ex ipſis Scripturis*, *ſcilicet*, *proponemus*. Suidæ hæc ſunt: Καθηκον, φασι πρωτον ὀνομακεναι τον Ζηνωνα τον Κιττιεα, και λογον περι αυτου πεποιηκεναι καθηκον. ειναι καθηκον φασιν ειναι, ὁ πραχθεν ευλογον τε ισχει απολογισμον. οιον, το ακολουθον εν ζωῃ. οπερ και επι τα φυτα, και ζωα διατεινει. ὁρασθαι γαρ κακι επι τουτων καθηκοντα. κατα τινας ειπειν της προσονομασιας ειλημμενης. ενεργημα δ' αυτο ειναι την κατα φυσιν κατασκευαις οικειον. των γαρ καθ' ὁρμην ενεργουμενων, τα μεν, καθηκοντα ειναι, τα δε, παρα το καθηκον.

Καθηκοντα μεν ειναι, οσα λογῳ πρεπει ποιειν. ὡς εχει γονεις τιμαν, αδελφους, πατριδα; συμπεριφερεσθαι φιλοις. παρα το καθηκον, οσα μη αἱρει λογος, ὡς εχει τα τοιαυτα; γονεων αμελειν, αδελφων αφροντιστειν; φιλοις μη συνδιατιθεσθαι, πατριδος ὑπεροραν, και τα παραπλησια. ουτε καθηκοντα, ουτε παρα το καθηκον. οσα ουτε αἱρει λογος πραττειν, ουτε απαγορευει. οιον, καρφος ανελεσθαι, γραφειον κρατειν; στλεγγιδα. και τα ομοια τουτοις, και τα μεν ειναι καθηκοντα ανευ περιστασεως, ὡς ταδε. ὑγιειας επιμελεισθαι, και αισθητηριων, και τα ομοια. κατα περιστασιν δε, το πηρουν ἑαυτον, και την κτησιν διαρριπτειν. αναλογον δε και το παρα το καθηκον. Πολυβιος· τολμωσι παρα το δεοντος. και ποιουσι παρα το καθηκον. ετι των καθηκοντων, τα μεν αει καθηκει, τα δε, ουκ αει. και αει μεν καθηκει, το ερωταν και πυνθανεσθαι, και περιπατειν, και τα ομοια. ὁ δε αυτος λογος και επι των παρα το καθηκον. εστι δε και εν τοις μεσοις τι καθηκον, ὡς το πειθεσθαι τους παιδας τοις παιδαγωγοις. Καθηκοντα: Δημοσθενης εν ἑνδεκατῳ Φιλιππικων φησιν, ος τις ουκ ηξιου τα καθηκοντα εφ' ἑαυτον ποιειν, αντι του τα ηκοντα. Καθηκοντως, δεοντως, πρεποντως. Quæ ex recenſione Æmylii Porti ita ſunt tranſlata: Καθηκον. *Ajunt Zenonem Citticum primum hac voce* καθηκοντος *uſum eſſe*, *& de eo verba feciſſe*, *nominantem id* καθηκον, *id eſt*, *Officium*. *Hoc autem ajunt eſſe id*, *quod*, *ſi producatur in medium*, *habet* probabilem, *& rationi conſentaneam rationem*, *veluti id*, *quod eſt conſequens in vita*, *quod ad ſtirpes etiam*, *& animalia extenditur*. *In his enim etiam officia cerni* conſtat. Καθηκον *dictum eſt*, *voce inde ſumpta*, *quod ad aliquos veniat*, ac perveniat, quos aliquid facere decet, ac oportet. *Ipſum autem* Officium *eſſe* dicunt, *actionem ſtatui naturæ convenientem*. *Quæ enim per appetitionem aguntur*, *partim quidem officia* dicunt *eſſe*; *partim vero præter officium* fieri tradunt.

Officia quidem eſſe, *quæcunque ratione facere convenit*, *ut eſt illud*: *honorare parentes*, *fratres*, *patriam*, *cum amicis amice verſari*, & morem ipſis gerere. *Præter officium* vero eſſe dicunt, *quæcumque non admittit ratio*, quæ non eſſe facienda convincit ratio, *ut ſunt hæc*: *parentes negligere*, *fratres non curare*, *amicis non obſequi*, *deſpicere patriam*, *& ſimilia*. *Neque officia*, *neque contra officium ſunt*, *quæcumque convincit ratio eſſe facienda*, *nec interdicit*, *ut*, *feſtucam tollere*, *ſtylum tenere*, *aut ſtrigilem*, *& his ſimilia*. *Et aliæ quidem eſſe* dicunt *officia ſine circumſtantia*, *ut hæc*: *caſtitatis ſtudioſum eſſe*, vel ſanitatis rationem habere, ſi cum Wolfio legas ὑγιειας, *& ſenſuum*, *& ſimilia*. *Cum circumſtantia vero*: *ſeipſum mutilare*, *& rem familiarem diſſipare*. *Eſt etiam eadem ratio ejus*, *quod eſt contra officium*. *Polybius*: *Audent plus*, *quam decet*, *& præter officium faciunt*. *Præterea quædam officia ſemper conveniunt*, *quædam vero non ſemper*. *Et ſemper quidem convenit interrogare*, *& audire*, *& ambulare*, *& ſimilia*. *Eadem ratio eſt etiam eorum*, *quæ ſunt præter officium*. *Eſt & in rebus mediis quoddam officium*, *ut illud*: *pueros pædagogis parere*. Καθηκοντα *Demoſthenes XI. Philippica dicit*, *qui ſuum officium facere noluit*. Καθηκοντα *dixit*, *pro* ηκοντα, *Ea*, *quæ ad aliquem veniunt*, & quæ ab eo fieri convenit. Καθηκοντως, *Convenienter*, *Decenter*.

Triplex igitur) Cum jam conſtet, quid ſit Officium, ejuſque varia ſint objecta, honeſtum, utile, jucundum; nulla vero ratio, nullumque officium poſſit eſſe rectum ſine prudentiæ regimine, partitur jam doctrinam de officiis, quomodo illa prudenter poſſint, debeantque ſuſcipi, atque perfici; circa qualecumque tandem objectum deliberando verſemur. Semper enim in vita tenendum eſt tritum illud monitum: *Quidquid agis*, *pru-*

Digitized by Google

prudenter agas, & reſpice finem. Itaque cum honeſtatis, tum utilitatis ratio penſiculate examinanda eſt, ut ſis plane certus, quid officii tui ſit, quid ei repugnet; adeoque ut illud teneas, & perſequaris, hoc omittas. De quibus omnibus accurata deliberatio, quod prudentiæ opus eſt, ineunda eſt. Solet vero de iis, ſecundum Ariſtotelem, deliberatio inſtitui, quæ a nobis fieri poſſunt, noſtrique ſunt arbitrii: cujus generis certe Officia, actioneſque virtutum ſunt. Agimus igitur cum conſilio, vel ut illæ actiones honeſtatem ſpectent, vel utilitatem, vel jucunditatem: atque hæc vel ſeorſum, vel conjunctim. Iucundi boni, ſeu finis non meminit Cicero, quod illud forte honeſti, & utilis ab ipſo creditum ſit quoddam quaſi *περιττον*. Quando deliberatio concernit honeſtum, eliget *προαιρετως*, & exſequetur illas actiones, quæ honeſtati conveniunt; contrarias fugiet, & repudiabit. Vbi vero deliberatio eſt de rebus utilibus, opibus, potentia, variis vitæ commoditatibus, operam dabit, ut verum utile ab apparenti probe diſcernat, eaque potiſſimum vitæ commoda, & præſidia eligat, quæ honeſtati etiam poſſint eſſe ornamento, vel adjumento; numquam autem ea ſibi utilia fore perſuadeat, quæ honeſtati omnino adverſentur. Nam primum Intellectus Practici *θεωρημα* Cicero eſſe dicit: ſit ne honeſtum hoc, an turpe: alterum: ſit ne utile, nec ne: tertium: an hoc utile cum honeſto conveniat, vel ſaltem ei non repugnet. His tribus membris jam addi poſſe, & debere putat Cicero duo alia; nam, propoſitis duobus, aut pluribus honeſtis, atque item pluribus utilibus propoſitis, atque inter ſe collatis, deliberatione opus eſt, utrum reliquis ſit præferendum. Quam partem non ſolum hîc, ſed & apud Atticum omiſſam eſſe lib. XVI. ep. 11. his verbis conqueritur: *Τα περι του καθηκοντος, quatenus Panætius, abſolvi duobus. Illius tres ſunt. Sed cum initio diviſiſſet ita, tria genera exquirendi officii eſſe: unum, cum deliberamus, honeſtum, an turpe ſit: alterum, utile, an inutile: tertium, cum hæc inter ſe pugnare videantur, quomodo judicandum ſit. Qualis cauſa Reguli: redire, honeſtum: manere, utile. De duobus primus præclare diſſeruit. De tertio pollicetur ſe deinceps ſcripturum. Sed nihil ſcripſit. Eum locum Poſidonius perſecutus. Ego autem, & ejus librum acceſſivi, & ad Athenodorum Calvum ſcripſi, ut ad me τα κεφαλαια mitteret, quem exſpecto. Quem velim cohortere, & roges, ut quamprimum. In eo eſt περι του κατα περιστασιν καθηκοντος*. Ceterum hoc quartum, & quintum membrum tantopere a Cicerone fuiſſe deſideratum, criminatur Cœlius Calcagninus in ſuis Diſquiſit. n. 4. *An tu*, inquit, *vir tanti ingenii, tantuſque dogmatis Stoici Profeſſor, non meminiſti, apud Stoicos ejuſcemodi gradus eſſe ſublatos, neque dato honeſto, honeſtius aliud inveniri?* Certe ſi Cicero Stoicorum hypotheſibus voluiſſet *δουλευειν*, nou potuiſſet has partes requirere, eaſque nova deliberationis capita proponere, cum virtutes Stoicis pares, & peccata ſint æqualia. Sed videtur hactenus Cicero libertate ſibi reſervata uſus, repudiaſſe illa Stoicorum male ſana principia.

Cum præterire.) Membra enim dividentia totius diviſi naturam exhaurire oportet: uti Philoſophi loqui amant.

CAPUT IV.

PRincipio) Hactenus præfatus eſt, & hîc jam rem ipſam aggreditur. Officium facere idem eſt, quod Stoici alias dicunt convenienter naturæ vivere. Ὁμολογιαν appellabat Zeno. Qua vero in facultate Natura hominis conſiſtit? ſine dubio in Rationali. Deinde officium, *το δεον*, eam ſignificandi vim habet, ut non nude denotet actionem virtutis, ſed ſimul quamdam obligationem, neceſſitudinem, aut ſaltem convenientiam involvat ad bene agendum. Vbi obligatio, ibi aliquod jus eſt, & quanto illa latius patet, tanto illud jus eſt communius. Ius vero non eſt, niſi inter ratione præditos, puta, inter homines. Iam vero deprehendimus, multa eſſe officia, ad quæ homo, qua homo, eſt obligatus, quæ nihil aliud ſunt, quam communiſſima jura naturæ. Sunt enim & alia jura naturæ

turæ certis ſocietatibus peculiaria. Dicuntur Iura naturæ, vel quod naturaliter quodammodo poſſint cognoſci, vel quod a natura, hoc eſt Deo, originem habeant, vel quod rationi (hæc enim eſt natura hominis) hæc jura convenienter ſint ſcripta, & ab ipſo illius auctore Deo condita. Deinde ſi quis ita officium faciat, & convenienter naturæ vivat, ſine dubio actionum ſuarum aliquem ultimum finem, & in eo felicitatem, ſeu ſummum ſuum bonum conſequetur; abſque tali enim fine ſi foret, in infinitum fieret appetitus humani progreſſus, a quo natura abhorret. Quod igitur ſummum bonum debet eſſe hominis, neceſſe eſt, ut illius ſit proprium, h. e. quo perficiatur propria ejus natura, quæ rationalis, & ſocialis. Hinc ita orditur Cicero de Officiis doctrinam, ut τῳ φυτικῳ, & αισθητικῳ *vegetativo*, & *ſenſitivo* ſemoto, το λογικον *rationale* ſuperſit, iſtius felicitatis unice capax. Quocirca oſtendit, quæ homini cum brutis ſint communia, ut poſt appareat, quæ illi ſint propria, Ariſtot. I. Nicom. 7. Sed & hoc notandum eſt, ex variis principiis ſolere doctrinam moralem arceſſi: adeoque videri Ciceronem cum Stoicis tamquam ſummum principium ſupponere ſui conſervationem, & deſtructionis amolitionem. Hinc III. de Fin. ita Cato: *Ex quo intelligi debet, principium ductum eſſe a ſe diligendo*. Epicurus vero ab hoc omnium animalium univerſali appetitu ſe conſervandi, & univerſali fuga corruptionis, ſuæ adſertionis, voluptatem eſſe ſummum bonum, fundamentum petebat. Voluptas enim, inquiebat ille, eſt πρωτον, οικειον και εσχατον ορεκτων, *primum, naturæ accommodatum, & expetendorum extremum*. Hac de re ita ſentiendum eſt: Omnem appetitum ferri in bonum, ſeu, ferri in objectum ſuum ſub ratione boni: Omnem motum proxime eſſe ab appetitu: Omnem actionem eſſe motum quemdam, vel non ſine motu, adeoque omnem actionem ſpontaneam expeti. Si omnis actio ita ſe habet, ergo & actio hominis propria, prudenter directa a ratione: atqui in ejus generis actionibus conſiſtit ſummum bonum. Nihil enim hoc aliud eſt, quam *ευπραξια*. Unde ſequitur, veriſſimam eſſe Ariſtotelis ſententiam, in actionibus virtutum eſſentialiter conſiſtere ſummum bonum, non in voluptate. Utut enim & hæ actiones non ſint ſine voluptate, imo conjunctæ cum ſumma voluptate; non tamen ita ſummum bonum perficit voluptas, quemadmodum ipſa actio; iſta enim eſt quidem τελος τι επιγιγνομενον, uti demonſtrat Ariſtoteles X. Nicom. c. 4. §. 40. Ne quid dicam, quam perículoſa ſit illa Epicuri hypotheſis, ſi ad plebejos animos dimanet. Hæc enim eſt cauſa, cur adhuc dubii ſint viri docti, utrum Epicurus ipſe ſummum bonum in quolibet voluptatum genere collocaverit, an ſolum in voluptatibus animi: cujus mentem cum non ſatis aſſecuti eſſent ſectatores, ab ea paulatim deſciviſſe videntur. Ut vero redeamus ad amorem ſui, videtur ſane hoc officiorum principium recte poni. Non enim ſolum quemlibet hominem, ſed & beſtiam quamlibet naturaliter ſui amantem eſſe videmus: qui amor præcipui boni præcipuam habet curam. Præcipuum illud bonum, aliorumque bonorum fundamentum, eſt vita, quam cum quodque animal velit ſalvam, conſervationem, ac defenſionem ſui cuique natura diligenter commendat. Grot. II. de I. B. P. c. 24. n. 6. Huic amori ſui germana quaſi ſoror a natura addita eſt indigentia, quæ admodum eſt varia, ac gravis, ut ab homine ſibi ſoli relicto expleri nequeat, adeoque ad ſocietatem, ad quam ſua quidem natura inclinat, ineundam per indigentiam etiam compellatur, ut ita bonorum, & officiorum inter homines fiat communicatio; quod cum certa ratione, ac jure fieri neceſſum, & naturali neceſſitudine humanum genus conglutinatum ſit: hinc fit, ut ſocietas, jus, & amicitia ſimul, ſemper, & in iiſdem reperiantur. VIII. Nicom. 9. pr. Add. noſtrarum Inſtit. Iuriſpr. lib. I. tit. 11. 12. & 13. Bruta vero licet & ipſa magna premantur indigentia, ejuſque levandæ gratia gregatim forte coeant, aut ſe conjungant; quia tamen id ſine ratione, & jure fit, proprie inter illa ſocietas non eſt. Unde ſequitur, officia

icia in cujuſque ſocietatis natura, ac jure fundari, ſolique homini competere, & in brutis illorum non niſi quædam ſimulacra, & imitamenta eſſe, hominis imperio, & uſibus omnia ſervientia: ceu pluribus in Prolegomenis demonſtratum fuit.

Commune autem) Quo pacto amor ſui conſervandi hominem ad ſocietates ineundas impellat, dictum eſt. Commode jam docet Cicero de Societate Nuptiali, quod illam primo omnium, & maxime expetat, illaque reliquarum ſocietatum naturalium origo ſit, & fundamentum. De hac ita diſſerit Ariſtoteles VIII. Nicom. 12. §. 31. ſeqq. *Quæ inter virum, & uxorem amicitia eſt, maxime ſecundum naturam videtur eſſe. Homo enim magis ad conjugium factus eſt a natura, quam ad ſocietatem civilem: & tanto quidem magis, quanto prior, magiſque neceſſaria eſt Domus, quam Civitas, quantoque prolis procreatio animantium omni generi communior eſt. Atque in ceteris quidem hactenus progreditur communitas, quod procreationis cauſa conjunguntur: homines autem non ſolum ad procreandos liberos communi domo utuntur, ſed etiam, ut eorum, quæ ad vitam pertinent, majorem habeant facultatem.* Et I. Polit. 1, p. 3. hæc habet: *Neceſſe jam eſt, primum copulare eos, qui ſejuncti eſſe non poſſunt, ceu feminam, & marem procreandi cauſa: atque hoc non conſilio, vel voluntate, ſed quemadmodum & in aliis animantibus, & ſtirpibus natura datum eſt appetere, quale ipſum eſt, tale relinquere alterum.* Licet vero homini ſobolis procreatio, cura ejuſdem, & educatio communis ſit cum brutis, minime tamen hinc dicendum eſt cum Vlpiano, jus naturæ homini commune eſſe cum brutis: quod pluribus in Prolegomenis refutatum eſt. Nec enim ſequitur, ſi quidam actus homini communes ſint cum brutis, veluti procreare ſobolem, illam alere, educare; etiam jura illorum actuum eſſe communia. Nullum enim animal ullo jure obligari poteſt, niſi ſolum rationale, h. e. homo. Proinde natura ab homine quidem exigit, ut certo jure, & procreatio, & educatio ſobolis inſtituatur: non item a brutis, quod ratione prorſus deſtituta, juris ullius ne quidem ſint capacia. Hinc Grotius ita nobis explicat differentiam conjugii hominum, & brutorum lib. II. de I. B. & P. c. 5. n. 8. *Conjugium naturaliter eſſe exiſtimamus talem cohabitationem maris cum femina, quæ feminam conſtituat quaſi ſub oculis, & cuſtodia maris. Nam tale conſortium & in mutis animantibus quibuſdam videre eſt. In homine vero, qua animans eſt utens ratione, ad hoc acceſſit fides, qua ſe femina mari obſtringit.* In his tamen Grotii verbis, ac ſententia quid deſiderari queat, pluribus oſtendimus in noſtro Commentario, ubi hanc definitionem ſubſtituimus, quod *Conjugium ſit ſocietas naturalis, mutuo placito, & fide data a mare, & femina, inita, procreandæ ſobolis, & mutui ad vitam bene degendam præſidii gratia.* Noſtræ Inſtitut. Iuriſpr. lib. I. tit. xv. aph. 7. ſeqq. Magna quoque eſt differentia inter curam, qua ſuam prolem homines, & qua ſuam bruta educent. Hæc enim id faciunt, donec proles eas vires, & incrementum ceperit, ut ſibi de victu proſpicere poſſit: atque tum non ſolum curam ejus nullam pleraque habent, ſed quoque eam a ſe abigunt. At humanæ prolis cura non tam ad corporis, quam animæ culturam pertinet, nec ut ſolum vivat, curatur, quam ut bene vivat; illud vero εὖ ζῆν, *bene vivere*, inprimis conſiſtit in exercitio virtutum. Præterea illa procreandi, & curandi prolem appetitio, non tam ad conſervationem individui, quam ad propagationem ſpeciei a natura data eſt: quæ niſi tam alte impreſſa homini eſſet, in ejus poteſtate foret, unius ſeculi ſpatio generis humani durationem terminare, &, cum omnia hominum gratia condita ſint, rebus omnibus finem imponere. Bene igitur Diodorus Siculus: *Optima magiſtra natura eſt cunctis animantibus non tantum ad ſui, ſed & ad prolis ſuæ conſervationem, ut cognata hac caritate continua ſucceſſio ad æternitatis circulum perveniat.*

Sed inter hominem) Iam oſtendit, quibus rebus a bellua homo differat; dicitque præcipuam inter hæc animalia hanc deprehendi differentiam, quod homo & præſciat: bruta vero in præſens fere ſuo impellantur appetitu, iſque non niſi ſenſu excitetur. Cum

enim

Digitized by Google

enim omnis cognitio vel ſit ab intellectu, vel ſenſu, atque iſto deſtituta ſint bruta, recte ſequitur, ſola ſenſitiva cognitione appetitum brutorum excitari. Quia vero ſenſus ſunt vel interni, vel externi; de utriſque hoc intelligendum eſt. Temperat tamen hoc ipſum ita, ut paulum etiam perſentiſcere dicat bruta præteritum, & futurum tempus. Memoria enim nonnulla bruta valere, certiſſimum eſt. De futurorum providentia item licet in nonnullis exempla colligere, hirundine, ciconia, gruibus, ſciuris, apibus, formicis, aliiſque.] Sed hæc ab his fiunt ſolo naturæ inſtinctu, nullo λογισμῷ. De formicis ita diſerte ait Horat. lib. I. ſat. 1.

> *Parvula, nam exemplo eſt magni formica laboris,*
> *Ore trahit, quodcumque poteſt, atque addit acervo,*
> *Quem ſtruit, haud ignara, ac non incauta futuri.*

Hoc diſcrimen, de quo hic loquitur Cicero, ita deſcribit Ariſtoteles I. Polit. 2. p. 7. *Orationis tantum homo ex omni genere animantium particeps eſt. Vox igitur triſtis rei, ac jucundæ nota eſt. Quare ceteris quoque animantibus data eſt. Huc uſque enim natura ipſarum pervenit, ut ſentiant, quod moleſtum eſt, ac jucundum, & hæc ſignificent ſibi ipſis. Oratio autem inventa eſt ad declarandum quod prodeſt, & obeſt.*

Homo autem) Quod hic tribuit rationi humanæ, non naturali ejus facultati acceptum omne ferendum eſt, ſed quatenus illa a prudentiæ habitu perfecta eſt. Nam in civilibus rebus perſpicere poſſe & cauſas, & effectus earum, & antecedentia, & conſequentia, & ſimilium cauſarum ſimiles eſſe effectus, & præſentia ita ordinare, ut præteritorum, & futurorum connexionem apte conjungas, & totius vitæ curſum facile regere, & ad eam degendam res neceſſarias parare, quid aliud eſt, quam prudentis munere fungi? *Prudentis enim*, inquit Ariſtoteles VI. Nic. 5. §. 2. *videtur eſſe, in illis, quæ ſibi bona, & utilia ſunt non ſingillatim, ſed univerſe, quæ ad bene, beateque vivendum conducant, bene conſulere poſſe.* Et eod. l. c. 7. §. 23. & c. 8. §. 22. dicit, prudentiam, & univerſalium, & ſingularium eſſe. Quando igitur ratio univerſalia illa practica ſingularibus accommodat (hoc enim eſt conſequentia cernere, principia, rerumque cauſas, ac progreſſus videre) facit ea omnia beneficio virtutis ſuæ, prudentiæ. Licet enim Cicero in genere primum locutus ſit de rationis multiplici διανοίᾳ, ſpeciatim tamen idipſum mox reſtringit ad rationem practicam, utpote totius vitæ curſum, & officia dirigentem.

Eademque natura) Quid ſingulis hominibus præ brutis natura tribuerit, explicatum eſt. Iam pergit docere naturam non his finibus ſua dona, & vim terminaſſe, ſed etiam ideo homini tribuiſſe rationem, ut ad ſocietatem cum aliis hominibus colendam, & quidem ei convenientem, eſſet idoneus. Cui rei inprimis inſervit oratio, qua notiones animi homo homini diſtincte, ac perſpicue declarare poteſt Quod argumentum eam apud Ariſtotelem I. Polit. 2. p. 6. & 7. vim habet, ut hinc non ſolum colligat, hominem eſſe ζῶον κοινωνικὸν, *animal ſociale*, ſed natura duce etiam πολιτικὸν, *civile*. Verba Philoſophi hæc ſunt: *Quare autem homo civile animal ſit omni apro, & omni gregali animante magis, apertum eſt. Nihil enim, ut cenſemus, natura facit fruſtra. Orationis enim tantum homo ex omni genere animantium particeps eſt &c.*

Ingeneratque) Etſi etiam brutis quædam ſit erga ſobolem ſuam στοργή, & erga parentes prolis quædam ἀντιπελαργία, in homine vero hæ dotes multo ſunt excellentiores, quod ratione regantur. Vnde Cicero dicit, naturam talia operari in homine vi rationis. Quemadmodum igitur hominum matrimonia a connubiis pecudum multum differunt, uti ſupra explicatum paucis fuit; ita quoque majora ſunt jura, & officia inter parentes, & liberos. Quare autem parentes naturæ ductu tam tenere ament liberos, & quidem tenerius, quam hi illos, egregie docetur VIII. Nicom. c. 12. §. 6. & ſeqq. videlicet, quod liberi ſint pars parentum: quod parentes certius norint, liberos ex ſe eſſe genitos: quod omne generatum majore neceſſitudine colligatum ſit cum generante, quam hoc cum illo: quod parentum amor erga liberos ſit prior, & diu-

Digitized by Google

& diuturnior: & addit ibi Philoſophus, nonnullas ex his rationes arguere, cur etiam matres tenerius ament liberos, quam patres.

Impellit) Natura homini inſtinctum impreſſit appetendi varias ſocietates, pro cujuſque vitæ genere, ac ſtudio, & multiplici indigentia; nam cum ob alias cauſas, tum etiam hanc Societas initur. Vt igitur indigentiæ faciliime ſubveniatur, ceterique fines naturales obtineantur, eadem natura rationalis ſibi vult obediri a cœtibus: id quod fit, ſi apto ordine imperandi, & parendi, aliiſque ad ſocietates continendas accommodatis legibus, ac juribus utantur, ut ita ſecundum rationis normam bonorum, & officiorum juſta fiat communicatio. Inſtitutis enim a natura ſocietatibus, ejuſmodi ſimul ordinem ea inſtituit, abſque quo ſi foret, Cyclopum eſſet colluvies vagus ille hominum cœtus, ſuoque tum fine naturà deſtitueretur. Quando vero dicit, eam debere adeſſe copiam, quæ non uni ſufficiat, ſed & conjugi, liberis, ceteriſque, quos caros is habet, quoſque jure vel naturæ, vel alio obſtrictus tueri debet; videtur ſane ad illam progredi *αὐτάρκειαν*, quæ non in alia, quam civili ſocietate reperitur. Nam *Civitas eſt e pluribus pagis communio perfecta, quæ jam omnis ubertatis extremum nacta eſt, nata ſane vivendi cauſa, permanens vero bene vivendi*, inquit Ariſtoteles I. Pol. 2. pr. Geminus etiam huic locus eſt I. Nicom. 7. §. 20. & 21. Τὸ αὔταρκες *id dicimus, non quod ſibi ſoli vitam ſolivagam, & ſolitariam agenti, ſed quod parentibus etiam, ac liberis, & conjugi, &, ut ſemel dicam, amicis, ac civibus ſatis eſt, quando quidem homo ad vitam, ſocietatemque civilem natus eſt*. Hæc Ciceronianis ex aſſe reſpondent. Pro verbo *ſuppeditent* autem commodius ſubſtitui poſſe videtur verbum *ſuppetant*.

Quæ cura) Homines ſui conſervandi cauſa ubi in ſocietatem civilem certa ratione, ac lege ordinatam coiverunt, fieri aliter nequit, quin neceſſitas, ac multiplex inopia illorum ingenia acuat, & ad multas artes inveniendas exſuſcitet. Sapienter hoc ipſum deſcribitur a Poeta I. Georg. v. 121. & ſeqq. cujus limpidiſſimi verſus hic legi merentur:

Pater ipſe colendi
Haud facilem eſſe viam voluit, primuſque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno.
Ante Iovem nulli ſubigebant arva coloni:
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum,
Fas erat: in medium quærebant: ipſaque tellus
Omnia liberius, nullo poſcente, ferebat.
Ille malum virus ſerpentibus addidit atris,
Prædarique lupos juſſit, pontumque moveri.
Mellaque decuſſit foliis, ignemque removit:
Et paſſim rivis currentia vina repreſſit;
Vt varias uſus meditando extunderet artes
Paulatim, & ſulcis frumenti quæreret herbam:
Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.
Tunc alnos primum fluvii ſenſere cavatas:
Navita tum ſtellis numeros, & nomina fecit,
Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton:
Tum laqueis captare feras, & fallere viſco,
Inventum, & magnos canibus circumdare ſaltus.
Atque alius latum funda jam verberat amnem
Alta petens, pelagoque alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor, atque argutæ lamina ſerræ:
(Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum)
Tum variæ venere artes. Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Ingenioſe etiam hinc apud Apuleium in Apolog. prædicatur Paupertas *priſca apud ſecula omnium Civitatum conditrix, omniumque artium repertrix. Paupertas omnes artes perdocet, ubi quem attigit.* Plaut. in Sticho act. 1. ſc. 2. Ἀπενία,

Διοφαντε, μονα τας τεχνας εγειρει. Paupertas, o Diophante, ſola excitat artes. Theoc. Idyl. II. 21. Vide Caſaubonum ad prologum Satyrarum Perſii.

Inprimiſque) Et huic adſertioni conſentientem habet Ariſtotelem, qui hominem ſciendi cupidum, & eundem Cicero hic *θηρευτην της αληθειας*, *indagatorem veritatis* eſſe dicit. Eſt autem Veritas duplex juxta Ariſt. VI. Nicom. 2. theoretica, & practica. Dicit igitur veri inquiſitionem ad bene, beateque vivendum exigi: at cujus veri? in civili quidem vita veritatis practicæ cognitio cumprimis deſiderabitur, quæ beneficio prudentiæ inveſtigatur. Atque hæc officiis, omnibuſque actionibus honeſtis conjunctiſſima eſt, & tamquam regina quædam præſidet. Quod de vivendi, & audiendi cupiditate ait, pertinet eo, quod dicunt Philoſophi, nihil eſſe in intellectu, quod non antea fuerit in ſenſu. Quo etiam facit elegans textus Ariſtot. I. Metaph. pr. *Omnes homines ſcientiæ natura ſunt appetentes; idque declarat ſenſuum caritas, qui etiam ſine uſu per ſe diliguntur, inprimiſque viſus*. Atque hanc ob cauſam felicitatem practicam idem Philoſophus theoreticæ ſubordinat; ubi enim vitæ civilis *αυταρκειαν* nacti fuerimus, & affectus plane habuerimus compoſitos, natura hominem ad rerum cæleſtium, ipſius DEI cumprimis, contemplationem excitat. Denique & illud non eſt negligendum, quod ait, nos delectari cognitione rerum *occultarum, & admirabilium*. Quamdiu enim occultæ nobis illæ ſunt, eas admiramur, admiratio vero illa ad indagationem mentem accendit; unde omnis Philoſophiæ primordium admirationi non ſine ratione quidam tribuunt. *Δια το θαυμαζειν οἱ ανθρωποι και νυν, και το πρωτον ηρξαντο φιλοσοφειν. Propter admirationem nunc, & olim incepere homines philoſophari*, inquit Ariſtot. I. Metaph. 2. Cui conveniens eſt: illos deſinere mirari, qui in Philoſophia profecerunt. Ita Plutarchus Pythagoram dixiſſe refert, id ſe lucri e philoſophia abſtuliſſe, nihil ut miraretur. Hinc quoque illud Stoicorum prodiit, ſapientem ſuum nihil admirari eorum, quæ videantur *παραδοξα*.

Ex quo intelligitur) Quando verba, diſputationes, ac deliberationes rebus ipſis conſentaneæ ſunt, & quanto rectiori ad veritatem via itur ſine ambagibus, eo hoc naturæ rationali eſt convenientius. Vnde protinus ſic collige, nihil ab illa alienius eſſe, quam affectatas tricas, & æquivocationum labyrinthos, quam mendacium, dolum, fraudem, quibus cognitio veri impeditur, & officia, atque commercia miris modis contra naturæ inſtitutum turbantur. Merito igitur Ariſtoteles IV. Nicom. c. 7. §. 11. inquit: *Καθ' αυτο δε το μεν ψευδος φαυλον, και ψεκτον. Per ſe mendacium improbum eſt, & vituperandum*.

Huic veri videndi) Quia homo natura eſt *ζωον πολιτικον*, ideo jam pergit docere, in qualibet ſocietate, cumprimis civili, ſi ſtabilis eſſe debeat, alios imperare, alios parere oportere. Etſi enim natura omnes homines liberi naſcantur, ne tamen illa libertas in licentiam degeneret, certo jure, ac pactis illa libertas naturalis circumſcribi poteſt. Nec tamen hoc ſervire eſt. Legibus enim ſervire, libertas eſt, inquit alibi Noſter. Ceterum, quibus imperium competit in politia? Ariſtoteles I. Polit. 3. & ult. ita nos docet: Vt quiſque virtute eſt præſtantior aliis, ſic naturaliter his convenit, ut pareant, illi, ut imperet, Et ſi quis perfectam habeat virtutem, illi præ reliquis imperium erit deferendum. Etſi enim etiam ſint virtutes parentium, non tamen eum perfectionis gradum adſequuntur: nec neceſſe eſt, ut id fiat. Etſi enim omnes, cum imperantes, tum parentes, debeant virtutum eſſe participes, *αλλ' ου τον αυτον τροπον, αλλ' ὁσον εκαστῳ προς το αυτου εργον, non tamen ad eundem modum, ſed quantum ad cujuſque opus exigitur*. Dicit igitur Cicero, ut quiſque a natura excellentius, ac generoſius ingenium fuerit nactus, ita magis eum imperare, quam parere velle. Vult tamen poſterius hoc interdum, quando videlicet præcipienti, h. e. *παραινουντι*, & docenti, h. e. ad virtutem cum hortando, tum ex cauſis docendo inſtruenti ſe ſubmittit, & patientem accommodat aurem. Deinde etiam tum parebit, ſi in ea civitate vivat, ubi præſtantior alius juſte, & legitime, non tyrannice imperet,

ret, utilitatis ſcilicet gratia, h. e. ſi omne imperium dirigat προς το κοινη συμφερον, *ad utilitatem publicam*. Pleroſque igitur homines natura ita generoſos condidit, ut ſervire neſciant, ſed libertatem omnibus modis expetant, & tueantur; non quod nullum ferre imperium poſſint, (id quod naturæ maxime foret adverſum) ſed quod generoſæ mentes poſcant imperium civile, libertatem non opprimens, ſed omnium, ſingulorumque potius utilitatem procurans. Talis libertatis appetitio ſi natura ineſſet omnibus hominibus, herilia imperia omnia naturæ inimica forent. Ceterum cum poſterius hoc falſum ſit, hinc libero civili imperio regi velle, ait Cicero animos *bene a natura informatos*. Si enim alios ita natura depreſſit, ut ſint vili, & abjecto ingenio, aut improba ferocia alios crebris injuriis laceſſant, herili imperio hi ut regantur, naturæ eſt convenientiſſimum.

Ex quo) Generoſitas illa animi, & naturalis ad libertatem, & imperium inclinatio parit magnitudinem animi, ſeu fortitudinem, nec non rerum iſtarum contemtum, ac averſationem, quas vulgus hominum in pretio habere, & de quibus vehementer contendere ſolet.

Nec vero illa parva vis) Της λογικης φυσεως, *naturæ rationalis* excellentia, & vis vel maxime ex ordine etiam colligitur. Hic quidem aliquis per ordinem intelligere poſſet, naturalem ſciendi methodum, quam in Analyticis tradidit Ariſtoteles. De veri enim & ſcientiæ inveſtigatione paulo ante dixerat. Sequentia vero potius aliam explicationem requirunt, ut quis obſervet in actionibus, & ſermonibus ſuis civilibus modum, ſive mediocritatem, quam tenebit, ſi legibus reip. (quæ quidem ex naturæ inſtituto optima ſit) illas conformet. Reſpublica enim εςι ταξις τις των την πολιν οικουντων, *ordo quidam civitatem incolentium*. III. Polit. 1. p. 13. 5. Reſpublica vero cumprimis conſtituitur, atque ordinatur legibus: unde lex ipſa ordo dicitur III. Polit. 12. p. 207. ἡ γαρ ταξις, νομος. Ille igitur dictorum, factorumque ordo intelligi quoque poſſet. Ceterum etſi hæc explicatio vera ſit, non tamen & hæc accommodata; nam paulo poſt ita deſcribit ordinem, ut non niſi temperantiam per eum deſignet, id enim hic agit Cicero, ut præcipuos officiorum fontes ſic commonſtret, prætermittat vero juſtitiam, quam tamen capite ſequenti prudentiæ, fortitudini, temperantiæ, ordinique adjungit.

Itaque eorum) Nullum eſt aliud animal, vel res, quæ a nobis aſpicitur, quæ illam corporis ſui συμμετριαν, ευρυθμιαν, & a natura aptiſſime copulatam compagem ita agnoſcat, uti homo: de quo videatur elegantiſſimus Lactantii libellus de Opificio Hominis. Deinde ita progreditur: Si tanta voluptate ab homine corporis concinnitas, & ordo agnoſcitur, quanto, quæſo, pulcrior erit συμμετρια, ſeu ἁρμονια animi, quæ in concordia rationis practicæ, atque appetitus conſiſtit: & quidem in ſpecie, ſi cupiditates fræno rationis per habitum temperantiæ ſe regi patiantur? Præterea ille ordo tenetur, ſi in rebus agendis non dubiis, vagiſque opinionibus fluctuemus, ſed bonis, & a prudentia ſuppeditatis conſiliis conſtanter utamur. Nihil enim pernicioſius eſt ad vitam humanam, quam opiniones qualeſcumque in officio excolendo ſequi velle. Non enim vera eſt vulgi ſententia, quam refert Ariſtoteles I. Nicom. 3. §. 3. *In iis rebus, quæ honeſtæ, & juſtæ ſunt, tanta varietas, tantaque in eis verſatur erratio, ut opinione modo, non autem natura conſtare videantur*. Vnde apparet, quam exſecrabilis ſit Ieſuitarum doctrina moralis, qui pro palmario, & ſummo ejus principio jactant probabilitatem.

Quibus ex rebus) Hoc, inquit, eſt illud regium ſolium, cui honeſtas inſidet, videlicet quod his quatuor fulcris ſuſtinetur, prudentia, juſtitia, fortitudine, temperantia; ſeu quod conſiſtit in appetitus cum ratione concordia, omniumque animæ facultatum harmonia.

Quod etſi nobilitatum) Etſi honeſtum ſermonibus, ac laudibus ita non extollatur, uti opes, potentia, ejuſque generis alia, quæ vulgus admiratur, & laudat: eſt tamen natura laudabile. Exprimere voluit Stoicum illud effatum: Ὅτι το καλον δι' αυτο αἱρετον εςι· *Honeſtum per ſe eſſe expetendum*.

Digitized by Google

Ariſtoteles etiam ſubtilius hoc diſputat, dicitque L. Nicom. c. 12. honeſtatem, ſeu felicitatem magis videri referendam eſſe ad *τα τιμια*, *honorabilia*, quam *τα επαινετα αγαθα*, *laudabilia bona*.

Formam quidem ipſam) Honeſtam formam *ως εν τυπω* repræſentatam quodammodo agnoſcis, cujus formoſitas ſi ita in corpore aliquo viſibili cerni poſſet, ſicuti oculis mentis, vah, quantos amores ſui excitaret! Pro *ſapientiæ* enim voce non male hic quidam legunt *ſui*: quod bene convenit Platonico *ἑαυτης*, & Ciceronis verbis lib. II. de Finib. *Quam illa ardentes amores excitaret ſui, ſi videretur*. Si tamen prior vox retineatur, παχυλως erit poſita, pro prudentia, ut quæ ſemper honeſtum ſibi habeat propoſitum, omneſque actiones humanas illius naturæ, & pulcritudini conformet. Vel per ſapientiam hic denotat hanc de morum honeſtate philoſophiam.

CAPUT V.

S*Ed omne*) Cum generatim demonſtraverit, hominem natura eſſe cupidum ſciendi, cupidum item ſocietates ineundi, inque iis varia bona, jura, & officia communicandi, eſſe cupidum imperii, & libertatis, eſſe unum ex omnibus animalibus natura aptum ad ordinem in dictis, factiſque tenendum; nihil ſane convenientius fieri poteſt, quam ut huic ordini homo pareat; quod in hoc naturæ obſequio ipſa conſiſtat honeſtas. Id vero præſtatur, ſi ſingulæ actiones naturæ legibus attemperentur. Quæ cum ſint diverſæ, & circa diverſa verſentur objecta, unius habitus præſidio illæ dirigi nequeunt. Proinde Cicero honeſtum ex quatuor derivat fontibus, prudentia cum proprie dicta, tum naturali, quam ſolertiam appellat, tum juſtitia, præterea fortitudine, & denique temperantia. Accurate vero numerum inire virtutum moralium ſpecie differentium, eſt ſane res non parvi laboris. Seriem illarum ab Ariſtotele traditam ſcimus quidem; an vero is huic rei ſatis fecerit, merito dubitari poteſt, Ciceronem non ſatisfeciſſe certum eſt, ut qui nimis exilem illarum numerum inierit, & liberalitatem cum juſtitia, manſuetudinem cum fortitudine, modeſtiam cum temperantia, habitus prorſus diverſos, confuderit, ne quid de aliis dicam. Diviſionem igitur virtutum in genere quod attinet, Megarici olim unam eſſe dicebant virtutem, quæ variis nominibus appellaretur. De Apollophane narrat Laertius, eum adfirmaſſe, unicam prudentiam eſſe virtutem. Zeno vero plures induxit virtutes, a quo diſſentit Ariſtochius, qui virtutem dicebat eſſe ad aliquid. Plato IV. & VI. de Repub. ut & Epicurus apud Laertium. Ciceroniana diviſione utuntur Stoici, quamvis hac in re non convenerint. Poſſidonius tamen, teſte Laertio, & ipſe Ciceronianam partitionem amplexus eſt. Ut quidem Cicero partim Platonem, partim Stoicos, aut Epicurum hic ſecutus eſſe videatur. Has quatuor virtutes autem jam inde a tempore D. Ambroſii, & Hieronymi cardinales dici ſolitæ ſunt, quod quaſi cardines ſint, quibus reliquæ omnes fulciantur. Quod item ex imitatione Stoicorum proceſſiſſe videri poſſit. Hi enim, tradente Laertio, virtutum alias docebant eſſe *πρωτας* primarias, ſive principes, alias *ὑποτεταγμενας* ſubjectas, & ab iis quaſi dependentes. Priores dixerunt eſſe illas, quæ a Cicerone enumeratæ ſunt. Vide de hoc argumento plura commentantem Gaſſendum in Philoſ. more Epicur. & Cl. virum, nobiſque amiciſſimum Iac. Thomaſium Acad. Lipſienſis profeſſorem, duabus de virtutibus cardinalibus Diatribis Academicis.

Tribuendo) Iuſtitiam his verbis videtur cum Ariſtotele dividere in *διανεμητικην*, & *συναλλακτικην*, quamvis hanc poſteriorem ille perpetuo vocat *διορθωτικην*. Addatur noſtra diſſertatio de Iuſtitia Univerſ. Item Inſtit. Iuriſpr. lib. II. tit. 445. Nec non lib. II. tit. 2. & 3.

Quæ quatuor) Per occupationem hanc Stoicorum principio ſuam vult vindicare veritatem, virtutes eſſe individuas. Chryſippus enim apud Plutarchum de Contrar. Stoic. ait *τας αρετας ακολουθειν αλληλαις*, *Virtutes ex ſe invicem connecti*; quæ etiam Laertius memorat in Zenone. Apud Stobæum in Eclogis hoc legas Stoicum pronuntiatum: *Αρετας ειναι πλειους και αχω-*

ρισους

Digitized by Google

ρυτες απ' αλληλων. Plures eſſe virtutes quidem, ſed inſeparabiles. Atque hæc eſt καλοκαγαθια Ariſtotelis, qui huic dogmati paria tradit lib. VI. Nicom. c. ult. & pen. Confer lib. II. c. 10.

Velut ex ea parte) In ſpecie jam de ſingulis agit, & quidem primo de ſapientia, ac prudentia, quibus hic videtur promiſcue uti; quamvis accurate ſi loqui velis, vox φρονησεως, qua forte Panætius fuit uſus, non ſapientia, ſed prudentia vertenda ſit. Et vero huic illa competunt, quæ hic recenſentur; cum quibus etiam conveniunt ea, quæ Ariſtoteles περι ευβουλιας, præcipua prudentiæ parte diſſerit lib. VI. Nicom. c. 9. §. 25. *Illa*, inquit ibi, *demum bona conſultatio eſt, quæ ad utilitatem, & ad id, quod oportet, obtinendum, & quo modo, & quo tempore obtineri debet, accommodata eſt.* Hinc Cicero ait, prudentiæ propoſitam eſſe veritatem, practicam ſcilicet, ut quæ illius beneficio recte conſultata, aut ponderata ſunt, illa deinceps agantur. Sicuti enim quilibet habitus mentis αληθευει, *verum enuntiat*, vel affirmando, vel negando; ita quoque idem αληθες, *verum*, prudentia conſectatur in rebus agendis. VI. Nicom. 3. §. 2. & c. 5. §. 9.

Reliquis autem tribus) Reliquarum virtutum officia id ſibi habent propoſitum, quomodo indigentiæ ſuccurratur, quod fit, ſi copiæ, opeſque recte parentur, idque obtinetur beneficio juſtitiæ: deinde ut conſerventur, belli quidem tempore per fortitudinem; pacis, per temperantiam. Quod vero dicit, actionem vitæ contineri opibus, hanc habet ſententiam, βιον πρακτικον, non poſſe eſſe felicem, aut commode tranſigi ſine iis; idque comprobat Ariſtoteles I. Nicom. 8. c. ſeq. Αδυνατον, η ου ῥαδιον τα καλα πραττειν, αχορηγητον οντα. *Impoſſibile, vel ſine haud facile eſt, ut honeſta agas, omnibus deſtitutus.* Ceterum quod Cicero hic dicit, reliquas virtutes præter prudentiam indigentiæ, ſeu neceſſitatibus levandis ſervire, ſimpliciter verum non eſt. Nam quod attinet objecta externa, circa illa ſane nonnullæ virtutes verſantur, ut relevetur indigentia: qualis eſt juſtitia per συναλλαγματα ſpontanea exercita, & liberalitas. In aliis vero hoc ita non apparet, ſed cumprimis in appetitus cum recta ratione convenientia honeſtas conſiſtit, cujus decus ſæpe in actionibus externis relucet, non tamen ſemper: & licet in actionibus externis circa objecta externa emicet, non tamen ſemper expletur indigentia. Ita ſi temperans abſtineat a turpibus voluptatibus, facit quod honeſtum eſt, nec tamen hoc pertinet ad levandam indigentiam. Pari ratione ſi manſuetus modum ponat iræ ſuæ, ad indigentiam explendam nihil facit.

Ut & ſocietas hominum, conjunctioque ſervetur.) Nam cum ob alias cauſas, tum indigentiæ cauſa quæque ſocietas eſt inſtituta naturaliter. Audiamus Ariſtotelem V. Nicom. 5. §. 37. *Jam quod indigentia ſocietas hominum contineatur tamquam uno quodam, quod vinculi inſtar ſit, ex eo perſpici poteſt, quod ubi neuter eget re alterius, aut alter omnino non eget, permutatio inter eos eſſe non ſolet: quæ tum demum eſt, cum eo, quod unus habet, alter indiget.* Et §. 45. *Si non fuiſſet permutatio, ſocietas conſtare non potuiſſet.* Add. c. 6. lib. I. Polit.

Et animi excellentia) Ad fortitudinem cur non ſolum opes defendendas, ſed & parandas, & augendas referat, hæc videtur eſſe cauſa, quod bello legitimo quæ acquiruntur, juſto poſſideantur titulo. Et quia ſæpe accidit, ut bella, & contentiones propter meum, & tuum oriantur, uti Plato dicebat, monet ſimul, non minus deſpiciendas eſſe opes, ſi ſcilicet juſto bello, aut alio bono titulo tibi acquirere eas nequeas.

Ordo autem, & conſtantia) Loquitur de modeſtia, ſeu temperantia, cui talia tribuit, quæ non minus competunt juſtitiæ, ac fortitudini, aliiſque virtutibus moralibus. Nam nec hæ ſunt θεωρητικαι, ſed πρακτικαι αρεται. Conſtantia item omnium virtutum moralium comes eſt. Præterea nec ulla poteſt eſſe ſine moderatione ατευ μεσοτητος. Quæ mediocritatis obſervatio efficit, ne umquam ab honeſto, & decoro diſcedamus. Eſt vero το πρεπον decorum, quod honeſtatem conſequitur, ſicut umbra corpus, inquit hic eleganter Eraſmus. Hæc Cicero in genere de quatuor honeſtatis rivulis, ſeu fontibus, ut ipſe mox appellat.

CAPUT VI.

EX *quatuor*) Ordine ſervato de prudentia primo loco docet, repetitque, eam ſpectare veritatem. Quia vero cum prudentia ſcientiam, & ſapientiam confundit, veritatem quoque theoreticam cum practica commiſcet, licet prudentia proprie veritatem practicam unice ſpectet. Deinde ait, eam maxime convenire hominis naturæ, quod omnes homines ſciendi natura cupidi ſint, *παντες ανθρωποι του ειδεναι ορεγονται φυσει*, inquit I. Metaph. I. Philoſophus: quale ſciendi deſiderium in nullo alio animali cernere eſt. Addatur Cicero I. de Finib. c. II. Videtur vere Cicero ita inter *διανοητικας* virtutes prudentiam reponere, ac ſi ultra *θεωριαν* ejus officium non progrediatur, cum omnis tamen *πραξεως* regina ſit; cujus rei cauſam modo expoſuimus. Prudentiæ *φρονησει* Ariſtoteles II. Eud. c. 3. opponit duo vitia extrema, *ευηθειαν ſtultitiam*, & *πανουργιαν calliditatem*: ad illam referre poſſis *το* labi, errare, neſcire, decipi; ad hanc decipere, & quovis modo homines alioqui ſatis circumſpectos inique circumvenire.

In hoc genere) Explicat jam quædam officia ab iis obſervanda, qui ſciendi ſtudio ſunt dediti. Primo improbat *δοκησισοφιαν*, juvenum perfrequens vitium: deinde ne temere, hoc eſt, ſine evidente ratione adſerentibus aliis adſentiamur. Pertinet huc Luciani Commentarius *De non temere credendo*. Sicuti enim damnanda eſt Academicorum quorumdam *ακαταληψια*, & Pyrrhoniorum *εποχη*: ita cæca hujuſmodi adſenſio non caret ſua reprehenſione. At, quæris, quando igitur fides ſit tribuenda? Vbi non ſolum *το ὅτι*, ſed & *το διότι*, cauſas rerum cognoveris, in quibus quidem huc uſque progredi licebit. Iſta autem vitia docet vitari poſſe tempore, & diligentia. Tempore, quia nihil ſimul eſt inventum, & perfectum, inquit alibi Noſter. Ariſt. I. Nicom. 7. §. 50. *Atque ejuſmodi rerum vel auctor, vel certe adjutor eſſe videtur tempus: quomodo artes ipſæ amplificatæ, & propagatæ ſunt*. Præterea ſcientiam ſibi qui velit parare, neceſſe eſt, ut plurimorum ſingularium experientiam colligat, unde univerſalia conficiat. At experientia talis multo indiget tempore, ceu docetur ab eodem I. Metaph. I. Diligentia opus eſt, quia cauſæ rerum fere ſunt abſconditæ, & in profundo Democriti puteo latent: unde *Felix* a Poeta pronuntiatur, *qui potuit rerum cognoſcere cauſas*.

Alterum eſt vitium) Non damnat omne ſtudium, quod collocatur in rebus obſcuris, & difficilibus, ſed nimium, inque non neceſſariis occupatum. Hoc quale eſt? quod, inquit, a rebus agendis abducit. Homo igitur primam, ac præcipuam curam eo conferet, ut officia, ac jura ſocietatum conſervet: ad quæ ubi ſatis eſt inſtructus, tum ſublimiorum rerum contemplatione etiam ſe oblectare poterit. Hac ratione motus Socrates philoſophiam de cælo in terram vocavit, hoc eſt, a theoreticis ſtudiis, quibus alii hactenus unice intenti fuerant, animum ad practica, & honeſtatem convertit. Officio autem ubi quiſque ſuo defunctus fuerit, dabitur ad ſtudia iſta reditus. Exempli loco, in quibus & utile, & quoque nimium ſtudium poni queat, adfert Aſtrologiam: quo pertinet genethliacorum contextus, quæſtiones de motu, & magnitudine, de influxu, & neceſſitate ſiderum, de maculis Solis, & Lunæ &c. Geometriam, cujus infinitæ ſunt perplexitates, veluti quadratura circuli, ejuſque generis alia, quomodo ſint inveſtiganda. Dialecticam, quo pertinent veterum ſophiſtarum *λογοι εριστικοι, σκεπτικαι ζητησεις* &c. Ius civile, quod perplexis judiciorum, formularum, ac calumniatorum ambagibus, ac ſubtilitatibus cavillatoriis mirum in modum corrumpebatur. Hic jam ingens eſſet campus dicendi de non neceſſariis, obſcuris, & difficilibus ſtudiis, in quibus tamen multi tamquam in muſtaceo laureolam quærunt; inter homines vero ubi verſantur, non civiliter, & officioſe ſe gerere, ſed ruſtice illos ſuperbire videas. Tales ſunt ſpinoſæ, & plus offendiculi, quam emolumenti præſeferentes bene multæ Metaphyſicorum, Scholaſticorum, aliorumque diſceptationes. Huc pertinet nimium ſtudium chymicum, alchymiſticum, pyrotechnicum, aliaque ejus generis non humano uſui, ac neceſſitati, ſed rei familia-

Digitized by Google

miliaris jacturæ, luxui, aliiſque vitiis ſervientia, in quibus quidem quanto quis excellentior, tanto fere etiam eſt in publicum pernicioſior. Ita turpe ſibi, & aliis grave, ſæpe etiam damnoſum eſt difficiles habere nugas, uti ille ait. Qui in literarum inutilium ſtudiis detinentur operoſe, nihil agunt, inquit Seneca de Brevit. vitæ c. 13. interque alia adjicit, Græcorum quorumdam hunc morbum fuiſſe, quærere, quem numerum remigum Vlyſſes habuiſſet: prior ſcripta eſſet Ilias, an Odyſſea; ſed hoc inane ſtudium ſupervacua diſcendi etiam Romanos invaſiſſe. Videantur Io: Lud. Vives de Diſciplinis libri XX.

Quæ omnes artes) Enumeratas artes in contemplatione veri occupari ait: id, quod dubium poſſit eſſe ratione Iuriſprudentiæ. Certum tamen eſt Iuriſprudentiam etiam hoc præſtare, ut ſciamus in genere, quid juſtum ſit, & de eo concluſiones facili negotio expedire poſſimus. At reapſe quando leges applicantur factis, id quod fit in judiciis, non tam in veri inveſtigatione, ſed applicatione illius & praxi verſatur. Sed tunc non amplius Iuriſprudentia in genere, ſeu univerſalis illa eſt, ſed judiciaria, ſeu forenſis. De quo argumento alias plura diximus.

Virtutis enim laus omnis) Omnis theoria de rebus practicis ſuſcepta pro fine habere debet praxin. Nec laudabere, ſi ſcias, quid ſit virtutis, ac honeſtatis, ſed ſi talia agas. Ἡ παρουσα πραγματεια ου θεωριας ἑνεκα εστιν, ὡσπερ αἱ αλλαι. ου γαρ ἱν' ειδωμεν, τι εστιν ἡ αρετη, σκεπτομεθα, αλλ' ἱν' αγαθοι γενωμεθα. *Doctrina hæc omnis, quæ eſt in manibus, non cognitionis cauſa ſuſcepta eſt, ut aliæ; non enim, quid ſit virtus, quærimus, ut cognoſcamus, ſed ut boni efficiamur.* II. Nicom. 2. pr. & X. Nicom. ult. §. 2. Ουκ εστιν εν τοις πρακτοις τελος το θεωρησαι εκαστα και γνωναι, αλλα μαλλον το πραττειν αυτα. *Practicarum diſciplinarum finis non eſt, cernere, ac noſſe ſingula, ſed illa agere.* Licet igitur contemplatio ſit præſtantior energia, quam actio; hæc tamen magis eſt neceſſaria, cumprimis ſi officii neceſſitudine commendetur: ut adeo recte dicat Cicero, ſi quis ſtudio contemplationis ita detineatur, ut negligat actiones civiles, contra officium eſſe.

Multique dantur ad ſtudia reditus, tum) Senſus eſt: Si quis dulcedine contemplandi ſit captus, non tamen debet officium ideo negligere. Huic igitur primum vacandum eſt, & eo ubi defunctus fuerit, intermiſſione facta, ad contemplationem redire poterit, cui tum mens ακινητος, ſine opera noſtra, hoc eſt, ſine civili, aliove externo opere minime interpellata, aut nulla cum moleſtia, ſed potius ſumma cum voluptate, poteſt eſſe intenta. Adde Auſonii Eidyll. IV. *Sunt etiam Muſis &c.*

Omnis autem) Quibus rebus contemplandis mens debeat, aut ſoleat eſſe dedita, ſubtexit, primo quidem rebus agendis, πρακτοις, deinde cognoſcendis, ſeu επιστητοις: quarum hæ in ipſa θεωρια, illæ demum poſt cognitionem perceptam in πραξει finem ſuum conſequuntur: unde nata eſt diviſio intellectus theoretici, & practici. Add. Ariſtot. VI. Nicom. 2.

CAPUT VII.

DE *tribus*) Hactenus de officiis prudentiæ, nunc de officiis juſtitiæ. Ex tribus reliquis virtutibus juſtitia, fortitudine, temperantia, latiſſime patere naturam, officiaque juſtitiæ dicit: hac enim omnem omnino ſocietatem, & vitæ communitatem contineri. Nam in omni ſocietate aliquod jus reperitur, & vero etiam aliqua amicitia, inquit Ariſtot. VIII. Nicom. 9. §. 2. Quanta enim eſt bonorum communio in qualibet ſocietate, tanta eſt amicitia, tantum quoque jus. Hinc etiam apparet, quam late pateat juriſprudentia, quæ hoc differt a philoſophia practica, quod hæc tractet potiſſimum τα καθολου: iſta hæc paulatim ad τα καθ' ἑκαστα transferat, obſervato ubique cujuſque ſocietatis fine, ceu amuſſe, aut cynoſura juſti.

Cujus partes quæ ſunt) Hæc a Stoicis accepta non ſatis recte ſe habere videntur. Cum enim virtutum ſpecies non ſatis diſtinxiſſet, ſed per hypotheſin quatuor officiorum fontes deſcripſiſſet, beneficentiam, hoc eſt, liberalitatem, ελευθεριοτητα, juſtitiæ partem facit. Iuſtitiam vero ita de-

Digitized by Google

ſcribit, ex qua boni viri appellamur. Hæc autem nulla alia eſt, quam quæ univerſalis, ὅλη καὶ τελεία ἀρετή, *tota & perfecta virtus* Ariſtoteli audit, quamque is Heſpero, & Lucifero ſplendidiorem pronuntiat, lib. V. Nicom. c. 1. Male igitur etiam ab hac juſtitia, cui πᾶσαι ἀρεταὶ συλλήβδην ἔνεισι, *univerſæ virtutes collectim inſunt*, ut Iamblichus loquitur, tamquam ſeparata pars ponitur beneficentia, ἐλευθεριότης. Si vero juſtitiam particularem intellectam vult, falſum eſt, ab hac ſola viros bonos proprie appellari; boni enim ſimpliciter ſumus, non aliqua honeſta actione, nec una virtute, ſed tota honeſtate, omnibuſque virtutibus. Sed & ab hac differt liberalitas. Hæc enim verſatur circa χρήματα propria, eaque libere erogat, prout res poſtulat, aut permittit. Iuſtitia quidem particularis etiam circa bona fortunæ, & pecunias verſatur, ſed non circa hæc ſola, uti vulgo creditur, & vero circa iſta verſatur ea qualitate imbuta, ut quæ alteri debentur ex jure quodam proprio, & conventione ſpeciali: in quibus ut vitetur inæqualitas, ſuum cuique tribui dictitat.

Sed juſtitiæ primum munus) Iuris præcepta ſunt hæc, inquit Vlpianus & ipſe Stoicus, uti fere plurimi ICti Romani veteres lib. X. §. 1. ff. de I. & I. Honeſte vivere, Alterum non lædere, Suum cuique tribuere: quæ eleganter partitur Grotius Flor. ſparſ. ad Ius Iuſt. Prius in ipſo officii nomine continetur, alterum hic diſerte ponitur, tertium ad beneficentiam hic refertur, & paulo poſt explicatur. Bene hæc conveniunt cum Iure Rom. cujus materia, ſeu objectum triplex ſtatui ſolet, perſonæ, res, actiones, §. 12. Inſt. de Iur. Nat. Gent. & Civ. Primum igitur diſſerit, quomodo erga perſonas, tum quomodo erga res juſte nos gerere debeamus: alterutrum ſi omittatur, ad actiones via patefit. Addit autem, tum demum nemini nocendum, ſi injuria abſit. Se enim defendere, ac vim vi repellere licet. Vbi notetur, ſi cuiquam vis inferatur, non tamen injuria, minime illum lædi, imo ne quidem illius vim averti vi licite ſemper poſſe: unde eſt illud ICtorum: *Vbi offenſio eſt licita, ibi defenſio eſt prohibita*. Sic qui in alium peccavit, debet primum ei, quem læſit, offerre ſatisfactionem, viri boni arbitratu: ac tum demum piæ erunt ejus arma, inquit Grotius II. de Iur. Belli, & Pac. c. 1. n. 18. Lactantius vero lib. VI. c. 18. queritur, Ciceronem hac exceptione: *Niſi laceſſitus injuria*, duas maximas virtutes bono, & ſapienti viro detraxiſſe, innocentiam, & patientiam, reſpiciens ad præcepta Chriſti, quibus tam ſerio patientiam inculcat. Et Ambroſius idem hoc Ciceronis dictum vacare ait Evangelii auctoritate. Ceterum ex lumine Naturæ, ſive naturalibus principiis, quî aliter colligere potuit Cicero, quam injuſtam vim juſte arceri poſſe, & quidem vi, ſi in judicio, aliove ordinario remedio præſidium non inveneris? Chriſti regulam, ſive conſilium, uti Theologi nonnulli hoc a præcepto diſtinguunt, iis ipſis examinandam relinquimus. Injuriam vero illatam debito modo defendere, qui ex innocente nocentem faciat, non apparet. Vide Grot. lib. II. c. 1. quia potius ideo juſta cenſetur mea defenſio, quod innocens injuria lædar, aut læſus ſim. Confer lib. III. c. 14.

Deinde ut communibus) Nunc de poſſeſſionibus, rerumque dominiis, quomodo in his officium juſtitiæ ſit colendum, agit: hinc enim pleræque querelæ, & actiones exſiſtere ſolent. Dicit igitur, res omnes eſſe vel communes, vel privatas ſingulorum. Huc pertinet titulus ICtorum de rerum diviſione, & acquirendo rerum dominio: & Grotii c. 2. 3. 4. ſeqq. lib. II. de Iure Belli, & Pac. Communes res ſunt vel omnium hominum, vel reip. alicujus, vel collegii: eaque communio vel ex ſocietate oritur, vel ſine ea, l. 2. ff. comm. civit. In iis juſtitiæ officium ſic præſtabitur, ſi communibus utatur quiſque pro communibus, nihil ſibi proprium, ac peculiare in iis tribuendo: deinde ut ſic utatur, quatenus ſe jus communionis, quod habet, ad utentem porrigit. Videatur l. 27. §. 1. ff. de ſerv. præd. urb. & l. 28. ff. comm. divid. Si vero quis res communes, ceu proprias ſibi uſurpet, leonina hæc ſocietas, aut communio dicitur, taliqueque facto evertitur, l. 29. §. fin. & l. 64. ff. pro ſoc. Sed & communis rei nomine cum ſocio

cio furti agi poſſe, l. 45. & 51. ff. eod. l. 45. ff. de furt.

Privatis ut ſuis) Ne tamen iis abutatur. Intereſt enim reip. ne ſua re quis male utatur. §. fin. Inſt. De his, qui ſui, vel al. jur. Deinde & hoc notandum eſt, publicæ neceſſitatis, vel utilitatis gratia poſſe privatorum dominorum liberam diſpoſitionem ſuo modo jure inhiberi, & impediri per dominium eminens reipublicæ: de quo vid. Grot. lib. III. de Iure Belli, & Pac. c. 20. §. 7. & Boeclerus peculiari diſſert. ad Grotii lib. I. c. 1.

Sunt autem privata) Poetæ, & qui fabulas eorum pro vero arripuerunt, finxere inter priſcos mortales promiſcuam bonorum communionem: qua quamdiu uſi fuerint, feliciſſime vixerint. Illarum opinionum magnam collegit meſſem Grotius de Mari libero cap. 5. & lib. II. de Iure Belli, & Pac. c. 2. iiſque & ipſe calculum ſuum adjecit. Sed cum non ſolum ex verbo revelato conſtet, Deum univerſale dominium mundi, omniumque rerum creatarum, quatenus hæ obnoxiæ queant eſſe dominio, & uſibus humanis, titulo donationis conceſſiſſe Adamo, & per hunc humano generi: ſed & ſocietates cumprimis civiles, ſine diſtinctis rerum dominiis, & proprietatibus, commode, nedum feliciter regi nequeant; abſque illis ceſſent & juſtitiæ, & liberalitatis officia; hinc recte colligitur, illam primævam rerum communionem eſſe merum commentum. At dominia rerum particularia, hujus, vel illius reipublicæ, Caii, Mævii, Sempronii, non ſunt a natura, ſed illa adquiruntur vel facto hominis interveniente, vel ex diſpoſitione legis: utro autem id fiat modo, vel adquiritur dominium originarium rei, puta, quæ in nullius dominio particulari olim fuerit, aut in eo eſſe deſierit; vel derivativum, ubi res ex unius dominio in alterius dominium tranſit: de quibus agit late Grotius d. lib. II. cap. 2. & ſeqq. Quando ergo Cicero ait, *privata nulla eſſe natura*, de dominiis particularibus hoc ſolum verum eſt. Dixi, Deum Adamo, & per hunc generi humano dediſſe Vniverſi dominium: ex illo veriſimile eſt populos, ſi id, quod plerumque fit, reſpicimus, terras prius occupaſſe, non imperio tantum, ſed & dominio: & poſt illa agros in privata dominia deſcriptos fuiſſe. Tacitus de Germanis: *Agri pro numero cultorum ab univerſis per vicos occupantur, quos mox inter ſe ſecundum dignationem partiuntur*. Quamobrem quæ primitus a populo ſunt occupata, neque poſtmodum diſtributa, ea cenſenda ſunt propria eſſe populi. Grot. II. de Iure Belli, & Pac. cap. 8. n. 8.

Veteri occupatione) Exponit jam modos, quibus privata rerum dominia adquirantur: interque eos merito ſuo primo ponit loco occupationem. Nam jure donationis a Deo Adamo, & per hunc in univerſum genus humanum dominium univerſale fuit collatum, ſic ut quiſque rei, cujus dominium habebat actu primo, conſequeretur ejuſdem dominium actu ſecundo per occupationem, ſeu apprehenſionem, modum & antiquiſſimum, & maxime naturalem; unde bene Cicero occupationem veterum hic appellat. Vnde etiam Nerva recte dixit l. 1. §. 1. ff. de acq. vel amitt. poſſ. dominium a naturali poſſeſſione cœpiſſe. Hinc veteri modo adjungit alterum Grotius, diviſionem, quam bonis rationibus, ni fallor, rejeci in meo Commentario Grotiano. Apparet hinc, quomodo fiat acquiſitio dominii per occupationem, particularis, inquam, non univerſalis dominii, in actu ſecundo, non primo conſiderati; ideo enim per occupationem tale dominium adquiritur, quia jus univerſalis dominii habemus, non autem hujus juris cauſa eſt occupatio. Eſt vero occupatio, corporis ad corpus dominii acquirendi gratia facta applicatio: qualis circa res mobiles maxime fit manibus, circa res ſoli pedibus. Suntque ejus diverſæ ſpecies. Huc enim referendæ ſunt venatio, aucupium, piſcatio. Sic quoque adquiri poſſunt *ἀδέσποτα*, res hero carentes, inter quas etiam putantur theſauri, id eſt, pecuniæ, quarum dominus ignoratur. Ceterum occupatio tum demum idoneus adquirendi dominii modus eſt, niſi lex civilis interceſſerit. Sunt enim hæc juris naturalis non ſimpliciter, ſed pro certo rerum ſtatu, id eſt, ſi aliter cautum non ſit. Falluntur igitur Iuriſconſulti, qui hæc ita putant naturalia, ut mutari

tari nequeant. Nam theſauros quod attinet, Germanici populi ut & alia *ἀδέσποτα*, licite addixerunt principi: atque id jus apud complures gentes invaluit. Nam & id in Gallia, Hiſpania, Anglia, Dania, & alibi idem obſervatur. De fluvialibus incrementis, alluvionibus, inundationibus vide præter ICtos, Grot. d. l. Quod ſi occupaveris animalia, etiam tuo dominio ſubeſt eorum genitura, ac proles. Adde noſtrarum Inſtit. Iuriſpr. lib. II. tit. 5. art. 4. ſeqq.

Aut victoria) Lambinus unius codicis fide ſuffultus, horum verborum juſtum ordinem hunc eſſe putat, *aut bello, ut qui victoria potiti ſunt*. Nam ea, quæ ex hoſtibus capimus, jure gentium ſtatim noſtra fiunt; adeo ut & liberi homines in ſervitutem noſtram deducantur, inquit ICtus §. 17. Inſtit. de rer. dom. Cyrus apud Xenoph. V. Παιδείας· Νόμος ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιός ἐστιν, ὅταν πολεμούντων πόλις ἁλῷ, τῶν ἑλόντων εἶναι τὰ χρήματα. *Perpetua inter homines lex eſt, ut hoſtium civitate capta, bona illorum fiant capientium.* Hinc illud tritum: *Omnia ſunt virorum fortium.* Grot. III. de Iure Belli, & Pac. cap. 6.

Aut lege) Tales erant leges agrariæ, juxta quas coloniis deducendis agri adſignabantur. Roſin. l. X. c. 23. Ceterum adquiſitio, quæ fit lege, vel nititur lege publica, veluti uſucapio; de qua Grotius lib. II. de Iure Belli, & Pac. cap. 4. & 7. vel privata, qualis eſt pactum, aut aliud *συνάλλαγμα*. Vnde liquet, quam commode conjungat Cicero cum lege *Pactum*.

Pactione) Pactio eſt *duorum, pluriumve in idem placitum conſenſus*: inquit Vlp. l. 1. §. 2. ff. de pact. Quidquid igitur ex emptione, aliove tali contractu, ad transferendum dominium habili, traditum habueris, tuum eſt, l. 20. C. de pact.

Conditione) Nonnulli hoc idem eſſe putant cum pactione, vel conditione, pacto, vel ſtipulationi adjecta, v. g. ſi filiam meam duxeris, dotis nomine dabo tibi mille. Fit autem ſub conditione ſtipulatio, cum in aliquem caſum differtur obligatio, ut, ſi aliquid factum fuerit, vel non fuerit, ſtipulatio committatur. Sed etiam alio ICtorum uſu hæc vox hic accipi queat pro certo ſtatu. Ita ſi conditione ſeu ſtatu princeps fueris, patrimonium principis tuum eſt. Si conſul, tum tua ſunt, quæ conſuli peculiariter ſunt tributa. Poſſet etiam intelligi de contractibus innominatis, quorum obligatio ex conditione dandi, vel faciendi impleta effectum ſuum conſequitur. Grot. lib. II. de Iure Belli, & Pacis c. 12. n. 3.

Sorte) Hic modus acquirendi dominii eſt quaſi a fortuna: unde Iuſtinianus l. 3. C. commun. de legat. ſortem dicit eſſe fortunam judicem in rebus dubiis, aut communibus dividendis. Hujuſmodi fuerunt *κληρουχίαι* Athenienſium. Sic partiti ſunt terram Chanaan Iſraelitæ. Grot. lib. III. de Iure Belli, & Pac. c. 23. n. 9. Adde l. 5. ff. famil. ercifc. & d. l. 3. C. commun. de legat.

Similiſque) Privatum aliquid dupliciter conſiderari poteſt, vel ut civitatis, ſeu municipii alicujus, quatenus illa pars eſt reipublicæ, vel ſingulorum. Vti igitur Arpinas ager Arpinatium dicitur, qui horum proprius; ita ager Senatorius ordinis illius proprius, ager Craſſi, qui hujus ſit proprius.

Quæ natura fuerant communia) Ex ſuperioribus conſtat, non eſſe hæc ſimpliciter communia, ſed jus occupandi ſingulis, non obſtante lege, fuiſſe, aut eſſe commune, ut ex dominio univerſali aliquid tranſeat in dominium particulare.

Eo ſi quis) Quod quiſque ex rebus dominii univerſalis ſuum ſibi fecit bono titulo, eo contentus ſit: plus ſi appetat, per *πλεονεξίαν*, jus Societatis turbabit, ſeditionibus anſam præbendo, aliiſque rebus civitatem mire turbantibus: quales erant tabulæ novæ Romanis, quæ Græcis *χρεῶν ἀποκοπαί*, *debitorum abolitiones*, fuerunt, Soloni *σεισάχθεια*, *oneris excuſſio*. Confer lib. II. c. 23. in fin.

Sed quoniam) Iam de beneficentia, ſeu liberalitate aliquid intexit, de qua tamen ſingillatim paulo poſt. Quia enim per illam privatam dominii acquiſitionem multi diteſcunt, egentibus aliis, & naturalis neceſſitudo noſtram opem, ac beneficia erga multos expoſcit; liberalitatis officium eſt, privatas opes ad communem neceſſitatem

tatem

Digitized by Google

atem levandam revocare, pro conunctione ſcilicet, ac communione naurali, quæ cuique cum aliis eſt.

Ad uſum hominum omnia creari) Hæc ſt Providentiæ Divinæ ſumma illa onitas, ut omnia in uſum hominum oudiderit: pro qua illa juſtitiæ officia viciſſim Deo debemus, quæ pietis, ac religionis nomine veniunt. uomodo vero omnia in uſum homiım condita ſint, copioſe diſſerit Ciero extremo lib. II. de Nat. Deor. latonis locus exſtat in epiſt. 2. ad rchitam Tarentinum.

Homines autem hominum cauſa) Hos iim quia in varias ſocietates indintia compulit, ſublevanda illa erit utuis contractibus, artibus, & ſtuis. *Hominem ſociale animal communi no genitum videri volumus*. Seneca I. : Clem. c. 3. *Habeamus in commune, od nati ſumus*. *Societas noſtra lapidum rnicationi ſimillima eſt: quæ caſura, ſi invicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinetur*. eneca ep. 95. Etſi autem verum ſit, mnia eſſe creata propter homines, homines eſſe hominum cauſa; adendum tamen eſt, omnes homines ſſe propter Deum. Sicuti enim omnia Dei bonitate profecta ſunt, ita omnia omines divinis illis donis utentes, ruenteſque ad Dei gloriam præcipue eferre debent.

Fundamentum) Cur vero fides eſt ındamentum juſtitiæ? Quia non ſufficit ad juſtitiam, promittere, paciſci, onventionem inire; ſi fides dictis, oc eſt, promiſſis, pactis, conventiſue præſtetur, hoc demum eſt juſtum ſſe. Vt fidem tuam alteri obliges, epe arbitrii eſt, ſed & frequenter ıſtitia officium hoc exigit: quam fiem ubi præſtiteris, juſtitiæ ſatisfit, t tunc verbis facta reſpondent: in ua verborum (promiſſionum, aut conentionum) cum factis convenientia onſiſtit veritas, quæ juſtitiæ pars eſt. 'ti igitur Horatius fidem ſororem juſtitiæ, ita Platonici ſæpe juſtitiam voant ἀλήθειαν: & Simonides juſtitiam lefiniebat, non modo acceptum redlere, ſed & verum dicere. Meminit ıujus veritatis Ariſtoteles IV. Nicom. '. §. 15. Subjungit deinde προκαταληπτικὴν etymologiam fidei, ab exemılo Stoicorum. Ita in epiſt. ad Tironem: *Noſtra ad dictam diem fient*. *Do- cui enim te, fides ἔτυμον quod haberet*. Notari hic poteſt, pleraſque etymologias Iuriſconſultorum Romanorum non rigide defendendas eſſe, cum Stoicorum more magis alluſionibus definiti naturam, aut proprietatem conſectantibus, quam accuratis etymologiis utantur; perinde uti hic facit Cicero. Quomodo autem vel conveniant, vel differant juſtitia, fides, veritas, pluribus expoſui ad Grot. lib. II. de Iure Belli, & Pac. cap. 11. n. 1. *Fides, libertas, amicitia, præcipua humani animi bona*. Tacit. I. Hiſt. c. 15. *Fide abrogata, omnis humana ſocietas tollitur*, inquit Appius Claudius apud Liv. l. I. c. 14.

Sed injuſtitiæ) Hactenus de officiis juſtitiæ obſervandis: jam de injuſtitiæ duobus præcipue modis, quibus officia juſtitiæ negliguntur. Vnus modus eſt, ſi quis proterve injuriam inferat: alter, qui injuriam ab iis, quibus infertur, non propulſat, cum poteſt, & debet. Non ſolum enim velle quis quid dicitur, cum ipſe quid facit, ſed etiam cum approbat, quod alius facit: id quod multipliciter fieri poteſt. Primo enim vult, & approbat, qui jubet, deinde qui conſentit, tertio qui facientem collaudat, quarto qui lucri particeps fit, quinto qui cum poſſit, & debeat, non impedit, & ſexto denique qui auctorem facinoris receptat. Non impedit autem, qui vel ipſe non obſtat, cum obſtare poſſet, & teneretur, vel non indicat alteri, qui impedire poteſt, cum indicari oporteat. Hinc Philoſophi morales docent, velle nos quædam vel directo, vel indirecto. His igitur modis quis injuſtitiæ culpam, quam alius patrat, in ſe quoque transfert, & alieni criminis reatui magis, minuſve ſe obnoxium reddit. Vide, quæ diximus ad Grotii lib. II. de Iure Belli, & Pac. cap. 21. §. 1. Vtroque modo quomodo injuſtitia committatur, oſtendit. Qui infert homini injuriam, eo nomine injuſtus eſt, quia lædit ſocium; homo enim hominis ſocius eſt. Quæ ſocietas univerſa hominum multa habet jura, omniaque injuſta pronuntiat, quibus illi vis, aut detrimentum inique infertur. Quomodo injuſtus & ille ſit, qui non propulſat injuriam alteri illatam etiam oſtendit:

Digitized by Google

dit: quod tamen duabus conditionibus limitandum eſt, ſi poteſt, & debet. Poſterius omiſit: forſan, quod nihil dubitaret, homines ad propulſandam injuriam, aut vim injuſtam, quæ alteri infertur, plane obligatos eſſe. vel, quod poſterius priori voluerit comprehenſum. *Ad cœtum geniti ſumus: ſalva autem eſſe ſocietas niſi amore, & cuſtodia partium non poteſt*. Sen. II. de Ira c. 31.

Perturbatione) Perturbationis vocabulum hic non nude denotat affectus, ſed illorum exorbitantiam, more Stoicorum, qui eo nomine omnes affectus omnino eradicandos eſſe docebant. Fortaſſe non eo ſenſu, ac ſi hoc fieri fas eſſet, aut poſſet: qua de re alibi diximus. Videantur ea, quæ contra Grotium in Prolegomenis de Iure Belli, & Pac. pro definitione virtutis Ariſtotelica diſputavimus; ſed ut rigida hac cenſura omnem enormitatem tanto rectius compeſcerent.

Tam eſt in vitio) Non recte; nam non ad eadem omnibus æque præſtanda officia obligati ſumus: nec æquales igitur erunt injuriæ, quæ homini peregrino, quæ civi, & quæ patri inferuntur. Ariſtot. VIII. Nic. 9. §. 8. 9. & 10. *Amicitiæ aliæ magis, aliæ minus ſunt amicitiæ. Differunt autem & jura. Non enim eadem ſunt patribus cum liberis, quæ fratribus inter ipſos: neque ſodalibus, & civibus: ſimiliterque ſe res habet in aliis amicitiis. Differunt igitur & injuriæ horum ſingulorum inter ſe: quæ hoc ſunt graviores, quo amicioribus inferuntur: exempli gratia, ſodalem pecunia fraudare, gravius eſt, quam civem: & fratri non ſuccurrere, quam alieno: & parentem verberare, quam quemlibet alium*. Vnde vero hic error obrepſit Ciceroni? ſine dubio ex Stoico illo Paradoxo: Ἴσα τὰ ἁμαρτήματα εἶναι, *peccata eſſe æqualia*. Cauſam huius dogmatis eleganter aperit nobis Divus Hieronymus de Iuſtit. Matrisfamil. *Stoicorum quidem eſt*, inquit, *delicta omnia paria judicare, nec ullum inter ſcelus, & erratum diſcrimen facere. Nos vero etſi multum inter peccata diſtare credimus, tamen ſatis prodeſſe ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cavere. Non cito ad majora procedet, qui etiam parva formidat*. Adde Cic. III. Parad.

Atque illa quidem injuriæ) Cauſas inveſtigat, quibus ad injuriam inferendam induci ſolent nonnulli. Prima eſt metus: *Naturale eſt & odiſſe, quem timeas, & quem metueris, infeſtare, ſi poſſis*. Minut. in Octavio. Adde lib. II. c. 6. 7. 8. & lib. III. c. 1. Metu igitur ad nocendum incitati ſimiles ſunt gladiatori ad pugnandum compoſito, cui hæc pugnæ propoſita ſors eſt, aut occidere, ſi occupaverit, aut occumbere, ſi ceſſaverit, verba ſunt Gellii lib. VII. c. 3. Mox ſubjungit: *Hominum autem vita non tam iniquis, neque tam indomitis neceſſitatibus circumſcripta eſt, ut idcirco prior injuriam facere debeas, quam, niſi feceris, pati poſſis*. Etſi igitur aggreſſoris vim occupare licite poſſis, non tamen metus qualiſcumque ad jus occupandæ cædis ſufficit, ſed præſentiſſimi periculi. Grotius de Iure Belli, & Pac. lib. II. c. 1. n. 5. Et licet non ſpernendum ſit, quod Polybius ait ſub fin. lib. I. *Numquam ejuſmodi principia contemnere oportet, neque tanta cuiquam adſtruenda eſt potentia, ut cum eo poſtea de tuo, quamvis manifeſto jure, diſceptare ex æquo nequeas*; non tamen qualiſcumque metus juſtam belli ſuſcipiendi cauſam ſuppeditat. Vt enim juſta ſit defenſio, neceſſariam eam eſſe oportet, qualis non eſt, niſi conſtet, non tantum de potentia, ſed & de animo, & quidem ita conſtet, ut certum id ſit, ea certitudine, quæ in morali materia locum habet. Quare minime eſt probanda eorum ſententia, qui juſtam belli cauſam ſtatuunt, ſi vicinus nulla pactione impeditus in ſuo arcem faciat, aut munitionem aliam, quæ damnum aliquando dare poſſit. Nam adverſus tales metus contrariæ in ſuo munitiones, & ſi qua ſunt ſimilia, remedia quærenda ſunt, non vis bellica protinus adhibenda. Grotius lib. II. de Iure Belli, & Pac. c. 22. n. 5. Vide quæ annotavi ad lib. III. c. 8.

Maximam autem partem) Altera injuſtitiæ cauſa eſt cupiditas, huiuſque præcipue prava ſpecies avaritia, quæ item multiplex eſt. Alii enim ſolum avari ratione δόσεως deficiunt, alii etiam ſimul ratione λήψεως excedunt: atque tum hæc avaritia dicitur ὁλόκληρος Ariſtoteli. Qui ratione δόσεως deficiunt, illi dicuntur φειδωλοί, γλίσχροι, κίμβικες, κυμινοπρῖσται; pro-

ita

enaces, *ſordidi*, *cuminiſectores*. Ratio-
ie ἀνελευθεροι excedunt, οἱ τας ανελευθε-
ρους εργασιας εργαζομενοι, και πορνοβο-
σκοι, και παντες οἱ τοιουτοι, και το-
κισται, και τα πολλα επι μικρῳ, οἱ
αισχροκερδεις, κυβευτης, και ὁ λω-
ποδυτης, και ὁ λῃστης· *Qui illiberales
peras præſtant*, *ſordidas artes exercent*,
nones, *& omnes hujus notæ homines*,
neratores item, *& qui in exigua re
agnum luctari ſciunt*: *turpis lucri cu-
idi*, *aleator*, *ſtellio veſtiarius*, *latro*.
riſt. IV. Nicom. 1. §. 82. ſeqq. De-
de avaritia vel ſola poſſidet homi-
em, vel cum aliis vitiis, cumpri-
is luxu, eſt conjuncta, ut huic per
lam ſemper ſuppeditentur inſtrumen-
. Atque his juxta Ovidium ſtu-
um eſt

*Quærere, ut abſumant, abſumpta re-
quirere certent*;
Ipſis ut vitiis ſint alimenta vices.

inc ſubjungit Cicero pecuniariæ cu-
ditatis duas eſſe primarias cauſas,
eceſſitatem, ſeu indigentiam, & lu-
um. Nummus enim ſuccedaneus, &
icarius indigentiæ ex hominum inſti-
uto factus eſt. V. Nicom. 5. §. 29.
αλλαγμα της χρειας το νομισμα γεγο-
κατα συνθηκην. Eſt ergo indigen-
a duplex, naturalis una, altera vi-
oſa; atque hanc vel acuit avaritia,
el amplificat luxuria, ſumptuoſum
itium. Add. noſtrarum Inſtit. Iuriſp.
b. II. tit. 42. & lib. III. tit. 1. aph. 13.

CAPUT VIII.

IN quibus autem major) Nonnulli o-
pum deſiderio iniquo agitantur,
ultiſque modis injuſti ſunt, ut ſibi
el opes, hoc eſt, potentiam ad-
ruant, vel ex illarum largitionibus
uram popularem captent, quales ſunt
eneroſiores, & naturali quadam ma-
nanimitate præditi. Imitantur ſcili-
et vere magnanimos, qui poſſident
mne id, quod in virtutibus eſt το
εγιστον *maximum*, atque ſic etiam in
beralitate: uti docetur IV. Nicom. 3.
xempli loco proponit talem oſtenta-
orem Craſſum, poſt Sullam omnium
uiritium ditiſſimum, teſte Plinio lib.
XXXIII. c. 10. qui hanc vocem ita
arrat: *Ex eadem gente M. Craſſus ne-
abat locupletem eſſe, niſi qui reditu an-
uo legionem tueri poſſit*. Increpat illum
his verbis Plutarchus in vita M. Craſſi
pr. *Illud parum recte, quod neminem cen-
ſeret, vel prædicaret divitem eſſe, qui ſuis
fructibus exercitum alere non poſſet. Bel-
lum enim, ut ait Archidamus, certum mo-
dum non habet pabuli. Itaque opes ad bel-
lum definiri nequeunt*. Sed unde illi hæ
divitiæ? ex igne, & bello, uti pau-
cis ante hæc verba lineis oſtendit idem
Plutarchus.

Delectant) Præterea divitiæ etiam
expetuntur ideo, ut quis ſplendide,
eleganter, inque omni rerum affluen-
tia vivat. Luxus enim plurimis indi-
get: Frugalitas contra eſt contenta
paucis. Itaque præter metum, avari-
tiam, ambitionem, etiam luxus plu-
rimarum injuriarum cauſa eſt.

Nec vero) Occupatio. Ergo ne, in-
quis, non licet rem familiarem au-
gere, & locupletare? Imo vero, in-
quit, licet; modo ut juſto titulo fiat
adquiſitio, nec cum damno, ac inju-
ria alterius locupletior eſſe velis.
Grot. II. de Iure Belli, & Pac. c. 2.
n. 2. ubi in Annotatis Solonis ſenten-
tiam plane convenientem allegat.

Maxime autem) Ad injurias inferen-
das paratiſſimum eſſe ſtimulum ambi-
tionem, & æmulationem docet. Nec
majori contentione ulla bella gerun-
tur, aut privatæ inimicitiæ acrius
exercentur, quam quæ hanc habent
cauſam. Quæcumque enim ſocietas,
aut reſpublica eſt comparata, ut non
ſuſtineat plures in ſummo potentiæ
gradu, hunc tamen plures ambitioſe
affectent, neceſſe eſt, ut per horum
colliſionem, & æmulationem ea labe-
factetur: dat enim quiſque operam,
quomodo variis artibus alterum depri-
mat, ſe extollat. Exempla habemus
in Romulo, & Remo, in Romulo, &
Tatio, item in triumviratu Craſſi,
I. Cæſaris, & Cn. Pompeii, deinde in-
ter ipſum Cæſarem, & Pompeium,
& his fato functis inter Auguſtum,
M. Antonium, & Lepidum. In Turci-
co Imperio ad hujuſmodi injurias non
tam ambitio, quam legis immanitas,
&, peſſimi ſtatus peſſima, ratio impel-
lit. Vbi enim primogenitus ſucceſſe-
rit, reliquis fratribus ſtrangulationis
inſtrumentum faſcia vel muneris lo-
co ſæpe mittitur. Quia vero Cicero
in recentiſſima memoria habebat am-
bitionem, indeque natas injurias Cæ-
ſaris,

Digitized by Google

ſatis, hunc graviter accuſat, quod jura divina, & humana perverterit. Confer lib. III. c. 21.

Jura Divina) Bellum contra patriam gerens impium, nulla Numinis reverentia, nullo Providentiæ divinæ metu, nullis Naturæ, aut Civitatis Romanæ juribus conſideratis.

Opinionis errore) Non ſolum ad hujuſmodi facinus, ſed ad omnia omnino vitia opinionum erroribus traducimur, dum male cauta mens ſibi a blandientibus, aut furibundis affectibus imponi patitur. Eodem errore principatus & alii fuerunt decepti. *Miltiades*, inquit Corn. Nepos in vita ejus, *multum in imperiis, magiſtratibuſque verſatus, non videbatur poſſe eſſe privatus, præſertim cum conſuetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur*. Livius lib. II. memorat, Tarquinios neſciviſſe privatos vivere. Και δια τουτ' ισως Ἰασων εφη, πεινην ὁτε μη τυραννοι. ὡς ουκ επισαμενος ιδιωτης ειναι. *Iaſon dicebat, ſe, niſi imperaret, fame moriturum, ac ſi non didiciſſet privatus vivere*, inquit Ariſtot. III. Pol. 3. p. 148. quo tamen exemplo ille ad aliud propoſitum ibi utitur.

Eſt autem in hoc genere) Hoc eſt quod Ariſtoteles his verbis exprimit I. Pol. 2. p. 8. *Quemadmodum perfectum, & optimum omnium animalium homo eſt: ſic ſecretum a lege, ac juſtitia peſſimum omnium. Moleſta enim maxime injuſtitia eſt, quæ arma habet. Homo autem armis munitus naſcitur, ſolertia, & generoſitate, quibus ad contrarias res uti licet maxime. Quare ſceleratum, & ferum maxime eſt ſine virtute, & ad venerem, ventremque deterrimum*. Platonis hoc eſt; Αἱ μεγαλαι φυσεις μεγαλας εκφερουσι και τας κακιας. *Magna ingenia, magnas quoque proferunt improbitates*. Nullum magnum ingenium ſine mixtura dementiæ, inquit alius. Tacite igitur commendat Cicero Cæſaris generoſam indolem, de qua, aliiſque ejus elogiis videri poteſt Plin. l. VII. c. 25. Hiſt. Natur.

Sed in omni) Hæc optime explicantur ab Ariſtotele lib. V. Nicom. c. 8. §. 16. ſeqq. ubi dicit eſſe tria genera βλαβων· ατυχημα, *infortunium*, ſeu *caſum fortuitum*; ἁμαρτημα, *culpam*; & αδικημα, *injuriam*. Ατυχηματα, ſunt, inquit idem I. Rhet. 13. quæcumque fiunt præter rationem. Ἁμαρτηματα quæcumque non præter rationem, non tamen a malitia proficiſcuntur. Αδικηματα, quæcumque non præter rationem, ſed a malitia ſunt. Ατυχηματα Cicero prorſus omittit, ſine dubio, quod propter caſus fortuitos, ſi ſint mere tales, nec aliqua acceſſerit culpa, nemo injuſtus dici poſſit, aut injuriam proprie dictam feciſſe. Vide quæ diximus ad Grotii lib. III. de Iure Belli, & Pac. c. 11. §. 3. & 4. & quæ ibi citavimus ex noſtro tract. de Princip. act. human. & Diſquiſ. de Pœnis.

CAPUT IX.

PRætermittendæ) Supra duo injuſtitiæ genera conſtituerat, quorum prius eſt eorum, qui injurias inferunt, alterum eorum, qui illatam injuriam non propulſant. Sicuti igitur præcipuas quaſdam enumeravit cauſas, quibus commoti injurias inferre ſolent; ita jam recenſet cauſas, quibus multi defenſionem illorum negligunt, quos tueri poterant, & debebant.

Inimicitias) Primo hoc fieri adſolet fuga inimicitiarum, cumprimis ſi contra potentiorem defendendus cliens ſit, v. g. Si quis exciderit gratia Principis immerito, & quidem per calumniam, quiſque fere defenſionem illius fugit, metu inimicitiarum, ejuſdemque ſortis.

Laborem) Qui in quavis republica multiplex eſſe poteſt adminiſtrando res, magiſtratuſque vias eundo, redeundo, cauſas agendo, jus dicundo, bella, ac expeditiones ſuſcipiendo, ac proſequendo. Hæc, aliaque cum ad arcendas injurias pertinere poſſint, multi laborum fuga illa detrectant.

Aut ſumtus) Hi ſunt, qui propter tenacitatem talia munera, aut operas defugiunt, quæ ſine pecunia recte geri, atque expediri nequeunt; pecunia enim eſt nervus rerum agendarum. Sic defenſionem contra officium negligunt, qui tempore neceſſitatis, veluti expeditionis Turcicæ, opes ſuas diſſimulant, ne debitam quantitatem conferant, aut alias tempori tam neceſſario ſumtuum metu ſuum ſtudium ſubducunt.

Negligentia) Hi ſunt, qui periculum

Digitized by Google

um imminens non ſatis exacte æſtimant, & ſecuritate iſta, ſe, alioſque opprimunt, aut opprimendos offerunt.

Pigritia) Hi ſunt, qui otio ita ſunt lediti, ut malint in eo extingui, quam breviſſimo etiam tempore eo defraudari, & laboribus defenſionis neceſſariæ vacare.

Inertia) Hi ſunt, qui vel res pa-is, aut belli ignorant, & periculis ngruentibus ad omnia trepidant, ſe, lioſque deſtituunt, ac rebus conclamatis ſubito deſperant. Si quis vero æc ad Statum Imperii Germanici traucere, cauſaſque explorare velit, ur tot Principum, provinciarum, ac rbium defenſio prætermittatur, & ficium deſeratur, ejus rei non modo ıs, ſed plures cauſas deprehendet. i igitur homo injuriam a quovis hoine propulſare tenetur, quantopere eccabit Reſpublica, quæ a ſuo cive lam non arcet, cum poſſit? Grot. l. de Iure Belli, & Pac. c. 25. §. 4. . 6. & 1.

Aut ſuis ſtudiis) Varia ſunt hominum ſtudia, interque ea multa laudanda, ſi modo interea officium non egligatur; quædam vero ſunt vana, : inutilia. Atque his omnibus ita epe addictos videas homines, ut ſui liorumque defenſionem, ac injurias reendas magno cum crimine negliant. Quis igitur non increpet Dioenis ineptias, qui cives reliquos nagno ſtrepitu defenſionem patriæ rgentes videns, ſuum dolium per lateas ſurſum deorſum volutavit, e ſolus, uti inquiebat, otioſus eſet?

Itaque videndum) Modeſte reprehenit Platonem, paſſim felices, & juos pronunciantem Philoſophos, quod bi, ſuæque contemplationi vacant, rocul habitis humanis curis; iiſque ebus, de quibus velut ſummis bois homines dimicare ſolent, veluti pum affluentia, honorum ſplendore. ane ſi in Civitate tales vivant, & pſi quidem ad Reipublicæ clavum nanum non admoveant, alios tamen loneos ad illius adminiſtrationem efcere ſtudeant, non improbanda eſt pſorum vita & opera. At ſi & ipſi e ſubducant, nec aliis viam comnonſtrent, magnam merentur reprehenſionem. Etſi enim neminem lædant faciendo aliquid inique, fit tamen illud omittendo, deſerendo cives, & amicos ſuos, ad quorum defenſionem ſunt obligati. Hinc judicium fieri poteſt de iis, qui quidem multa didicerunt, otii, aut literarum vero amore, omnibus negotiis ſe ſubducunt. Huc pertinet parabola Chriſti de talentis fœnori locandis.

Itaque eos) Hoc etiam ad commendationem Philoſophorum Platonicam pertinet. Horum ſententiam nobis exprimit Ariſtot. VI. Nicom. 8. §. 12. quaſi illi qui Reipublicæ manus admoveant, ſint πολυπραγμονες, pro curioſis hominibus habendi. Male. Nemo enim ſuam operam debet denegare Reipublicæ, aut niſi coactus illam exhibere: hinc enim nulla laus illi debetur, nec juſti appellatio. Iuſtus enim is dicitur demum, qui juſta facit certo modo ipſe affectus, videlicet Ειδως, προαιρυμενος, και προαιρυμενος δι αυτα, βεβαιως και αμετακινητως εχων. *Sciens, conſilio capto, & conſilio ipſius juſtitiæ amore capto, conſtanti & immutabili affectione erga illam præditus.* II. Nic. 4. §. 7. ſeqq. Της αρετης γαρ και των ηθων εν τη προαιρεσει το κυριον. *Virtutis enim, & morum præcipuum momentum in proæreſi vertitur*, inquit l. VIII. Nicom. c. 13. §. fin.

Sunt etiam) Sunt alii, qui Reipublicæ negotia fugiunt, rei familiari unice intenti, ut labore ſuo ſibi neceſſaria parent, aut cuſtodiant, nec inique aliis quid eripiant: alii idem faciunt propter μισανθρωπιαν. Hos igitur omittendo officium juſtitiæ injuſtos fieri dicit, licet non fiant tales contra officium ejus faciendo. Rerum enim & officiorum communicatione ſocietas, & conjunctio manet V. Nicom. 5. §. 10. Sublata autem tali communicatione, ſocietas conſtare nequit. Ibid. §. 45.

Quoniam igitur) Concludit hanc de juſtitia, & injuſtitia doctrinam, monetque, ſi forſan dubii caſus alii nonnulli occurrant, quos ipſe non tetigerit, pro ratione temporis, hoc eſt, circumſtantiarum facile judicare nos poſſe, quid faciendum, aut non ſit; modo ne decipiamur affectibus, & reprehendenda φιλαυτια. Σχεδον οι πλειστοι φαυλοι κριται περι των οικειων.

Pleri-

Plerique enim fere mali ſunt judices in ſuis rebus. III. Pol. 6. pag. 165. Ita enim fere comparatum eſt, ut non eam curam geramus, nec tam accuratam cognitionem habeamus rerum alienarum, ſicuti noſtrarum, cujus ille rei cauſam mox ſubjungit. Rectius tamen Chremes Terentianus ſentit, qui quod humani eſt officii, & ad hominem juvandum pertinet, a ſe non putat eſſe alienum. Ita enim hic Cicero hæc uſurpare videtur, paulo aliter, ac apud ipſum Terentium hæc ſunt accipienda. Illa igitur vulgi dicta: Proximus ſum egomet mihi: Quiſque ſibi mavult melius eſſe, quam alteri, emendari volunt Stoici naturali illa neceſſitudine, qua homo commendatur homini, velut amicus amico, qui ſit alter idem.

Quocirca bene) Convenit hoc Apoſtoli verbis ad Rom. XIV. v. 23. *Quidquid non eſt ex fide, peccatum eſt*. Quo in loco fides animi judicium clare denotat. Facultatem enim κριτικὴν Deus actionibus humanis ducem addidit, qua neglecta animus mirifice decipitur. Quando igitur illud judicium nil certi commonſtrat, ſed anceps eſt, hæc Ciceronis regula tenenda eſt: ſicuti & Plinius monet, lib. I. Ep. 19. *Quod dubitas, non feceris*. Peccat enim quiſquis dubia conſcientia quidquam agit, inquiunt recte Scholaſtici. Qui enim ſe exponit periculo peccandi, is peccat: jam vero omnis de actione aliqua dubitans, bona ſit, an mala, & nihilominus temere illam ſuſcipiens, is exponit ſe periculo peccandi. Præterea qui vult peccatum, is peccat, & qui dubia conſcientia quid agit, ille vult peccatum. Quia enim dubitat, bonum hoc ſit, an malum, utrumque fieri poſſe putat, videlicet ut recte faciat, & ut male, ſi id agat. Horn. Phil. Mor. p. 330. Grot. de I. B. & P. l. II. c. 23. n. 2. & quæ ibi commentati ſumus. Hinc addit Cicero, dubitationem, cogitationem, hoc eſt, προαίρεσιν injuriæ ſignificare. Atque hinc lege divina Levit. c. 5. v. 17. & 18. peccata per ignorantiam commiſſa ſacrificio jubentur expiari. Quam quidem legem Hebræorum magiſtri de tali caſu exponunt, quo quis anceps, & dubius de aliqua actione, eam nihilominus perpetrat. In hanc Ciceronis regulam vehementer impingunt Caſuiſtæ, & Probabiliſtæ, qui qualemcumque opinionem probabilem tutam reddere conſcientiam putant: quam abſurdam ſententiam ex ſolidis principiis refutavi in Appendice Lud. Montaltii Literis Provincialibus adjecta.

CAPVT X.

SEd *incidunt*) Hoc eſt, quod Ariſtoteles toties inculcat, materiam moralem non admittere ἀκρίβειαν μαθηματικὴν, aut perpetuas, exactasque demonſtrationes, ſed obtinere illam in multis certitudinem ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, hoc eſt, quæ pleramque ſit veraque ſit; ſæpe tamen eam contingentem eſſe. In his enim circumſtantiæ vel minimæ variant rem. Tale eſt juris naturæ hoc principium, depoſitum eſt reddendum, ut plurimum verum; ſed nonnumquam ſi illi quis ſimpliciter inhæreat, nulla habita ratione circumſtantiarum, contra officium faciet; nec enim furioſo gladius depoſitus eſt reddendus, licet acceſſerit pactum, & promiſſum furioſo factum. Confer. lib. III. c. 25. Etſi enim & hoc ſit jus naturæ principium, fides & promiſſa ſunt ſervanda; nonnumquam tamen, urgente circumſtantiarum ratione, nec illi crude inhærendum eſt. Ita aliquando etiam veritatem prudenter diſſimulandam eſſe monet: ceu fecerunt obſtetrices Ægyptiæ, quæ eo ipſo rem Deo gratam feciſſe leguntur. Aliquando etiam a fide non ſolum recedere licet, ſed & oportet, ut ipſe mox explicat. Si enim læſio ex talium præceptorum obſervatione oriri poſſit, aut proſpici, communi utilitati tale quid obfuturum, deſinunt tales actiones juſtæ eſſe, fiuntque injuſtæ, ſi perficiantur. In univerſum notandum eſt, ea eſſe juris naturæ, & ad ea nos eſſe obligatos, quæ per ſe conſervant ſocietatem humanam, & illa nos omittere oportere, quæ iſti nocent, ejuſque fini adverſantur. Si igitur quædam naturæ regulæ non ſint omni tempore veræ, meminiſſe debemus, ab iis tum demum nobis recedendum eſſe, ſi, ubi his ſtricte inhæ-

inhæſeris, majoris auctoritatis præceptum aliud, aut ipſa ſocietas, ejuſque communis utilitas & ſalus violabuntur.

Poteſt enim accidere) Ita quidem eſt, quod facti per ſe illiciti promiſſa non valeant. Deinde nec illa ſunt ſervanda, quæ inutilia ſint futura iis, quibus promiſeris; manet tamen obligatio naturaliter ſub hac conditione, ubi deſierint eſſe inutilia illi. Addit tertio, nec iis promiſſis, aut conventis ſtandum eſſe, quæ inutilia futura ſint ei, qui promiſerit. Quod recte intelligendum eſt, ne fides omnis, quam fundamentum juſtitiæ dixit eſſe, tollatur, & fraudibus, & perjuriis feneſtra aperiatur. Explicat vero paulo poſt, quomodo hoc velit intelligi, promiſſa illa non eſſe ſervanda, quæ danti plus noceant, quam illi proſint, cui promiſſa fuerint. Quid vero ſi fidem tuam adſtrinxeris? nonne ad ſolvendum promiſſum obligatus eris? ita ſane videtur. Sed is, cui promiſſum eſt, ejus æquitatis erit, ut non cupiat, cum majori promittentis damno, quam ipſe utilitatem inde percipere poſſit, fidem liberari. Non igitur hic quidquam definiri poteſt, quod perpetuo obtineat: ſunt enim hæc κατὰ περίστασιν ἀνήκοντα, *Officia variis circumſtantiis involuta*. Vide, quæ diximus ad Grotii lib. II. de Iure Belli & Pacis cap. 11. §. 1. & ſupra de Officiis περιστατικοῖς.

Nam ſi Neptunus) Theſeus Rex Atticus ex Hippolyta Amazone genuit Hippolytum: qua mortua, duxit Phædram. Hæc, abſente marito, privigni formoſitate capta, cœpit illum de ſtupro compellare. Quod novercæ flagitium cum detrectaſſet privignus, reverſo marito per calumniam Hippolytum detulit, quod ſe ad ſtuprum pellicere tentaſſet. Qua injuria exandeſcens Theſeus, & trium rerum optionis a Neptuno ſibi permiſſæ memor, hoc elegit, ut male periret filius. Hippolytus, & patris ira, & dolo novercæ cognito, deque nece ſua deliberari intelligens, conſcenſo curru fugam arripuit. Sed dum phocæ, quæ tum forte in littus exierant, equorum, & rotarum ſtrepitu perterritæ, magno impetu ſe in mare præcipitarent, exterriti equi, fruſtra obluctante Hippolyto, currum per ſcopulos, & ſaxa traxerunt, juvenemque infelicem habenis implicitum varias in partes diſcerpſerunt. Confer. lib. III. c. 25.

Nec promiſſa) Hic vero notandum, an promiſſa ſint futura inutilia, ſi expleantur, non tam ex judicio promiſſoris, quam ejus, cui promiſſio facta eſt, æſtimandum eſſe. Grot. d. l. Confer. lib. III. c. 25.

Contra) Hoc quidem verum eſt, ubi ſimpliciter tui eſt arbitrii, ut alterutrum eligas: at ubi ad majus damnum te per promiſſionem obligatum reddideris, adſtricta eſt tua libertas; quod vinculum, vel aperta ejus, cui promiſſio facta eſt, vel ſaltem præſumta quandoque relaxat æquitas, & humanitas.

Ut ſi conſtitueris) Nec enim quælibet officia cuique ſunt tribuenda, inquit Ariſtot. lib. IX. Nicom. c. 2. §. 8. & 17. Sed obſervandum, quanta vel acceperis beneficia, vel ad quanta huic, ad quanta iſti, ac alii ſis obligatus; tum ubi major ſit neceſſitas, & honeſtas. Ibid. §. 7. *Conſtituere* autem hîc ſignificat ad certum tempus, aut diem promittere; t. t. ff. de Conſtit. pecun.

In rem præſentem) Hac forma veteres ICti utebantur, ubi quæſtio erat de Finibus: quamvis & alias, ubi neceſſaria erat loci inſpectio, quo de agebatur, in rem præſentem Iudices veniebant. Briſſon. de Formul. l. V. pag. 433.

Iam illis promiſſis non ſtandum eſſe) Promiſſa metu extorta, aut dolo elicita vel ſunt ſimpliciter talia, vel inſuper juramento confirmata. Si juramentum, vel fœderis ſanctitas acceſſerit, iſtis promiſſis omnino ſtandum eſt, etiamſi metum, ac dolum cauſas habeant. Iuramento enim, licet per metum injuſtum extorto, homo non homini tantum, ſed & Deo obſtringitur, adverſus quem metus exceptio non eſt, inquit Grotius lib. III. de I. B. & P. c. 19. n. 5. Idem l. II. c. 13. n. 14. ita docet, ex tali juramento eum hominem, cui juratum eſt, nullum jus conſequi, jurantem tamen nihilominus ſtare debere jurijurando, quia Deo juraverit. Ipſe Cicero III. Off. laudat Pom-

Digitized by Google

ponium tribunum, qui ſervavit, quod terrore coactus juraverat. *Tantum*, inquit, *temporibus illis jusjurandum valebat*. Quod ſi juſto metu quis ad depectiones coactus fuerit, veluti bellico, non licet ab iis recedere. Quibus vero caſibus naturaliter quidem ex promiſſis etiam metu expreſſis obligatio naſcitur; poteſt illa tamen remedio juris civilis minui, aut tolli, ſic ut hoc non ſit juri naturæ adverſum, ſed potius conveniens. Quia enim coactus voluit (quales actiones ſpontaneis, quam invitis ſunt ſimiliores) mero quidem jure ſubſiſtit contractus, aut pactio, licet bonæ fidei fuerit, per l. ult. C. quod met. cauſa. Quia tamen malo more metu illato libera plane contrahendi voluntas conſtringitur, ideo Prætor apud Romanos reſtitutionem in integrum ſuis edictis dabat. Sic quoque quæ dolo geſta, aut promiſſa ſunt, non ſemper ſunt ipſo jure nulla. Circa quas difficultates expediendas ICti diſtinguere ſolent, inter contractus bonæ fidei, & ſtricti juris, deinde inter dolum cauſam contractui dantem, & in eum incidentem. Iſte ſi in bonæ fidei contractu intervenerit, reddit eumdem ipſo jure nullum l. 7. pr. ff. de dol. mal. At in ſtricti juris judiciis contractus quidem ſubſiſtit, ſed dolus actione ex contractu purgatur. Hoc quoque obtinet, ſi in contractum ſolum incidat. De his breviter ita Grotius l. II. c. 17. n. 17. *Qui contractui, aut promiſſioni cauſam dedit dolo, vi, aut metu injuſto, tenetur eum, qui cum actum eſt, in integrum reſtituere, quia ille jus habuit, tum ne deciperetur, tum ne cogeretur, illud ex natura contractus, hoc ex naturali etiam libertate*. Videatur præterea Grotius l. II. de I. B. & P. c. 11. §. 7. Confer lib. III. c. 24. pr.

Nonnulla legibus) Evidens exemplum eſt in l. 2. C. de reſcind. vendit. Sed cum illa diu poſt Ciceronis ætatem lata ſit, merito quæras, quas intellectas ille velit leges, puta juris civilis, quarum beneficio pactionum, ſeu contractuum metu extortorum, aut dolo initorum facta fuerit reſciſſio. Reſtitutio enim in integrum nonniſi jure Prætorio facta eſſe in Digeſtis legitur. Itaque hoc ita erit accipiendum, quomodo generaliter Caius l. 28. ff. de pact. dicit, contra juris civilis regulas pacta conventa rata non haberi, v. g. ſi pupillus ſine tutoris auctoritate promiſerit, ne a ſuo debitore peteret.

Exſiſtunt etiam) Injuriæ quoque proficiſci ſolent a calumnia, vel falſo alios accuſando, vel jus ſcriptum ejuſque apices, & *το ῥητον* contra *διανοιαν* Legislatoris pervertendo: idque accidit, quando Legi univerſalius loquenti omne omnino ſingulare, etiam quod ipſe Legislator voluiſſet exceptum, ſi præcidiſſet, ſubſumitur. Hoceſt illud *ακριβοδικαιον*, *ſummum jus*, Ariſtoteli dictum; præ quo amplectenda eſt *επιεικεια* *Æquitas*, quæ eſt *επανορθωμα νομιμου δικαιου*, *juris legitimi correctio*, quibus ſcilicet partibus defectibus laborat. Ariſtot. V. Nicom. 10. Proponit deinde duo exempla cavillationum calumnioſarum: quorum primo geminum hoc eſt, quod de Phœnicibus, qui Carthaginem condiderunt, fertur; hi enim cum ad Libyam appuliſſent, rogarunt incolas, ut ſe noctem & diem ſuſciperent: quod conſecuti, noluerunt diſcedere, ut qui pepigiſſent, ſe dies noctesque manſuros. Hoc Paulus ICtus vocat *Ius calumniari*, & *verba captare*, l. pen. ff. ad exhib. cum illa torquentur in aliam ſignificationem, quam intellexerit is, qui ea pronuntiavit. ut ait Ant. Auguſtin. IV. Emend. c. 5. Ejuſmodi calumnioſas interpretationes non ſolum in judiciis, ſed & aliis negotiis Rempublicam univerſam concernentibus, veluti fœderibus, pactionibus, tranſactionibus, aliquando inique adhiberi ſolere ait Grot. l. II, de I. B. & P. c. 16.

Decipere hoc) Alia enim ratione debuiſſet hanc litem dirimere, terminis poſitis inter agros recte diviſos, nec alienum Romanis adjudicare. Ceterum latere in hoc facto ſophiſma aliquod politicum videtur.

Solertia) Hæc naturalis facultas, quia ad uſum, vel abuſum poteſt aptari, ideo modo in bona, modo in mala ſignificatione uſurpatur, quemadmodum & Græcum *δεινοτης*. Hic enim per ſolertiam nihil aliud quam aſtutiam, ſeu calliditatem Cicero denotat. Ariſt. VI. Nic. 13.

CA-

Digitized by Google

Caput XI.

Sunt autem) Solent nonnumquam pœnæ exigendæ cauſa bella ſuſcipi : quæ quidem cauſa cum altera de damno reparando plerumque conjuncta eſt , quando idem laceſſentis hoſtis actus , & vitioſus fuit , & damnum reipſa intulit ; ex quibus duabus qualitatibus duæ diverſæ naſcuntur obligationes , partim ad pœnam , partim ad damni reſtitutionem pertinentes . Grot. II. de I. B. & P. c. 20. n. 38. Superſunt igitur etiam quædam jura , & officia inter hoſtes , certe ſupereſſe debent . Aliquando ſufficit eo adigere hoſtem , ut ipſum ſuæ injuriæ pœniteat , ſi videlicet præter damni reſtitutionem hoc obtinueris , ut & de ipſo , & de aliis per tale exemplum ſecurus ſis , ne tale quid deinceps committant . *Majores noſtri* , inquit Salluſtius Bell. Iugurt. *religioſiſſimi homines nihil victis eripiebant , preter injuriæ licentiam*. Maxime vero id locum habet , ubi aut nos quoque nobis peccati alicujus ſumus conſcii : aut id quod in nos peccatum eſt , ab humana quadam , & excuſabili infirmitate procedit , aut ſatis apparet , pœnitere eum , qui nocuit . Grot. II. de I. B. & P. c. 24. n. 3. Interim non ſemper hic ſubſiſtere poſſumus , uti vel ipſo loquendi modo indicat Cicero . De Finibus pœnarum vid. Grot. eod. cap. & noſtra de hoc argumento Diſquiſitio Philoſophica . Add. Grot. l. III. de I. B. & P. c. 11. §. 1. Hoc vero præceptum de moderanda pœna , & ultione non ſolum in bello adverſus hoſtes , ſed & inimicos privatos locum habet . Pertinent huc Lucani verſus ex l. II.

Sylla , quod exiguum reſtabat ſanguinis urbi ,
Hauſit : dumque nimis jam putrida membra recidit ,
Exceſſit medicina modum .

Atque in Republica) Duo ſunt tempora Reipublicæ , Pacis , & Belli . Priori ſi quædam oriantur querelæ , in judiciis diſceptantur , ac dirimuntur . Quia vero ſæpe inter diverſas reſpublicas , quarum una alterius judicio obnoxia non eſt , oriuntur controverſiæ , bello fere definiuntur , quæ judicio explicari non poterant . Cum autem maximi momenti res ſit bellum , ut ex quo mala plurima etiam in innocentes redundant , ſic ut hoc diſceptandi genus belluarum dicatur ; hinc omnia ante tentanda ſunt , quam ad arma conclametur . Notandum tamen , bellum non ſimpliciter eſſe belluarum , ſed hactenus , quod ſit modus dirimendi controverſias præternaturalis . Natura enim cumprimis judiciis , aliiſve bonis conditionibus vult lites terminari . Præternaturalem dixi hunc eſſe modum , non tamen eſt prorſus contra naturam , ſi ſubſit juſta cauſa , ſi ſit neceſſarium , debitoque geratur modo , & ad debitum referatur finem bellum . Itaque tunc belluino more homines contendunt , ubi bello decertant , cum judicio , aut æquis conditionibus uti poſſent , & deberent . Grotius l. II. c. 23. n. 6. ſeqq. tres recenſet modos declinandi bella , colloquium ; deinde inter eos , qui communem judicem nullum habent , compromiſſum , quam viam Chriſtianis Regibus , ac civitatibus inprimis ibidem commendat ; & tum ob hanc , inquit , tum ob alias cauſas utile eſſet , imo quodammodo factu neceſſarium , conventus quoſdam haberi Chriſtianarum Poteſtatum , ubi per eos , quorum res intereſt , aliorum controverſiæ definiantur , imo & rationes ineantur cogendi partes , ut æquis legibus pacem accipiant ; denique per ſortem , quam eo nomine commendat Chryſoſtomus Orat. altera in Fortunam . Intereſt quoque videre Nic. Machiavelli Principem , quam inſigniter his Ciceronis verbis is ibi abuſus fuerit cap. 18. & ſubjungere Conringii in illud Animadverſiones .

Confugiendum) Bellum enim ſua natura non eſt licitum , niſi per modum extremi ſubſidii , ſic ut tum demum ſit juſtum , ſi præter cauſam juſtificam etiam ſit neceſſarium , Livius lib. X. *Iuſtum bellum , quibus neceſſarium , & pia arma , quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes .*

Ut ſine injuria in pace vivatur) Hic debet eſſe præcipuus belli finis , ut in pace nobis vivere liceat , Bellum pacis cauſa ſuſcipimus , inquit Ariſtot.

Digitized by Google

ſtot. VII. Pol. c. 14. p. 484. & 10. Nicom. VII. §. 20. Πολεμȣμεν, ἱνα ειρηνην αγωμεν. *Bella gerimus, ut in pace vivamus. Sapientes*, ait Salluſtius, *pacis cauſa bellum gerunt: & laborem ſpe otii ſuſtentant*. Non vero qualiſcumque pacis gratia bella ſuſcipiuntur, eaque obtenta deponuntur, ſed a qua abſit injuria, quæque ſit ſecuritate munita. Adde Grotium III. de I. B. & P. c. 15. n. 1. & lib. III. c. ult.

Parta autem victoria) Quo temperamento in res, & perſonas captivas uti debeamus, vid. prolixe Grotium lib. VIII. de I. B. & P. c. 11. & ſeqq. Crudeles vocat Seneca, qui puniendi cauſam habent, modum non habent.

Conſervandi) Atque hinc Servi ex eo appellati ſunt, quod imperatores captivos vendere, ac per hoc ſervare, nec occidere ſolent; inquit Florentinus l. 4. §. 2. ff. de Statu hom. §. 3. Inſt. de Iur. perſon.

In civitatem acceperunt) Vid. Grot. lib III. de I. B. & P. cap. 11. n. 6 & c. 15. Add. infra lib. II. Off. c. 6. in fine.

Carthaginem & Numantiam) Non temere in bello ſæviendum eſt incendiis & ruinis, &, ſi res ſit frugifera, atque extra hoſtis poteſtatem, abſtinendum ab iis penitus eſt. Vid. Grot. l. III. c. 12.

Nollem Corinthum) Quod modo dictum eſt, multo magis locum habebit poſt plenam victoriam. Corinthum igitur exciſam Cicero non probat, licet ibi male habiti eſſent Romanorum legati: idemque pro Domo ſua ad Pontifices horrificum, nefarium, omni imbutum odio dicit bellum, quod parietibus, tectis, columnis, poſtibus fit. Docet quidem ſacra hiſtoria, urbes quaſdam a Deo damnatas excidio: etiam contra legem generalem arbores Moabitarum juſſas exſcindi. Verum non factum id odio hoſtili, ſed in juſtam deteſtationem facinorum, quæ aut publice erant cognita, aut Deo judice tanti æſtimata. Videatur elegans Beliſarii epiſtola ad Totilam a Grotio citata ad n. 2. cap. 12. lib. III. Corinthum quod attinet, a Romanis erat decretum, ut illa redderetur Achæis, præſidio tamen Acrocorintho impoſito. Vera cauſa deſtructionis erat, ne deinceps ab illa periculum eſſet vindictæ aut rebellionis in Romanos. Erat enim urbs ευλιμενος (vox eſt Ariſtot. VII. Polit.) duobus inclyta portubus, quorum Lechæum Ionio, Schænus Ægæo imminet mari: unde *bimarem* Corinthum appellat Horatius lib. I. Od. 7.

Mea quidem) Sicuti omne negotium propter otium, ita bellum propter pacem eſſe debet, quæ ambabus manibus amplectenda eſt, ſi cum ſecuritate conjuncta, nulliſque inſidiis expoſita ſit. Non minima enim felicitatis humanæ pars eſt ſecuritas. Sed proh dolor! nimis vera ſunt, & fuerunt ſemper illa Iſocratis: Νυν ȣ διαλυομεθα, αλλ' αναβαλλομεθα τȣς πολεμȣς, καιρον αναμενοντες, καθ' ὁν ανηκεστον τι παθωμεθ' αλληλȣς: *Nunc*, inquit, *bella non componimus, ſed in id tempus differimus, dum alios alii extremis cladibus afficiamus*. Inſpiciantur ea, quæ Gallia aliquamdiu contra Germaniam, & Hiſpaniam ſuſcepit. Add. cap. ult. operis Grotiani de Iure Belli, & P.

In qua ſi mihi) Omni enim conatu in id incubuit Cicero, ut ſimultates illas, & gliſcentes bellorum civilium exitioſas turbas inter Cæſarem, & Pompeium tolleret.

Non optimam) Priſtina populi libertate, ac auctoritate Senatus florentem: ICti *liberam rempublicam* appellant.

At aliquam) Oligarchicam ſcilicet, prælucentibus Cæſare, & Pompeio, multumque reliquis prævalentibus.

Nulla) Omni libertate, ac priſtino reipublicæ ſtatu per Cæſaris tyrannidem oppreſſo. Tyrannis vero, ipſo Ariſtotele judice, minime omnium nomen reipublicæ meretur; eamque ob cauſam Cicero Romanam Rempublicam præſentem dicit eſſe nullam.

Et cum iis) Quo temperamento uti nos oporteat in victos, vid. Grot. lib. III. de Iure Belli, & Pac. c. 11.

Tum ii) In obſeſſis oppidis obſervatum id Romanis, ut dedititios, vitamque ſalvam paciſcentes, ſervarent, niſi murum aries percuſſiſſet. *Cæſar Aduaticis denunciat ſe eorum civitatem conſervaturum, ſi priuſquam aries murum attigiſſet, ſe dedidiſſent*. II. de Bello

Bello Gall. Qui mos nunc quoque
btinet in locis infirmis, antequam
nachinæ igniariæ explodantur: in
nunitioribus, antequam in mœnia
mpetus fiat, inquit Grotius d. lib.
II. c. 11. n. 14. At Cicero non tam
uid fiat, quam quid natura æquum
it, reſpiciens, hac de re jam hic lo-
uitur, dicitque etiam in fidem re-
ipiendos eſſe hoſtes ſe dedentes,
uamvis murum aries percuſſerit.
onfer lib. II. c. 6. in fin.

Eorum Patroni) Qui olim in expe-
itionibus Romanis Civitates, aut na-
iones in fidem recepiſſent; hi ea-
am patroni erant more majorum,
Senatu ipſorum rationem haben-
s, & in judiciis defendentes. Ita
iculorum Marcelli, Allobrogum Fa-
ii erant patroni. *Nec tantum in ipſa
be plebs tuta erat Patriciorum patro-
nio; ſed & coloniarum, & ſociarum,
amicarum Civitatum, & bello ſubacta-
m, quæque ſuos habebat Patronos,
oſcumque vellet e Romanis Civibus.*
erba ſunt Roſini lib. I. Ant. Rom.
16. Add. infra lib. II. c. 8.

Ac belli quidem) Cum periculoſæ
lenum opus ſit aleæ; cumprimis ra-
ione conſcientiæ ſuſcipere bellum;
inc Romani veteres nonniſi conſulto
ollegio Fecialium ad id inſtituto,
rincipes olim Chriſtiani vix, niſi
uditis Epiſcopis; bella ſuſcipiebant,
t ſi quid eſſet, quod religionem poſ-
et injicere, ejus monerentur. Grot.
II. c. 23. n. 4. Qua vero ſolemni-
ate uſus fuerit Fecialis, ſive res re-
eteret, ſive bellum indiceret, le-
ere eſt apud Livium lib. I. Grot. III.
e I. B. P. c. 3. n. 5.

Rebus repetitis geratur) Plures poſ-
unt eſſe juſtificæ belli cauſæ. Cujus
nim hic meminit, ſolum videri poſ-
et pertinere ad damni reſtitutionem.
ceterum rerum repetitarum nomine
us Feciale comprehendebat non tan-
um vindicationem ex jure dominii,
ed & perſecutionem ejus, quod ex
auſa civili, aut criminis debetur.
nde illa verba in formulis, *reddi, ſa-
isfieri, dedi*. Grot. l. III. c. 3. n. 7.

Denunciatum) Non enim ſufficit ad
uſtitiam externam inter ſummas u-
rimque poteſtates bellum geri, ſed
portet, ut & publice decretum ſit,
quidem ita decretum publice, ut
ejus rei ſignificatio ab altera partium
alteri facta ſit; unde *promulgata præ-
lia*, dixit Ennius. Faciebant hoc Ro-
mani per ſuos Feciales, qui & certis
formulis, & notionibus denunciatio-
nem faciebant. Poſterius fiebat teli,
aut haſtæ in hoſticum miſſione. Ac-
curate vero hic diſtinguendum eſt,
quæ jure naturæ debeantur, vel non:
deinde quæ jure gentium requirantur
ad effectus juris gentium proprios,
& quæ præterea ex peculiaribus po-
pulorum quorumdam inſtitutis veniunt.
Nam naturali jure, ubi aut vis illa-
ta arcetur, aut a delinquente pœna
depoſcitur, nulla requiritur denun-
ciatio. Sic Ælianus ex Platone ait,
bellum, quod ad propulſandam vim
ſuſcipitur, non a caduceatore, ſed
a natura indici. Etſi vero jus natu-
ræ non ſemper talem interpellatio-
nem fieri jubeat; honeſte tamen &
laudabiliter interponitur, puta ut ab
offendendo abſtineatur, & delictum,
ac damnum datum pœnitentia & ſa-
tisfactione expietur. Deinde denun-
ciatio vel pura eſt, vel cum con-
ditione. Grotius l. III. c. 3. n. 6.
& 7. Indictum autem bellum ei, qui
Imperium in populo ſummum habet,
ſimul indictum cenſetur omnibus ejus
non ſubditis tantum, ſed & qui ſe
ſocios adjuncturi ſunt, ut qui acceſ-
ſio ſint ipſius. Hoc eſt, quod Barbari
ICti dicunt: *Diffidato Principe, diffi-
datos ejus adherentes*. Bellum enim in-
dicere illi vocant *Diffidare*. Grot.
d. l. n. 9.

Pompilius) Exemplum Religionis
majorum in belligerando proponit, a
quo noſtri milites, & duces multum
abſunt, quibus bellum gerere ibi fas,
ubi maxima merces: & qui vitæ cau-
ſa ſe auctorant neci.

*Negat enim jus eſſe, qui miles non
ſit*) Geritur bellum vel proprio, vel
ſocio, vel mercenario milite. Eſt
vero nullum vitæ genus improbius,
inquit Grotius lib. I. cap. 25. n. 6.
quam eorum, qui ſine cauſæ reſpectu
mercede conducti militant. Major
Philippus Macedo huic hominum ge-
neri dicebat bellum eſſe pacem; pa-
cem vero bellum. Quid de iis igi-
tur dicendum ducibus, qui in aulis
eo nomine excubare ſolent, ut bel-
lum conflent, illud ſine neceſſitate

Z 3 ducant,

Digitized by Google

durant, unum ex altero ſerant, quo ex rapto vivant, ac milites ſuos ſtipendiis defraudent; imo ſi quis miles præcipue ſpectet prædam aut ſtipendium, conſcientiam quotidie vulnerat. Non enim inter artificia bellum, ſed res tam horrenda eſt, ut eam niſi ſumma neceſſitas, aut vera caritas honeſtam efficere nequeat. Hinc idem ſocietates bellicas, cumprimis mercenarias eo initas animo, ut in quodvis bellum nullo cauſæ diſcrimine promittantur auxilia, illicitas pronunciat; d. l. Hinc judicium fieri poteſt de mercenaria quorumdam pagorum Helveticorum militia, Franciæ regno, & quidem Franciſco I. pactis primum conſtituta, quibus gravibus ex cauſis Tigurini ſubſcribere noluerunt, dehortante eos Zwinglio. Videatur Simleri *Deſcriptio Reip. Helvetiorum*.

CAPVT XII.

E *Quidem illud*) Explicatione antiqui vocabuli Hoſtis vult oſtendere, Romanos non ſolum juſtitia, ſed & clementia, & humanitate ſingulari in ſuis bellis fuiſſe uſos: ſed, uti recte monet Wolfius, ſatis frigide. Quid enim mea refert, quam molli me appelles nomine, ſi contraria omnia facias? De ſignificatione antiqua Hoſtis jam non laboramus, ut quæ ex veteris juris reliquiis nota ſit. Adde Iac. Gothofr. ad ll. XII. Tabb. & Car. Sigon. de Antiq. Iur. Rom. lib. I.

Perduellis) Confer. l. III. c. 20.

Status dies cum hoſte) Valde dubito, an in his ll. XII. Tabb. verbis *Hoſtis* pro peregrino accipi queat. Potius illa voce videtur ſignificari ibi quilibet adverſarius, ſeu reus, qui conſtituto die promiſerit vadibus datis de judicio ſiſti. Weſ. in parat. quod ſatiſ. cog. n. 4. Vadimonium, qui deſerebant, *Tenebriores* dicebantur: ceu videre eſt apud Nonium.

Æterna auctoritas) Auctoritas ICtis non idem ſignificat. Nam, prætermiſſo vulgatiori hujus vocis uſu, Venuleius auctoritatem interpretatur actionem pro evictione l. ult. ff. de evict. Eodem ſenſu accipitur apud Paul. II. Sent. 17. Add. Gothofr. ad d. l. ult. At in hac XII. Tab. lege, auctoritas jus dominii denotat, aut jus vindicandi, hoc ſenſu, peregrinum dominium rerum noſtrarum uſucapione nobis eripere non poſſe. Eodem modo accipienda hæc vox eſt in lege Atinia, cujus hæc refert verba Gellius lib. XVII. c. 7. *Quod ſurreptum erit, ejus rei æterna auctoritas eſto.* Hoc eſt, ejus rei, quæ ſurrepta eſt, dominium non debet domino perire, neque ullo modo alteri adquiri, quia domino ſemper erit poteſtas & jus eam vindicandi. Vid. §. 2. Inſtit. de uſucap. & Dd. ibi & Grot. in For. Sparſ. Præterea Ciceroni & aliis quandoque auctoritas ſignificat ipſam uſucapionem, ſive jus dominii legitimi per uſucapionem quæſiti.

Cum vero) Sæpe bella geruntur imperii ac honoris proferendi ſtudio, cumprimis ubi alterius ſuſpecta eſt potentia, ne terra marive ſuperior tandem plane ſit. In tali exiſtimatione erant veteres Franci, de quibus illud adagium uſurpatur: *Malo Francum amicum, quam vicinum.* Cujus ut hodie quoque diligenter meminerint, multorum intereſt. Supponit autem Cicero etiam horum bellorum juſtas debere eſſe cauſas: deinde cum victori in victos multa liceant, non tamen in ejuſmodi bellis illa acerbe eſſe exercenda. Sic ſuperioribus annis non ita acerbe bella fuerunt geſta inter Gallos, & Hiſpanos, quam inter Batavos, & Hiſpanos. Iſtis enim Imperii gloria erat propoſita, Batavis libertas & religio, quas cum Hiſpani cum ipſa gente videbantur exſcindere velle, acerrime inter illos bella fuere geſta. Explicat idem Cicero ſimilibus exemplis, de quibus, qui plura cognoſcere voluerit, adeat rerum Romanarum Scriptores. De temperamento autem circa acquiſitionem Imperii, vide hic omnino Grotium III. de I. B. & P. c. 15.

Pœni fœdifragi, crudelis Hannibal) Si non acerbius gerenda ſunt bella propter Imperii gloriam ſuſcepta, cur igitur Carthago fuit deleta? Videtur igitur Cicero hiſce epithetis exceptionem quamdam comprehendere. Nam præter Imperii ambitum inter Romanos & Carthaginenſes etiam accedebat violatio fœderis, & Hanni-

balis

Digitized by Google

alis crudelitas. De iſta quid ſit ſentiendum; vide Grotium l. II. de I. B. P. c. 16. n. 13. de hac Livium, alioſque Hiſtoricos. Manutius hoc refert ad conditiones Saguntinis propoſitas.

Pyrrhi quidem) Exemplum belli clementer & generoſe geſti, quod quidem captivorum redemptionem attinet, Ennianis proponit verſibus. Iure gentium captivi a victoribus in ſervitutem detrudebantur. Hoc ubi forte non obtinet, optimum erit permutari captivos: proximum dimitti pretio non iniquo; puta, ne egeat captus rebus neceſſariis. Alibi hoc λύτρον pactis aut moribus definitur. Non dubium, quin crediderit Pyrrhus, iuſtum a ſe bellum geri, adeoque jure gentium uti potuerit: at ille tam excelſo fuit animo, ut eorum libertati parcendum putaret, quorum vitæ fortuna pepercisset, eoſque liberaliter dimitteret. Plura ejus generis exempla collegit Grotius III. de I. B. P. c. 14. n. ult. Quam vero Pyrrho Regi gratiam retulerit Fabricius, libro III. narratur.

Cauponantes) Ea ſententia hæc protulit Pyrrhus, ac ſi pretio pro captivis redimendis accepto artem diteſcendi καπηλευτικήν, adeoque ſibi indecoram ſit tractaturus. Ita quoque Æſchylus καπηλεύειν μάχην dixit. Vide *Chiliad. Eraſmi*.

Vitam cernamus) Id eſt, de vita decertemus.

Hera) Fortuna, quam Deam faciunt multi, cæloque locatam venerantur. Iuvenal. Sat. 10. in fin.

Ducite) Ad Legatos orationem convertens hæc loquitur Pyrrhus.

Cum magnis Diis) Quandoquidem magni Dii, Iupiter, Iuno, & Pallas, aut Fortuna, aut Dii patrii horum vitæ in prælio pepercerunt, eoſque voluerunt eſſe ſalvos, ego quoque illos volo eſſe liberos, nulloque auro redemtos, ſed bonis Deorum auſpiciis dimitto, & diſcedendi poteſtatem iis facio.

CAPUT XIII.

Atque etiam) Etſi illa regula, etiam hoſti fidem datam eſſe ſervandam, huc omnino pertinere videatur, eaque duobus contrariis exemplis mire illuſtretur, Reguli fidei datæ inhærentis, & decem militum poſt Cannenſe prælium illam perfide deſerentium; dubium tamen eſt, cur & hic & lib. III. cap. 27. & ſeqq. eadem prolixius etiam repetantur. Propterea in melioribus codicibus a verbis: *ſecundo autem Punico bello, &c.* quæ leguntur, uſque ad vocem *approbavit*, rectius omittuntur. Quomodo vero fides etiam hoſti data ſit ſervanda, prolixe tractat Grotius lib. III. de I. B. P. cap. 19. & ſeqq. De fide privata in bello ſervanda ſpeciatim agit lib. III. de I. B. P. cap. 23. Cumprimis obligati ſumus ad illa pacta ſervanda, quæ hoſtibus juramento fuerint confirmata, cujus ſanctiſſima inter omnes homines, etiam acerrimos hoſtes, debet eſſe religio.

In ærariis) Ærarii erant Romæ cives, tribu ſua moti, vel jure tribus privati, qui in curia ſeu tribu ſua non aliud habebant reliquum, quam ut pro capite ſuo æra tributi nomine penderent: unde hi videntur iidem eſſe cum *capite cenſis*. Nam neque in urbe jus ſuffragii habebant, neque foris ſtipendia facere poterant; uti auctor eſt Aſconius Pedianus. *His ſupericribuſque iſtis equi ademti, qui publicum equum habebant, tribuque moti ærarii omnes facti*. Liv. l. IV.

Culpam invenerat) Pro *culpam* mallem legere *cauſam*, quod putaverit, ſe repperiſſe cauſam, a jurisjurandi vinculo ſe liberandi. Neque etiam ſatis commode dici videtur, eum culpam inveniſſe, ſed contraxiſſe. Confer. lib. III. c. 32.

Semper autem) Promiſſor id præſtare tenetur, in quod ex ſententia ſtipulantis obligari voluit. Grot. II. de I. B. P. c. 16. n. 1. Et ideo quoque in Fideicommiſſis magis voluntas, quam verba ſpectanda ſunt, l. 19. §. 1. l. 57. §. 1. l. 65. §. 3. ff. ad SCt. Trebell.

Ac de bellicis) Albericus Gentilis l. I. de jure Belli cap. 1. eo nomine reprehendere videtur Ciceronem, quod cum pauca de hoc argumento dixiſſet, nihilominus ſcripſerit, ſe ſatis de officiis bellicis dixiſſe. Cæterum mens Ciceronis non videtur eſſe, ac ſi profiteri voluerit, ſe hoc argumento

Digitized by Google

tum plene tractaſſe, atque exhauſiſſe, ſed ſatis de eo dixiſſe, videlicet pro inſtituti ſui ratione.

Meminerimus) Servi alii ſunt natura, alii ex inſtituto hominum. De utriſque agit Ariſtoteles prolixe lib. I. Polit. Servi natura ſunt, qui corpore quidem multum, ratione vel parum, vel nihil valent; ſic ut, niſi prudentioris imperio regantur, ſalvi eſſe nequeant. Horum conditionem idem VIII. Nic. 11. §. 16. paucis declarat: *Servus*, inquit, *inſtrumentum eſt animatum: inſtrumentum autem ſervus inanimus*. Ex hominum inſtituto, *κατα νομον*, ſervi inprimis fiunt, bello capti. Ὁ γαρ νομος, ὁμολογια τις εϛιν, εν ῳ τα κατα πολεμον κρατουμενα των κρατουντων ειναι φασι. *Lex namque conſenſus quidam eſt, & pactum, in quo bello victa victorum eſſe adfirmant*, inquit I. Pol. 4. pr. Quomodo igitur circa hos officium juſtitiæ exerceatur, docet Cicero: videlicet, ſicuti mercenariis pro opera pretium, aut alimenta dantur, ita ſervis pro opera juſta ſunt præbenda, hoc eſt, ea omnia, quæ ſub victu neceſſario a ICtis comprehendi ſolent, l. 43. 44. 45. ff. de V. S. *Servus, ut placet Chryſippo, perpetuus mercenarius eſt*. Seneca II. de Benef. c. 22. Vltra hæc ſervo (ſi Ariſtoteli credimus) nihil debetur: *Servo enim qua tali, cum hero nulla intercedit amicitia, ſed qua homo eſt, aliqua*. VIII. Nic. 11. §. 16. Poſtremum vero hoc multa officia continet. Ciceroni conſentit Cato: *Familiæ ut bene ſit, provideto, ne algeat, ne eſuriat*. Et Seneca III. de Benef. *Eſt aliquod, quod Dominus præſtare ſervo debeat, ut cibaria, veſtiarium*. Ariſtot. I. Œcon. 5. Δουλῳ μισθος τροφη. *Victus ſervo pro mercede eſt*, quæ ex aſſe Ciceronianis reſpondent. Ceterum Siracides cap. 33. v. 25. latius hæc juſta extendit, nec male: Αρτος, inquit, και παιδεια, και εργα οικετῃ. *Servo debentur victus, diſciplina, & opere*. Poſſunt ſane ex eſſe ſervorum conditiones & operæ, ut etiam liberalius ſæpe ſint habendi. Vide Grot. l. II. de I. B. P. cap. 5. §. 27. ſeqq. quæque ibi & Cl. Boeclerus, & nos uberius diximus. Et l. III. de I. B. P. c. 14. n. 6. Noſtros ſervos quod attinet, illi partim ex contractu locationis conductionis ſerviunt, partim adſcripti glebæ, ex jure gentium bellico in eam conditionem fere detruſi ſunt: ceu videre licet in multis Veneticæ gentis hominibus a Saxonibus ſubjugatis. Addatur *Crantzii Vandalia, & Saxonia*.

Cum autem duobus) His Lyſandri dictum convenit dicere ſoliti, quo leonina pellis penetrare nequeat, ejus loco vulpinam adhibendam eſſe. Conſentit etiam Ariſtoteles, qui cum συναλλαγματα, vel ſpontanea, vel invita conſtituiſſet, hæc dividit in clandeſtina & violenta. V. Nic. 11. §. 32. ſeqq. quod ſcilicet in συναλλαγμασι invitis injuriæ vel a vi, vel a fraude proficiſci ſoleant.

Sed fraus) Αδικωτεροι οἱ επιβουλοτεροι. *Quo quique occultioribus inſidiis utuntur, eo ſunt injuſtiores*. Ariſtot. VII. Nicom. VI. §. 15. Hinc Cicero experientia edoctus V. Verr. ait, tacitas & occultas inimicitias magis timendas eſſe, quam indictas & apertas. Recte quoque Cæcilius Comicus: *Hi ſunt inimici peſſumi, fronte hilari, corde triſti: quos neque tu apprehendas, neque vitare ſcias*.

Totius autem) Ex Platone II. de Rep. hæc expreſſa videntur. Verba illius ſunt: Εσχατη αδικια δοκειν δικαιον ειναι, μη οντα. *Extrema eſt injuſtitia, juſtum videri velle, cum non ſis*.

De juſtitia ſatis) Paulo ante concludebat, ſe de bellicis officiis ſatis dixiſſe: quibus cum pauca ſubjeciſſet, ad juſtitiam pertinentia, de hac quoque ſe ſatis dixiſſe ſignificat. Cum vero tam paucis hic de juſtitia egerit, de qua ſupra pluribus; puto hæc eſſe divulſa, atque annectenda a v. *Meminerimus*, ad v. *de Iuſtitia ſatis dictum eſt*, iis, quæ deinde leguntur *ad injuriam tardiores*. Sic enim ubi de juſtitia, & pace, & bello actum fuerit, conveniens erit concluſio: *At de bellicis, &c.* atque tunc bono ordine de liberalitate ſequetur.

Ca-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

DEinceps) Nunc pergit dicere de officiis Liberalitatis, quam ſupra juſtitiæ adjungebat, ceu ejus aliquam partem, a qua tamen illa plane diverſa eſt, ceu ſupra oſtendimus.

Qua quidem) Hoc eſt, nulla eſt pene virtus, quæ hominem æque commendet, quam beneficentia. Cum enim homo hominis cauſa ſit natus, uti ſupra diſſerebat, non poteſt hominum qualiſcumque etiam ſocietas ſine beneficentia ſubſiſtere. Ariſt. IV. Nic. 1. §. 26. & paſſim VIII. Nicom.

Sed habet) Hæ omnes cautiones incluſæ ſunt *μεσότητι* Ariſtotelicæ l. IV. Nic. 1. §. 27. & 45. Indignis enim ſi vitæ ſubſidia ſuppeditemus, his nocemus, dum inſtrumenta vitæ tradimus, quibus abutantur: & ceteris nocemus, videlicet dignioribus, qui his recte uſuri eſſent, niſi ab indignis ſibi hæc fuiſſent præcepta. Sed & alium admittunt ſenſum poſteriora: ſi v. g. homini ambitioſo quis ſufficiat pecuniam, is & huic nocet, & ceteris, qui ſibi ab illo metuere coguntur.

Ne obſit) V. g. ſi febricitanti frigidam, aut furioſo obtuleris gladium: aut ſi ignaviam bene valentium mendicorum ſtipe alas.

Ne major) Adde Ariſtot. l. IV. Nicom. c. 1. §. 37. & 47. ubi dicitur, hunc liberalitatis habitum, dandum eſſe monere, *κατὰ τὴν οὐσίαν*, *pro modo facultatum*.

Id enim) Si *κατ' ἀξίαν* liberaliter des, ſuum cuique tribues: id quod Cicero dicit eſſe juſtitiæ. Diverſo autem modo liberalis, & juſtus ſuum cuique tribuunt. Hic ſcilicet ex ſpeciali obligatione, pacto aut *συναλλάγματι*. Ille plane ex liberali cauſa, & honeſtatis ſolius amore. Non igitur ſatis convenienter a Cicerone dicitur, Liberalitatem, ejuſque actiones omnes eſſe referendas ad juſtitiam; niſi forſan velis intelligere univerſalem illam ab Ariſtotele dictam. Diverſa igitur eſt *ἀξία*, quam attendit liberalitas, &, quam obſervat juſtitia. Hæc enim, quam juſtitia reſpicit, *ἀξία*, eſt Ariſtotelis Proportio Geometrica: ceu videre eſt V. Nic. 3. §. 13. 14. 15. Vide, quæ ſcripſimus ad Grotii l. I. de I. B. P. c. 1. §. 7.

Nam &) Sequitur jam primi præcepti explanatio, & remotio vitiorum, quæ ſunt contra liberalitatis officia.

Quod obſit illi) Horum igitur, veluti *ἐχθρῶν δῶρα*, vere ſunt *ἄδωρα*, *inimicorum dona*, *non ſunt dona*. Notandum autem, qui aliis dando nocent, tum demum eſſe pernicioſos aſſentatores, ſi & adſentandi & nocendi animo dederint; fieri enim poteſt, ut etiam quis dando noceat, abſque ejuſmodi *προαιρέσει*, per imprudentiam. Illuſtrat hæc elegantibus verſiculis Horatianis Franciſcus Maturantius, qui leguntur lib. I. ep. 18. v. 31. ſeqq.

---- Eutrapelus cuicumque nocere volebat,
Veſtimenta dabat pretioſa. Beatus enim jam
Cum pulcris tunicis ſumet nova conſilia, & ſpes,
Dormiet in lucem, ſcorto poſtponet honeſtum
Officium, nummos alienos peſcet: ad imum
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.

Vidit ſcilicet ille Eutrapelus, ſtolidis ſe ea ratione plurimum nocere poſſe; ut quibus cum habitu animus quoque mutetur: cujus tamen ſtultitiæ mox illi pœnas dare ſoleant.

Et qui aliis nocent) Quomodo ex aſſentatione quadam lædantur liberalitatis officia dixit: nunc, quomodo ex injuſta acquiſitione. Hinc recte docet Ariſtoteles d. l. liberalitatem etiam quodammodo *ἐν τῇ λήψει*, *in acceptione* conſiſtere; ſi enim recte velis date, neceſſe eſt honeſte ante adquiſiveris *τὰ χρήματα*, *facultates*. Vide illum d. c. 1. lib. IV. Nic. §. 50. ſeqq. *ἕπεται τῇ ἐπιεικεῖ δόσει ἡ τοιαύτη λῆψις, ἡ δὲ μὴ τοιαύτη ἐναντία ἐστιν. Bonam donationem ſimilis ſequitur acceptio, quæ autem ſimilis ei non eſt, contraria eſt. Species lucri eſt, ex alieno largiri, & beneficii debitorem ſibi adquirere. Unde, & is furti tenetur, qui ideo rem amovet, ut eam aliis donet*, inquit Caius l. 54. §. 1. ff. de furt. l. 24. C. de donat. *Non eſt magni animi, qui de alie-*

no li-

no liberalis eſt, ſed ille, qui quod alteri donat, ſibi detrahit. Sen. I. de Clement. c. 20.

Syllæ & Cæſaris) Horum proſcriptiones notat, cum rerum in urbe eſſent per tyrannidem potiti. Nam L. Corn. Sylla, inquit Dionyſius Halic. primus acerbe crudeliterque uſus eſt Dictatura, ut tum primum ſentirent Romani, quod ſuperioribus temporibus ignoraverant, Dictaturam eſſe tyrannidem. Cæſar vero poſtremus idemque perpetuus contra leges Dictator fuit, multaque iniquiſſime fecit. *Proſcribi* dicuntur bona, quando legitimis illorum dominis oppreſſis, aut ejectis, libellis publice affixis venalia cuivis exponuntur, aliove titulo ad alios transferuntur, id quod iis tempeſtatibus plurimis civibus accidit. Ex ejuſmodi igitur bonis proſcriptis liberales ſcilicet erant Sylla, & Cæſar. Add. Plutarchus in vitis, & Suetonius in Cæſare c. 4. Confer. infra lib. II. p. 297. ſeqq.

Nihil enim) Non hoc eſt ita accipiendum, ac ſi liberalitas, ac juſtitia ſint plane idem; ſed non poſſe quempiam liberalitatem recte exercere, niſi ex bonis jure partis.

Alter locus) Alteram jam cautionem explicat: quam qui negligit, eum dicit injuſtum eſſe, erga proximos quoſque agnatos, quibus res neceſſarias ſubducat. Nam ut quiſque propinquior nobis eſt, ita ad bonorum & officiorum communionem maxime illi ſumus obligati. Idem monet Apoſtolus, ſublevandos quidem a nobis eſſe egenos, ſed ne ipſi affligamur: ſunt vero noſtri partes etiam liberi, & ſi qui ſint alii propinqua neceſſitudine nobis juncti. De Vitellio Tacitus: *Inerat liberalitas, quæ, ni adſit modus, in exitium vertitur*: lib. III. hiſt. c. 86. Graviter Seneca: *Vero liberalitatem nepotari*, hoc eſt, in prodigalitatem verti, lib. I. de Benef. c. 15. Sed quid ſentiendum igitur eſt de Paulino Epiſcopo Nolano? Hic, ut refert Hiſtoria Eccleſiaſtica, cum locupletiſſimus eſſet, Chriſtianos captivos miſere detentos a perſecutoribus pretio liberaliter oblato redemit, ſic ut tandem ex ea cauſa omnis ipſius ſubſtantia fuerit abſumta. Vidua tum quædam, hac Paulini facilitate cognita, & ipſa advolat, multiſque lacrymis ſuam miſeriam exponit, quam in dies augeri ſentiat ex captivitate unici filii, ſolatii ſui: rogat anxie, ut ſe quoque in tanta ærumna juvet: Paulinus itaque opibus jam exhauſtus adit præſidem, & orat, ut viduæ hanc gratiam det, eique reddat filium. Sed ſurdo narrabatur fabula: exigebatur λύτρον, *pretium redemptionis*. Non mihi, inquit ille, jam ſupereſt ulla pecunia, quam tibi alioqui libenter darem; ſi tamen aliter non vis nobis gratificari, ecce dimitte viduæ filium, meque in vinculis, quamdiu viſum fuerit, ejus loco tene. Ea igitur conditione vidua recepit filium ſuum, & compedes Paulino injectæ ſunt. Si igitur judicium de hoc beneficio ſit ferendum, dixerim, non poſſe ejuſmodi exempla ad communes officiorum regulas examinari, quod heroicam quamdam pietatem ac magnificentiam ſpirent, ipſius Chriſti æmulam.

Ineſt autem) Qui ultra facultates dant, non tam liberales, quam prodigi dicendi ſunt. Hi autem duum ſunt generum; vel enim ſolum peccant ratione δόσεως, nimium ſeu præter modum largiendo: vel etiam peccant ratione λήψεως, quavis ratione opes rapiendo, corradendoque ut adſint profuſionis inſtrumenta. Talis a Salluſtio fuiſſe deſcribitur Catilina, & Sulla a Plutarcho in ejus vita, ubi ait, illum ſibi non conſtitiſſe, quod multa rapuerit, & plura largitus ſit. M. Livius Druſus nimiæ quoque liberalitatis fuit. Ipſe etiam profeſſus, nemini ſe ad largiendum, præter cælum & cœnum, reliquiſſe. Ideoque cum pecunia egeret, multa contra dignitatem fecit. Magulſam Mauritaniæ principem ob Regis ſimultatem profugum, accepta pecunia Bocho prodidit, quem ille elephanto objecit. Aurel. Victor. c. 66.

Videre etiam licet) Ὁ διδοὺς οἷς μὴ δεῖ, ἢ μὴ τοῦ καλοῦ ἕνεκα, ἀλλὰ διά τινα ἄλλην αἰτίαν, οὐκ ἐλευθέριος, ἀλλὰ ἄλλος τις ῥηθήσεται. *Qui dat, vel quibus non dandum eſt, vel non honeſti gratia, ſed alia aliqua cauſa impulſus* (puta majoris lucri, aut vanæ oſtentationis gratia) *hic non eſt liberalis, ſed aliquo alio nomine appellabitur*; inquit

quit Ariſt. IV. Nic. 1. §. 29.

Tertium) Hujus præcepti explicatio optima legi poteſt IX. Nicom. c. 2. ubi inprimis obſervetur §. 12. *Generatim quidem*, inquit Philoſophus, *ſanciendo, dicendum, id, quod debetur, reddendum eſſe. Verumtamen ſi plus vel honeſtatis, vel neceſſitatis habeat; dare alii, quam illi reddere; unde acceperis, ad hoc oportet eſſe propenſiorem*. Cicero ἀξίαν ejus, cui dare volumus, æſtimat primo moribus, videlicet, an propter morum probitatem beneficio dignus, idque datum ſit recte collocaturus, gratoque amplexurus animo: deinde qua erga nos ſit benevolentia, quove affectu: tum qua neceſſitudine naturali nobis ſit junctus, ſit ne pater, filius, uxor, amicus, civis, an peregrinus, exul: denique an olim nobis profuerit ac benefecerit, & quantum nostra indigentia per ejus beneficentiam fuerit ſublevata. Sed ipſe mox ſingillatim hæc explicat. Simplicius ad Epict. Enchir. c. 37. Appoſite Seneca hac de re philoſophatur: *Volo Chryſippi noſtri uti ſimilitudine de pilæ luſu: quam cavere non eſt dubium, aut mittentis vitio, aut accipientis. Tunc curſum ſuum ſervat, ubi inter manus utriuſque apte ab utroque, & jactata, & excepta verſatur. Neceſſe eſt autem luſor bonus aliter illam colluſori longo, aliter brevi mittat. Eadem beneficii ratio eſt, niſi utrique perſonæ dantis & accipientis aptatur: nec ab hoc exibit, nec ad illum perveniet, ut debet*: lib. II. de Benef. c. 17. Idem reprehendit Alexandrum M. quod cum plus cuipiam donaſſet, quam quo is ſe dignum reputaret, reſponderit, ſibi conditionem dantis, non accipientis ſpectandam fuiſſe lib. II. de Benef. c. 16. ubi inter alia ita ait: *Animoſa vox videtur, & regia, cum ſit ſtultiſſima*.

CAPUT XV.

QVoniam autem vivitur) Dicas, ſi κατ' ἀξίαν morum, & virtutum cuique eſt benefaciendum, vix autem reperire licet inter mortales quemquam, qui illa καθήκοντα ſapientis Stoici, ſeu perfecta officia adſequi poſſit, videtur nemo aliquam beneficentiam promereri? Reſpondet igitur προκαταληπτικῶς, tam ſubtile ac moroſum judicium in beneficiis dandis non eſſe adhibendum, quin potius faciles nos ad liberalitatem debere eſſe, ſi vel communia officia, ſimulacra virtutis, ac ſpem bonæ indolis frugiſque deprehendamus.

Colendum) In beneficiorum datione inſpiciendi ſunt mores cujuſque, cui dare velis. Tum vero rationem cujuſque recte habebis, juſtamque æſtimationem inſtitues, ſi ſpectaveris, ut quiſque virtutibus his lenioribus, hoc eſt, officiis non perfectis, ſed mediis fuerit præditus; videlicet, quam modeſtus, temperans, aut juſtus fuerit. Has autem virtutes leniores vocat reſpectu fortitudinis, quod iſtæ perficiant facultatem ἐπιθυμητικὴν, *concupiſcentem*, ſedatiorem, quam eſt θυμοειδὴς, *iraſcibilis*, quo fortitudo pertinet. Quia vero ira cos dicitur fortitudinis, & illius ſæpe acutiſſimus & furioſus eſt ſtimulus; addit, non ita facile eſſe hujus officia obſervare, quam ſuperiorum virtutum: in his enim proficere poſſe etiam, qui in ſecundis, aut tertiis ſubſiſtunt, at iræ moderari non poſſe quemquam, niſi perfecte ſapientem, quem appellabant Stoici. Facilius igitur, quis viri boni nomen poterit adipiſci ex officiis temperantiæ, juſtitiæ, & ſi quæ ſunt ejus generis aliarum, quam ex officiis fortitudinis, & magnanimitatis.

De benevolentia) Progreditur ad alterum, quod in beneficio recte collocando a nobis ſpectandum eſt, quo ſit erga nos animo, affectu, aut benevolentia is, cui benefacere velimus. Pretium enim beneficii, quo olim ab aliis ſumus adfecti, præcipue ex animo, & adfectu dantis erga nos, & tum ex indigentia noſtra, quantopere hoc beneficio illa levata ſit, metiri convenit.

Vt ei plurimum) Non omnibus officia eſſe tribuenda aliquoties jam monuit. Add. IX. Nic. c. 2. & VIII. Nic. 7. §. 5. ſeq. pro immoto tamen fundamento ponit, ei plurimum eſſe tribuendum, a quo maxime diligamur. Recte: Nam amor eſt bonum amicitiæ proprium; inquit Philoſophus VIII. Nic. 7. §. 8. Vt igitur quiſque magis amaverit, ita majora ipſi debentur amicitiæ officia, & jura. Ille

vero

Digitized by Google

vero amor relucet ex beneficentia. Demonſtrat autem Ariſtoteles IX. Nic. 7. magis amare, qui beneficia conferunt, quam in quos collata fuerint.

Sed benevolentiam) Cum agnoſceret hujus vocis homonymiam, addit, non ſe per hanc denotare repentinam quamdam, ac temerariam inclinationem, qua in alterum ferri ſolent adoleſcentuli; ſed veram, bono conſilio conſtitutam, ac ſtabilem amicitiam: qualem definit Ariſt. VIII. Nicom. 2. Virtutis habitum conſtantia imitantem.

Sin erunt merita) Quartum hoc eſt, quod ſpectandum eſſe monuit, ut beneficium recte collocetur. Si, inquit, bene de te quis fuerit meritus, officii tui erit, ut non tam cogites, quomodo tu de aliis merearis, qui nihil beneficii in te contulerunt, quam quomodo jam tum obligatus tuo benefactori gratiam referas. Ariſt. IX. Nic. 2. §. 8.

Nullum enim officium) Veriſſimum hoc eſt, niſi alio propter majorem neceſſitatem, aut honeſtatem officium tuum avocetur. IX. Nic. 2. §. 12. Vnde ſequitur, nihil æque repugnare officio, quam ἀχαριστίαν, atque hanc tanto eſſe majorem, quo melius quis de ingrato fuerit meritus: unde merito omnes æqui bonique hoc grande vitium ſemper deteſtati ſunt. *Cum omnibus virtutibus me adfectum eſſe cupiam, tamen nihil eſt, quod malim, quam me & gratum eſſe, & videri. Hæc eſt enim una virtus non ſolum maxima, ſed etiam mater virtutum omnium reliquarum*, inquit Cicero pro Plancio. Confer. infra lib. II. c. 18.

Quæ acceperis utenda) Poſſit hoc intelligi de rebus, quarum uſus in abuſu conſiſtit, uti loqui amant ICti. Deinde utendum aliquid accipimus gratis, ſalva manente ſubſtantia, & dicitur commodatum: vel data mercede, & eſt locatum conductum. Grotius II. de I. B. P. c. 12. n. 3. De priori genere videtur ipſe loqui Heſiodus de rebus, inquam, fungibilibus, & in creditum tranſeuntibus. Verſus illius ſunt:

Εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι,
Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον εἴκε δύνηαι,
Et dare menſuram vicino; & reddere largam
Convenit, aut etiam majorem, ſi modo poſſis.

Vel etiam Cicero *utenda* dixit, ut beneficiis affecti de referenda gratia ſedulo cogitemus, non quaſi nobis aliquid datum ſit, aut donatum, ſed ſolum uſui noſtro permiſſum, idque tempeſtive reddendum.

Etenim) Magis quiſque eſt obligatus ad referendam gratiam pro beneficio accepto, quam ut nobis amicum dato beneficio devinciamus. Argumentum hoc a minori ad majus a Cicerone ductum eſt.

Nam cum duo) Datio beneficii ſine dubio ad liberalitatem pertinet, redditio vero, ſive gratiæ relatio ad juſtitiam; ſicuti injuſtitia quædam eſt ἀχαριστία. Quia autem juſtitiæ liberalitatem ceu partem copulavit, etiam hic confuſe de his videtur loqui. Addatur omnino hic Ariſtoteles VIII. Nic. c. 13. §. 22. ſeqq. Nam omnes Philoſophi textus, etiamſi illuſtres, exſcribere neque libet, neque licet. Petit ex hoc textu Ciceronis Grotius fundamentum ſucceſſionis ab inteſtato, lib. II. de I. B. P. c. 7. §. 9. ubi dicit, gratiam referri aut viventibus, aut defunctis. Defunctis refertur gratia in eorum liberis, qui naturaliter pars ſunt parentum, & quibus ſi viverent parentes, maxime vellent benefieri.

Acceptorum) Idem huc pertinet textus c. 13. §. 28. ſeqq. Generalis quidem regula hæc eſt obſervanda: Pro maximo beneficio maximam ac promtiſſimam deberi gratiam. Ceterum cum omnis actio virtutis cumprimis ex προαιρέσει, & judicio agentis æſtimanda ſit, etiam in beneficentia ſpectandum eſt, quo judicio, animo, ac conſilio datio fiat, nec ne. Si enim forte beneficium detur, quod magnum habeat pretium externum, ſine judicio tamen, hoc eſt, temere ſit collatum; & detur item alterum, quod minoris pretii externi ſit, cum judicio tamen ſit præſtitum, pro hoc potius, quam iſto referenda eſt gratia. Pretium enim illud externum longe vilius eſt interno, animi & προαιρέσεως recte adfectæ.

Sed in collocando) Hoc jam toties incul-

Digitized by Google

inculcavit, & pluribus explicatur c. 2. l. IX. Nicom.

Vt quiſque maxime) Hic enim officium exigit major neceſſitas, cui præcipue ſuccurrendum eſt, ſi cetera ſint paria, hoc eſt, ſi reliquæ circumſtantiæ ita ſint comparatæ, ut non aliud ſuadeant.

A quo enim) Hic eſt mos utilium, & ambitioſorum amicorum atque aſſentatorum. *Non eſt beneficium, quod fortunam ſpectat*, inquit Seneca IV. de Benef. c. 3.

CAPUT XVI.

OPtime autem) Tertium hoc eſt, quod ſpectandum eſſe monuit in beneficio collocando. Communitas ac ſocietas vitæ: quæ cum non una ſit, peregregie varias ejus ſpecies explicat, atque ita officia amicitiæ, cum officiis juſtitiæ, & liberalitatis copulat: de quibus ut plenius conſtet, ex Ariſtotelis VIII. Nicom. cap. 9 quædam repetemus. Is ita progreditur: ubi eſt ſocietas, ibi eſt bonorum communio: ubi eſt bonorum (addere quoque licet, *& Officiorum*) communio, ibi eſt amicitia: ubi eſt amicitia, ibi eſt jus. Quia vero ſocietates non ſunt unius generis, aut propinquitatis; hinc porro colligimus: qualis eſt ſocietas, talis eſt bonorum communio: qualis & quanta eſt bonorum communio, talis ac tanta eſt amicitia: qualis & quanta fuerit amicitia, tale & tantum erit jus, atque obligatio. Hæc principia ſi iis accommodentur, quæ de variis ſocietatibus Cicero poſt diſſerit, facile intelligitur, quibus ratione communitatis ac ſocietatis vitæ præ aliis ad officia, & beneficia exhibenda ſimus obligati. Add. Grotius II. de I. B. P. c. 7. §. 10. ubi etiam ex hac conjunctione fundamenta ſucceſſionis ab inteſtato petit. Nam, inquit, ſucceſſio ab inteſtato nihil aliud eſt, quam tacitum teſtamentum ex voluntatis conjectura: quæ majori æquitate niti nequit, quam propinquitate cognationis.

Eſt enim primum) Prima, inquit, & univerſaliſſima ſocietas & conjunctio humana eſt hominum, qua hominum, ſeu univerſi generis humani. Hujus ſocietatis vinculum eſſe Rationem, & Orationem dicit; hæc enim ſunt præcipua naturæ dona, præ aliis animalibus homini conceſſa. Oratio data eſt, ut ſocietas poſſet inter homines eſſe, & conſervari, cujus effectus enumerat nonnullos. Ratio data eſt, ut ſocietas illa ſancte, honeſte, ſecundum rationis recte informatæ regulas coli poſſit. Quia igitur utraque deſtituta ſunt bruta omnia; hinc nec ſocietas inter illa eſt proprie ulla, multo minus jus, aut honeſtas ſanctitaſque morum ulla. Deinde & hoc obſervari meretur, quomodo ſibi & Ratio, & Oratio ſint conjunctæ in ſuis functionibus expediendis. Sermo enim character animi, ſive τυ λογισμυ *facultatis rationalis* recte dicitur. Nec male ille, τον λογον ρευμα ειναι τυ λογισμυ, *Orationem eſſe Rationis rivum.* Oratio, inquit Ariſtoteles Pol. II. p. 7. inventa eſt ad declarandum, quod prodeſt, & obeſt, nec minus juſtum, & injuſtum. Hoc enim præ ceteris animantibus hominum proprium eſt, ipſum ſolum boni, & mali, juſti, & injuſti, & aliorum ſenſum habere.

In quibus ineſſe) Iuris capax non eſt quiſquam, niſi creatura rationalis, & quidem in ſpecie homo: qua de re in prolegomenis pluribus diſputatum eſt. Add. Polyb. lib. VI. Iuven. Sat. 15. Dicit vero Cicero brutis tribui ſolere fortitudinem, non autem juſtitiam, ac bonitatem. Imo hæc omnia iis nonnumquam tribuuntur, ſed ſingula improprie, & ex quadam in ipſis umbra ac veſtigio rationis. De equa appellata juſta, exemplum eſt apud Ariſtotelem. Divinationem quamdam juſtitiæ in elephantis obſervat Plin. lib. VIII. c. 5. Idem lib. X. c. 74. narrat, aſpidem fuiſſe, quæ ſuum ipſa catulum necaret, quod catulus ille hoſpitis filium interemiſſet. Adde, quæ Grotius hanc in rem congeſſit lib. I. de I. B. P. cap. 1. §. 11.

In qua) Iam, quid officii noſtri ſit in hac univerſaliſſima ſocietate, monet, omnium videlicet rerum, pro cujuſque hominis neceſſitate communionem eſſe debere. Etſi enim ad ordinem, & tranquillitatem civitatum quam maxime faciat, ut ſint diſtincta etiam privatorum dominia; rerum tamen noſtrarum communicationem & uſum crebro relaxare debet libe-

liberalitas, quod ad communiſſima hæc jura, bonorumque communicationem homo homini ſit obligatus, & beneficio adfici hominem, hominis intereſt l. 7. ff. de ſerv. export.

Vt quæ deſcripta) Hic jam duarum ſocietatum officia videtur copulare. Si qui homines præter univerſaliſſimæ ſocietatis humanæ jura & officia, commodi ſui ac felicitatis facilius promovendæ cauſa civilem etiam ſocietatem ineant, certis juribus deſcriptam, tum officia legibus civilibus conſtituta obſervare debent, & ubi iſtis legibus non inique impediuntur, ad primæva univerſaliſſimæ humanæ ſocietatis jura, rerumque communionem ſunt obligati; non aliter ac ſi omnes omnino homines ſint amici. Inter quos enim ſocietas, inter eos jus eſt, & amicitia: uti pluribus ſupra cognovimus.

Omnia autem) Recenſet communia quædam omnium hominum officia, ad quæ illi ſint obligati, eaque verſibus Ennii proponit, additque omnia alia ejuſdem generis homini ab homine deberi. Hinc Iuvenalis de Iudæis hoc officium negligentibus: *Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti*. Etſi enim peculiaris victus morumque ratio Iudæis præſcripta familiarem cum ceteris hominibus conſuetudinem vix pateretur; non tamen inde colligendum erat, extraneis non licuiſſe benefacere, ſive illud laudabile, aut rectum non eſſe, quemadmodum poſteriorum magiſtrorum prava interpretatio concludebat. Atque recte etiam ſentit Seneca, quando IV. de Benef. negat, dici poſſe beneficium ignis accendendi poteſtatem facere. Aliud enim eſt Beneficium, aliud eſt Officium. Simplicius ad cap. 7. Enchir. Epict. *Officia ut in univerſas partes tribuantur, partim ſunt adverſus homines, & ſimiles, partim adverſus præſtantiores, partim adverſus deteriores, partim etiam fortaſſe adverſus noſmetipſos*. Exemplum monſtrandæ viæ officia minime moleſta neque ſumtuoſa indicat: quæ ignotis etiam tribuenda præter Ciceronem monet Seneca VI. de Benef. c. 9.

Quaſi lumen) Ovidius:

Quis vetet appoſito lumen de lumine ſumi,
Atque cavum vaſtas in mare ſervet aquas?

Apud eundem Lycios Latona ſic alloquitur:

Quid prohibetis aquas? uſus communis aquarum eſt.

Quidquid ſine) Generali hac regula videtur complecti voluiſſe omnia officia univerſalia hominum, cujus reſtrictionem mox addit, ſi accipientibus ſint utilia, dantibus non moleſta, aut detrimentoſa. Exemplis illam illuſtrat. Quia vero ſupra recte monebat, juxta naturæ jus etiam civile obſervandum eſſe, dubium non eſt, quin hujus univerſalis regulæ plures etiam reſtrictiones jus civile facere poſſit. Grotius hinc colligit jus innoxiæ utilitatis in bellis gerendis, lib. II. de I. B. P. c. 2. n. 11.

Quare & his) Ejuſmodi officiorum communicatio ſemper facienda, & quamvis quilibet ſibi, ſuiſque potiſſimum proſpicere debeat, perpetua tamen obligatione (etſi non ubique æque arcta) tenetur aliis, ſive privatim, ſive publice, imo ſi fieri poſſit, omnibus ut proſit. Bene Plutarchus VII. Sympoſiacωn: *Neque alimenta nobis fas eſt perdere, ubi ipſi plus ſatis habemus, neque fontem, poſtquam inde quantum libet potaverimus, obturare, aut occultare, neque ſigna navigationis, aut itineris abolere, quæ nobis uſui fuerint*.

Sed quoniam) Dicat quis, ſi omnibus egentibus ſubvenire ſumus obligati, nobis ſane, noſtriſque deerimus. Privatorum enim plerorumque parvæ ſunt opes & copiæ reſpectu egentium, qui vix regiis ſumtibus expleri poſſint. Reſpondet itaque Cicero, eo fine ac modo regi debere vulgarem, hoc eſt erga omnes homines facilem liberalitatem noſtram, ne ipſi egeamus, vel illi, qui propinquiori ſocietatis ac conjunctionis gradu a natura nobis ſunt commendati, ſecundum ea præcepta, quæ paulo ante dictavit.

CAPVT XVII.

GRadus autem) Recedit jam ab infinita illa hominum omnium ſocietate, quæritque contractiores. Quod vero ait, gradus plures eſſe ſocietatum,

Digitized by Google

tum, idem dicendum de amicitia, jure, adeoque & horum eſſe varios gradus, pro cujuſque ſocietatis natura. Magis igitur obligati ſumus ad officia præſtanda iis, qui ſunt ejuſdem gentis, nationis, ac linguæ, quam exteris, peregrinis, & barbaris. Inſtit. Iuriſpr. l. I. tit. 44.

Interius etiam) Arctior etiam ſocietas, & amicitia eſt inter Cives: quod ex jurium, variorumque bonorum & commerciorum, quæ recenſet, communione facile apparet. Reſpicit autem in ſpecie ad civilem ſocietatem Romanorum ſingularium iſtorum enumeratione. De civium officiis ita diſſerit Simplicius ad c. 37. Enchir. Epict. *Ab adfectione Civis, officium erga illum eſt reperiendum. Eſt autem quædam ea quoque cognatio. Nam ſi communis mater eſt civitas, & patrem ſimul, ac matrem repræſentat: ea ratione quaſi fratres quodam eſſe cives, conſtat. Eſt & illud in promtu, inter omnes Germanos (de inquilinis enim non loquor) etſi longinquam cognationem, tamen quamdam intercedere; quamquam cognatio ejuſdem originis, neceſſitudo ſatis ampla eſt. Magna enim eſt ingeniorum ſimilitudo, non in iiſdem modo civitatibus, ſed etiam nationibus iiſdem. Cives igitur ſic tractandi ſunt, ut cognati, dandaque opera, ne qua re neceſſaria egeant: & diſciplina eorum pro virili curanda, ut is quoque fructus ex eis capiatur, ut & apud bonos viros habites, nec in victu & cultu corporis tuendi cauſa quidquam deſideres, & in periculis auxilio non deſtituaris. Pupillis quidem, & viduis parentis loco eſſe debes. Poteſt enim alius pecunia, alius pro auctoritate magiſtratus, alius per amicos, alius bono conſilio, alius opera corporis, alius denique (ut cetera deficiant omnia) animi ſaltem propenſione, & æque prope dolendo civi ſuo ſubvenire. Civis autem, ſi etiam vicinus fuerit, aliquanto arctiore devincitur neceſſitudinis vinculo. Ut enim urbem eamdem, & familiam eamdem non temere neque fortuito conſequimur: ſic etiam eumdem urbis locum communi quadam ratione ſortimur. Major igitur benevolentia & familiaritas vicino debetur, quam civi: quæque de cive dicta ſunt, uberius & cumulatius in vicino obſervantur, eique & communicantur, & accepta referuntur, quæ poſſunt omnia. Rebus eorum ſecundis gratulandum, adverſis ingemiſcendum, ægrotantes tamquam domeſtici curandi: & in omnibus aliorum congreſſibus declarandum, ſe vicino in re nulla juſta defuturum, pro virili adjutando. Denique turpe habendum & erubeſcendum eſt, vicinum ei in re ab aliis adjutum fuiſſe, qua adjuvari a nobis potuiſſet.*

Arctior) Major adhuc conjunctio eſt ſocietatum propinquorum, quam civium: itaque quo ex his quæque naturæ inſtituto & primævo ordini propior, ita & major ad officia mutuo præſtanda item ibi eſt obligatio. Inſt. Iuriſpr. lib. I. tit. 11. 12. 13.

Nam cum ſit) Repetantur hic textus Ariſtotelis ſupra recitati ex VIII. Nicom. 12. §. 32. & 1. Pol. I. p. 3. Per libidinem procreandi autem Cicero intellectum vult naturalem ſimile generandi appetitum ſine ulla fœditate. Simplicius cum explicaſſet, quid per σχεσιν intellectum velit Epictetus, inter alia hæc ſubjungit c. 37. *Mariti, & uxoris adfectio media quodammodo eſſe videtur inter naturales & voluntarias, ut & utrarumque particeps, & diſſimilitudine definienda. Nam maritus uxoris eſt maritus, & uxor mariti uxor.*

Prima ſocietas) Recte. Nam omnium ſocietatum naturalium nuptialis prima eſt, altera eſt paterna, tum herilis, quam quidem omiſit. Ex his oritur domeſtica ſocietas: ex domibus & vicis jam urbes, ac integræ Civitates, ac Reſpublicæ exſiſtunt. Hunc progreſſum eleganter pluribus exponit. Pertinet huc omnino, c. 12. l. I. Nicom. ubi §. 5. dicit: ἡ συγγενικη κοινωνια φαινεται πολυειδης ειναι, και ηρτησθαι πασα εκ της πατρικης. *Cognatorum amicitia multiplex videtur eſſe, totaque a paterna pendere.*

Qui cum) Ariſt. I. Polit. 1. p. 4. *Maxime ſecundum naturam videtur Vicus, colonia, Domus eſſe: quos vocant nonnulli* ὁμογαλακτας, *natoſque & natorum natos.*

Sanguinis autem) Ut quæque conſanguineorum ſocietas arctior eſt, & ſimplici naturæ inſtituto vicinior, ita magis magiſque ſe amant, amare certe debent. Multum vero imputat etiam conſuetudini & moribus, quemadmodum & Ariſtoteles d. c. 12. lib. VIII.

VIII. §. 16. ſeqq. & §. 26. ſeqq. Illuſtratque hoc Cicero exemplis in Romana cumprimis Republica uſitatis.

Sepulcra) Hæc ideo dicebantur ſepulcra familiaria l. V. ff. de religioſ. & ſumt. ſun. Cum ſacris autem ſepulcra conjungit, quod hæc non minus ſancte, quam ipſa ſacra a familiis fuerint cuſtodita. Sigon. de jur. civ. Rom. lib. I.

Sed omnium) Hæc adeo præſtat reliquis, ut Ariſtoteles non aliam amicitiam proprie dictam agnoſcat, quam quæ eſt inter viros bonos, reliquas ſpecies ex eventu ſolum amicitias æſtimet. Vide l. VIII. Nicom. c. 4. c. 5. §. 15. ejuſd. lib. & alibi paſſim. De officiis amicorum non minus præclare, quam prolixe diſſerit ad Epict. Enchir. c. 37. Simplicius, cujus pauca ſolum hæc dabo: *Etſi autem ea quoque magna & admirabilia bona ſunt amicitiæ, quæ expoſuimus, pleraque tamen humana ſunt. Quod vero in ea maximum eſt, maximeque divinum, ignoratur: quod ſincera amicitia mentes amicorum in unum contrahens, meditatio pulcherrima eſt divinæ conjunctionis. Neque enim fieri poteſt, ut ad geniorum, & Dei conjunctionem perveniatur, niſi ea, quæ eſt inter cognatos animos, præceſſerit. Recte igitur Pythagorei præ aliis virtutibus amicitiam coluerunt, eamque vinculum omnium virtutum eſſe pronuntiarunt. Nam ſi una quævis abſuerit virtus, adeſſe recuſat amicitia. Quis enim injuſtus, aut intemperans, aut timidus, ac magis etiam vecors, boni, quod eſt in amicitia, capax eſſe queat? Debet igitur, qui amicus eſſe vult, ſemetipſum repurgare, quantum fieri poteſt, a brutis affectibus, ac tum ſui ſimile quærere, idque inventum amplecti, quaſi dimidio animæ ſuæ, alterave corporis ſui parte reperta, ſecundum fabulam Ariſtophanis.*

Illud enim honeſtum) VIII. Nic. 5. §. 20. ſeqq. IX. Nic. ult. pr.

Tamen juſtitia) Quid mirum? ſi enim omnis amicitia alioque jure conſervatur, & cumprimis honeſta, & illa quoque conjuncta eſt cum benefaciendi ſtudio; nullum eſt dubium, quin juſtitia & liberalitas, ſeu beneficentia plurimum ad amicitiam poſſit. Conferantur cum his textus e Philoſopho citati.

Nihil autem) VIII. Nicom. 1. §. 27. & c. 12. §. 24. ſeqq. IX. Nicom. ult. §. 7. ſeqq. Atque hanc ob cauſam cumprimis vult Ariſtoteles, amicos σύζην.

Ut unus fiat) Pythagoræ hæc tribuuntur: Ἡ φιλία ἰσότης, καὶ μία ψυχή, καὶ ὁ φίλος ἕτερος αὐτός. *Amicitia eſt æqualitas, & una anima, & amicus alter idem.* Vide, quæ prolixe diſſerit in Commentario ſuo ad Convivium Platonis de Amore Marſ. Ficinus. Carolus Langius hunc locum ita reſtituit ex Nonio: *Efficiturque id, quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit, ut unus fiat ex pluribus.*

Magna etiam) Hic de amicitia utili loqui videtur. Vide l. VIII. Nic. c. 3. 4. & 13. & paſſim alibi. Pertinent huc eximia Simplicii verba ad cap. 37. Enchir. Epict. *Tenendum eſt, quemque ſuam rectam voluntatem, & bonas actiones mutuare Deo, eaſdemque magna cum uſura, & uberiore quam homines ſolent menſura ab eo rependi.*

Firma) Non tamen ita firma, uti in honeſta amicitia; multis enim querelis obnoxia eſt utilis: quod pluribus demonſtrat Ariſtoteles.

Sed, cum) Quatenus paterna, aliorumque propinquorum ſocietas conſiderantur tamquam partes Reipublicæ, ſui totius, videtur verum eſſe, quod Cicero dicit, Rempublicam complecti omnium caritates. Illi quoque conſervandæ omnes Cives & membra non ſolum quod ad bona, ſed etiam quod ad vitam ſunt obligati. Atque hinc qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur, pr. Inſtit. de excuſat. tutor. vel curat. Lacæna quædam, cum filium in prælio cecidiſſe audiiſſet, idcirco, inquit, illum genueram, ut eſſet, qui non dubitaret pro Patria occumbere. Nam *dulce, & decorum eſt pro patria mori.* Horat. lib. III. od. 2.

Quo eſt deteſtabilior) A contrario oſtendit, quanta ſit illorum impietas, qui patriam & Rempublicam turbant. Notat his verbis præcipue I. Cæſarem, & Triumviros ſuperſtites. Quamvis & ante hos Reſpublica Romana ejuſmodi arſerit facibus, Cinna, Mario, Catilina, Sylla, aliis. Seneca V. de Benef. c. 15. & 16.

Digitized by Google

Sed ſi contentio) Redit ad quæſtionem illam toties decantatam : quæ quibus ſint tribuenda ? Adi Ariſtot. IX. Nic. 2. Add. Grot. l. II. de I. B. P. c. 7. n. 9. & 10. Simplicius breviter ita d. l. *Officia, ut in univerſis partes tribuantur, partim ſunt adverſus homines, & ſimiles, partim adverſus præſtantiores, partim adverſus deteriores, partim etiam fortaſſis adverſus noſmetipſos*. Illa contentio, & comparatio officiorum tribuendorum debet reſpicere ἀξίαν Ariſtotelicam, quam Michael Epheſius interpretatur τὸ προσαρμόζον, & τὸ πρέπον, *id quod convenit*, puta, vel propter majorem pietatis, aut honeſtatis, aut neceſſitatis rationem. Qua de re plura ſupra diximus.

Et parentes) Sic quoque Simplicius ad d. c. docet : *Non eadem tribuenda eſſe patri & filio, civi & hoſpiti, benemerito, & ei qui læſerit, alia denique aliis : pro ratione adfectionis & neceſſitudinis, quæ cum quolibet intercedit. Alia ratio eſt adverſus patrem, qui poſt Deum ortus noſtri, & totius naturæ noſtræ eſt auctor, & benefactor ; alia erga filium, cujus ipſi cauſa ſumus, & qui noſtri quædam pars eſt*. Poſt aliqua interjecta ita idem pergit : *Etſi malus fuerit pater, tamen officia, quæ patri debentur, ei præſtanda ſunt. Omnibus itaque modis eſt obſervandus, & curandus, ut & vitæ noſtræ poſt Deum auctor : & quod ejus cura & caritate muniti hucuſque proceſſimus : quod denique cura parentibus, ut quam ab illis mutuam accepimus, gratis animis, atque uberiore menſura, reddenda eſt, eorumque mandata alacriter exſequenda omnia, iis exceptis, quæ animi vitia provocant. Hæc enim citra eorum offenſam, quantum fieri poteſt, recuſanda ſunt, ut quæ patri animarum diſpliceant : cedendumque illis eſt ceteris rebus omnibus, tam externis, quam ipſo corpore. Nam ſi fortuitis Dominis, argento numerato, & corpora, & peculia ſervorum parent ; quanto magis parebunt eadem illis, qui naturales ortus noſtri auctores fuerunt? Quare, & verbera patrum æquioribus animis ferenda ſunt filiis, quam ſervis dominorum ; multoque magis convitium, aut contumelia. Itaque veteres Romanorum leges, tum excellentia naturæ conſiderata, tum laboribus, quos filiorum cauſa parentes capiunt, expenſis, tum eo etiam conſilio, ut liberos omnino patriæ poteſtati ſubjicerent (freta ſcilicet naturali parentum erga liberos pietate) & vendendi illos, ſi vellent, poteſtatem dedere parentibus, & impune occidendi. His vero antiquiores ita venerata ſunt parentes, ut Deos appellare eos non dubitarint : divinam autem excellentiam reveriti, fratres patrum divinos* (θείους) *appellant ; ut demonſtrent, quam rationem parentum adverſus liberos eſſe exiſtiment. Sunt autem officia adverſus parentes, tum quod æqua ſunt, præſtanda potiſſimum, ut ea ratione voluntatem noſtram naturæ conſentaneam conſervemus ; tum divinæ vindictæ ratio eſt habenda, quod conſentaneum eſt fore, ut tales liberorum erga nos animos experiamur, quales nos adverſus parentes noſtros præbuerimus*.

Bene convenientes propinqui) De σχέσει inter fratres, propinquos, & hinc emergentibus mutuis officiis item cum fructu legi poterit Simplicius d. l.

Vita autem victuſque communis) IX. Nic. ult.

Conſolationes) IX. Nic. c. 11.

Interdum etiam objurgationes) Ariſt. IX. Nic. 3. §. 13. ſeqq.

Eſtque ea jucundiſſima) Hoc obtinet in quoque amicitiæ genere, honeſta, utili, jucunda ; ut tamen maxime & naturalis ſit amicitia eorum, qui honeſtorum morum ſimilitudine fuerint conjuncti.

CAPUT XVIII.

SEd in his) Conjunctionum gradus ſatis accurate poſuit, & officia juxta illos deſcripſit. Hic autem exceptionem quamdam ſubjungit, non eſſe eoſdem gradus neceſſitudinum, qui ſint temporum, τῶν καιρῶν, hoc eſt, τῶν περιστάσεων, *circumſtantiarum*. Neceſſitas igitur atque indigentia nonnumquam hoſce gradus officiorum laxat, ut ſæpe non conjunctiſſimi ſint juvandi. IX. Nicom. 2. §. 12. In officiis igitur liberalitatis recte collocandis non ſolum ſocietatum naturalium gradus, ſed & alias circumſtantias ſpectare nos oportet, qua de re etiam quædam in Prolegomenis diximus.

Ut vicinum) Hinc Salomon: *Melior eſt vicinus juxta, quam frater procul habi-*

Digitized by Google

habitus. Vicini enim mutuas ſibi operas tradere debent in re familiari paranda. At quando in judicio de fortunis, de fama, aut capite fratris agitur, huic potius ut conjunctiori patrocinium eſt præſtandum, quam vicino. Repetantur hic, quæ paulo ante de officiis Civium, & Vicinorum ex Simplicio recitavi.

Conſuetudo) Finis enim hujus doctrinæ de officiis eſt πρᾶξις, ad quam recte condiſcendam multum confert adſueſactio, & exercitatio. Ariſtot. II. Nicom. 1. §. 17. ſeqq. & c. 4. §. 7. uſque ad fin. Et X. Nicom. ult. §. 2. ſeqq. Comprobat idem Cicero variarum artium inductione facta. *Virtutis laus omnis in actione conſiſtit*, inquit is alibi.

Quæ reliqui ſumma) *Reliquum* eſt, quod rationibus ſubductis, acceptiſque & expenſis computatis, debitum remanet & ſupereſt l. 32. & 81. ff. de condit. & demon. Hinc *Reliquari* dicitur is, qui ſubductis rationibus reliqua debet l. 6. §. 1. ff. de muner. & honor. l. 20. §. 6. ff. fam. erciſc. Et *Reliquatores*, qui æs alienum ex reliquis contraxerunt l. 9. §. 2. ff. de public. l. 102. §. 2. ff. de ſolut. Elegantiſſima vero hac metaphora Cicero ſignificat, debere officia liberalitatis prudenter computari, ut appareat, quid, quantumque cuivis adhuc debeatur.

Atque ab iis) Tranſitio ab officiis juſtitiæ, & liberalitatis ad fortitudinem, ejuſque officia.

Ex quo aptum) Vulgo dici ſolet, *Ex quo dependet*, Alii legunt; *Ortum eſt*.

CAPVT XIX.

Intelligendum eſt) Fortitudinem, & μεγαλοψυχίαν *animi magnitudinem*, hic conjungit, imo confundit; ſicuti ante juſtitiam & liberalitatem. Elatus animus non denotat hic inflatum, ac ſuperbum animum, ſed generoſum excellentemque.

Itaque in probris) Sicuti ignaviæ ac imbelliæ ſummum eſt dedecus, ita contrarii habitus, fortitudinis puta, ſummum eſt decus atque laus. Adfert autem ex Ennio verba Imperatoris militum ignaviam increpantis.

Salmacida ſpolia) Hæc ita explicat Scaliger ad Auſon lib. I. Lect. c. 28. *Ad eoſdem*, inquit, *molles & effeminatos pertinet verſus ille in eodem epigrammate: Vitiis ſemivirum fons Salmacis Hermaphroditum. Obtinuit enim apud veteres, eum fontem effeminatos, & cinædos efficere: unde locus fabulæ de Hermaphrodito. Vnde etiam Ennius videtur dixiſſe Salmacida ſpolia. Non enim disjunctim, ſed ſic legendum, Salmacida ſpolia, h. e. victoria non virilis, ſed effeminata. At vetus Gloſſarium Salmacidum interpretatur, ἄλμυρον. Ita apud Ennium Salmacida ſpolia, non θῦλακα, ſed εὐθήρατα erunt. Nam captura marina facilior eſt, quam venatio: ideoque ἀναίματος, cum tamen venatio ferarum neque ἀναίματος, neque ἀκίνδυνος ſit. Ita igitur Ennius interpretandus erit.* Hæc ille. Strabo lib. XIV. Καὶ ἡ Σαλμακὶς κρήνη διαβεβλημένη οὐκ οἶδ' ὁπόθεν, ὡς μαλακίζουσα τοὺς πίνοντας ἀπ' αὐτῆς. *Item Salmacis fons traduci ſolitus eſt, neſcio quam ob cauſam, tamquam emolliens eos, qui inde bibant.* Fuit etiam Nympha ejuſdem nominis. Hæc obiter.

Contraque in laudibus) Laus eſt teſtimonium externum virtutis, ſicuti vituperium vitii. Bene vero obſervat Cicero, vulgari hominum calculo vix quemquam tantopere ex ulla alia virtute laudari, quam ex fortitudine, ſine dubio, quod hæc virtus difficillimum objectum ſibi habeat propoſitum, pericula belli, vulnera, mortem, & quod fortes tempore maxime neceſſario Reipublicæ ſubveniant. Vnde etiam fortitudo, & Græcis ἀρετή, & Latinis virtus κατ' ἐξοχὴν dicitur. Plutarchus in vita Coriolani pr.

Declaratur) Ejuſmodi enim Heroibus, qui fortitudine ſua Patriæ cumprimis profuerant, ſtatuæ ſolebant poni accommodatæ, videlicet ornatu militari expolitæ, pedeſtres, equeſtres, triumphales. Apud Tacitum IV. Annal. fit mentio ſtatuarum laureatarum; ſtatuæ enim victoribus decretæ, lauro etiam cingi ſolebant. Præterea & enſes geſtabant ſtatuæ, & clypeum. Vide Paralipomena Dempſteri ad librum IX. Roſini de Antiqq. Rom. Atque hæc omnia fiebant, ut major laus accederet viris fortibus, & ad

Digitized by Google

& ad felicem imitationem his exemplis & monumentis alii excitarentur.

Sed ea) Vnaquæque actio ex fine vel honeſta eſt, vel turpis. Fortitudo igitur cum ut honeſtiſſima res laudari ſoleat, finis quoque ejus, cujus cauſa exercetur, honeſtus ſit neceſſe eſt. Fortis omnis nonniſi honeſti cauſa agit, inquit Ariſt. III. Nic. cap. 7. §. 11. ſeqq. Qui igitur imperii & ambitionis, aut lucri, aut prædæ adipiſcendæ ſtudio inprimis militant, boni milites, aut vere fortes non ſunt. Vid. Grotius lib. II. de I. B. P. c. 24. & lib. III. c. ult. Talis Brennus, qui omnia dicebat validiorum. Talis Silio Hannibal, cui *pro fœdere, proque juſtitia eſt enſis*. Talis Attila, & quibus illud in ore eſt: *Quæritur belli exitus, non cauſa*. Tales ſunt omnes, qui animo maxime elato duellis contendunt. Sed de iſtis audiamus Auguſtini judicium: *Inferre bella finitimis, & inde in cetera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſola regnandi cupiditate conterere, quid aliud, quam grande latrocinium nominandum eſt?* lib. IV. de Civ. Dei c. 6.

Itaque probe) Stoicæ hujus definitionis hoc videtur fundamentum, quod omne bellum, ſive publicum, ſive privatum proxime oriatur ex injuſto. Vel igitur noſtrum jus noſtraque bellica vi defendimus, vel quod injuria ablatum eſt, repetimus & vindicamus, vel aliquando & pœnas juſte exigimus.

Inſidiis) Hic quæri poſſet, an in bello nullo plane ſtratagemate, inſidiis, aut dolo uti liceat? Reſpondet Auguſtinus: *Cum juſtum*, ait, *bellum ſuſcipitur, ut aperte pugnet quis, aut ex inſidiis, nihil ad juſtitiam intereſt.* Huic Chryſoſtomus etiam adſentitur: ne dicam de Homero, Virgilio, aliiſque, quorum teſtimonia adfert Grotius III. de I. B. P. c. 1. n. 6. ſeqq. Hinc Romani veteres quemdam faciebant dolum bonum, & *pro ſolertia hoc nomen accipiebant: maxime, ſi adverſus hoſtem latronemve quis machinetur*. Verba ſunt Vlpiani l. 1. ff. de dolo malo. Vide, quæ uberius ad d. l. Grotii hac de re commentati ſumus.

Platonis illud) Verba ejus hæc ſunt in Menexeno: Πᾶσα ἐπιστήμη χωριζομένη δικαιοσύνης καὶ τῆς ἀρετῆς, πανουργία οὐ σοφία φαίνεται. *Omnis ſcientia ſejuncta a ſapientia ac virtute, calliditas videtur non ſapientia.*

Animus paratus) Denuo velim, hæc ab iis ad animum revocentur, quibus ſumma gloria, voluptas, aut fortitudo eſt, duellis committi.

Eoſdem bonos) Quia enim non ſolum ex ſententia Peripateticorum, ſed & Stoicorum, eſt omnium virtutum ἀντακολούθησις, recte colligit, fortis qui proprie ſit, eumdem quoque eſſe virum bonum, & juſtum. Et cum inter καλοκἀγαθίαν, & prudentiam par ſit nexus, idem quoque eſt vir bonus, & vir prudens. Add. c. ult. & pen. lib. VI. Nicom. & IX. Nicom. c. 8. §. 36. ſeqq.

Veritatis amicos) Quatenus in bellis mendacium, vel falſiloquium inveniat locum, diſputat Grotius loco modo citato, quem non paucis illuſtravimus.

Quæ ſunt) Veritas alia eſt Philoſophis propoſita, alia pars juſtitiæ, quam ſupra appellabat fidem, hanc juſtitiæ fundamentum eſſe adſerens: alia eſt, quæ pertinet ad ὁμιλίαν, ipſaque inter virtutes ὁμιλητικὰς recenſetur. Ariſtot. IV. Nicom. 7. toto capite, & ſpeciatim §. ejus 15.

Sed illud) Illa naturalis animi magnitudo, niſi perficiatur veræ fortitudinis habitu, facile pertinaciam, & φιλαρχίαν attrahit, ut ne latum quidem unguem de ſua ſententia velit diſcedere, ſed ambitioſe pertendat, nec niſi primo loco conſiſtere velit. *Stimulos dedit æmula virtus*. Lucan. lib. I. Videre hoc licet in æmulis belli ducibus. Cicero quidem notare his verbis videtur Cæſarem, & Pompeium, quorum hic non poterat ferre parem, iſte non ſuperiorem.

Vt enim) Confirmat hoc exemplo Lacedæmoniorum, & teſtimonio Platonis in Lachete, qui de his teſtatur, quod nihil æque ipſis curæ fuerit, quam quomodo poſſent alios opprimere, & ipſi ſuperiores eſſe. Iungatur his pulcherrimus textus Ariſtot. VII. Polit. 14. pag. 485. Οἱ δὲ νῦν ἄριστα δοκοῦντες, &c. ubi item Lacedæmoniorum rigorem, & inſtituta ad bella tantum non unice comparata improbat. Hinc Grotius ita ait lib. III. de I. B. P. c. ult. n. 2. *Ipſe Ariſto-*

ſtoteles non ſemel accuſat gentes, quæ bellicas actiones quaſi pro ultimo fine ſibi proponerent. Ferinum quiddam vis eſt, quæ in bello maxime eminet: quo diligentius curandum eſt, ut humanitate temperetur, ne nimium feras imitando dediſcamus hominem.

Difficile eſt) Οὐδεις γαρ αν αρχειν αιτησαιτο, μη φιλοτιμος ων. και τα των γ' αδικηματων ἑκουσιων τα πλειστα συμβαινει, σχεδον δια φιλοτιμιαν και δια φιλοχρηματιαν τοις ανθρωποις. *Nullus enim Imperium peteret, qui non cupidus honoris eſſet; cum maxima pars injuſtorum factorum, quæ ſponte faciunt homines, ferme proficiſcatur ab ambitione, & avaritia*, inquit Ariſt. II. Pol. c. 7. p. 113. Quicumque potentiam affectant, cetera omnia ſuæ cupiditati poſtponunt, ita ut amiciſſimos etiam, genereque proximos inimiciſſimorum loco habeant, inquit Philyſæus in Oratione ſua apud Dion. Caſſ. lib. XXXVIII. Fidem his verbis facit triſtiſſima experientia.

Æquitatem) Ponitur hæc vox hîc pro æqualitate, ut ſæpe alias; proprie enim æquitas eſt, quæ Græcis dicitur ἐπιεικεια, juris legitimi correctio. Quomodo vero æqualitas maxime propria ſit juſtitiæ, docetur prolixe V. Nicom.

Diſceptatione) Scilicet forenſi protinus ad arma convolant. Hinc ſupra dicebat, duo eſſe genera decertandi, unum per diſceptationem, alterum per vim. Ejus erat ingenii Marius, qui negabat præ armorum ſtrepitu leges a ſe exaudiri poſſe: his alia gemina legere eſt in Prolegom. Grotii.

Exſiſtuntque) His verbis ſine dubio iterum deſignat Cæſarem, qui largitionibus ſuis corrupit popellum, & ea ratione ad ſummos magiſtratus, ac opes, hoc eſt, potentiam graſſatus eſt; mox etiam eo contendit, ut vi potius ſuperior, quam jure aliis par eſſet. Bene monet Ariſtophanes in Ranis, leoninum catulum in urbe non eſſe alendum: aut, ſi alatur, adſuefaciendum eſſe legibus, ut pareat.

Sed quo difficilius) Quanto difficilius eſt, ne quis animi ſui magnitudine, ac potentia abutatur ad injuſtitiam, tanto præclarius eſt, ſi quis haſce virtutes ſemper copulatas habeat. Bene item Poeta:

Fortior eſt, qui ſe, quam qui fortiſſima vincit
Oppida: nec virtus altius ire poteſt.

Seneca I. de Benef. c. 7. *Gentes facilius eſt barbaras, impatientesque regere, quam animum ſuum continere*. Et Valer. Max. lib. IV. c. 1. *Multo ſeipſum, quam hoſtem ſuperare operoſius eſt*.

Sapiens animi magnitudo) Hoc eſt, fortitudo, cum prudentia conjuncta, a qua in ſingulis actionibus regatur, ipſius honeſtatis cauſa pericula, reſque magnas adit, non gloriæ cupiditate: atque ita non ex ambitu principem locum, ſed ex meritis, honeſtiſque factis conſequitur. Salluſtius Bell. Catilin. de Catone: *Eſſe, quam videri bonus malebat: ita, quo minus gloriam petebat, eo magis illam adſequebatur*. Confer. lib. II. c. 12.

Etenim qui) Dicas, vulgo tamen haberi fortiſſimos, & tales tantum non ab omnibus prædicari, qui quavis ratione ad gloriam contendentes præ aliis excellant. Reſpondet Cicero, non eſſe vere fortem, aut magnanimum, qui a judicio vulgi pendeat, ejuſve opinionibus. Cum enim virtutis ſuæ conſcientia contentus eſſe poſſit, cur velit vanam vulgi gloriolam, & applauſum aucupari?

Facillime) Quam difficile ſibi moderari ſciant generoſa ejuſmodi pectora, denuo docet. Quando enim quis id faſtigium eſt conſecutus, ut aliis jam potentior ſit, iiſque leges præſcribere queat, ſolet profecto illa potentia plerumque ad gloriæ, opumque cupiditatem converti, neglecta æquitate, bonove publico. Pertinent huc exempla eorum, qui rerum feliciter geſtarum ſucceſſu intumuerunt, & victoriis impotenter abuſi fuerunt. Hæc item in Cæſarem conveniunt, cujus ambitionem ſine dubio his ipſis notare voluit libertatis, & æqualitatis in Republica amantiſſimus Cicero. Archidamus Ageſilai filius Philippo, qui ad Chæroneam victoria potitus literas ad ipſum dederat aſperiores, reſcripſit: *Si tuam umbram metiaris, deprehendes, eam nihilo, quam fuit ante victoriam, eſſe longiorem*. Plut. in Apopht. Lacon.

CA-

CAPUT XX.

OMnino fortis) Quemadmodum ſupra ſapientiam, & prudentiam, um juſtitiam, & liberalitatem, ita ic fortitudinem cum magnanimitate onfundit, uti ſupra jam monitum eſt, uæ virtutes cum revera ſpecie ſint iſtinctæ, ſpecie diſtinctæ, ſequitur, t ſint illarum officia; quæ rectius tiam diſtincte proponerentur, etiamſi ropter Stoicam hypotheſin, individuum eſſe καλοκαγαθιας nexum, uni ıbjecto omnia virtutum officia tribui oſſint.

Quorum una) Hæc Ariſtoteles ad agnanimitatem refert, IV. Nicom. 3. 43. §. 68. §. 39. 73. & IX. Nic. 8. 38.

Admirari) Idem dicit Horatius lib. I. p. 6.

Nil admirari prope res eſt una, Numici,
Solaque, quæ poſſit facere, & ſervare beatum.

dmiratio hic intelligitur imprudens erum vanarum. Alia eſt admiratio, uæ principium Philoſophiæ dicitur, ua homines ad rerum cauſas inveſtiandas excitati ſunt. Vide ſupra h. ib. c. 4.

Neque perturbationi) Μαλα ςωικως. uia enim hæc ſecta affectus omnes enitus exſtirpatos eſſe voluit, non oteſt non a viro forti, & magnanio exigere, ne umquam cedat affeibus, aut committat, ut ab iis vel ortuna vincatur. Talis erat, quem tatius Papinius laudat II. Sylv. 11.

—— Qui pectore magno
Spemque, metumque domas, vitio ſublimior omni:
Exemptus fatis, indignantemque refellis
Fortunam.

Altera eſt) Proponit alterum magnanimitatis objectum. Addo Ariſtotelem d. l. IV. c. 3. §. 55. & IX. Nicom. 8. §. 37. ſeqq.

Tum cauſa vitæ) Duos fines videtur onjungere, cur ita ſe gerere debeat magnanimus, & fortis, primo vitæ oneſte, ac pacate tranſigendæ gratia; ita enim hæc accipio propter præcedentia: tum propter αυταρκειαν, erumque copiam, quibus homini ad vitam commode tranſigendam opus eſt. Primarius enim cujuſque viri boni, qualis certe eſt magnanimus, IV. Nicom. 3. §. 26. finis eſt, ut ipſius honeſtatis amore bene agat; tum, ubi meminerit, ſe eſſe ζωον πολιτικον, aut civem, ut publice proſit.

Horum rerum) Duas has fortitudinis partes inter ſe contendit, dicitque priorem illam, rerum externarum, opum, gloriæ, ipſius vitæ, deſpicientiam poſſe ſtatui cauſam efficientem poſterioris facultatis, qua res magnas gerimus: dignitatem vero, ac merita viri fortis, ac magnanimi præprimis conſpici in poſteriori. Si hæc juxta Peripateticorum placita rigide examinentur, vera haud eſſe videntur. Quomodo enim ſpecie diſtinctarum virtutum officia poſſint ejuſmodi inter ſe habere nexum, qualis eſt inter cauſam, & effectum? Bene vero hactenus dicetur, hæc eſſe valde cognata, & affinia, ut, qui res externas non magni faciat, invicto etiam fere ſit animo ad res arduas obeundas. Quid quod Ariſtoteles docet, magnanimitatem eſſe talem habitum, qui comprehendit, quidquid magnum eſt in quaque virtute? IV. Nicom. 3. §. 27. & 31.

Id autem ipſum) Illam deſpicientiam in duas partes ſubdividit, quarum prima eſt, rectum de bonis judicium, in quorum numero nihil ex Stoicorum hypotheſi ponendum eſſe ait, niſi honeſtum. Omiſſa vero principii hujus conſideratione, de quo pluribus infra agendum, prioribus ſane conſentit Ariſtoteles IV. Nicom. 3. §. 54. Ο' μεγαλοψυχος δικαιως καταφρονει. δοξαζει γαρ αληθως. οἱ δε πολλοι, τυχοντως. *Magnanimus non injuria deſpicit. De rebus enim vere opinatur, & judicat. At vulgus, quomodocumque fors tulerit, judicat.* Hinc Cicero V. Tuſcul. *Securitatem nunc appello, vacuitatem ægritudinis, in qua vita beata poſita eſt.* Atque hujus ſecuritatis ille paulo poſt mentionem facit. Altera illius pars eſt απαθεια, Stoicorum commentum, in qua illi ſummum bonum collocabant.

Nam & ea) His verbis præcedentium explicatio continetur: quibus magnam lucem afferre poterunt textus illi Ariſtotelici allegati.

Digitized by Google

Vt nihil a ſtatu) Stoice. Hoc eſt, quod alias non una loquendi formula, ac figura ſignificant, ſecundum naturam vivere, convenienter naturæ vivere, naturam ſequi, ſibi conſtare, ac Deo tradere, Deum ſequi. Adde Lipſium lib. II. Manud. ad Philoſoph. Moral. Stoic. c. 14. ſeqq. & quæ ſupra hac de re propoſuimus.

Nihil) Et hoc Stoicum Panætii ſpiritum redolet.

Non eſt autem) Oſtendit, quænam fortitudini repugnent, & ſubindicat, ubi horum unum deprehendatur, ibi non eſſe veram fortitudinem, ac magnanimitatem. Primum igitur vitium fortitudini non conſentaneum dicit eſſe, φιληδονίαν, deinde φιλοπλουτίαν, tum φιλοδοξίαν, verb. *cavenda eſt*, &c. Denique φιλαρχίαν, verb. *Nec vero*, &c. Cognata autem fortitudini dicit eſſe pecuniarum contemtum, ſi non habeas; vel, ſi habeas, ut liberalis ſis; deinde ſtudium libertatis (cujus jugulum petere ſolet ambitio) conſervandæ, imperii non ambitioſa adfectatio, vel etiam detrectatio, ac recuſatio; denique ἀπάθεια: hinc enim oriri εὐθυμίαν, ſecuritatem, inquit Cicero, conſtantiam, ac dignitatem. Quod vero dicit de Imperiis, vel non accipiendis, vel deponendis, ita interpretari debemus, ſi utrobique id ſuadeat vel major utilitas, vel jubeat honeſtas. Si enim alii te rectius gerere Imperium poſſint, tu illis cedes illud, non accipies. Depones, ſi vel leges ita jubeant, vel ex aliis cauſis tale quid fieri honeſtas, vel major utilitas commendet. Nam temere imperium, ſeu magiſtratum recuſare, aut deponere, bono civi integrum non eſt. Ariſt. IV. Nicom. 3. §. 38. ſeqq. Videtur autem Cicero notare denuo Cæſarem, qui ſane elatiſſimi erat animi, & ex provincia privatus diſcedere, aut poſt a dictatura, nolebat.

Pro qua) Eſt enim libertas res inæſtimabilis, l. 106. ff. de R. I. rebuſque omnibus favorabilior, l. 122. ff. eod. *Cujus deſiderium omnibus eſt innatum*, Ἔμφυτος πᾶσιν ἀνθρώποις ὁ τῆς ἐλευθερίας πόθος. Dion Halicar. lib. IV.

Multi autem) Temeritatis eſt, res magnas, quibus impar ſis, aut non ſatis tibi exploratas, aggredi. Ne igitur rebus turbulentis, ac impeditis, qualia certe multa ſunt negotia civilia, ſe miſcerent, faciliuſque tranquillitatem adipiſcerentur, a publicis negotiis ad otium, vitamque privatam multi tranſierunt. Quos ſane ita videtur hic laudare, ac ſi ſui ſit oblitus: ſupra enim dicebat, contra officium eſſe, ſi quis ſolius contemplationis ſtudio ſe negotiis civilibus ſubducat. Hîc igitur Cicero, cum oppreſſæ Reipublicæ Romanæ valedixiſſet, receſſumque quæſiviſſet, jam Stoicos, & Epicureos ſequitur, quorum ſapiens non accedet ad Rempublicam. Vide Plut. de Contrar. Stoic. Senec. de Otio Sap. cap. 30. & 31. Gaſſendus in Animadverſ. ad moral. Philoſ. Epicuri pag. 1207. Sane quod exempli loco Philoſophos affert, tolerari poteſt, ſi excellentes ſint, & ſuo ſtudio, ac inſtitutione Reipublicæ proſint. Alias in Democratiis, populi, aut in Monarchiis, Principum diverſis ſtudiis, invidia, metu, ac moroſitate nemo bonus, & fortis civis ſe patietur facile abſterreri a magiſtratibus gerendis. *Quare iſtos* (de Epicureis loquitur) *ſine ulla contumelia dimittamus. Sunt enim & boni viri, & quoniam ſibi ita videntur, beati; tantumque eos admoneamus, ut illud etiam ſi eſt veriſſimum, tacitum tamen, tanquam myſterium teneant, quod negant, verſari in Republica, eſſe Sapientis. Nam ſi hoc nobis, atque optimo cuique perſuaſerint, non poterunt ipſi eſſe, id quod maxime cupiunt, otioſi*. Cic. III. de Orat.

Nec populi, nec principum mores) Cum enim rarum ſit mixturæ genus, gravitatem humanitate, & comitate temperatam habere; multo certe difficilius erit, ut Philoſophi, & longe principes viri, qui animum ad conſtantiam, & ſeveritatem imbutum habent, populi, vel principum moribus adſueſcere poſſint, cum illius mobilem auram captare, Principum vero, & Aulæ inſolentiam, ac ſuperbiam ferre neſciunt. Confer ea, quæ infra ad cap. 44. commentati ſumus.

Vixerunt) Non ſolum vitam privatam otioſam perpetuo amplexi ſunt Philoſophi quidam, aliique viri graves, ſed & plurimi Senatores, ac Magiſtratus Romani, ubi vacatio da-

batur,

Digitized by Google

batur, hanc remiſſionem animi, & ſeceſſus perlibenter quærebant. Exemplo ſit T. Pomp. Atticus, qui, æſtuante bello civili, ſe in agro abdebat. Idem tandem & Cicero faciebat, cum videret, agi, ferri omnia. Et ante hos impenſe vitam ruſticam adamabant Qu. Cincinnatus, Cato, alii.

His idem) Hæc ſunt plane Stoica. Horum enim ſapiens Rex eſt, ſemper liber, ubique felix, & *αυταρκης*. Quo autem pacto idem fuerit propoſitum Philoſophorum, & Regum, ita explicat Cato apud Ciceronem III. de Finib. ſub fin. *Sapiens rectius appellabitur Rex, quam Tarquinius, qui nec ſe, nec ſuos regere potuit: rectius Magiſter populi, (is enim eſt Dictator) quam Sylla, qui trium peſtiferorum vitiorum, luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis magiſter fuit: rectius dives, quam Craſſus, qui, niſi eguiſſet, numquam Euphratem nulla belli cauſa tranſire voluiſſet. Recte ejus omnia dicentur, qui ſcit uti ſolus omnibus. Recte etiam pulcher appellabitur; animi enim lineamenta ſunt pulcriora, quam corporis. Recte ſolus liber, nec dominationi cujuſquam parens, neque obediens cupiditati. Recte invictus, cujus etiam ſi corpus conſtringatur, animo tamen vincula injici non poſſunt.*

Cujus proprium) Hinc definitur ICto l. 4. ff. de Stat. hom. *Libertas, naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi, aut jure prohibeatur*. Nam ut Cicero pro Cluentio ait, ideo Legum ſervi ſumus, ut liberi eſſe poſſimus. *Ουκ εστι δουλεια το ζην προς την πολιτειαν. Non eſt ſervitus vitam, juxta Reipublicæ finem, & leges componere*. Ariſtot.

CAPUT XXI.

QUare) Ex præcedentibus colligit non ſolum Magnates, ſed & Philoſophos, ejuſque generis alios tranquillæ vitæ ſtudioſos poſſe eſſe magnanimos: illos quidem hanc *altitudinem* ex potentia, & honoribus conſequi, hos *εκ της αυταρκειας*.

Sed &) Contendit horum vitas inter ſe, & utriuſque commoda, & incommoda inniit. Otioſorum tutior eſt, at Politicorum fructuoſior, & honorabilior, bene de Republica, & privatim merentium, & nominis immortalitatem ſibi comparantium.

Quapropter) Monet, non videri illos contra officium facere, qui doctrinæ ſtudio a Republica recedunt, ut Plato; modo hoc privato ſtudio ſaltem aliqua ratione publice proſint, ingenii monumenta poſteritati relinquentes: multo minus illos, qui valetudine, ut Scipio ſuperioris Africani filius, aliave graviore cauſa, ut ipſe Cicero Cæſaris tyrannidem abominans, ac fugiens, impediuntur.

Quibus autem) Si qui ſint, qui ejuſmodi honores contemnant non juſta aliqua cauſa adducti, ii potius ceu ignavi ſunt reprehendendi, *μικροψυχοι* dicti Ariſtoteli, IV. Nicom. 3. §. 78. 83. Et IV. Nicom. 4. §. 4. ita docet: *Φιλοτιμος eſt, quem vituperamus, tamquam nimia honoris cupiditate inflammatum, honoremque, unde non oportet, aucupantem: & honoris contemtorem item, ut qui ne ex honeſtis quidem rebus adipiſcendi honoris conſilium capiat*.

Quorum judicium) Duplex hic primum conſtituenda eſt gloria, una externa, altera proprie dicta, quæ virtutis eſt merces. Hanc uti nemo prudens contemſerit, ita iſtam non magnifacere, generoſi videtur eſſe animi. Ceterum a Magiſtratibus, externa gloria renidentibus, alienum habere animum nonnullos videas, non tam ſplendorem illum generoſe contemnentes, quam metu infamiæ, & fuga laborum abſterritos, qui ſane non magnanimi, ſed ignavi, & *μικροψυχοι* dicendi ſunt. Qui enim vere velit eſſe magnanimus, & bonus, is non ſolum debet animum habere bene compoſitum adverſus voluptatis inſultus, ſed & adverſus metus, & moleſtiarum terriculamenta, atque hæc conſtanter contemnere, non alibi contemnere, alibi expaveſcere. Add. Ariſt. IV. Nic. 3. §. 39.

Sed iis) Inverſione utitur. Quo magis externa illa deſpiciunt, & quo majoribus, ſive naturæ, ſive fortunæ dotibus ſunt inſtructi, tanto majori alacritate Rempublicam capeſſere debent. Cujus rei duas affert cauſas, quod ſine Imperio, & Magiſtratu reſpublica eſſe, & ſine deſpicientia externi ſplendoris generoſe regi nequeat:

deinde, quod vile latens virtus. Præterea cum homo ſit ζωον πολιτικον, non ſolum ad parendum, ſed & ad imperandum ſe meminerit a natura eſſe conditum, ſiquidem ſingulares ab ea dotes, & adminicula eum in finem acceperit, nec lex obſtet. Quid quod omnis civis pars eſt Reipublicæ, adeoque ad totius conſervationem ſit obligatus? Conſervatur vero Reſpublica juſto, ac legitimo imperio. Bene Ariſtoteles: Δει βυλομενον, και μη βυλομενον αρχειν τον αξιον. *Imperium ſuſcipere oportet; ſive volentem, ſive invitum eum, qui ei par eſt.*

Abjecta) Ariſtot. IV. Nicom.3.§.21. ſeqq.

Capeſſentibus) Qui jam huic clavo manum admoverunt, ita ſtatuent, non minus ſibi, imo magis neceſſariam eſſe magnanimitatem, quam Philoſophis; ſic enim nec anxii adverſus fortunæ procellas, nec inſolentes in re lauta erunt. Qui igitur imperia capeſſunt, boni publici amore adduci debent, non externæ gloriæ cupiditate, quin potius Philoſophica generoſitate eam contemnere; ſic nihil ſuperbe facient, & plurimis involuti negotiis nihilominus bonæ conſcientiæ tranquillitate, ac ſecuritate fruentur. *Numquam in capita civium poteſtatem, numquam provincias concupivi: ſed quia juvanda etiam a me videbatur pro virili portione Reſpublica, cum ad magiſtratum vocarer, propter opinionem deſidiæ non refugi. Negotium publicum neque ambitu appetii, neque per timiditatem, aut ignaviam recuſavi, ſed a teneris annis ab ætate puerili ad hanc uſque canitiem Conſulatus amore flagravi.* Mamertin. ad Iulianum paneg. c. 17.

Quæ eo) Fortuna ſuis inſultibus non æque lædit Philoſophos, atque eos, qui externam gloriam, potentiam, honores, opes, populique applauſum magnifaciunt. Hanc Philoſophorum conditionem, & mentem eleganter exprimit Horatius lib. III. od. 29.

Fortuna ſævo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem: ſi celeres quatit
Pennas, reſigno, quæ dedit, & mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem ſine dote quæro.

Quocirca) Generoſior quædam indoles, ac virtus opus eſt imperantibus, quam privatis. Quod ipſum conſentaneum eſt doctrinæ Peripateticæ: docet enim Ariſtoteles in Politicis, alias eſſe virtutes imperantium, eaſque excellentiores, alias parentium, eaſque minus præſtantes. *Patienda meliorum imperia*, inquit Avitus apud Tacitum XIII. Ann. c. 56.

Ad rem) Sicuti propter ignaviam non debemus nos Reipublicæ muniis ſubtrahere; ita nec temere illa affectare, ſed ante explorare, quid valeant humeri, quid ferre recuſent. Eſt enim res pulcherrima non ſolum imperare, ſed & difficillima: a qua proinde imprudens plane abſtineat, & peritus peritiori cedat. Majora igitur viribus aggredi temeritatis eſt: quæ poſſis, in his tibi diffidere, ignaviæ. Qui igitur majores honores, & magiſtratus affectant, quam quibus pares ſunt, iis idem videtur accidere, quod Icaro, & Phaetonti, de quorum illo ita Ovidius:

Dum petit expanſis nimium ſublimis pennis,
Icarus Icarias nomine fecit aquas.

De hoc vide infra c.32.

In omnibus) Hæc eſt generalis regula in omnibus deliberationibus, ac gravioribus negotiis obſervanda. Ubi vero illotis manibus quis res magnas capeſſiverit, felix ſucceſſus, aut eventus ſperari nequit.

Caput XXII.

Sed eum) Dividit fortitudinem hic in Togatam, ſive Civilem, & Bellicam, eaſque inter ſe confert, ſic ut eo inclinet, quod hac iſta præſtantior ſit, ſicuti ipſa pax bello. Etſi enim & bellica fortitudo ſit ampliſſima virtus, danda tamen potius opera eſt, ut in pace vivamus. Ceterum latius illum ſignificationem fortitudinis extendere, facile apparet. Togata enim illa eſt potius quædam animi præſentia, vigilantia, ac magnanimitas cum prudentia conjuncta. Hinc a Cicerone perſuaſus ita colligit Gaſſendus de Mor. Philoſoph. Epic. pag. 1484. etiamſi Fortes κατ' ἐξοχην illi cenſeantur, qui ſe forti-

ter

ter, excellenterque in bello gerunt, non in iis tamen ſolis virtutem fortitudinis ſitam eſſe. Male vero hinc colligit Cicero, Togatam fortitudinem eſſe præſtantiorem bellica, quod multi ambitione ducti bella moverint; quippe in his non fuit vera fortitudo bellica, ut a qua non poteſt abeſſe prudentia, quæ certe ut alia vitia omnia, ita & ambitionem excludit. Proinde ſi qua contentio inſtitui inter has debeat, potius utraque in abſtracto conſideranda erit. Sed ut ſupra monui, proprie fortitudo non eſt, niſi bellica: in aliis negotiis civilibus, ſi qua appareat generoſitas, animique magnitudo, nonniſi ἀκυρως fortitudo dicetur.

Propter gloriæ cupiditatem) O miſeram gloriam, quam quis ex bello cruentam conſequitur!

Quamvis enim) At niſi Themiſtocles ſua virtute patriam ab exitio vindicaſſet, ubi fuiſſet Areopagus? Ita ipſe Cicero ſentit, quando paulo poſt Pompeii vocem ſuæ gloriæ velificantem producit. Et togæ igitur, & ſago ſuus eſt honos. *Areopagus* Stephano dicitur αρειος παγος, *tumulus Martis*, cui templum Martis erat inædificatum, & in quo judicia capitis exercebantur. Adi Alex. ab Alex. Cœl. Rhodig. & Eraſmum in Chiliad.

Tamen ne minima) Reſpublica duabus potiſſimum rebus conſervatur, Legibus, & Armis; felicius tamen, & juxta intentionem naturæ commodius, Legibus. Hæ enim ipſæ non ſolum modum vivendi præſcribunt in pace, ſed & in bello. Utrorumque igitur habenda eſt ratio, uti Iuſtinianus Imp. monet initio Inſtit. ſuarum.

M. Scaurus) Scaurus eloquentia, & juris ſcientia, Q. Catulus in rebus civilibus, Marius, & Pompeius belli gloria floruerunt. *Plura conſilio, quam vi ſe perfeciſſe*, Tiberius ait apud Tacit. II. Ann. *Unam in armis ſalutem, ſed ea conſilio temperanda*, inquit Cæcinna apud Tacit. I. Ann. Laudat Polybius lib. I. Hiſt. Euripidis verſum, *Εν σοφον βυλευμα τας πολλας χειρας νικα. Mens una ſapiens plurium vincit manus.*

Nec plus) Scipio Æmilianus Numantiam evertit: Scipio Naſica Tib. Gracchum pernicioſas leges ferentem occidit. Sed cum hoc fecerit privatus Naſica, male hoc factum cum illo Æmiliani confertur, cum iſti vera gloria ineſſe nequeat, ut quod damnet prudentia; quale eſt homicidium.

Quamquam hoc) Illud Naſicæ factum cum ad civilem, ſive domeſticam fortitudinem etiam retuliſſet, correctione quadam utitur, dicitque quodammodo etiam pertinere ad bellicam, quia non judicio, ſed vi manuque confectum ſit.

Illud autem) Hic immodicum gloriæ ſtudium prodit, quod, Catilina oppreſſo, iſto verſu decantare ſolebat, licet propter *το ὁμοιοπτωτον* ridebatur: quemadmodum, & alter ille a Iuvenale Sat. 10. *O fortunatam natam me Conſule Romam*. Ille vero hoc factum, & *περιαυτολογιαν* cum quadam ad Ciceronem filium *αποστροφη* defendit. Meretur hic legi P. Victor. lib. VII. Var. lect. cap. 24. & lib. VII. cap. 13.

Mihi quidem) Pompeius ter triumphavit, ſemel de Afris, iterum de Hiſpanis, tertium de Mithridate.

Sunt ergo) Modeſtius concludit, quam propoſuit hanc quæſtionem.

In quibus) Videtur hoc velle, ac ſi fortitudo bellica potius manu, quam conſilio, domeſtica fere unice conſilio & prudentia perficiatur; & cum honeſtas in animo conſiſtat, hinc togatam honeſtiorem bellica pronuntiat, cum hæc non ſine corporis viribus expediatur. *Diu magnum inter mortales certamen fuit, vi corporis, an virtute animi res militaris magis procederet. Nam & priuſquam incipias conſulto, & ubi conſulueris, mature facto opus eſt. Ita utrumque per ſe indigens, alterum alterius auxilio eget.* Salluſt. Bell. Catil.

CAPUT XXIII.

EXercendum) Etſi animi viribus honeſtas fortitudinis maxime acquiritur, corpus tamen exercitiis ſuis, ſaltu, venatione, lucta, natatione ad obſequium animo præſtandum eſt adſueſaciendum. Qua vero ſubjectione rationi pareat corpus, paucis docet Ariſtoteles I. Pol. 3. pag. 14. *Η ψυχη τε σωματος αρχει δεσποτικην αρχην.* Ani-

Anima corpori imperat imperio herili.

Illata) Bella enim Senatus auctoritate ſuſcepta fuerunt.

Decernendi) Id quod fit beneficio togatæ fortitudinis in Senatu, vel judicio.

Ne id) Et temeritas, & timiditas hic eſt vitanda. Sed repetenda hic ſunt Grotii monita lib. II. de I. B. P. c. 24. & lib. III. c. ult. quæque alia hujus generis paſſim inſpergit.

Bellum autem) Hæc ſuperioribus conſentanea ſunt. Carolus V. inquit hic Hieron. Wolfius, bello & Gallico, & Schmalcaldico confecto, inſigni moderatione uſus eſt, ad pœnitentiam uſque clemens. Adde Grot. lib. III. de I. B. P. c. 15. n. 2. Τελος ειρηνη πολεμου, σχολη δε ασχολιας. *Finis belli pax eſt, negotii otium.* Ariſt. VII. Pol. 15. Seneca in Herc. fur.

Pacem reduci velle, victori expedit;
Victo neceſſe eſt.

Fortis vero) Redit ad proprietates vere fortis, & magnanimi explicandas. Ariſt. IV. Nic. 3. §. 39. ait: Ο' μεγαλοψυχος περι πασαν ευτυχιαν και ατυχιαν μετριως ἕξει, ὅπως αν γενηται. και ουτ' ευτυχων περιχαρης εσται, ουτε ατυχων περιλυπος. *Vir magnanimus in omni ſecunda, & adverſa fortuna quidquid acciderit, in eo ſe moderatum præbebit: neque in rebus ſecundis lætitia efferetur, neque in adverſis mœrore ſuperabitur.* Deinde monet cum fortitudine conjungendam eſſe prudentiam. More ſuo ſcilicet multa repetit, aut explicat: alias notum eſt, a prudentia omnes omnium virtutum actiones regi debere.

Non putaram) *Turpiſſimam ajebat Fabius imperatori excuſationem eſſe, Non putavi. Ego turpiſſimam homini puto. Omnia puta, expecta.* Sen. II. de Ira. c. 31. Male enim pro poſtremo verbo legi alias videtur *exſpecta*.

Temere autem) Id quod fit, ſi vel nulla juſta cauſa bellum ſuſcipiatur, vel non ſatis gravi & neceſſaria, vel ſi in modo belli gerendi peccetur. Grot. l. II. de I. B. P. c. 24. Incertos belli eventus, eorumque magnitudinem, antequam in ipſo verſemini, animo percipite, inquiunt Athenienſes apud Thucyd. lib. I. *Mors communis, & incertus eventus belli.* Liv. lib. XLII. Ideoque ſignis collatis non decertandum, niſi ſumma neceſſitas vel occaſio data ſit. Gell. lib. XIII. *Boni duces*, inquit Vegetius lib. II. de Re Milit. *publico certamine numquam niſi ex occaſione, aut nimia neceſſitate confligunt.*

Mors ſervituti) Non ſane ſimpliciter mors ſervituti eſt anteponenda, ſed tum demum, ſi vitæ jactura Patriæ, aut Civibus proſit, præferenda.

CAPVT XXIV.

DE evertendis) Recenſet alia officia fortitudinis bellicæ, de quibus etiam nonnulla ſupra, ubi de juſtitia dicebatur, propter illam virtutum αντακολουθιαν. Quo vero temperamento in urbium excidio uti debeamus, ſupra indicatum fuit ex Grotio, quem vid. lib. III. de I. B. P. c. 5. & c. 12.

Idque eſt) Officium fortis eſt, ut, cauſa bene examinata, auctores ſcelerum, ſeditionis, aut rebellionis puniantur, innocenti multitudini parcatur, & in quavis fortuna potior ſemper honeſtatis ratio habeatur. Grot. l. II. de I. B. P. c. 21. & lib. III. cap. 11. n. 17.

Sic reperies) Vtrumque fortitudinis extremum vitandum eſt, & temeritas, & timiditas. Iſta inter alia tum peccatur, ubi belli jure ſeu licentia, vel fortuna & opibus quis abutitur, & potius turbulenta, quam moderata conſilia ſequitur. Archidamus Spartæ rex Eleis, cum viderentur in Arcadum partes inclinare, epiſtolam ſcripſit, hoc tantum continentem: καλον ἡσυχιαν, *bonum eſt quieſcere.*

Numquam) Non quodvis periculum eſt declinandum, nec quodvis obeundum. Videatur hujus textus accurata explicatio apud Grotium l. II. de I. B. P. c. 24. n. 5. Summa eximii hujus præcepti eo redit, non eſſe movenda, aut ſuſcipienda bella, niſi neceſſaria, atque hæc fortiter, ac prudenter eſſe gerenda. Lamachus Centurionem quemdam commiſſi erroris cauſa verbo increpabat, ac reſpondenti, poſthac ſe tale nihil admiſſurum, hoc referebat: Ουκ εστιν εν πολεμω δις αμαρτειν. *In bello non licet bis peccare.* Plut. in Apopht.

Pericloſa) Pericula, quæ nonnumquam

quam ſunt adeunda, vel ſunt privata vel publica: eademque vel concernunt ſingulos ſeorſum, vel plures communiter. Privata ergo, & ſingularia pericula promtius adire licet, quam publica aut communia, ne forte noſtro facto, aut temeritate etiam Respublica, vel alii lædantur. Publicam enim, aut communem noſtra ſalute nobis potiorem eſſe debere certum eſt.

Promtiore) Vbi bellum movetur, tunc Reſpublica, & ſinguli, qui bello interſunt, variorum bonorum periculis ſubeunt. Eſt ergo officii, ut ſuam quiſque ſalutem publicæ, ſuamque gloriam publicæ poſtponat. Spectandum igitur in bello, quæ bona, & quorum in diſcrimen adducantur, ne majori periculo exponantur, quibus major debetur ſecuritas, & ſalutis conſervandæ cura.

Inventi autem ſunt) Contrariis exemplis τὸ δέον præcepti jam traditi illuſtrat.

Vertit ad extremum) Et publicam felicitatem perdidit, & ſuam gloriam una cum vita amiſit. Ita poſt Manutium Wolfius. Quid vero ſi ſic: Omnia conſilia & incepta ipſum belli aleæ, & extremo periculo temere commiſiſſe, inque eo ſuam remque publicam perdidiſſe. Non igitur hæc fortitudo, ſed temeritas ſtolida, & ſupplicio digna fuit. *Dux vigilans, ſobrius, prudens, tamquam de civili cauſa inter partes judicaturus, adhibito conſilio, de ſuis & adverſarii copiis judicet. Etſi multis rebus ſuperior invenitur, opportunum ſibi ne differat conflictum.* Veget. de Re Mil. c. 9.

Ac fugere) Ejuſdem prudentiæ exiſtimandum eſt, & vincendi tempus poſſe perſpicere, & cedendi victoria. Polyb. lib. I. Cedere loco, dummodo rurſus inſtes, conſilii, quam formidinis arbitrantur. Tacitus de Germanis c. 6.

Invidiam timens) Calumnias malevolorum, qui obtrectabant, eum cum Thebanis colludere.

Quanto) Duobus exemplis illuſtravit, quomodo παρὰ τὸ δέον nonnulli egerint: hic illud δέον tertio convenienti exemplo confirmat Q. Fabii Maximi, qui cunctando impetum Hannibalis fregit, unde Cunctatoris nomen retulit. Sæpe enim vires hoſtium aſperæ rectius franguntur mora, quam vi belli oppoſita, donec vel ſocordia, vel ſecuritate relanguerit hoſtium impetus. Hoc igitur modo hoſtem vincere, magnæ profecto eſt prudentiæ. Idem Fabius *Medicos quoque plus interdum quiete, quam movendo atque agendo, proficere* ait, apud Livium l. XXII. Eamdem ſententiam tenuit Suetonius Paulinus apud Tacitum II. Hiſtor. c. 3. *Multa bella impetu valida, per tædia & moras evanuiſſe.*

Quod genus) Ab officiis fortitudinis bellicæ ad togatam relabitur, nonnullos calumniæ metu ſæpe optima conſilia premere arguens.

Caput XXV.

Omnino) Hæc præcepta apud Platonem ſparſim habentur libris de Republica.

Vnum) Quiſque civium pars eſt Reipublicæ, adeoque ſingulorum actiones ad rationem, & bonum commune Reipublicæ referri par eſt, & ut publica commoda privatis anteponantur.

Nedum partem) Contrarium optime patet ex moribus & ſtatu Reipublicæ Romanæ, ubi tres erant populi ordines, Patricius, Equeſtris, & Plebejus. Notum vero eſt, quomodo vel ab hoc Senatore, aut illo Tribuno ordo adverſus ordinem fuerit concitatus. In Imperio noſtro hodie diſſidiis religionis, & ambitioſis factionibus idem efficitur. Interim ubi eſt Civium inæqualitas, reducenda illa eſt ad æqualitatem, adhibita proportione Geometrica, de qua Ariſt. VIII. Nic. 7. & IX. Nic. 1. pr. Diligenter cumprimis inveſtigandum eſt, penes quos ſit Reipub. ſumma; &, ſi ſummi Imperii jura, vel ſint diviſa inter plures ordines, vel iis communia, caute diſtinguenda ſunt negotia, ne quis in ſuo jure, & auctoritate iniqueque lædatur.

Vt enim tutela) Conſtituitur vero tutor in rem pupilli, & ut ejus rationibus ſerviat. Hinc in ſuam rem auctor fieri tutor prohibetur l. 1. pr. ff. de auctor. & conſ. tut. Neque lucrum facere ex tutela quiſquam debet

bet l. 58. pr. ff. de adm. & peric. tut. Neque in hoc adminiſtrantur tutelæ, ut mergantur pupilli l. 3. pr. ff. de contr. tut. act. Quæ aliæque ſimiles juris regulæ etiam religioſius in Reip. adminiſtratione obſervandæ ſunt. Exemplo Ciceronis etiam Antoninus Imp. Rempublicam, ut pupillam extra ordinem juvari juſſit l. 3. C. de jure Reip.

Qui autem) Quando igitur Collegium Principum cum Collegio urbium, & cum utroque Collegium Electorum de variis prærogativis in Comitiis contendit, & inter Imperii ordines ipſos, itaque hos inter, & Cæſarem diſſidia magis magiſque ab iis foventur, qui Imperii corpus non modo diſtractum, ſed diſſolutum cupiunt, iſtiuſmodi cauſas ſimiles tandem effectus conſecuturos eſſe neceſſe eſt.

Quæ gravis) T. Pomponius Atticus, cum Sylla eum cuperet ſecum deducere, eique perſuadere tentaret: *Noli, oro te*, inquit, *adverſum eos me velle ducere, cum quibus, ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui*. Corn. Nep. in vita ejus.

Tradetque) Omnia ſua conſilia, & actiones ad ſalutem Reipublicæ tamquam ſcopum conferet hujus non partium ſtudiis addictus.

Neque opes) Per factiones, clientelas, æmulationes, aliosque modos ejuſmodi.

Nec vero) Cavebit etiam quiſque Magiſtratus, & cumprimis Populus, ne patulis auribus calumnias excipiat, iiſque fidem habeat, & gravis ſit aliis. Tales Sycophantæ erant Athenis δημαγωγοι, qui ſeditioſis concionibus populum concitabant, de quibus Demoſthenes περι στεφανε, & περι παραπρεσβειας.

Mortemque) Hoc ſuo exemplo comprobavit Cicero, qui maluit caput abſcindendum præbere, quam Antonii tyrannidi cum interitu libertatis, & Reipublicæ cedere.

Miſerrima) Et hæc illuſtrantur iſtius ævi ſtatu, quo hoc ſcripſit Cicero, cum de ſumma Reipublicæ ambitioſe, & in mutuam perniciem contenderent Triumviri, quique ſingulis ſe adſociaverant. Add. Plato VI. de Rep. Imo eamdem fabulam in theatro Imperii Germanici jam agi videas, ubi inter Cæſarem, & Ordines, atque viciſſim inter hos vel ſingulos, vel Collegiis diviſos de ſumma Reip. contentiones exiſtere videas; etiamſi illa hinc a Turca, iſtinc ab aliis hoſtibus prematur, tantaſque inter tempeſtates ac diſſenſiones ſine certo, ac concordi regimine fluctuet: ut ſane verendum ſit, ne, dum nautarum more certant, quis eorum potiſſimum gubernet, omnes eadem navi vel merguntur, vel, illa ſoluta, naufragorum more, exigua ſalutis ſpe, magno autem interitus periculo, jactentur.

Idemque præcepit) Evenit nonnumquam, ut boni cives ejuſdem Reipublicæ ad bonum publicum, & debitum finem contendant, ſed non iiſdem mediis, & conſiliis utantur. Itaque ſi diſſentientem non poſſimus in noſtram ſententiam traducere, æquo tamen animo illum ferre debemus, non tamquam vel noſtrum, vel Reipublicæ hoſtem odiſſe, ſed talem eum demum cenſere, qui bona conſilia armis, & vi velit evertere. Talis ſine acerbitate diſſenſio fuit inter Electorem Moguntinum, & Trevirenſem, cum defuncto Maximiliano I. deliberaretur, utrum Carolus V. an Franciſcus I. ei in Imperio ſuccederet: ceu ex utriuſque oratione habita apud Sleidanum, & alios videre licet. Nam magni ponderis argumentis, non armis inter illos decertatum fuit, ſine acerba contentione.

Nec vero) Hæc regula clementiam commendans, & in toga, & in ſago locum habere poteſt. Uti autem Cicero ex hac magnanimum cumprimis æſtimat; ita eumdem Ariſtoteles negat eſſe μνησικακον *injuriarum memorem*. IV. Nicom. 3. §. 69. Grotius l. II. de I. B P. c. 24. §. 3. Ita Pompeius, qui Sertorio adhæſerant, Cæſar, qui Pompeii partes ſecuti erant, Auguſtus eos, qui cum Antonio fecerant, in gratiam recepit.

In liberis vero) Quomodo magnitudo animi temperari debeat clementia, generatim expoſuit. Subjicit jam in Democratiis, ubi maxima juris eſt æquabilitas, illam temperari debere facilitate, affabilitate, comitate, virtutibus populari ingenio convenientiſſimis. Unde accidit, quod auſteri & moroſi in Democratiis homines frequen-

Digitized by Google

quentiſſime & aura populari, & mox honoribus a Populo commiſſis exciderint. Vbi autem vir prudens ingenio populari velificari novit, is populum quamvis furentem aut tumultuantem placare ſcit, ſecundum illos Virgilii verſus:

Tum pietate gravem, ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Et timen) Ne hoc accidat, quod ait Poeta, ſtulti dum vitant vitia, in contraria currunt, monet illam facilitatem non debere eſſe nimiam. Nam ſicuti arcum intenſio frangit, nimia autem remiſſio telum ad ſcopum non expedit; ita nimia ſeveritate animi civium exaſperantur, nimiaque diſciplinæ & juſtitiæ remiſſione perit felicitas civilis, legumque, & magiſtratus auctoritas proculcatur. Prudens ergo juſtitiæ, & imperii moderatio adhibenda eſt: alia quæ ſit, inertia & ſumma ſtultitia merito appellanda eſt, quæ vix eſt, ut a malitia abſolvi queat, ubi affectata eſt imperantium ſemper lenitas: qua adeo fit, ut collapſa diſciplina & juſtitiæ adminiſtratio, vix ullo tempore, neque ſine motu, invidia ac calumnia a boni publici ſtudioſis reſtaurari queat. Itaque ſeveritas ſuo loco debitoque modo adhibita juſtitiæ, & prudentiæ ſubſervit, & a Principibus contemtum, quo nihil iis pernicioſius eſt, amolitur, ſic ut non niſi nimia reprehendatur. *Omnia ſcire, non omnia exſequi: parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem commodare: nec pœna ſemper, ſed pœnitentia ſæpius contentus eſſe*. Tacit. in vita Agric.

Animadverſio, & caſtigatio) Deſignari hic videntur, & κολασις & τιμωρια, quæ multum differunt. Διαφερει, inquit Ariſt. I. Rhet. 10. ἡ τιμωρια και κολασις. ἡ μεν γαρ κολασις, του πασχοντος ἑνεκα εστιν. ἡ δε τιμωρια του ποιουντος, ἱνα πληρωθη. *Differt ultio a caſtigatione. Nam caſtigatio patientis cauſa eſt: Vltio efficientis, ut expleatur.* Ab utraque pœna abeſſe debet contumelia; ut illa exigatur, quo ſatisfiat juſtitiæ, non adfectui Magiſtratus. Nam uti Claudianus ait; *Qui fruitur pœna, ferus eſt, legumque videtur vindictam præſtare ſibi*. Gell. VI. Noct. Att. c. 14. *Nemo autem ad ſupplicia exigenda pervenit, niſi qui remedia conſumſit.* Sen. de Clem. c. 14.

Sed ad Reipublicæ) De finibus pœnarum vid. Grot. lib. II. de I. B. P. c. 20. n. 5. ſeqq. add. Diſquiſ. noſtram de pœnis §. 72. ſeqq.

Cavendum) Hoc eſt, quod alias dicunt, Pœnam delictis æqualem eſſe debere, Ariſt. X. Nic. ult. §. 30.

Et ne iiſdem) Damnat iniquam προσωποληψιαν in pœnarum irrogatione, juxta illud Poetæ: *Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas*. Vide l. 31. in f. C. de epiſc. & cler.

Prohibenda) Dum iracundiam vitandam monet, deſerit Peripateticos, & Stoicorum απαθειαν amplectitur, eamque etiam contra eoſdem defendit. IV. Tuſcul. Qu. Ceterum quod hic maxime reprehendit, ubi legitur apud Peripateticos, videlicet iracundiam eſſe bonam & laudabilem? Nonne Ariſtoteles ubique iracundiam οργιλοτητα in vitio ponit? at ipſa οργη, ira, eſt naturalis, quam qui criminatur, impius eſt in Deum, qui hunc ſtimulum naturalem animo hominis impreſſit. Ceterum quomodo Iudicem non ſolum ab iræ exceſſu, ſed & aliis in vitium pronis adfectibus immunem eſſe conveniat, egregie etiam docet ICtus l. 19. D. de offic. præſid. Et quidem juxta Senecam de Ira: *Iudicis tum maxime placidus vultus eſſe debet, cum magna pronuntiat*. Eſtque pœna inſtar medicinæ: *Quis vero, cui medetur, iraſcitur?* Sen. I. de Ira cap. 14.

Legum ſimiles) Iracundia debet abeſſe, non autem juſta ira aut ſeveritas; hæc enim ſi abeſſe debeat, ſolis legibus Imperium eſſet relinquendum: id quod fieri nequit, cum omnino neceſſe ſit, ut νομοφυλακες, & Magiſtratus adſint. Si itaque Iudex iram ratione moderetur, legum ſimilis eſt. Ciceroni videtur favere Ariſt. III. Pol. 12. p. 208. *Qui igitur mentem jubet imperare, videtur jubere imperare Deum, atque leges; qui vero jubet hominem, adjungit & belluam. Cupiditas enim hujuſcemodi quiddam eſt, atque excandeſcentia, eos, qui imperium habent, diſtorquet & optimos etiam viros,*

Digitized by Google

ros. Quare Lex eſt ſine appetitione mens. Ceterum hæc bene conciliari poſſunt cum ejuſdem verbis paulo ante poſitis: *Eadem ratione, ſi aliquos imperare melius eſt, hos conſtituere oportet cuſtodes Legum, & earundem miniſtros. Neceſſe namque eſt, Magiſtratus quoſdam eſſe.*

CAPUT XXVI.

ATque etiam*)* Conſtantiam, & inprimis animi moderationem commendat, rebus proſpere fluentibus. Adde omnino textum accommodatiſſimum IV, Nic. 3. §. 39. *Numquam ſolido ſtetit ſuperba felicitas: & ingentium Imperiorum magna faſtigia oblivione fragilitatis humanæ collapſi ſunt*, inquit Seneca Suaſor. II. Heraclitus arrogantiam ſacrum morbum eſſe dixit. Laert. Plato illam ſolitudinis contubernalem appellavit. Qui enim ſibi ſolus placeet, & cui omnes alii diſplicent, hujus conſuetudinem quis expetat? Perdiccæ plus odium arrogantiæ, quam vires hoſtium nocebant. Iuſtin. l. XIII. c. ult. Confer h. l. c. 31.

Vt recte) Nam, uti Symmachus ait, l. IX. ep. 86. *Ille vere incrementis ſuis major eſt, quem ſublimitas parti honoris inclinat.*

Panætius) Eleganter homo dulci fortuna ebrius exſultanti ac ferocienti equo; ratio & doctrina freno comparatur. Raro ſimul hominibus bonam fortunam, bonamque mentem dari ait Aſdrubal apud Liv. l. XXX. c. 42. Inter ſecunda non divini, non humani juris memores, inquit Tacitus de militibus Germanis lib. II. Ann. c. 14.

Atque etiam) Cum nemo de rebus ſuis ſatis bene judicet, minime omnium id fieri poterit, ubi denſiſſima nubes, & caligo menti offunditur, vel a ſecunda fortuna, vel ab adſentatoribus. Proinde tum candidos amicos in conſilium adhibebimus, & tantam iis fidem tribuemus, quantam alio tempore, rerumque ſtatu tribuere non conſuevimus. Hoc ni fiat, excutire & errare facit fortuna eos, quos blandiens illa captatum advenit, atque ita proſperitatem ſuam corrumpunt imprudentia ſua, & prudentioribus ludibrium debent. Ariſtot. IX. Nic. 11. & VIII. Nic. 8. pr. Adulatores magnæ fortunæ comites. Vellej. lib. II. Amm. Marcell. lib. XV. c. 15. Sen. VII. de Benef. c. 30 Plutar. lib. *Quomodo Adulator ab Amico poſſit internoſci.*

Illud autem) Hic fortitudinem in publicam & privatam diſpeſcere videtur. Etſi vero, inquit, publicæ fortitudinis officia latiſſime pateant, ejuſque beneficio res maximæ gerantur; non tamen magnitudo animi privatam vitam colentibus defuit. Sive enim in philoſophica ſtudia, ſive in rei familiaris curam ſe abdiderint, magna tamen multi conati ſunt, & cum in opum acquiſitione, tum uſu officium æque diligenter obſervarunt, non ſine quadam generoſitate.

Neque excludentes) Talem opum *εὐετηρίαν* ad felicitatem etiam exigit. Ariſt. I. Nic. 7. §. 20.

Augeatur parſimonia) *Οὐ γὰρ μόνον πρὸς τὰ ὑπάρχοντα προστιθέντες πλουσιώτεροι γίνονται, ἀλλὰ καὶ ἀφαιροῦντες τῶν δαπανημάτων*, inquit Ariſtot. I. Rhet. cap. 4. *Non ſolum enim ad ea, quæ adſunt, adjungendo ditiores fiunt, ſed etiam detrahendo de ſumtibus. Magnum*, ait noſter in Parad. *vectigal eſt parſimonia.*

Nec libidini) Pecunia & opibus quomodo quiſque uti debeat monet, & ne quis cum Nerone putet, divitiarum fructum non eſſe alium, quam illarum profuſionem in libidines & luxum. Suet. c. 30. Iuvenalis Sat. 6.

Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit; & turpi fregerunt ſecula luxu
Divitiæ molles.

CAPUT XXVII.

SEquitur*)* Iam de quarto honeſtatis rivo, temperantia, de qua nihil diſtincte, ſed confuſe tradit omnia, quæ ſi in ſuas claſſes referantur, eſſent pulcherrima. Temperantiam enim, modeſtiam, verecundiam, virtutes *ὁμιλητικάς*, totius vitæ ordinem (ita enim ſupra appellabat) & ornatum, omnium adfectuum moderationem, omneque *πρέπον* conglomerat, & in unum *κυκεῶνα* confundit.

Hæ-

Hujus vis) Το πρεπον απο τυ καλυ, *Decorum ab honeſto*, aliquo modo differre oſtendit: hanc vero differentiam magis intelligi, quam explanari poſſe, ait. Decorum enim honeſto tamquam neceſſarium conſequens ſeu επιγεννημα adhæreſcit. Hinc non ſolum το πρεπον temperantiæ, ſed omnium virtutum officiis ineſt, uti pluribus oſtendit. Et quia moralitas in variis circumſtantiis ſæpe vertitur, ideo το πρεπον explicat in ſequentibus, quomodo & in ſermone, & in veſtitu, & inceſſu ſit obſervandum, quid quoque loco, tempore, ætate, aut ſimilibus circumſtantiis deceat. Plura de honeſto, & decoro horumque differentia dicta a nobis ſunt in Prolegomenis.

Vt enim venuſtas) Add. X. Nic. 4. §. 40. & 41. & των προλεγομενων n. 45. & 46. ſeq.

Eſt autem ejus deſcriptio duplex) Dividit το πρεπον, atque unum quidem univerſale, alterum ſingulare conſtituit. Illud in omnibus iis officiis cernitur, quæ homini, ejuſque excellenti naturæ propria ſunt, quæ videlicet rationis ductu, & forte orationis etiam auxilio expediuntur. Speciale πρεπον videtur ponere in officiis ſingularum actionum honeſtarum, præprimis temperantiæ, cum ſpecie quadam liberali, hoc eſt, libero & ingenuo homine digna, qui Cynicorum impudentiam deteſtetur, Stoicorum απαθειαν non probet, voluptatum vero, & dolorum ſenſu adficiatur non more Epicureorum, ſed uti judicio prudentis convenit. Notandum iterum, quod hic ea latitudine temperantia ſit accipienda, qua ſupra illam diffundi a Cicerone audivimus.

CAPVT XXVIII.

QVod Poeta) Eſt quoque tertii generis πρεπον, Poeticum. Quando enim quæque perſona in fabula ſuam υποκρισιν recte obſervat, agendo, dicendoque, quæ illi conveniunt, πρεπον eſt; ſive vitioſi, ſive probi hominis perſonam ſuſtineat.

Alio loco plura) A Poetis, & qui de Arte Poetica, aut de imitatione ſcripſerunt, Ariſtoteles, I. C. Scaliger, Voſſius, alii.

Vt ſi aut) Duobus verſibus declarat, quomodo aliquid fiat contra το πρεπον Poeticum: nec enim juſtitia celebribus Iudicibus ejuſmodi oratio conveniret. Atreus vero ſi poſteriori voce utatur, πρεπον eſt, & applauſu ſcenico comprobaretur. Quia enim Thyeſtes Atrei fratris uxorem ſtupraverat, eoque nomine has pœnas dederat, ut Tantalum, & Pliſthenem filios inſcius devoraret, ejuſmodi ſane oratio Atreum deceret. De odio, & metu, & præſtet ne metui, quam amari Principem, vide diſſerentem Nic. Machiavellum in Principe cap. 17. & quæ ibi notavit Conringius noſter.

Oderint) C. Caligula tragicum illud ſubinde jactabat: *Oderint, dum metuant*. Suet. in vita c. 30. Sic Tiberius apud eumdem c. 60. *Oderint, dum probent*. Nero negabat, quemquam Principum ſciſſe, quid ſibi liceret. Suet. in vita c. 37. & 38.

Sed Poeta) Oſtendit, quæ ſit differentia inter το πρεπον poeticum, & morale.

Nobis autem) Illa perſona, & partes tanto majori ſtudio ac decore in hoc mundi theatro nobis ſunt agendæ, quanto excellentiores dotes præ aliis animantibus accepimus. Elegans hanc in rem exſtat Epicteti ſententia Enchirid. cap. 23. Μεμνησο ὁτι υποκριτης ει δραματος, οἱυ αν θελη ὁ διδασκαλος. *Actorem eſſe fabulæ talis, qualis magiſtro probata fuerit, te memento, &c.* In quæ verba poſt alia ita commentatur Simplicius: *Impoſitam perſonam belle repræſentare, deſignati hiſtrionis eſt. Quare ſæpe ſervus, aut mendicus, aut furioſus probatur in fabula: dives autem, aut Imperator, aut Rex improbatur, cum illi datam perſonam belle exprimunt, hi vero ſuam male, prout utrique in eo elaborarunt. Sic etiam fit in vita, Quot enim regibus, divitibus, robuſtis, ſervus, pauper & claudus Epictetus tam a chorago & magiſtro Deo, quam ad hujus vitæ ſpectatoribus eſt prælatus, qui perſonam ſibi impoſitam bene ex magiſtri ſententia egit, &, quod in ipſo fuit, probe adminiſtravit? in quo bonum, & malum hominis ſitum eſt, & id quod a cordatis hominibus vel laudetur, vel vituperetur.*

Vt

Vt enim pulcritudo) Vide quæ diximus citatis noſtris prolegomenis n. 45. & 46. ubi & alia ſimilia propoſuimus, quorum unum ſuppeditavit Alexander Aphrodiſienſis, quibus hoc omne illuſtrari queat.

Adhibenda) Sunt nonnulla, quæ jure naturæ ſunt licita, & neceſſaria, quibus tamen quovis modo vacare pudor vetat, ut adeo hoc velo tegi illa velit natura. Si quis ergo iſtis natura quidem licitis impudenter utatur, is cumprimis offendit optimos quoſque. Nam vir bonus rectiſſime de his rebus judicat *ὥσπερ κανων και μετρον αυτων ων, quaſi earum norma ſit, ac menſura*, inquit Ariſt. III. Nic. 4. §. 12. Quin etiam alios malo exemplo lædit, licet non optimos; nam ſi juxta ſatyricum, maxima debetur puero reverentia, & peccaturo obſiſtere debet filius infans, multo magis pudore erga maturi judicii homines uti par eſt: quin etiam, ut alibi Cicero ait, cavere debemus, ab omni re, quæ poſſit reprehendi, etiam ubi ſumus cum malis.

Nam negligere) Nam contemtu famæ contemni virtutes ipſæ ſolent. Tacit. lib. IV. Ann. c. 38. Itaque fama optimo cuique pretioſa eſt. Symm. l. III. ep. 69. *Nam ſat, tuum te officium feciſſe, ſi non id fama approbat*, inquit Comicus in Phorm. Act. IV. ſc. 5.

Eſt autem) Pro vocula *omni*, hic omnino legendum eſſe puto, *officii*. Quando officia juſtitiæ, & verecundiæ conſiderantur in rebus ſeu actionibus cum ratione ſuſcipiendis, hoc diſcrimen tenendum eſt, ut juſtitiæ cenſeantur, non violare per vim ac injuriam: quod variis in bonis, variiſque modis fieri poteſt. Verecundiæ, non offendere, hoc eſt, non movere ſui faſtidium dictis aut factis indecoris. Plato alicubi refert, Deum, cum metuiſſet, ne plane interiret genus humanum, dediſſe hominibus juſtitiam, & pudorem, ornamenta Civitatum, & ad amicitiam colligandam vincula. Plutarchus in vita Theſei ſimili modo *δικην* vocat *ενοικον αιδυς, juſtitiam pudoris cohabitatricem*. Vide quæ dixi ad Grotii l. III. de I. B. P. c. 10. §. 1.

Officium autem) Decori officia, ut recte perficiantur, illum finem ſibi debent habere propoſitum, quem veteres Stoici convenientiam naturæ, ſeu *ὁμολογιαν* appellabant, ſi videlicet vitam rationi conſentaneam agas. Confer lib. III. cap. 3. Huic fini adjungit conſervationem ſui, uti ſupra: quod ſcilicet hominis natura rationalis unice ſuam perfectionem, & conſervationem in honeſtate adipiſcatur. Quam naturam ſi ducem ſequamur, nuſpiam aberrabimus, ſed & Prudentiæ, Sapientiæque (*id quod acutum, &c.*) & Iuſtitiæ (*quod ad hominum*) & Fortitudinis (*& id quod vehemens, &c.*) & cumprimis Temperantiæ officia rite implebimus. Repetit itaque, & *το πρεπον* generale, quod omnibus virtutibus ineſt, & quod ſpeciatim ex Temperantia relucet.

Neque enim) Si miramur, aut laudamus agilitatem ac elegantiam membrorum corporis, quæ ſuis uſibus a Natura optime ſunt aptata, quanto majus ſtudium eſt ponendum in animi cultura, ut ejus motus recte ſe habeant, ne in hanc aut illam partem evagentur, ſed auream mediocritatem teneant ſecundum Peripateticos?

Duplex eſt) Quia plures ſunt Animæ humanæ facultates, natura autem nihil facit fruſtra, & quamque facultatem ad peculiarem functionem deſtinavit; ideo illas jam enumerat, ut intelligamus, cujus facultatis perfectio, ſeu virtus ſit Temperantia, quæque ſint illius officia. Planius vero hæc de facultatibus animæ doctrina peti poteſt ex c. ult. I. Nic. Et nos quoque alibi de iis diximus pluribus. Inſtit. Iuriſpr. l. I. tit. 1.

Ita fit) Etſi facultas appetitiva eſſentialiter rationis non ſit particeps in homine, poteſt tamen rationis imperium exaudire, eique morem gerere. Quale vero hoc ſit imperium & obſequium docetur I. Polit. 3. p. 14. Ἡ μεν ψυχη τυ σωματος αρχει δεσποτικην αρχην. ὁ δε νυς της ορεξεως πολιτικην και βασιλικην. *Animus imperat corpori herili imperio: Mens autem appetitui civili & regio*. Et I. Nicom. ult. §. 30. ait, Appetitum ad rationem perinde ſe habere, uti ad parentis monita ille filius, qui ejus dicto audiens ſit.

CAPUT XXIX.

OMnis autem) Si omnis actio prudenter ſuſcipienda & perficienda eſt, abeſſe omnino debet temeritas, & ſupina negligentia. Hinc cum Ariſtoteles I. Pol. 3. docuiſſet, e re eſſe & corporis, & appetitus, ut imperio rationis ſubſint, ſubjicit, *τὸ δ' ἐξ ἴσου ἢ ἀνάπαλιν, βλαβερὸν πᾶσι*, hoc eſt, inutile & pernicioſum his omnibus fore, ſi vel eodem omnia eſſent jure, nullum alteri vel imperaret, vel pareret; aut omnia eſſent alia, id eſt, imperaret corpus vel appetitus, pareret autem ratio. Giſanius h. Illam deſcriptionem officii quod attinet, alias jam expendimus.

Hæc eſt enim fere) Bene addit *fere*; nam eſt hæc deſcriptio officii medii, non *κατορθώματος*.

Efficiendum) Hic jam explicat, quomodo aliquid temere, aut negligenter adfectuum vitio fiat. Quomodo præcurrant ſæpe rationem, eleganter traditur VII. Nicom. 6. §. 2. ſeqq. Quomodo deſerant, in timidis videre eſt, & qui *ἀναισθησίας*, aut *μικροψυχίας* vitio laborant. Quod ſi eadem tradit Panætius, quæ hic Cicero, manifeſto rejicitur illa cadaveroſa Stoicorum ab ipſo Stoico *ἀπάθεια*.

Omni perturbatione) Manifeſte hic denotat per hanc vocem adfectuum ſive *ὑπερβολὴν*, ſive *ἔλλειψιν exceſſum*, vel *defectum*.

Finem & modum) Plane hic explicat, quomodo Mediocritas Ariſtotelica tranſiliatur, dum modo nimia appetitus *δίωξις perſecutio* ad exceſſum, aut nimia *φυγὴ*, ſeu *ἔκκλισις*, *fuga*; aut *declinatio* ejus ad defectum exorbitat. Vid. lib. II. Nicom.

Lege naturæ) Hac enim conſtitutum eſt, ut minus præſtans præſtantiori ſubſit. Add. c. 3. & 4. lib. I. Polit. *Οὐθενὶ*, inquit c.4. p.20. *ἀλλ' ἢ ἀρετῇ, καὶ κακίᾳ διορίζουσι τὸ δοῦλον, καὶ ἐλεύθερον. Nulla alia re, niſi virtute, ac vitio definiunt ſervum, & liberum.*

Sed etiam corpora) Vehementiori adfectuum motu non ſolum animum, ſed & corpus adfici ait: *Ἔστι τὰ πάθη*, inquit Ariſtoteles II. Reth. 1. *δι' ὅσα μεταβάλλοντες, διαφέρουσι πρὸς τὰς κρίσεις, οἷς ἕπεται λύπη καὶ ἡδονή. Adfectus ſunt, per quos cum ſe immutant, differunt in judicationibus, quos ſequitur moleſtia, & voluptas.* Sane illa *μεταβολὴ* & in animo, & in corpore cernitur. Hinc a Thoma adfectus definitur, quod ſit motus appetitus ſenſitivi ex apprehenſione boni, vel mali, cum aliqua mutatione non naturali corporis.

Licet ora) Addantur Senecæ libri de Ira, ubi horum motuum enormitas graphice depingitur.

Neque enim) Cauſam adjicit, cur nihil temere ac oſcitanter ſit agendum, quia actionibus noſtris certus a Natura finis eſt præfixus, quem non quovis modo, nec qualibuſcunque actionibus conſequi datur, ſed ſolum honeſtis & ſeveris, quales ſunt officia. Idem eleganter his verbis docet III. de Finib. *Ut hiſtrioni actio, ſaltatori motus non quivis, ſed certus quidam eſt datus; ſic vita agenda eſt certo genere quodam, non quolibet*. Caput eſt in omni negotio, noſſe, quid agendum ſit. Colum. lib. I. cap. 1.

Ludo autem). Hac occaſione digreditur ad illorum officiorum explicationem, quæ in familiari *ὁμιλίᾳ* locum habeant, & quidem in ſpecie de officiis *εὐτραπελίας*, ejuſque contrariis. Add. c. 8. lib. IV. Nicom. Eſt autem hujus virtutis locus lubricus, inquit Ioach. Camerarius ad l. IV. Nicom. c. 8. Non enim facilis res eſt, cum homo non ad luſum & jocum factus ſit, in luſu & joco decorum ſervare, & laudem invenire. Itaque ii quoque, qui pro ſummis viris & ingenio præſtantibus, & ſapientia excellentibus, & doctrina percultis habiti fuerunt, cum jocorum etiam artem profiterentur, in hoc genere interdum lapſi ſunt, & meritam reprehenſionem non vitarunt: ut Cicero, & Demoſthenes.

Antiqua comœdia) A Cicerone hic diſcedimus, & cum Ariſtotele facimus, cujus hæc ſunt verba d. cap. 8. lib. IV. §. 13. *Plurimum inter ingenuo dignum, & ſervilem jocum intereſt, interque eruditi jocum, & ineruditi. Quod quidem ex veteribus, & novis Comœdiis cuivis intelligere licet. Illis enim ridicula res erat obſcenitas, his ὑπόνοια, ſententia verbis tecta*. Nec ſolum ob-

ſcena, ſed plurima σκωμματα antiqua Comœdia eructabat: qualium fabularum auctores fuere Ariſtophanes, Eupolis, & Cratinus. Qua tandem re effectum eſt, ut illam verborum obſcenitatem & inſectationem lege coercuerint Græci. Vnde Horatius de Arte Poetica:

Succeſſit vetus his Comœdia, non ſine multa
Laude, ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. Lex eſt accepta, chorusque
Turpiter obticuit, ſublato jure nocendi.

Addi poterit Ariſtot. IV. Nicom. 8. §. 20. ſeq. & de Art. Poet. P. Victor. Var. Lect. lib. IX. cap. 20.

Socraticorum) Nam & ipſe Socrates erat ειρων teſte Ariſtotele, IV. Nic. 7. §. 28. & 29. & cuivis Platonem legenti hoc manifeſtum fit. Ipſe Cicero quoque fuit ευτραπελος, επιδεξιος, & ſæpe ειρων. Imo Fabii judicio nimius ſæpe in riſu captando fuit. Vide illum lib. VI. cap. 3. De jocis ſummatim tenendum eſt, ne ſint frigidi, ne immoderati, ne obſceni, ne maligni. De poſtremis ita Martialis:

Quare tolle jocos, non eſt jocus, eſſe malignum:
Numquam ſunt grati, qui nocuere, ſales.

Varia veterum joca & dicteria collecta videre licet a Macrobio lib. II. Satur. c. 1. & ſeqq.

Αποφθεγματα) Ita appellantur excellentium, vel illuſtrium virorum breviter, ſed acute ac ingenioſe dicta. Quæ Cato collegit, procul dubio perierunt. Superſunt ex Græcis Plutarchi, ex recentioribus Lycoſthenis Latine, & Harſtorferi Germanice ſcripta Apophtegmata.

Ludendi) Proponit alterum της ευτραπελιας objectum, Ludos, quomodo decenter in his verſari conveniat. Quia enim nullæ res humanæ adſiduam operationem perferre poſſunt, X. Nicom. 4. §. 45. ideo ad hominum vitam requies, & jocus videntur eſſe neceſſaria. IV. Nic. 8. §. 26. Eſt vero Ludus remiſſio animorum, ſiquidem eſt requies VII. Nicom. 7. §. 27. & VIII. Polit. 3. p. 510. Tales igitur ludi deligendi ſunt, non qui frangant vires aut opprimant, cumprimis animi, ſed illas reficiant & excitent. Deinde non nimio ſtudio eos conſectari convenit. Nam, qui ludo & ioco magnopere dediti ſunt, eos Molles appellat Ariſt. VII. Nic. 7. §. 26. Scævola optime pila luſiſſe traditur, quod ad hoc diverticulum animum forenſibus negotiis fatigatum transferre ſolitus fuerit. Val. Max. lib. VIII. c. 8.

Campus noſter) In Campo Martio varia certamina exercebantur, curſus, ſaltus, jactus, lucta, natatio, equorum decurſiones, & quadrigarum contentiones: de quibus plura legi poterunt apud rerum Romanarum Scriptores: quibus addantur Hieronymi Mercurialis Foroliviensis Artis Gymnaſticæ libri ſex, Alex. ab Alex. lib. III. cap. 21. De Ludis Græcorum Meurſius.

CAPVT XXX.

Sed pertinet) In cujuslibet virtutis officiis præſtandis ſemper nobis obſervari debet, quantum beſtiis antecedamus. Quo enim excellentior noſtra eſt natura præ belluina, tanto major ratio & moderatio cum aliarum rerum, tum etiam voluptatum eſt adhibenda. Quo autem nos illa excellentior natura ducat, exponit verbis, quorum ſententiam etiam principio hujus libri vidimus. Ratione igitur, uti omnia alia, ita & Temperantiæ officia regi debent: quod tum fiet, ſi nihil turpiter agatur, & ad hominis neceſſariam conſervationem & propagationem uſus voluptatum referatur, quas & ipſas ideo Neceſſarias Ariſtoteles appellat, & Naturales III. Nic. 11.

Non ſatis eſſe dignum) Nam Temperantia, & Intemperantia in hujusmodi voluptatibus verſantur, quæ nobis ſunt etiam cum reliquis animantibus communes. Οὐδεν ανδραποδωδεις και θηριωδεις φαινονται. *Ex quo ſerviles eas & belluinas eſſe apparet*, inquit Ariſt. III. Nicom. 10. §. 23. & 24. Et §. 30. hæc habet: *Omnium ſenſuum maxime communis eſt is ſenſus, in quo poſita eſt Intemperantia, meritoque ut turpis & flagitioſa maledicti loco objicienda videatur, propterea, quia ineſt*

in no-

Digitized by Google

in nobis non qua homines, ſed qua animalia ſumus. His porro talibus delectari, eaque vehementius amare, belluarum eſt.

Itaque victus) Bene monet, qui voluptatibus velint non belluino, ſed humano more uti, eos curam quoque corporis, veluti cibum, potum, unguenta, balnea, frictiones, debere ad valetudinem & vires, non autem ad percipiendas voluptates referre. Vbi nutrimentum ultra naturam capitur, morbum facit. Hipp. lib. II. Aph. 17. Neque ſatietas, neque nimia cibi abſtinentia, neque aliud quidpiam ſalutare, quod ſupra naturam fuerit. Idem Aph. 3. Moderatam vero inediam ſanitatis matrem dixit. Syneſ. ep. 115. Vbi ad cibum ventum eſt, numquam utilis eſt nimia ſatietas. Sæpe etiam inutilis nimia abſtinentia. Corn. Celſ. lib. I. c. 2. Add. Sen. de Tranq. animi c. 1.

Atque etiam) Eſt quædam priorum repetitio & expolitio. Nam vita ſobria, & frugali animi vires, & functiones excitantur, & conſervantur: luxurioſa enervantur, & opprimuntur. Animus ut luxu ſolvitur, ita frugalitate firmatur. Minut. Fel. in Octav. Genitrix virtutum frugalitas. Iuſtin. lib. XX. c. 4.

Intelligendum eſt) Vt excellentiam hominis rectius declaret, metaphora quadam iterum ex ſcena petita ſignificat, Hominem a Natura indutum duabus perſonis, communi una, propria altera, quibus poſt duas alias addit. Illa eſt facultas ratiocinandi, & dijudicandi bonum a malo, & appetitum recte moderandi; hæc vero eſt inclinatio quædam naturalis ad certas res atque præclaras actiones, certis individuis propria; uti multis exemplis oſtenditur. Ciceroni illa inclinatio alias dicitur Naturæ bonitas, Ariſtoteli & Platoni εὐφυΐα, de qua peculiaris noſtra exſtat commentatio. De his eleganter, & breviter Gaſſendus de Mor. Phil. Epic. p. 150. *Vt in ſcena hiſtrioni laudi vertitur, ſi ejus perſonæ, qua a Poeta fuerit indutus, modum teneat, omniaque illi apte convenienterque agat; ſic in vita ille laudatur, qui omnes actiones ea moderatione regit, ut apte congruant illi perſonæ, quam indutam ſeu a Natura, ſeu a Fortuna, ſeu a Voluntate ſua habet.* Quatuor enim quædam ſunt quaſi perſonæ, inquit Cicero, quibus vulgo induimur: duæ quidem ab ipſa Natura; una communis, qua ſumus omnes & rationis participes, & præcellentes beſtiis. Altera propria, quæ ipſa eſt indoles cujuſque privata. Tertia vero ab ipſa Fortuna, qua nimirum quiſpiam eſt Rex, nobilis, dives, &c. Quarta denique a delectu, ſeu judicio proprio, qua quis evadit juriſperitus, miles, mercator, aut alius. Et cum hujuſmodi perſonæ in unam quaſi coaleſcant, ſic ſe gerere quiſque debet, ut nihil peccans in ſingulis generalem ex omnibus quaſi reſultantem præclare ſuſtineat.

Magiſque de induſtria) Non ſolum ad facetias naturæ ductu ferebatur, ſed etiam ſtudio quodam eas adfectabat.

Ambitio major, vita triſtior) Hæc non ſunt in malam partem hoc loco accipienda.

Socratem accepimus) Teſtatur idem de Socrate Galenus lib. I. de Vſu Part.

Q. Maximum) De quo ſupra c. 24. in fin. Cunctandi ſolers Fabius, Silio Ital. lib. VII.

Præripere hoſtium conſilia) Ne ſecreta noceant, ducis præſtat induſtria, quem omnia prius convenit explorare. Veget. lib. III. c. 6.

Vnus de multis) Quod uſus fuerit ſermone & affabilitate populari. Alias a Luciano, aliiſque Græcis εἷς τῶν πολλῶν ad contemtum refertur.

Minime vituperandorum) Si ſcilicet illæ naturales inclinationes debita moderatione regantur, nec per pravam adſuefactionem aliquid labis contraxerint. Vnde mox addit, ſua cuique tenenda eſſe, non vitioſa, ſed tantum propria. Add. Ariſtot. VI. Nicom. 13.

CAPVT XXXI.

ADmodum) De ejuſmodi naturalibus inclinationibus locutus eſt, quæ uſum ſuum potiſſimum in ὁμιλίᾳ & familiari conſuetudine habent. Monet igitur, ut quiſque ſuæ naturæ ductum ſequatur, nec ſit κακόζηλος, hoc eſt, inepte, ac ſtolide aliorum mores, geſtus, aut orationem affe-

Digitized by Google

ſtet, ac ita quidpiam invita Minerva moliatur, uti mox ait.

Ea tamen conſervata) Nihil omnino ſuſcipere debemus, quod univerſæ naturæ noſtræ, hoc eſt, rationali repugnet: hanc ſupra communem perſonam appellabat. Propria autem natura ſive perſona decenter debemus uti, & noſtro nos pede, ac modulo metiri, etiamſi majora videas ab aliis geri. Si enim hiſtriones non quamlibet, ſed ſibi convenientem perſonam agunt, quanto magis hæc conſideratio in vita eſt tenenda? Si qui igitur ſublimiora, & majora ſuo ingenio, viribus, conditione, ac vitæ genere affectant, turpiter se in hoc mundi theatro dare, & proſtituere ſolent; ut non immerito, ceu inepti hiſtriones videantur, atque explodantur. Itaque Cicero alibi ait, eos more gigantum cum diis pugnare, qui naturæ obnitantur. Et Plato III. de Republ. monet, quemque civem ad unum dumtaxat id opus, ad quod natura aptus ſit, ducendum eſſe.

Quam æquabilitas) In id nobis eſt incumbendum, ut ſemper noſtri ſimiles in actionibus, & prudentiam, & conſtantiam repræſentantes, non fluctuantes, nec ineptam κακοζηλιαν infeliciter affectantes: id quod eleganti mox ſimili, & monito ad orationis concinnitatem pertinente, declarat. *Maximum*, inquit Seneca Ep. 20. *hoc eſt, & officium ſapientiæ, & indicium, ut ipſe ubique par ſibi, idemque ſit. Non hilariorem quiſquam, non triſtiorem Socratem vidit*, ait idem Ep. 104. Confer ſupra h. l. c. 26.

Vt nonnumquam) Hæc ſunt plane Stoica, & falſa. Defendit enim hic, aut ſaltem licitam eſſe concedit αυτοχειριαν, factumque Catonis Vticenſis collaudat: in quo extollendo nemo copioſior eſt, aut ingenioſior Seneca. Sed hanc dementiam refutavimus Diſſertatione noſtra περι αυτοχειριας, *de morte voluntaria*, ſolidiſque argumentis oſtendimus Stoicorum ευλογον εξαγωγην, *rationabilem exceſſum e vita*, eſſe prorſus αλογον, *irrationabilem*.

Tyranni) Cujus hæc vox fertur: *Invideo tibi iſtam mortem, Cato; nam & tu gloriæ meæ invidiſti.*

Mulieres) Feruntur enim divina progenies: qua de re videantur Poetæ, & mythologi.

Vt ad id) Hoc eſt, ut occiſis procis Penelopes pudicitiam ſollicitantibus, & rem familiarem abligurientibus, paternam domum, ac principatum recuperaret. Hac igitur re æquavit, aut vicit Vlyſſes patientiam Syllæ, Craſſi, Lyſandri, de quibus ſupra.

Quæ contemplantes) Seſe cognoſcere difficillimum, & ſuaviſſimum eſt. II. Magn. Mor. c. 15. Hinc Auſonius ita luſit verſibus:

Quamquam difficile eſt, ſe noſcere: γνωθι σεαυτον,
Quam propere legimus, tam cito negligimus.

Nec velle experiri) Apposite docet Epictetus: Εαν ὑπερ δυναμιν αναλαβῃς τι προσωπον. και εν τουτῳ ἠσχημονησας, και ὁ ἠδυνασο εκπληρωσαι, παρελιπες. *Si quam perſonam, quæ vires tuas ſuperat, indueris; tum eam indecore geres, tum eam, quam ſuſtinere poſſes, negliges*. Enchir. cap. 59. cui adde etiam ſeqq. c. 60. His optime conveniunt, quæ hîc a Cicerone diſſeruntur ex eadem ſchola profecta.

Ad quas) Ad illa ſtudia animum debemus adjicere, ad quæ natura facultatem præcipue accepimus: id, quod diligenter explorandum eſt in tenera ætate, ut ſcias, cui ſtudio liberi, aut alii adoleſcentuli ſint applicandi. Hinc Plato VII. de Repub. docet, pueros non coactos ſequi debere, ſed quaſi ludentes in diſciplinis enutriendos eſſe, ut magis, ad quod quiſque natura ſit aptus, poſſis agnoſcere. Eupompus interrogatus, quem ſequeretur antecedentium, dixiſſe fertur, demonſtrata hominum multitudine, naturam ipſam imitandam eſſe, non artificem. Plin. lib. XXXIV. c. 8. *Maxime probari ſummum illum doctorem Alabandenſem Apollonium, qui, cum mercede doceret, tamen non patiebatur eos, quos judicabat non poſſe oratores evadere, operam apud ſeſe perdere, dimittebatque; & ad quamcumque artem putabat eſſe aptum, ad eam impellere, atque hortari ſolebat*. Cic. I. de Orat.

Sin aliquando) Nonnumquam accidit, ut non noſtra voluntate iis rebus

bus implicemur, ad quas explicandas natura ſumus inepti. Quid igitur tunc agendum? officii noſtri, inquit, erit, id unice operam dare, ut quam honeſtiſſime recedas, & quam minimum indecore gradum referas. Magis enim nobis incumbit, vitia fugere, quam bona a natura negata affectare velle.

CAPUT XXXII.

AC *duabus*) Duabus perſonis naturalibus ſupra propoſitis communi, & propriæ adjungit fortuitam, & voluntariam, harumque conditionem exemplis illuſtrat. Videntur autem hæc ex Panætio deſumta, quemadmodum & illa *του πρεποντος* diviſio ſuperior, ut eſſet illud vel univerſale omnium virtutum, vel ſpeciale ſingularum, vel ſpecialiſſimum Temperantiæ, vel poeticum. Adde ex Epicteti Enchiridio c. 23. 59. & 60. & in illa *ἐξηγησιν* Simplicii.

Quorum vero patres) Hoc toties recte fit, ubi par eſt in liberis *ευφυια*, & naturalis inclinatio, quam adeo pari ſtudio, ac diſciplina perficere ſtudebunt: alioqui idem ipſis eveniet, quod Phaetonti, cui hoc elogium ſcripſit Ovidius:

Hic ſitus eſt Phaeton, currus auriga paterni,
Quem ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis.

Sed multi jam infeliciter audent, ut non ſolum ſpe ſua & ambitione fruſtrentur, ſed & quod brevibus gyaris, carcere, aut ſupplicio dignum putetur.

Fit autem) Ita Cicero per eloquentiam, ejuſque municeps Marius per belli gloriam inclaruit.

Inprimis autem) Quartæ perſonæ, quæ a noſtro arbitrio pendeat, præcepta tradit. Primum, certum finem eſſe conſtituendum; tum conveniens vitæ genus eſſe eligendum, per quod & illum finem obtineas, & quo te etiam ducat tua natura; nam ad eumdem finem, ſeu ſcopum non ſolum diverſis viis ſæpe itur, ſed & omnino eundum eſt iis, qui diverſam perſonam induerunt. Finem vero ſibi nemo non proponit hunc, ut poſſit eſſe felix: at in mediis nimis fluctuant, & errant homines. Unde dicit, hanc deliberationem eſſe difficillimam. Declarat hoc experientia, & exemplo.

Nam quod) Quia adoleſcentia multis erroribus, & vitiis obnoxia eſt, ideo mature de recto vitæ genere deliberandum eſt. Herculi (de quo Xenophon lib. II. Memor.) ſane ejuſmodi deliberatio feliciter ceſſit: ſed hoc divinæ ejus indoli, aut beneficio divino imputandum, cum videas alios adoleſcentes & homines in longe diverſas ſententias & vias abripi. Proinde & publica & privata *παιδεια* juventutis ſedulo eſt conſervanda, cujuſque ingenium explorandum; quid valeant humeri, quid ferre recuſent, & via a magiſtris, & prudentioribus cuique demonſtranda, quam ſequi in vita, & qua ad veram felicitatem progredi poſſit; hoc enim ut fiat, publice, ac privatim plurimum intereſt.

Plerumque autem) Quid mirum? cum apud eos ſint educati, qui ſemper idem negotium tractant, paulatim eidem adſueſcant, eo placere parentibus ſtudeant, ab iiſdem allici ad hoc, monitis, inſtitutiſque confirmari, & juvari ſoleant. Sic Hippocratis familiam medicinæ poſſeſſionem diu retinuiſſe ferunt.

Alii multitudinis) Atque *οἱ πολλοι* ſequuntur fere vitæ genus *απολαυστικον*, per varia ſtudia, & artes.

Nonnulli) Quidam ſingulari ingenii bonitate, aut parentum inſtitutione adjuti, ad verum vitæ genus capeſſendum excitati fuerunt: quale eſt, quod ſine ambagibus, aut errore ducit ad *ευπραξιαν*. Unde facile colligitur, quantum iis debeamus, qui nos bene educant; & per honeſta ſtudia ad veram felicitatem ducunt: qua de re ita docet Simplicius ad Epict. Enchir. c. 37. *Officia erga bonarum artium Doctores eadem ſunt, quæ erga parentes, & fortaſſe cum aliquo cumulo: quod hi altores, & curatores non corporis noſtri, ſed noſtri ipſorum ſunt: idque nec naturali neceſſitate, ut parentes, tum apud brutas animantes, tum apud homines, ſed bona voluntate, divinam bonitatem imitante, quæ animas in orcum delapſas, eo unde venerunt reducere conatur. Illud etiam præterea habent officia adverſus magiſtros,*

Digitized by Google

giſtros, quod omnibus eorum præceptis, tamquam divinis edictis, abſque tergiverſatione eſt obtemperandum. Earum enim rerum doctor, quæ ſecundum naturam nobis conveniunt, nihil præcipiet, niſi quod ad hunc finem referatur. Si vero parentes noſtri bonarum etiam artium doctores fuerint; tum, binis affectionibus conjunctis, etiam officia utriſque debita præſtanda erunt; ipſique ut divina quædam imago adorandi, quod & ut eſſemus, & ut bene eſſemus, hi non ſecus, ac Deus, auctores fuerint.

CAPVT XXXIII.

Illud autem) Illi autem ſunt omnium feliciſſimi, qui tempore opportuno copiam habuerunt deliberandi, & ex προαιρεσει certum vitæ genus eligendi; ſic enim quiſque id eliget, eligere certe debet, quod ſuæ naturæ, ac indoli eſt convenientiſſimum. Nam, inquit, in ſingulis actionibus, ut decorum eluceat, natura duce opus eſt: quanto major deliberatio adhibenda eſt in totius vitæ decoro conſervando, ut ſtudium, quod ſemel attigeris, contimues, nec umquam fluctues? Requirit vero in his vel excellens ingenium, ſeu *ευφυιαν*, vel eruditionis præſtantiam, qua naturalis illa excellentia ſit perfecta, vel utrumque. Nam his adminiculis adjutus, quin feliciter proficere, rectumque vitæ curſum tenere poſſit, nullum eſt dubium. Add. Epicteti Enchir. c. 40.

Ad hanc autem) In deligendo vitæ genere duo ſpectanda eſſe monet, Naturam, & Fortunam. Naturæ nomine intelligi poſſunt omnes facultates animi, corporiſque. Per Fortunam illa, quæ ſupra recenſuit. Quia vero natura fortunæ præſtat, ideo in deliberatione tali magis illius, quam hujus ratio eſt habenda. Naturæ enim major vis eſt & conſtantia, ut, ſi huic fortuna velit adverſari, res fragilis, & inconſtans eſſet obſtitura fruſtra naturali propenſioni, abditiſſimis animæ fibris ita infixæ, ut, hæc fortunæ comparata ſit, quaſi immortalem cum mortali contendere velis. Plutarchus ad honeſtum vitæ genus requirit *φυσιν, μαθησιν, ασκησιν*, *naturam, doctrinam, uſum*. Ariſtoteles *φυσιν, μαθησιν, & εθισμον*, *naturam, doctrinam, adſuefactionem*: qui tamen fortunæ dotes, opeſque non penitus excludit, ſed tamquam inſtrumenta vitæ bene agendæ item exigit lib. I. & II. Nic.

Qui igitur) Qui naturæ ſuæ conveniens vitæ genus elegerit, bene faciet, ſiquidem illa non ad vitium, ſed ad virtutem potius prona fuerit; nam talis demum naturæ regina eſt prudentia: atque tum conſtanter in eo perſeverandum eſt. Conſtantia enim inſigne officii, ac vitæ bene inſtitutæ decus eſt, magnumque ad illam perficiendam momentum afferre poteſt. Si tamen in certæ vitæ delectu forſan (ut ſumus homines) ſuo aut alieno conſilio inductus erraverit, non perſeverabit in illa; hæc enim non conſtantia, ſed animi obſtinatio, & *ιδιογνωμοσυνη* foret, quia potius morumque mutationem ſubibit: hunc vero, inquit, tempora adjuvabunt, hoc eſt, ea poſſunt incidere tempora; ut omnia alia ſtudia tractanda ſint, nec inconſtantiæ crimen tibi merito objici queat, v. g. ſi Cicero, Republica oppreſſa, foro, & Senatu relicto, ſecedat, & philoſophica ſtudia tractet. Extra vero ejuſmodi temporum neceſſitatem pedetentim mutationem hanc ſuſcipiendam eſſe monet, ne illa importunitati, aut levitati animi imputetur. Add. Val. Max. cap. de Mutatione Morum & Fortunæ.

Quod ſi acciderit) Ita Wolfgangus Muſculus relicta textrina Theologiæ ſe tradidit; ſicuti olim Alfenus ex ſutrina prodiit, magnuſque ICtus evaſit.

Vt amicitias) Adde Ariſt. IX. Nic. 3. & quidem §. 13. ſeqq. Vti enim diſſolvendæ amicitiæ juſtæ poſſint eſſe cauſæ, non tamen eo modo id temere fieri debet, ac ſi pro amico te inimicum gerere velis. *Tales igitur amicitiæ ſunt remiſſione uſus elevandæ, & ut Catonem dicere audivi, diſſuendæ magis, quam diſcindendæ*. Cic. in Læl. cap. 21.

Commutatio) Si in deligendo vitæ genere primo tanta adhibenda cautio eſt, quanta fuerit adhibenda, ſi, primo illo repudiato, tranſieris ad aliud, ſiquidem levitatis opinionem, aut aliud crimen effugere velis?

Sed

Sed quoniam) Ad aſſuefactionem debitam multum conferunt exempla parentum & majorum: quæ ſi bona fuerint, imitari ſtudioſe debent liberi, ſin mala, fugere. Ita Platonis gibbam, Ariſtotelis balbutiem, Alexandri M. aquilinum naſum ſtolide diſcipuli, aulicique imitabantur. Deinde illa imitatio debet etiam juxta ſupra traditam regulam inſtitui, ne quid invita Minerva tentes. Si ergo non poteris patrum virtutem bellicam adſequi, aut valetudine impediaris in moleſta Reipublicæ adminiſtratione; illis incumbe ſtudiis & officiis, quibus par ſis. Sic viribus tuis majora ab æquis rerum humanarum arbitris a te non exigentur.

Optima) Contrario facto hoc illuſtrat. Si quis non ſolum non imitetur parentum virtutes, ſed etiam degenere ſit animo, dedecori eſt ſuis natalibus. Cum hac Ciceronis ſententia ex aſſe convenit illa Iſocratis: Περι πλειονος ποιε δοξαν καλην, η πλουτον μεγαν, τοις παισι καταλειπειν. *Satius eſt honeſtam exiſtimationem, quam magnas divitias liberis relinquere*. Arrige aures, Marce fili.

CAPUT XXXIV.

ET *quoniam*) Non eadem ab omnibus exiguntur officia, etiamſi diverſas ætates inſpicias. Nam & hinc eſt quædam περιςασις των καθηκοντων petenda. Corn. Gallus:

Diverſos diverſa juvant: non omnibus annis
Omnia conveniunt, res prius apta nocet.
Exſultat levitate puer, gravitate ſenectus,
Inter utrumque manens ſtat juvenile decus.
Hunc tacitum, triſtemque decet: fit clarior ille
Lætitia, & linguæ garrulitate ſuæ.

Eſt igitur) Perſpicue hic adoleſcentiæ officia recenſentur: quæ utinam ſatis ſedulo, & fideliter juvenibus inculcentur, id quod ad omnem vitam & Reipublicæ etiam felicitatem plurimum profuerit. Primo exigitur reverentia erga majores natu; hæc enim ipſi ætati debetur, cumprimis ſi cum virtute & prudentia ſit conjuncta. Deinde ut propter has dotes tradant ſe in diſciplinam ſeniorum, ut qui habent της εμπειριας ομμα, *experientiæ oculum*. VI. Nicom. 11. §. 23. Si qui enim ſuo ſibi conſilio proſpicere nequeunt, proximum eſt, ut alieno utantur: neutrum qui fecerit, juxta Heſiodum eſt ſane αχρηιος ανηρ, *homo inutilis*. Tertio hæc ætas ſtudioſiſſime ab illo vitio revocanda eſt, ad quod per ætatem maxime propendet, voluptate II. Nicom. 8. §. 13. erga quam adeo adfecti debent eſſe juvenes, perinde uti erga Helenam ſeniores apud Homerum, qui illam amandandam eſſe contendebant. II. Nicom. 9. §. 6. ſeqq. Subjicit mox, quæ hanc in rem idonea præſidia ſuppetere queant, puta labores: nam *otia ſi tollas, periere cupidinis arcus*. Adde Horat. lib. III. Od. 2. Præterea hæc ætas ideo quoque laboribus frequenter eſt exercenda, ut & hos ferre, & ſperata illorum præmia, ſubito ſe non offerentia, æquo animo oppetiri condiſcat, juxta illud Epicharmi: *Dii omnia vendunt laboribus*. Denique cum perpetuum laborem nemo hominum ferre queat, adeoque & huic ætati relaxatione opus ſit, primo quidem opera danda eſt, ne ea ſit talis, quæ ducat ad intemperantiam. Cumque ei perquam ſit difficile futurum, ut temperantiæ habitum ſibi comparet, ſaltem verecundiæ freno juventus ab intemperantia erit retrahenda. Nam non *omni ætati, ſed primæ modo verecundia convenit. Qui enim hac ætate ſunt, pudentes, & verecundos putamus eſſe oportere, eo quod eorum vita aſſiduis perturbationibus agitetur, & multa peccet, a quibus pudore revocantur. Adoleſcentes itaque laudamus eos, qui ſunt pudentes*, IV. Nicom. ult. Ceterum ne imbecilla hæc ætas, vel ſuis affectibus ſuccumbat, vel occaſione, aut pravo ſodalitio atque exemplo corrupta in errores, & vitia abducatur, conſilium minime contemnendum ſuppeditat Cicero, ut otii, & relaxationis conſtituantur inſpectores, & cenſores natu majores, ceu quondam in Græciæ Civitatibus, cumprimis Spartana, fieri ſolebat. Nam ſi oculus domini, ut in proverbio eſt, paſcit equum; quanto majori uſui erit imprudenti diſcipulo perſpi-

Digitized by Google

ear boni magiſtri oculus? Ambroſ. lib. I. Offic. cap. 117. Plutarch. in Conſol ad Apollon. Statius Papinius de Criſpino adoleſcente lib. V. Sylv. 2.

Senibus) Iam de Officiis Senum propriis: quibus cum corpus ſoleat eſſe infirmum, corporis labores ſunt minuendi, animus autem cum ſit bene conſtitutus per rerum uſum, & prudentiam, a laboribus animi immunes eſſe nequeunt; quin illi potius eatenus exigi poſſunt, quatenus valetudo eorum permittit. Nam ſenectus ipſa morbus eſt. Recte vero putat Cicero, ſenes bene mereri poſſe cum de aliis amicis, tum de Republica, Magiſtratus ex bono publico gerendo, variaque ejus negotia expediendo: unde Senatorum nomen Romanis. Adde Ciceronis Catonem Majorem, ſeu *de Senectute* Dialogum: aut etiam inſtituendo juventutem, ſive privatim, ſive in Scholis publicis, iiſque vel regiis, vel his inferioribus. *Nam & is*, inquit Seneca, *Reipublicæ prodeſt, qui juventutem exhortatur, qui in tanta bonorum præceptorum inopia virtute inſtruat animos.*

Conſilio & Prudentia) Hæc enim cum colligatur ex multorum ſingularium experientia, & hæc multo tempore indigeat, ſenes ſine dubio prudentiores aliis erunt, ſiquidem recte ætatem ſuam collocaverint. Ariſt. I. Metaph. I.

Nihil autem) Enumerat jam quædam, quæ ſunt contra hujus ætatis officium. A languore abſtinebunt ſenes, quod etiam juvenum animi eo marceſcere ſoleant: a luxuria, quod hac tanto magis functiones animi impediuntur, quo magis gulæ, ventrique indulgetur, cum iſtis ſenes quam maxime debeant valere, & prodeſſe. Præterea *turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor*: Ovid. Cujus duplex grande malum probe obſervat: ad poſterius pertinet imprecatio Servatoris noſtri in eos concepta, qui teneram ætatem morum improbitate offendunt. Et illud Satyrici:

> *Maxima debetur puero reverentia, ſi quid*
> *Turpe paras, nec tu pueri contempſeris aures.*

Nam ſi peccant ſenes omittendo officium, dum juventutem non inſtituunt ad virtutem, quantopere eos peccare credas, dum contraria committunt?

Ac ne illud) Tranſit ad alias *τα πρεποντος περιστασεις*, *Decori circumſtantias*, a conditione, & ſtatu hominum petitas.

Se gerere perſonam Civitatis) Hoc eſt, se eſſe perſonam publicam, quæ vel ſolo exemplo vitæ aliorum mores ad legum normam componere ſtudeat, ut ſit *οιον δικαιον εμψυχον*, *jus quoddam animatum*. V. Nicom. 4 §. 21. Adde III. Polit. 12. *Facere recte cives ſuos Princeps optimus faciendo docet: cumque ſit imperio maximus, exemplo major eſt*. Vell. Paterc. lib. II.

Servare leges) Illas cumprimis, quibus poteſtas illius reſtricta; alieno enim munere non ſuo fungitur magiſtratus, adeoque meminerit, se non eſſe *αυτοκρατορα*, aut *αυτεξουσιον*, ſed *υπευθυνον* Majeſtati. Nam de iis hic intelligimus, qui revera Magiſtratus ſolum jure imperant. Interim & illorum, qui habent *το κυριον* in Republica, officium eſt, ut ſint omni meliore modo *νομοφυλακες*. Adde L. 4. C. de Legg.

Iura deſcribere) Hoc eſt, ſalutares leges in uſum publicum, & privatum condere.

Ea fidei) Sit igitur *νομοφυλαξ και υπηρετης τοις νομοις*, *cuſtos legum, iiſque ſubſerviens*. Ariſt. III. Pol. 12.

Privatum autem) Cum Cicero nihil dixerit, quomodo parentes se gerere debeant erga imperantes, juvat etiam hac de re diſſerentem audire Simplicium ad Epict. Enchir. c. 37. *Populi etiam cum principibus civitatis quamdam eſſe affectionem, perſpicuum eſt, & officia illi affectioni congruentia. Legitimis autem, & germanis principibus parere in omnibus populus debet, & alacriter obtemperare, & venerari eos; ut qui proxime, & ſecundum Deum maxima in Remp. beneficia conferant. Veri enim principes ab animo ſuæ curationis munus auſpicantur, & hominis partes pervagantur: & quod de medicis dixit Hippocrates, in principibus copioſius videre licet. Nam ob alienos caſus privatis non quidem doloribus afficiuntur, ſi Epicteto pareant: ſed curas, & labores jubent, rem familiarem negligunt, occupationum*

dein-

detinentur, quibus & a ſui, & rerum meliorum cura abſtrahuntur. Neque vero magiſtratibus obſequi tantum, ſed & operam, qui poſſunt, navare debent, atque exiſtimare in iis niti ſalutem civitatis. Sin autem verbo tantum principes erunt, & magiſtratus officia negligent, improbandi quidem illi erunt, ut ſunt improbi: ſed quod magiſtratui convenit, eis præſtabitur: ut & principatum eis deferamus, & iis in rebus pareamus, quibus animus non læditur.

Pari cum civibus jure) Παντάχȣ γὰρ διὰ τὸ ἄνισον ἡ στάσις. ἔστι δὲ διττὸν τὸ ἴσον. τὸ μὲν γὰρ, ἀριθμῷ, τὸ δὲ, κατ' ἀξίαν ἐστί. *Vbique propter inæqualitatem exoritur ſeditio. Eſt autem duplex æquale: hoc quidem numero, hoc autem dignitate eſt*, inquit Ariſtoteles V. Pol. 1. Adde III. Pol. 12.

Neque ſubmiſſum) Servorum enim nulla Civitas eſt, aut Reſpublica.

Quæ tranquilla) Præſentem Reipublicæ ſtatum debet amplecti, & ad illius commodum ac tranquillitatem omnia ſua ſtudia conferre. Notat denuo Cæſarem, qui æquo cum aliis jure uti noluit, eoque Rempublicam evertit.

Talem enim) Quo pacto boni viri, & boni civis officia conveniant, aut forte diſcrepent, docet optime Ariſtoteles III. Polit. 3.

Incolæ) Reſpicit ad morem Romanorum, & forſan etiam Athenienſium, apud quos inquilini deteriore erant loco, quam indigenæ cives. Neque vero iniquum eſt, ſi iſti non omnino cum his pari loco, jure, & cenſu veniant.

Suum negotium) Lycurgus peregrinos Lacedæmone palam arcebat, ne civium mores peregrinis corrumperentur. Vbi non omnino arceantur, quod inhumanum videri queat, debent ſuum negotium agere, quatenus iis hoc integrum eſt per leges, moreſque Reipublicæ, in qua morantur, nihil de eorum bonis, aut juribus acquirere, quorum commercium ſolis indigenis competit. Ita in Republica Romana cum peregrinis non erat teſtamenti factio. Sed iterum hic audiendus eſt Simplicius eod. cap. *Eſt enim, inquit, affectio quædam adverſus peregrinos, qui ad nos veniunt, ab hoſpitum curatore Deo conciliata. Eſt igitur & his ſuum tribuendum, tum ob curatorem eorum Deum: tum propter incrementum humanitatis noſtræ, quæ non ſolius neceſſitudinis, & cognationis rationem habere, ſed ad univerſum hominum genus porrigi debet, tum vero, ut & nos cum fiducia ſupplicemus Hoſpitali Deo, divinaque providentia & ipſi ea conſequamur, quæ hoſpitibus tribuimus. Tenendum enim eſt, quemque ſuam rectam voluntatem, & bonas actiones mutuare Deo, eaſdemque magna cum uſura, & uberiore, quam homines ſolent, menſura ab eo rependi. Nullo autem modo violandus eſt hoſpes: ſed ſi ab aliis violetur, ſumma vi defendendus. Eum enim ope humana deſtitutum, curator hoſpitum Deus magis & reſpicit, & ulciſcitur. Eſt & in eo negotio, cujus conficiendi cauſa venit, adjuvandus ab eo, qui poteſt, & victus genti præbendus pro facultatibus: & in morbo juvandus eſt hoſpes, quantum licet, & in reditu ad ſuos, quoad poſſis*. Infr. lib. III. c. 11.

Minimeque) Hæc curioſitas cum alibi, tum Venetiis perquam eſt periculoſa. Hactenus tamen in alienis Rebuſpublicis licet eſſe curioſis peregrinis, quatenus rerum ſuarum notitiam non celatam cupiunt illis; nam alias omnis peregrinatio eſſet inanis & fruſtranea; certe tanto ſumtu, & moleſtia dignus non poſſet percipi fructus. At arcana Reipublicæ, interiora conſilia, aut morbos ſcrutari ſæpiſſime indigenis, nedum peregrinis fuit pernicioſum & exitiale.

Nihil eſt autem) Conſtantia omnium virtutum comes eſt, quarum inter alia hoc eſſentiale requiſitum eſt, ut honeſta agas, *βεβαίως καὶ ἀμετακινήτως ἔχων, conſtanter, & immutabiliter ita adfectus*. II. Nic. 4. §. 10.

CAPUT XXXV.

SEd quoniam) Πρέπον ſuum Stoicum pluribus etiam coloribus depingit, ejuſque tres hic facit partes, Formoſitatem, Ordinem, & Ornatum ad actionem aptum. Denique conſequens harum eſſe approbationem morum noſtrorum. Quid vero diſtincte ſignificare his velit, vix puto hariolo liquere. Formoſitas τὸ πρέποντως, ſecundum Wolfium eſt, ſi omnia fiant eleganter, & concinne: Ordo, ſi quidque

que fiat ſuo tempore, loco, fine: Ornatus, ſi debito cultu, geſtu, habitu. Sed ſane hæc ad externam corporis formoſitatem, hoc eſt, admirabilem ſtructuram, ordinem, id eſt, accuratiſſimam *συμμετριαν*, ornatum, id eſt, veſtitum non inepte retuleris, quatenus & ex his *το πρεπον* elucet. Etſi enim alias latiſſime diffundat ſuum *πρεπον*, hic tamen ad jam memorata capita illud reſtringit, ut ne quidem omnia Temperantiæ (qua quidem latitudine hæc ab eo accipitur) officia velit comprehenſa.

Principio corporis noſtri) Addatur Lactantius de Opificio hominis, & Galenus de Vſu partium, & *περι των ανατομικων εγχειρησεων* lib. IV. c. 1. *Ipſa formæ noſtræ pulcritudo Deum fatetur artificem*. Minut. Fel. in Oct. *Exemplumque Dei quiſque eſt in imagine parva*. Manil.

Dicere obſcœnum eſt) Epictet. Enchirid. c. 55.

Nec vero) Cynici ita colligebant: Si res ipſæ turpes non ſunt, quanto minus verba, notæ rerum? Hinc Cratetem Cynicum cum uxore Hipparchia in propatulo coiiſſe legimus. Idem ſentiebant Stoici pene Cynici, hoc eſt, Cynicorum placitis addictiores. Nam *Κοινωνια τις τῳ τε ςωϊσμῳ και τῳ κυνισμῳ εςιν. ὅθεν και τον κυνισμον ειρηκασι συντομον επ' αρετας ὁδον*. *Societas quædam eſt inter Stoiciſmum, & Cyniſmum; unde & Cyniſmum dixere brevem ad virtutem viam*: verba ſunt Laertii in vita Menedemi. Sed huic argumento ſatis commode reſpondet Gaſſendus Animad. in Phil. mor. Epic. pag. 1510. in hanc ſententiam: *Tametſi natura nihil fecerit, cujus quaſi obſceni pudere nos debeat, ac ideo poſſit quadantenus ſervari ritus apud eas gentes, quæ aut in partibus corporis, aut in uſu, ac vocibus, quibus nominantur, obſcenitatem nullam agnoſcunt; apud illas tamen, quæ aliquam agnoſcunt eſſe, eam omnino cavendam, ac nulla ratione pudorem, quo cavetur, eliminandum. Quippe ſeu natura, ſeu lex, ſeu conſuetudo decorum faciat, ipſa eſt natura, quæ tueri id jubet, quatenus ſervatur ob commune bonum, ex cujus incolumitate pendet ſingularis incolumitas, quæ eſt unicuique ſecundum naturam*. Atque hoc Cicero vult, quando regerit: *Nos autem naturam ſequamur*. De Cynicorum ſecta vide plura Introductionis noſtræ in Ariſtotelis opus ad Nicom. cap. 6. pag. 51. ubi quædam memoravimus ex Arriani in Epictet. l. 3. c. 22. & Iuliani Imp. Orat. 6. Auguſtin. de Civ. Dei lib. XIV. c. 20.

Status, inceſſus) Horum omnium decens uſus plurimum prodeſt ad vitam honeſte & commode degendam: e contrario mores diſſoluti, & agreſtes dedecori ſunt agentibus, & aliis valde moleſti. Adde IV. Nicom. 3. §. 75. & 76. *Impudicum, & inceſſus oſtendit, & manus mota, & unum interdum reſponſum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum*. Sen. ep. 52.

Nec vero) Argumento utitur a minori ad majus.

Noſtro quidem) Si verecundia ubique, & ab omnibus obſervanda eſt, præcipue id fieri convenit ab iis, & inter illos, qui ſibi ſunt parentum, & liberorum loco. Merito igitur Cato ſenior, præſente filio, non minus diligenter verborum turpitudine abſtinuit, quam ſi virgo Veſtalis adfuiſſet. Et recte dixit Ennius: *Flagitii principium eſſe, nudari inter cives corpora. Nullam partem feminæ nudari decorum eſt*. Clem. Alex. 2. Pædag. De noſtrorum igitur temporum moribus quid ſentiendum ſit, nemo bonus non videt; quorum tam ingenioſa eſt laſcivia, ut ſimpliciorum, & bene moratorum fidem ſuperet.

CAPUT XXXVI.

CUm *autem pulcritudinis*) Pulcritudinis duas facit ſpecies, Venuſtatem, & Dignitatem: illam mulieres, hanc viros decere ait. Ariſtoteles IV, Nicom. 3. §. 9. tali utitur diſcrimine: Το *καλλος εν μεγαλῳ σωματι. οι μικροι δ' αςειοι και συμμετροι, καλοι δ' ου*. *In magno corpore pulcritudo eſt. Brevis autem ſtaturæ homines venuſti, ac lepidi quidem ſunt illi, aptaque membrorum convenientia, & proportione præditi, pulcri tamen non item*. Quid jam utrique Ciceronianæ, vel potius Stoicæ pulcritudini conveniat, nec ne, ponitur in ſequentibus.

Ergo & a forma) Abeſſe ergo debent

bent & fuci, & purpura, & calamiſtri, & cincinni, & cetera de genere hoc. Ovidius:

Sint procul a nobis juvenes, ut femina, comti;
Fine coli modico forma virilis amat.

Thales dicebat, non componere faciem, ſed bonarum artium ſtudiis animum excolere præclarum eſſe. Et Fabius: *Mollis ornatus, & expolitio cutis virum non ornat, ſed ejus mentem indicat*. Senecæ hoc eſt: *Non eſt ornamentum virile concinnitas.*

Et huic ſimile) Hoc eſt, quod paulo ante his verbis dicebat, nihil debere eſſe effeminatum, aut molle.

Odioſiores) Quippe omne affectatum eſt odioſum.

Coloris bonitate) Si quis ergo ea cauſa pallet, qua Pamphilus, formæ dignitatem improbe negligit.

Exercitationibus) Non iræ, aliarumve perturbationum æſtuatione.

Eadem ratio) Παντων μετρον αριστον, *Modus in omnibus rebus optimus*. Id quoque in veſtitu locum habere ait, cumprimis, ne ille vel ſplendidior ſit, nec ſordidus. Hic debet haberi ratio conditionis & ſtatus, nec non temporis, loci, aliarumque circumſtantiarum. Alia igitur poteſt eſſe veſtis æſtiva, alia hyberna; alia nuptialis, alia funebris, &c. *Socrates certe veſtibus iiſdem & hyeme, & æſtate uſus perhibetur. Iis vero, qui Socrati collati delicate vivunt, ſatis erit adverſus caloris, & frigoris intemperiem, lino e terra nato, & uſitatorum nobis animalium lana, & velleribus uti. At vero flumina Occidentis perſcrutari, &, quæ in iis ſunt, animalia excoriare, & Serum Orientalium egere opera, & fila vermicum pretioſiſſimis, & firmiſſimis apud nos rebus auro, atque argento redimere, magni fuerit & luxus, & inconſiderantiæ*. Verba ſunt Simplicii ad Epictet. cap. 45. Sordidum veſtitum in Lacedæmoniis reprehendit Ariſtoteles IV. Nicom. 3. §. 85. *Superbi ex veſtitu, ex habitu, geſtuque corporis, & conſimilibus aliis ornatum ſibi quærunt, ſuaſque res ſecundas omnibus notas & manifeſtas eſſe volunt, & de ſeipſis prædicant, quaſi ex his honorem conſecuturi*. Sed hoſce χαυνους paulo ante appellat ηλιθιους, *ſtolidos*. Contra hoc præceptum Ciceronis miris peccatur modis a Gallis cumprimis, & Germanis. Iſti enim primas hac in re tenent, hi ſecundas, ſeduli Gallorum imitatores. Nam his non ſolum veſtitus eſt ſæpe odioſus, & exquiſitus nimis, ſed alius alio (ut ſunt ea in re leves, inſtabileſque) abſurdior & ineptior, perinde ac ſi inter reliquas gentes perpetuam hiſtrioniam veſtiariam certatim exerceant.

Cavendum eſt) Add. IV. Nicom. 3. §. 75. & 76. In Phyſiognomicis eidem Ariſtoteli alii ſunt μακροβαμονες, alii βραχυβαμονες, alii ταχυβαμονες, alii βραδυβαμονες, hoc eſt, *quod alii gradu prolixo, ſeu longo, alii contracto, alii citato, alii tardo incedant*. Hæc ſi enormia non ſint, tolerari poſſunt, tamquam naturalia ingreſſus diſcrimina. *Pompa* dicitur omne ſpectaculum, aut ſolemnis apparatus, cum ſplendore, vel oſtentatione. Hinc triumphi, nuptiarum, ſacrorum, funerum, ac ludorum pompa dicitur. *Ferculum*, φορειον, hic ſignificat pompæ triumphalis geſtamina, veluti ſimulacra oppidorum expugnatorum, ſpolia hoſtium, coronas, machinas ejuſque generis alia. Hinc Cicero l. II. c. 8. ait: *Portari in triumpho Maſſiliam vidimus*. Suetonius in Cæſare: *Pontico triumpho, inter Pompæ fercula trium verborum prætulit titulum: Veni, Vidi, Vici*.

Sed multo) Si tanta cura adhibenda eſt in geſtu, habituque corporis moderando, quanto magis elaborandum eſt, ne animi motus & appetitiones a natura, quam optimam vitæ ducem conſtituit, ſeu ratione recedant?

Motus autem) Præcipuas animæ facultates, intelligentem, & appetentem, Stoici vocabant λογον. & ορμην, *Rationem*, & *Appetitum*. Intelligens illa, quam Cicero *Cogitationis* nomine deſignat, vel eſt Theoretica, vel Practica. Iſtius motus ſecundum Ciceronem (improprie enim Intellectus dicuntur Motus eſſe) tum erunt recti, & πρεποντες, ſi in vero exquirendo theoretico verſetur: hujus vis recta erit, ſi in practico ita verſetur, ut accurate bonum a malo diſtinguat. Appetitus motus erunt recti, ſi rationi ſine ulla refragatione obediat. Quod vero dicit, Appeti-

tum

tum impellere ad agendum, ita explicat Ariſt. I. Magn. mor. cap. 12. Αρχη δ' εϛι πραξεως και σπουδαιας και φαυλης, προαιρεσις, και βουλησις, και το κατα λογον παν. *Principium actionis cum bonæ, tum malæ eſt proæreſis, voluntas, & quidquid cum ratione movetur*. Cap. ſeq. 13. his: Εϛι μεν ουν καθ' ὁ πραττομεν ορεξις. ορεξεως δε εϛι ειδη τρια, επιθυμια, θυμος, βουλησις. *Eſt igitur ſecundum quod agimus, appetitus: appetitus vero ſpecies tres ſunt, cupiditas, ira, voluntas.*

CAPVT XXXVII.

ET *quoniam*) Orationis jam πρεπον inveſtigat. Illam vero facit duplicem, contentioſam, quæ locum habet in Senatu, foro, & concionibus: alteram familiarem. Confer. lib. II. cap. 14. Iſtius πρεπον præceptis Rhetoricis comprehenditur. Hujus præcepta nulla eſſe ait, quædam tamen ex rhetorum loculis illi accommodari poſſe cenſet. His accedunt præcepta Grammatices, ſi ſermonem ſimpliciter conſideres: quo vero ſermone uti conveniat in familiari congreſſu, docent Philoſophi morales, ubi tractant virtutes ὁμιλητικας Ariſt. IV. Nicom. c. 6. ſeqq. cui addi poterunt Eraſmus de Civil. Mor. Althuſius, & Steph. Guazzius de Civil. Converſ. Io. Caſa Galatæus de Mor. Honeſtate. Non ergo omnino verum videtur eſſe, quod ait Cicero, huic rei ſtuduiſſe nullos, cum aliud ex Ariſtotele dicere potuiſſet.

Diſputationibus) Harum finem ſi ſpectes, utimur ſane & in his ſermone contentioſo; ſicut enim in judiciis de Iuſto, & in Senatu de Vtili, ita in Diſputationibus de Vero contendimus. Cicero autem non earum finem, ſed modum reſpiciens vult diſputantes placida & ſedata oratione uti, ne animus contendendo efferveſcens veritatem perdat.

Sed cum) Oratio noſtra non ſimpliciter voce, ſed voce ſignificante exprimitur: ideo Ariſtoteles diſtinguit inter Vocem, & Sermonem I. Polit. 2. Hujus πρεπον eſt, ſi clarus ſit & ſuavis. Hæc quidem dicit eſſe a natura, poſſe tamen augeri exercitatione, ac imitatione. Illuſtrat hæc exemplis, quæ potius [illegible] requirunt.

Sit igitur) Repetit το πρεπον orationis familiaris, idque cerni poſſe ait ex Dialogis ac Diſputationibus Socraticis, quæ mira venuſtate, argutiis, ac ſalibus ſcatent.

Minime pertinax) Εισι δε ισχυρογνωμονες οἱ ιδιογνωμονες, και οἱ αμαθεις, και αγροικοι. οἱ μεν ιδιογνωμονες δι' ἡδονην και λυπην. χαιρουσι γαρ νικωντες, εαν μη μεταπειθωνται και λυπουνται, εαν ακυρα τα αὑτων ᾖ ωσπερ ψηφισματα. VII. Nicom. 9. §. 12. & 13. *Obfirmati in ſententiis ſunt ii, qui ſuas quaſdam ſententias animi tenent, indocti item, & agreſtes homines. Atque ii quidem, qui ſuas ſententias animo tenent, propter voluntatem, ac dolorem ſunt pertinaces. Lætantur enim ſe vincere, cum de ſententia ſua non deducuntur: & graviter, moleſteque ferunt, cum ſua veluti decreta reſcindi ipſis videntur, atque infirmari.*

Nec vero) Multi ambitioſa quadam garrulitate ſunt præditi, ut ſibi ſolis loquendi partes vindicent, nec alterius ſermonem admittant: quod eſt contra το πρεπον. Σιωπη το πολυ εϛω, η λαλεισθω τα αναγκαια, και δι' ολιγων. *Majori quidem ex parte ſilentium preſtetur, aut neceſſaria dicantur, eaque paucis.* Epict. Enchir. c. 41.

Ne ſermo) Sermo enim character animi. Nec ſane ita eſt, quod queritur Euripides:

Ουδεις χαρακτηρ εμπεφυκε σωματι,
Ωι χρη τον εσθλον τε κακον δειδεναι.

Nullus character corpori coaluit, quo bonum a malo queas dignoſcere. Etſi enim bonitas & malitia animo non corpori inſint, neque perpetuus, minimeque fallax character corpori ſit impreſſus, ex quo bonum a malo dignoſcas; multis tamen indiciis bonitas vel malitia externis ſe prodere ſolet, ſermone, vultu, oculis, variis geſtibus. *Animi omnis actio, & imago animi, vultus eſt, indices oculi.* Cic. III. de Orat. *Profecto in oculis animus inhabitat.* Plin. lib. II. c. 37. Exemplum ipſe Cicero proponit infra c. 42. de Sophocle poeta.

Detrahendi cauſa) Μαλιϛα δε μη περι ανθρωπων ψεγοντες η επαινουντες, η συγκρινοντες. *Inprimis autem ne homines vituperemus, vel laudemus, vel comparemus, caveatur*; inquit Epictetus Enchir.

chir. c. 41. Pertinet huc tritum illud: De abſentibus, & mortuis nil niſi bene loquendum eſſe. Adde Ariſt. IV. Nic. 3. §. 30. ſeqq.

Habentur) De quibus rebus ſermo ſit inſtituendus, docet. Epictetus uno verbo dicebat περι των αναγκαιων, ſive ad virtutem adhortando, ſive docendo, ſive conſulendo, ſive conſolando, ſive de veritate, naturaque rerum inquirendo & diſputando, ſive Dei excellentiam & providentiam celebrando, & auxilium ad degendam vitam naturæ congruentem votis expoſcendo: uti hæc interpretatur Simplicius.

Si aberrare) Add. Epictet. cap. 42. Nam temere ab una re ad aliam ſermonem convertere, character foret levitatis & inconſtantiæ.

Animadvertendum) Hoc obtinebimus, ſi mentem noſtram exponamus δι' ολιγων, *paucis*, ut monet Epictetus; niſi rei gravitas uberiorem quamdam orationem exigat, cui tamen item ſuus eſt modus conſtituendus.

CAPUT XXXVIII.

Sed quomodo) A familiari ſermone abeſſe debet animi commotio, niſi forſan juſta objurgatione opus ſit, quæ quamdam contentionem requirit, de qua mox ipſe monet.

Vereri) Ut ſcilicet faſtus & impudentia vitetur, ne nimia familiaritas contemtum pariat.

Diligere) Ut vitetur σκυθρωπια, & auſteritas. Non tamen debet eſſe adulatoria dilectio, niſi cum ſtultis in contraria velimus currere vitia.

Id agendum) Cum objurgatio quædam pœna ſit, hæc vero vel κολασεως, vel τιμωριας nomine veniat, uti ſupra intelleximus; ſane quidquid ad κολασιν pertinet, ſignificandum eſt, ipſius cauſa, qui objurgatur, aut caſtigatur, ſuſceptum eſſe. Ira vero non poteſt abeſſe, ſed indecens illius enormitas vitari debet, quam cum Stoicis per Iram intelligit. Ad pœnam vero hanc nonniſi neceſſario deſcendendum eſſe præcipit, ſi nulla reperietur alia medicina. Nam animi vitiis corrupti non una eſt medicina; ſæpe enim docendo, monendo, ſuadendo, hortando, precando illa eximuntur: at pœnarum molliſſima eſt Objurgatio. Quomodo vero pœna ſit medicina, vide Diſquiſ. meam Philoſ. de Pœnis th. 22. ſeqq. Breviter: ſi κολασις fuerit, medicinam judex ipſi facit delinquenti; ſin τιμωρια, Reipublicæ; liberando hanc a putrido membro, aut ut illud ea ſeveritate tractet, quo emendetur, & convaleſcat, quomodo os luxatum reſtitui adſolet.

Contumelia repellatur) Objurgatio non debet eſſe conjuncta cum contumelia, ingenuo homine indigna.

Ipſius cauſa) Optime hoc convenit cum Ariſtotele, qui I. Rhet. 10. tradit την κολασιν τυ πασχοντος ἑνεκα exigi.

Rectum eſt) Docet, qua moderatione uti debeamus, etiam ſi inimiciſſimis reſpondebimus: cumprimis hæc decet viros doctos & graves. Λοιδορεισθαι ν πρεπει ανδρας ποιητας ωσπερ αρτοπωλιδας, *conviciis laceſſi non decet viros opifices, ut panis venditores*, inquit ille. Quod ſi ab his non obſervetur dicas ex Virgilio:

—— *Cur vos Natura magis, quam*
Diſciplina trahit?

Deforme) Αλαζονειας και περιαυτολογιας vitium quoque vitandum monet, quo ipſe Cicero laboravit. Videatur Oratio in Ciceronem Salluſtio tributa. Ariſt. IV. Nicom. 7. §. 20. ſeqq. Plutarchus περι τυ ἑαυτον επαινειν ανεπιφθονως. *Quomodo quis citra invidiam ſe laudare poſſit*: cujus commentarii hæc concluſio eſt: Ὀτι τοις ιδιοις επαινοις αλλοτριος ἑπεται ψογος αει, και γινεται τελος αδοξια της κενοδοξιας. *Quod laudem propriam alienum ſequatur ſemper vituperium, hujuſque gloriæ inanis finis ſit ignominia*; uti hæc vertit Thomas Naogeorgus.

CAPUT XXXIX.

Et quoniam) Breviter de his Epict. c. 46. *Quæ corpori ſerviunt, eatenus adhibeantur, quatenus animo ſunt uſui: veluti cibi, potus, amictus, ædes, ſervitium. Quidquid autem ad oſtentationem, aut delicias attinet, repudiato.* Sunt enim hæc omnia vitæ humanæ inſtrumenta, ut ait Ariſtoteles I. Polit. Inſtrumenta vero ſunt propter

uſum:

Digitized by Google

uſum : quo fine jam illum uſum determinaverit Epictetus, accepimus. Sed quia non una eſt, eademque conditio omnium hominum, ergo forſan viro principi, generoſo, ac magnifico ſplendidior & magnificentior convenit domus? Conſentit Ariſtoteles IV. Nic. 2. §. 40. ſeqq. & c. 3. §. 74. Audiendus hîc iterum eſt Simplicius, cum non ſit in omnium manibus ad Epictet. c. 46. *Crateti domum idoneam præbuit dolium, quamvis pulcram Hipparchiam uxorem habenti. Nobis autem ſit ſane domus, ſed ad uſum accommodata, tam magnitudine, quam ornatu, quæ & virorum, & mulierum diſtincta habeat conclavia; quamvis & hæc fortaſſis ſupervacanea fuerint. Ea quidem eſſe magnitudine, ut triginta lectulos capiat, ac parietibus & pavimento marmoreo, ac teſſellato & picturato ſit, aut ſingulis menſibus diverſoria diſtincta habeat, nihil eſt neceſſe. Neque enim vel uſus iſta poſtulat; & miſerum eſt hujuſmodi adſuetum ceteras habitationes omnes improbare. Neque jam dico, qui his impenſe delectetur, eum felicitatem etiam in hiſce collocare, ſuimetipſius prorſus oblitum. Qui ſi his exciderit (quod quidem multis de cauſis accidere poteſt) plorare neceſſe erit & lamentari, ſeque infelicem ſum judicare. Enimvero tum infeliciores eramus, cum hiſce deliciis circumflueremus.* Hæc ille.

In Palatio) Quo loco nunc ſunt horti Farneſiani, inquit Manutius h. De Valerii domo in Velia videatur Plutarchus in Poplicola.

Acceſſionem) Octavii domo deſtructa, ſpatium illud ſuæ adjecit. Poſt illa SCto cautum eſt, ne ædificium urbanum emeretur, aut venderetur, deſtruendi cauſa l. 52. ff. de contrah. emt.

Ignominiam) Quod Sullæ in Sicilia quæſtor repetundarum damnatus fuit. Cujus criminis, quæ fuerit pœna videre eſt ex l. 6. §. 6. & l. 7. §. 3. ff. de L. Iul. repetund. Vide Plin. l. 36. c. 15.

Et ut in ceteris) Quatuor illuſtris domus requiſita videtur ponere, ut ſufficiat uſui & neceſſitati, deinde ut ſatis ſit commoda, tertio dignitatem ac ſplendorem convenientem habeat, denique ampla ſit. Addatur Luciani Dialogus de Domo.

Si aliquando) Si olim fuerit habitata a Domino illuſtri, qui vel ab amicis, vel clientibus frequentiſſime fuerit appellatus. Alii hic legunt: *O domus Antiqua, quam diſpari domino dominaris.*

His temporibus) Quibus per bella civilia, & proſcriptiones optimi quique principeſque viri fuerunt profligati.

Cavendum eſt) Vid. ille Ariſt. locus allegatus c. 2. lib. IV. Nic. Exemplo autem nocet altius ac ſplendidius ædificans, quod idem alii ſive contra leges tentent, ſive quod tantæ ipſis opes non ſint. De altitudine ædificiorum Romanorum legi quædam poſſunt apud Barn. Briſſon. Antiq. Select. lib. I. c. 1. Notum eſt illud Theognidis:

Σωματα πολλα τρεφειν, και δωματα πολλ' ανεγειρειν,
Ατραπος ες πενιην εστιν ετοιμοτατη.

Paſcere multorum ventres, multas ſtruere ædes,
Ad paupertatem plana parata via eſt.

Contra hæc præcepta graviter peccavit is, qui magnificentiſſimum illud ædificium Erfordiæ molitus eſt, emoliri autem non potuit, cujus generis privatum quempiam alium in Germania umquam aggreſſum fuiſſe vix puto. Sed inſolitæ vanitatis ſufficit unum exemplum.

Villarum magnificentiam) Vid. Plutarch. in vita Luculli. Varr. de Re Ruſt. lib. III. Hinc Lucullus a Pompeio M. Xerxes togatus appellatus, teſte Plin. l. IX. Nat. Hiſt. cap. 54. De domo a Nerone exſtructa legi meretur Tacitus, magiſtris & machinatoribus Severo, & Celere, quibus ingenium, & audacia erat, etiam quæ natura denegaviſſet, per artem tentare, & viribus Principis illudere lib. XV. Ann. c. 42.

In omni) Supra dicebat το πρεπον in tribus rebus poſitum eſſe, formoſitate, ordine, ornatu ad actionem apto. De poſtremo hic jam docet, & tria circa illud proponit præcepta, quorum primum, ipſo Cicerone judice, eſt præſtantiſſimum, videlicet ſi appetitus rationi obtemperet; hæc enim totius Philoſophiæ moralis ſumma eſt. Quod ſi accurate expendere, nec Panætium potius ſequi voluiſſet, nihil

Digitized by Google

nihil opus fuiſſet altero, & tertio præcepto. Qui enim appetitum rationi obſequentem habet, ſic ut hæc quoque per prudentiam ſit perfecta, is quoque circa qualitatem, quantitatem rei, modum, aliaque τὰ καθ' ἕκαστα, ſeu *ſingularia*, probe obſervabit appetitus ſui totiuſque actionis prudentem moderationem.

CAPUT XL.

D*einceps*) Iam τὸ πρέπον Ordinis depingit. Varia ſunt actionum moralium attributa, & circumſtantiæ, quæ ita ſunt attente dijudicandæ, ut Decorum, & Honeſtum ubique quæratur. Hic jam in ſpecie attingit Locum, & Tempus, ut quidque fiat ſuo loco, & tempore. Illius opportunitatem εὐταξίαν, hujus εὐκαιρίαν Græci vocabant. Quia vero nimiam hanc ſcrupuloſamque Stoicorum ſubtilitatem, & facilem in tali lingua ὀνοματοποιεῖν, non æque in Latino adſequi, & exprimere poterat, dicit Modeſtiam forſan poſſe dici illam εὐταξίαν; quia vero etiam σωφροσύνη eodem venit vocabulo, non hanc, ſed iſtam ſe hic intelligere ait. Deinde cum hæc non ſatis explicare poſſet, implicat: *Locum*, inquit, *actionis, opportunitatem temporis eſſe dicunt*. Plane ac ſi id diceret, εὐταξίαν hanc ab εὐκαιρίᾳ nihil differre; atque hinc ipſam εὐκαιρίαν mox quoque appellat Modeſtiam, qua paulo εὐταξίαν deſignabat.

Sed poteſt eadem) Aliquid hic veritatis vidit. Non enim Prudentiæ hæc poteſt eſſe definitio: at illius beneficio, & facultate omnium actionum moralium circumſtantiæ, locus, tempus, modus, aliæque & ad debitum honeſtatis finem transferuntur. Prudentiæ definitionem vide apud Ariſtotelem VI. Nic. 5. §. 9. Quomodo autem Prudentiæ officium concurrat cum officio appetitus rationi obſequente, audiamus item Ariſtot. VI. Nicom. 12. §. 16. & 17. *Ex prudentia & virtute morali opus virtutis abſolvitur. Virtus enim ſcopum propoſitum agenti rectum efficit: prudentia vero ea, quæ ad ſcopum ducunt*. Non poterat veriora paucis planius proloqui: Apage igitur illas ineptias Stoicas, Nam quidquid hic Modeſtiæ tribuit, & ratione ordinis, εὐταξίας, aut εὐκαιρίας exigit, omne aptum eſt a directione prudentiæ; hæc enim debito decentique modo ſingulas actiones omnium circumſtantiarum accurata ratione habita ad verum finem dirigit ac diſponit.

Talis eſt) Speciatim jam explicat ſuam εὐταξίαν, & εὐκαιρίαν. Potuiſſet hoc uno dicere verbo, actionum ſingularia, ſeu circumſtantias prudenter ubique eſſe diſtinguendas, ſic nihil indecori, aut inhoneſti commiſſum iri. Si enim tanto artificio ac ſtudio εὐταξία orationis, quanto majori ipſius vitæ harmonia quærenda eſt. Atque hæc eſt illa decantata *Mediocritas rationis* Ariſtotelica, qualis quidem convenit judicio viri prudentis II. Nic. 6. §. 26.

Oculos abſtinentes) Vitiis noſtris in animum per oculos via eſt. Quinctil. Declam. 1 & 2. Huic oculi adulterium monſtrant, huic inceſtum, huic domum quam concupiſcat, huic urbem, & mala omnia. Certe irritamenta ſunt vitiorum duceſque ſcelerum. In Excerptis Senecæ. Nam mens oculis tamquam feneſtris utitur. Lactant. de Opif. Hom. c. 8. & 9.

Atque hoc idem) Quemadmodum recte vox Sophoclis reprehenſa fuit a Pericle, tamquam aliena ab iſto collegii ſui negotio, quod tractabant: ſic juſta reprehenſione caruiſſet, ſi in theatro prolata fuiſſet; ibi enim vires ac pulcritudo corporis ſpectantur cumprimis apud Græcos, ubi nudi certabant athletæ.

Sed ea) Non opus eſſe putat ad officium & πρέπον præceptis quibuſdam illa revocare, quæ nimium a Decoro, & Honeſto recedunt, quin majori diligentia ad officium reducendi ſunt illi, qui in minimis erratis verſantur, ne his decepti, atque faſcinati animi ad majora vitia prolabantur. Atque hac ex cauſa natum fuit illud Stoicorum παράδοξον: *Peccata eſſe æqualia*.

CAPUT XLI.

M*agna intelligimus*) Ex rebus minimis indecorum quidquam præ ſe ferentibus, ſæpe licet de maximis con-

Digitized by Google

uſum : quo fine jam illum uſum determinaverit Epictetus, accepimus. Sed quia non una eſt, eademque conditio omnium hominum, ergo forſan viro principi, generoſo, ac magnifico ſplendidior & magnificentior convenit domus? Conſentit Ariſtoteles IV. Nic. 2. §. 40. ſeqq. & c. 3. §. 74. Audiendus hîc iterum eſt Simplicius, cum non ſit in omnium manibus ad Epictet. c. 46. *Crateti domum idoneam præbuit dolium, quamvis pulcram Hipparchiam uxorem habenti. Nobis autem ſit ſane domus, ſed ad uſum accommodata, tam magnitudine, quam ornatu, quæ & virorum, & mulierum diſtincta habeat conclavia; quamvis & hæc fortaſſis ſupervacanea fuerint. Ea quidem eſſe magnitudine, ut triginta lectulos capiat, aut parietibus & pavimento marmoreo, ac teſſellato & picturato ſit, aut ſingulis menſibus diverſoria diſtincta habeat, nihil eſt neceſſe. Neque enim vel uſus iſta poſtulat; & miſerum eſt hujuſmodi adſuetum ceteras habitationes omnes improbare. Neque jam dico, qui his impenſe delectetur, eum felicitatem etiam in hiſce collocare, ſuimetipſius prorſus oblitum. Qui ſi his exciderit (quod quidem multis de cauſis accidere poteſt) plorare neceſſe erit & lamentari, ſeque infelicem ſuum judicare. Enimvero tum infeliciores eramus, cum hiſce deliciis circumfluere-mus*. Hæc ille.

In Palatio) Quo loco nunc ſunt horti Farneſiani, inquit Manutius h. De Valerii domo in Velia videatur Plutarchus in Poplicola.

Acceſſionem) Octavii domo deſtructa, ſpatium illud ſuæ adjecit. Poſt illa SCto cautum eſt, ne ædificium urbanum emeretur, aut venderetur, deſtruendi cauſa l. 52. ff. de contrah. emt.

Ignominiam) Quod Sullæ in Sicilia quæſtor repetundarum damnatus fuit. Cujus criminis, quæ fuerit pœna videre eſt ex l. 6. §. 6. & l. 7. §. 3. ff. de L. Iul. repetund. Vide Plin. l. 36. c. 15.

Et ut in ceteris) Quatuor illuſtris domus requiſita videtur ponere, ut ſufficiat uſui & neceſſitati, deinde ut ſatis ſit commoda, tertio dignitatem ac ſplendorem convenientem habeat, denique ampla ſit. Addatur Luciani Dialogus de Domo.

Si aliquando) Si olim fuerit habitata a Domino illuſtri, qui vel ab amicis, vel clientibus frequentiſſime fuerit appellatus. Alii hic legunt: *O domus Anci, quam diſpari domino dominaris*.

His temporibus) Quibus per bella civilia, & proſcriptiones optimi quique principeſque viri fuerunt profligati.

Cavendum eſt) Vid. ille Ariſt. locus allegatus c. 2. lib. IV. Nic. Exemplo autem nocet altius ac ſplendidius ædificans, quod idem alii ſive contra leges tentent, ſive quod tantæ ipſis opes non ſint. De altitudine ædificiorum Romanorum legi quædam poſſunt apud Barn. Briſſon. Antiq. Select. lib. I. c. 1. Notum eſt illud Theognidis:

Σωματα πολλα τρεφειν, και δωματα
πολλ' ανεγειρειν,
Αφραστος εις πενιην εστιν ετοιμοτατη.
Paſcere multorum ventres, multas ſtruere ædes,
Ad paupertatem plana parata via eſt.

Contra hæc præcepta graviter peccavit is, qui magnificentiſſimum illud ædificium Erfordiæ molitus eſt, emoliri autem non potuit, cujus generis privatum quempiam alium in Germania umquam aggreſſum fuiſſe vix puto. Sed inuſitatæ vanitatis ſufficit unum exemplum.

Villarum magnificentiam) Vid. Plutarch. in vita Luculli. Varr. de Re Ruſt. lib. III. Hinc Lucullus a Pompeio M. Xerxes togatus appellatus, teſte Plin. l. IX. Nat. Hiſt. cap. 54. De domo a Nerone exſtructa legi meretur Tacitus, magiſtris & machinatoribus Severo, & Celere, quibus ingenium, & audacia erat, etiam quæ natura denegaviſſet, per artem tentare, & viribus Principis illudere lib. XV. Ann. c. 42.

In omni) Supra dicebat τὸ πρέπον in tribus rebus poſitum eſſe, formoſitate, ordine, ornatu ad actionem apto. De poſtremo hic jam docet, & tria circa illud proponit præcepta, quorum primum, ipſo Cicerone judice, eſt præſtantiſſimum, videlicet ſi appetitus rationi obtemperet; hæc enim totius Philoſophiæ moralis ſumma eſt. Quod ſi accurate expendere, nec Panætium potius ſequi voluiſſet, nihil

nihil opus fuiſſet altero, & tertio præcepto. Qui enim appetitum rationi obſequentem habet, ſic ut hæc quoque per prudentiam ſit perfecta, is quoque circa qualitatem, quantitatem rei, modum, aliaque τα καθ' ἑκαστα, ſeu *ſingularia*, probe obſervabit appetitus ſui totiuſque actionis prudentem moderationem.

CAPUT XL.

D*Einceps*) Iam το πρεπον Ordinis depingit. Varia ſunt actionum moralium attributa, & circumſtantiæ, quæ ita ſunt attente dijudicandæ, ut Decorum, & Honeſtum ubique quæratur. Hic jam in ſpecie attingit Locum, & Tempus, ut quidque fiat ſuo loco, & tempore. Illius opportunitatem ευταξιαν, hujus ευκαιριαν Græci vocabant. Quia vero nimiam hanc ſcrupuloſamque Stoicorum ſubtilitatem, & facilem in tali lingua ονοματοποιησιν, non æque in Latina adſequi, & exprimere poterat, dicit Modeſtiam forſan poſſe dici illam ευταξιαν: quia vero etiam σωφροσυνη eodem venit vocabulo, non hanc, ſed iſtam ſe hic intelligere ait. Deinde cum hæc non ſatis explicare poſſet, implicat: *Locum*, inquit, *actionis, opportunitatem temporis eſſe dicunt*. Plane ac ſi id diceret, ευταξιαν hanc ab ευκαιρια nihil differre; atque hinc ipſam ευκαιριαν mox quoque appellat Modeſtiam, qua paulo ευταξιαν deſignabat.

Sed poteſt eadem) Aliquid hic veritatis vidit. Non enim Prudentiæ hæc poteſt eſſe definitio: at illius beneficio, & facultate omnium actionum moralium circumſtantiæ, locus, tempus, modus, aliæque & ad debitum honeſtatis finem transferuntur. Prudentiæ definitionem vide apud Ariſtotelem VI. Nic. 5. §. 9. Quomodo autem Prudentiæ officium concurrat cum officio appetitus rationi obſequente, audiamus item Ariſtot. VI. Nicom. 12. §. 16. & 17. *Ex prudentia & virtute morali opus virtutis abſolvitur. Virtus enim ſcopum propoſitum agenti rectum efficit: prudentia vero ea, quæ ad ſcopum ducunt*. Non poterat veriora paucis planius proloqui: Apage igitur illas ineptias Stoicas, Nam quidquid hic Modeſtiæ tribuit, & ratione ordinis, ευταξιας, aut ευκαιριας exigit, omne aptum eſt a directione prudentiæ; hæc enim debito decentique modo ſingulas actiones omnium circumſtantiarum accurata ratione habita ad verum finem dirigit ac diſponit.

Talis eſt) Speciatim jam explicat ſuam ευταξιαν, & ευκαιριαν. Potuiſſet hoc uno dicere verbo, actionum ſingularia, ſeu circumſtantias prudenter ubique eſſe diſtinguendas, ſic nihil indecori, aut inhoneſti commiſſum iri. Si enim tanto artificio ac ſtudio ευταξια orationis, quanto majori ipſius vitæ harmonia quærenda eſt. Atque hæc eſt illa decantata *Mediocritas rationis* Ariſtotelica, qualis quidem convenit judicio viri prudentis II. Nic. 6. §. 26.

Oculos abſtinentes) Vitiis noſtris in animum per oculos via eſt. Quinctil. Declam. 1 & 2. Huic oculi adulterium monſtrant, huic inceſtum, huic domum quam concupiſcat, huic urbem, & mala omnia. Certe irritamenta ſunt vitiorum duceſque ſcelerum. In Excerptis Senecæ. Nam mens oculis tamquam feneſtris utitur. Lactant. de Opif. Hom. c. 8. & 9.

Atque hoc idem) Quemadmodum recte vox Sophoclis reprehenſa fuit a Pericle, tamquam aliena ab iſto collegii ſui negotio, quod tractabant; ſic juſta reprehenſione caruiſſet, ſi in theatro prolata fuiſſet; ibi enim vires ac pulcritudo corporis ſpectantur cumprimis apud Græcos, ubi nudi certabant athletæ.

Sed ea) Non opus eſſe putat ad officium & πρεπον præceptis quibuſdam illa revocare, quæ nimium a Decoro, & Honeſto recedunt, quin majori diligentia ad officium reducendi ſunt illi, qui in minimis erratis verſantur, ne his decepti, atque faſcinati animi ad majora vitia prolabantur. Atque hac ex cauſa natum fuit illud Stoicorum παραδοξον; *Peccata eſſe æqualia*.

CAPUT XLI.

M*Agna intelligimus*) Ex rebus minimis indecorum quidquam præ ſe ferentibus, ſæpe licet de maximis con-

Digitized by Google

conjicere vitiis. Ceterum cum in his facillime judicium noſtrum falli poſſit, temere nihil de aliorum moribus in ſiniſtram partem pronuntiandum eſt. Ciceronis illa confirmat D. Ambroſii, & Nazianzeni teſtimonium, dicentium, ſe ex motu, inceſſu, & ineptis corporis geſtibus mature deprehendiſſe perverſum Iuliani Apoſtatæ ingenium. Apud Senecam Controv. 15. Calvus Pompejum, ut mollem perſtringit hoc epigrammate:

Faſciola qui crura ligat, digito caput uno
Scalpit, quid credas hunc ſibi velle? virum.

Sed Ammianus Pompeium excuſat, quod in ſcalpendo genuino more uſus ſit, & faſcia ulceris deformitatem tegere ſtuduerit lib. XVII. c. 22. Alii vero Pompeius non bene cinctus viſus fuit, ut Romanos monuerit, caverent ſibi a malo procincto puero. Facit quoque huc illud Martialis:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læſus.
Rem facis egregiam, Zoile, ſi bonus es.

Quo in genere) Ejuſmodi igitur indicia, notas & circumſtantias attente dijudicare debemus, ſic ut, ſi ex his quidquam probemus in aliis, imitemur: ſin improbemus, & nos fugiamus. Et vero ad hoc alienorum morum ſpeculum tanto diligentius noſtros mores explorare ac emendare debemus, quanto cæciores in re noſtra judices ſumus propter φιλαυτίαν, adfectuumque nebulam. Σχεδὸν οἱ πλεῖστοι φαῦλοι κριταὶ περὶ τῶν οἰκείων: *Plerique mali ſuarum rerum judices ſunt*, inquit Ariſt. III. Pol. 6. p. 165.

Nimirum idem omnes fallimur: neque eſt quiſquam
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Poſſis: ſuus cuique attributus eſt error;
Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt:

uti venuſte ait Catullus Ep. 22.

Itaque facillime) Hunc modum etiam Deus ipſe non improbavit. Illius enim juſſu Propheta jubebatur meretricem ducere, cumque illa conſueſcere, quo vel ex hujus rei exemplo propoſito idololatricas ſuas ſcortationes populus Iudaicus agnoſceret.

Nec vero) Multiplex poteſt occurrere in rebus agendis aut fugiendis dubitatio: ne igitur temere quid bonum aliquid perſequaris, aut tanquam malum fugias, conſule peritiores. Rectius Ariſtoteles dicit, virum bonum (idem enim & prudens eſt) pro norma vitæ recte inſtituendæ eſſe habendum. Ἔοικε μέτρον ἑκάστῳ ἡ ἀρετὴ, καὶ ὁ σπουδαῖος εἶναι, inquit, IX. Nicom. 4. §. 9. *Conſentaneum eſt, virtutem, & virum bonum unicuique rei eſſe menſuram.* Et X. Nicom. 5. §. 44. ſeqq. *Quod ſi hoc recte dicitur, ut certe videtur, ſitque virtus ejus rei cujuſque menſura, itemque vir bonus, qua bonus; ſane & voluptates exiſtimandæ ſunt, quæ huic videntur, illaque item vere jucunda, quibus hic delectatur: illa autem, quæ huic moleſta ſunt, ſi cui alteri ſuavia videantur, non eſt mirum, multæ enim ſunt hominum peſtes & corruptelæ. Vere tamen talia jucunda non ſunt, ſed his ſolummodo, atque ſic affectis.* Etſi igitur multæ ſint hominum peſtes & corruptelæ, ut pro bono & jucundo habeant, quæ minime talia ſunt, major tamen, inquit Cicero, hominum pars conſenſu ſuo (ὁμολογουμένως inquit Ariſt. X. Nic. 5. §. 48.) eo delabitur, quo ipſa Natura humana ſeu recta Ratio nos ducit: Ὃ πᾶσι δοκεῖ, τοῦτο εἶναί φαμεν. ὁ δ' ἀναιρῶν ταύτην τὴν πίστιν οὐ πάνυ πιστότερα ἐρεῖ: *Quod omnibus videtur, ita eſſe ſtatuitur. Nec qui communem illam perſuaſionem tollit; probabiliora allaturus eſt*, inquit idem X. Nicom. 2. §. 23. Quantum vero tali conſenſui ac judicio tribuendum ſit, docet Euſtratius ad lib. I. Nicom. c. 7. §. 25. his verbis: Χρῆται δὲ καὶ τούτῳ τῇ κοινῇ ὁμολογίᾳ ὡς αὐτοπίστῳ. ἔνθα γὰρ κοινῶς ὁμολογεῖται, τίνος χρεία ἔχει ἀποδείξεως, hoc eſt: *Utitur vero in hoc communi conſenſu, utpote ex ſe fide digno, nulloque extrinſecus ad confirmationem indigente. Nam ubi quid communi conſenſu probatur, quid in eo opus demonſtratione eſt?*

Qua de cauſa) Non ſpectanda eſt ſola auctoritas dicentis, ſed rationes expendendæ ſunt. Ineptiſſimum enim illud fuit Pythagoreorum, Αὐτὸς ἔφα, a veritate magis abducens, quam ad illam ducens.

Sic

Digitized by Google

Sic aliorum judicio) Nam negligere, quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis, ſed etiam omnino diſſoluti eſſe dicebat ſupra c. 28.

Quæ vero more) Sæpe conſuetudo regionis alicujus, aut nationis certum vivendi modum nobis præſcribit, in quo το πρεπον ibi conſiſtere creditur. De his inquit non tradi præcepta; ipſa enim inſtituta & conſuetudines tales præceptorum, ac quarumdam legum inſtar & vim habent. Et quamvis forſan magni nominis Philoſophi in his mutandis, aut corrigendis aliquam ſibi licentiam ſumſerint, hactenus tamen illos imitandos nobis non proponemus. Compenſarunt enim hos ſuos nævos excellentibus aliis donis, indeque veniam conſecuti ſunt. Socrati præcipue vitio datur, quod cum alia inveterata inſtituta cavillatus, tum quoque in religionis negotio res novas molitus fuerit: qua de re hic legi poterit Petr. Marſus. Defendunt Socratem ejus Diſcipuli Plato in Apolog. & Xenophon de Dict. & Fact. Socr. memorab. Ariſtippus pluſculum voluptati tribuebat, & conſuetudine utebatur meretricum. Præcipue autem deteſtatur Cynicos, quod licet morum culturam aſperrimis ſtudiis quæſiverent, nonnulli τον κυνισμον συντομον επ' αρετην οδον, *Cynicorum philoſophiam compendioſam ad virtutem viam* dixerunt; propter infamem tamen inverecundiam penitus ſint ejiciendi, quo vitio nihil magis adverſari honeſtati recte adſerit.

Eos autem) Officiorum regulas tradit, vel potius repetit, qua obſervatione virtute præſtantiores, ſuperiores, ſeniores, cives aut peregrini excipiendi ſint.

Publice venerit) Veluti Legatus aliquis. Hinc paulatim placuit gentibus peculiaria Legatis officia exhiberi, & ſingularia jura aut privilegia tribui: de quibus Grot. lib. II. de I. B. P. cap. 18.

Ad ſummam) Generali præcepto ſuperiora comprehendit, omnia illa officia eſſe colenda & exhibenda, quæ ad Societatis humanæ neceſſitatem, amicitiam ac ſalutem faciunt.

CAPUT XLII.

IAm de artificiis) Pergit hic docere, quatenus in artificiis, & quæſtibus Decorum, vel Indecorum ſit. Non vero hoc Decorum ubique tale eſt, de quo ſupra locutus eſt, quod ipſius Honeſti naturalis ſit conſequens, ſed quod pertinet ad Honeſtum ex opinione hominum tale. Ita naturaliter tam honeſtus & bonus poteſt eſſe textor, quam conſul. At ſi hic telam ordiri, ille Reipublicæ proſpicere velit, utrumque indecorum foret.

Primum) Portitorum, & Fœneratorum quæſtus quandoque non tam illiberales, quam famoſi habentur, & ſi qui ſint ejus notæ alii homines ſimili modo καπηλευτικην exercentes, exoſi omnibus propter avaritiam. In his igitur deprehendere licet non ſolum indecorum opinione, ſed etiam natura tale. Portorium ſignificat non tantum quod in portu, ſed & quod pro exportandis mercibus in tranſitu pontis vectigal ſolvitur l. 60. §. 8. ff. locat. l. 203. ff. de V. S. Unde, qui hoc vectigal publicani redemerunt, Portitores dicuntur. De Fœneratoribus plura ſcripſimus ad Grotii de I. B. P. lib. II. c. 12. §. 20. & 21. Ariſt. I. Polit.

Illiberales) Deſcribit, qui illiberales quæſtus ſint, puta ſi rebus neceſſariis operam, & corporis noſtri uſum pro mercede alii conducant, ſine artis reſpectu, ut quam nullam vilibus ſuis operibus impendunt. Itaque ſervitutis quoddam merces illa auctoramentum videtur. Liberales artes ſunt, quia libero homine dignæ ſunt. Sen. ep. 88. Sed & liberalia ſtudia *Humanitatis* nomine veniunt ab effectu. Gell. lib. XIII. c. 15. Addatur Galenus Oratione adhortatoria ad artes, & Io. Wovveri Polymathia.

Non quorum) Pictores, aurifices, ejuſque generis alii multum artis non liberalis adhibentes excipiendi eſſe videntur.

Sordidi) Nam & in his avaritiæ vitium latet, quam ut expleant, utuntur mendaciis & fraudibus.

Nec vero) Καθ' αὑτο το μεν ψευδος φαυλον και ψεκτον. *Per ſe ſeu ſua na-*

tura mendacium turpe, & vituperandum eſt. IV. Nic. 7. §. 11. ſed hoc ipſum jam ſupra tetigimus.

Opificesque) Quicumque verſantur opifices vel in re ſordida, vel voluptatum miniſterio mancipati ſunt, illiberales habendi. Iſti enim ſi ingenui eſſent, aliis in ſtudiis eſſent occupati. Hi vero intemperantiæ, & luxuriæ libidinem promovent. Add. Car. Sigon. de Ant. Iur. civ. Rom. l. II. c. 12. pr.

Nec vero quidquam) Artes, quæ infimæ notæ ſunt, & appellantur ſordidæ (βαναυσικαὶ) infames ſunt, & merito in civitatibus non magni fiunt. Xenophon. lib. V. de Admin. Dom. Idem confirmat Ariſtoteles, niſi ſui, vel amicorum gratia, vel ob virtutem exerceantur; tunc enim hoc illiberale eſſe negat. VIII. Polit. c. 2. Romulus, cum primitus Remp. conſtitueret ſellularias artes ſervis commiſit. Dion. Halic. lib. II.

Saltatores) Quatenus libidini & molitiei inſerviunt. Si enim corporis agilitas, & membrorum commodus motus eo ſtudio quæratur, non videtur illud improbandum. Etſi enim præcipua cultura animo, aliqua tamen & corpori debetur. Ceterum Cicero ſine dubio ſaltatores illos intelligit, qui in theatro & ſcena ſuam artem profitebantur.

Totumque ludum) Add. tit. ff. de Aleatoribus. Sed quinam ſunt φοιτηταὶ iſtius ludi? ſine dubio otioſi, ignavi, luxurioſi, prodigi, molles, crapulæ addicti, lenones, ganeones, ejuſque farinæ alii. Laudatur hic Manutio Thomæ Leonici dialogus de Talorum jactu.

Quibus) Ita videtur συλλογίζειν. Quibus artibus aut prudentia aliqua major ineſt, aut major utilitas, ut non ſibi ſolum, ſed Reipublicæ proſit, αὐτάρκειαν ejus explendo, illæ ſunt liberales, & laudabiles. Subſumit jam de Medicina, Architectura, omnis generis honeſta Doctrina, Mercatura magna, modo dolus ab hac abſit, cumprimis Agricultura. Cato de Re Ruſt. *Eſt interdum præſtare populo mercaturis rem quærere, ni tam periculoſum ſiet*. Vide Car. Sigon. de Ant. Iur. civ. Rom. lib. II. cap. 10. pr. Mercaturam tenuem hinc ſegregat, quod avaritiæ videatur vicinior. Magnam mercaturam tum maxime laudandam eſſe putat, ſi non totam vitam quæſtui inhiet, ſed lucro bene parto contentus vitæ tranquillitati ſe dedat mercator; neque tali idem eveniat, quod Alphio fœneratori apud Horatium Epod. 2.

Hæc ubi locutus fœnerator Alphius,
Iamjam futurus ruſticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam;
Quærit Calendis ponere.

Vbi etiam inſignis vitæ ruſticæ laudatio exſtat. Addantur huic argumento rei ruſticæ Scriptores, Cato in præf. de Re Ruſt. Varro de Re Ruſt. cap. 1. ſeqq. & lib. III. c. 1. Colum. præf. lib. I. de Re Ruſt. Plin. lib. XVIII. cap. 1. ſeqq. Virg. II. Georg. verſ. 458. ſeqq. Philo lib. de Agricultura, Max. Tyr. diſſ. 14. Cicero de Senect. & alii.

Non eſt admodum) Vituperanda tamen ex ſententia Ciceronis. Quid ita? Reſpondet Seneca: *Mercator non cogitat, quantum auxilii allaturus mihi, ſed quantum lucri ſibi*, lib. VI. de Benef. c. 14.

CAPVT XLIII.

HOrum autem) Hactenus de Honeſto, ejuſque fontibus: jam illam diſputationem ingreditur, ſi duo, aut plura proponantur honeſta, quodnam ſit præſtantiſſimum, adeoque quodnam ex his ſit eligendum, alterique præferendum.

Quarum una) Pars una honeſtatis & cognitionis, hoc eſt, ſapientiæ vel prudentiæ, ſecundum ipſius ſententiam; qua diverſæ hæ virtutes confunduntur; altera communitatis, hoc eſt, juſtitiæ ſocietates per bonorum & officiorum communicationem conſtituentis, & conſervantis: tertia magnanimitatis, quam & fortitudinem appellat: quarta moderationis, hoc eſt, Temperantiæ, Modeſtiæ, & Ordinis.

Placet) Si jam quædam σύγκρισις, ſeu contentio inſtituatur, utrum ſit honeſtius, ſapientiæ, an juſtitiæ officia exercere, ſi utriſque vacare nequeas, quæritur utra ſint præoptanda? Cicero hic præfert officia juſtitiæ ſapientiæ officiis, non uno argumento. Primum

mum hoc eſt: ſi ſocietas præſtantior eſt vita ſolitaria, etiam illa virtus ejuſque officia præſtantiora erunt, quibus ſocietas continetur, quam illa eſt, qua vita ſolitaria conſiſtit: Atqui verum eſt prius. Ergo & poſterius. Si jam hic diſtincte, uti par eſt, non cum Stoicis confuſe loqui, & σοφιαν a prudentia ſecernere velimus, negari poſſet primum antecedens; qui enim vitam theoreticam vivit, & ſapientia ſua fruitur, licet ſolus ſit, Deus quaſi quidam eſt, ſeu vitam Deorum ſimilem agit, quatenus diviniſſimæ parti, Menti, unice vacat. Legantur hae de re & c. 7. & 8. l. X. ad Nicom. integra. Quod ſi jam pro ſapientia proprie dicta, ſubſtituas prudentiam φρονησιν, quam cum Stoicis rerum expetendarum fugiendarumque ſcientiam appellat, negabitur ſane Iuſtitia unice ſocietates contineri. Quemadmodum enim omnis bona actio, totaque vita practica, ita & juſtitiæ actiones a prudentia reguntur, & ad debitum finem deducuntur. De diſcrimine vero Sapientiæ, & Prudentiæ vide cap. 7. lib. VI. ad Nicom.

Princepſque) Confert hic σοφιαν, & φρονησιν: hanc iſti poſtponit; utramque Iuſtitiæ, velut honeſtiori. Quæ virtus, inquit, continet & Societatem, quæ eſt hominibus cum Diis ſecundum Stoicos, illa eſt præſtantior ea virtute, quæ nil aliud eſt, quam rerum expetendarum & fugiendarum ſcientia: Atqui Sapientia eſt talis virtus; Ergo. Quis hic non agnoſcit Andabatarum digladiationem? nec enim Stoicis, vel Sapientiæ, vel Prudentiæ natura recte ac diſtincte fuit cognita. Nam ut Stoicos, & Ciceronem II. de Legg. hac in re ſequamur, prima ſocietas eſt homini cum Deo, altera cum homine; Illa ſocietas, quæ eſt homini cum Deo, conſervatur officiis pietatis, & obſervantia legum Naturæ: hoc ut fiat, prudentiæ moderatione ubique opus eſt. Et ſi Sapientia ſecundum Ciceronem eſt, quæ hanc ſocietatem continet; cur igitur hanc virtutem officiis Iuſtitiæ poſtponit, quæ, ut ipſe hic docet, ſolum conſervat ſocietatem, quæ eſt inter homines, cum tamen præ hac religioſius ſit colenda altera illa ſocietas, quæ eſt homini cum Deo? Tanti eſt recte ac penitus perſpexiſſe, quæ cujuſque rei natura ac definitio ſit.

Ea ſi maxima eſt) Ex iſtis jam progreditur ita: Si eo nomine Sapientia præſtantior eſt Prudentia, quod præeſt ſocietati, quæ eſt inter Deum & hominem, quanto præſtantior erit illa virtus, quæ omnino eſt communitatis, qualis eſt Iuſtitia? Atqui verum prius ex illorum hypotheſi; Ergo. Sapientia enim, inquit, ſolum contemplatur officia Societatis, Iuſtitia vero exercet. Iam vero quantum πραξις præſtat theoriæ in ſocietatibus, tantum Iuſtitia præſtat Sapientiæ. Atqui πραξις tantum præſtat, ut hæc ſine illa manca ſit cenſenda. Ergo. Minorem pluribus illuſtrat. Quid jam de his ſentiendum? Verum eſt, officia moralia ſuum finem non εν τῃ γνωσει in theoria, ſed πραξει demum conſequi. Interim illa de rebus practicis ſpeculatio, ut & ipſa actionum directio, ſeu moderatio pertinet ad prudentiam. Hæc enim & univerſalium eſt, & ſingularium; novit enim in univerſum, quid bonum ſit, quid malum, quid ſequendum, quid fugiendum, & cauſas quoque illius diſcriminis tenet. Sed & circa ſingularia occupatur, ſic ut in his vim ſuam maxime prodat; adeoque nulla plane actio ſine prudentia recta, aut bona eſſe poteſt. VI. Nic. 7. §. 23. & c. 8. §. 22.

Relinquat atque abjiciat) Prudentia eſt virtus architectonica, quæ omnia ad vitam feliciter degendam recte diſponit & ordinat; ſic ut etiam ſapientiæ gratia hoc agat, ut homo felicitatem civilem adeptus, & extra turbas civiles poſitus poſſit per Sapientiæ ſpeculationes cum Deo ſocietatem colere. Ariſt. VI. Nicom. ult. ſub fin. Quamdiu ergo prudentia hunc finem non eſt conſecuta, & adfectibus, & turbis civilibus vita inquietatur, inepte homo in eo vitæ genere conſtitutus tam profundis ſpeculationibus ſe tradit: veluti Archimedes, qui cum ſciret, Syracuſas obſideri, non tamen animadvertit, eam capi: unde mox a milite Romano oppreſſus eſt. Plutarchus in vit. Marcelli.

Quibus rebus) Argumentatio Ciceronis formula nobis conſueta tali concipi poteſt : Quæcumque virtus majorem alia utilitatem hominibus adfert, ejus officia ſunt honeſtiora alterius officiis. Iuſtitia eſt talis virtus. Ergo. Admiſſa jam *προτάσει* negabitur tamen πρόσληψις. Nulla enim actio, adeoque nec Iuſtitiæ recta eſt ſine Prudentia. Negari alias non poteſt, Iuſtitiæ uſum & officia latiſſime patere, & cum belli, tum pacis negotiis præeſſe, & omnes omnino ſocietates ſuo vinculo & obligatione continere. Notetur autem hic denuo, quam confuſe his Cicero utatur vocabulis, diſtinctos alioqui habitus denotantibus. Hic enim ſcientiam, quam paulo ante Sapientiam appellaverat; & paulo poſt etiam adjungit intelligentiam. Vid. Ariſt. VI. Nic. 3. ſeqq.

CAPUT XLIV.

ATque illi) Quomodo Sapientiam extenuaverit, oppoſita juſtitia, intelleximus. Si igitur ita ſe res habeat, dicas Philoſophos nil aliud fuiſſe, quam otioſos homines, ac ſocietatum humanarum deſertores. Hoc igitur ut tollat, dicit non tam ignavam ipſis fuiſſe vitam, ut nullatenus profuerint aliis, quin id factum eſſe, cum inſtitutione virorum ſæpe principum, a quibus ſalus Reip. penderet, tum librorum ſcriptione, quorum perpetua eſſet utilitas. Ita non ſolum Epaminondam Lyſias, Syracuſium Dionem Plato, Alexandrum M. Ariſtoteles, ſed & Periclem Anaxagoras, Alcibiadem Socrates, Timotheum, & complures alios principes viros Iſocrates, Africanum Panætius, Auguſtum Athenodorus, Neronem Seneca, multique multos alios inſtituerunt. Quam enim non ſolum utilis, ſed & neceſſaria ſit viro Principi eruditio, peculiari libro poſt Plutarchum oſtendit M. Antonius Natta Aſtenſis. Ceterum, qui vel viros principes, vel juventutem erudiunt, iiſque ſtudiis & artibus imbuunt, quibus idonei reddantur ad Rempublicam bene adminiſtrandam, plurimum profecto ſocietati hominum ipſique Reipublicæ proſunt, ſic ut vix alii de bono publico his rectius mereri queant. Nam ſuas artes & præcepta hi Magiſtri non petunt ex vulgi aut more quovis aulico, ſed ſapientiæ & prudentiæ penetralibus, docentque adeo, quomodo his omnium hominum & ordinum mores ſint componendi, & voluntati divinæ, cujus gloriæ primario omnia ſervire debent, conformandi. At inquiunt nonnulli, nihil fieri poſſe ineptius, quam ſi illi erudiendo Principi, aut Magiſtratibus futuris præficiantur, qui nullum rerum uſum habent, omnemque ætatem in otio, & umbra contriverunt. Nos equidem ignoro, quantum ad res civiles recte peragendas conferat experientia; nec tamen ita omnino ab hac eſſe deſtitutos crediderim omnes eos, quos umbraticis forte doctoribus annumerare vulgus ſolet. Præterquam enim quod prudentia univerſalium poſſint eſſe inſtructiſſimi, non quoque fugere eos poteſt prudentia ſingularium, qui & norunt, & conſueverunt hiſtoricorum monumenta

Nocturna verſare manu, verſare diurna.

Qui ergo Doctores juventutis in Scholis cum aliis, tum inprimis regiis, tam ſuperba & immiti cenſura ad trivialem pulverem damnant, vel ii ſunt, qui nulla in re alia, quam regum, aut principum gratia præſidium habent, nulla eruditione vel virtute genuina ſuffulti, quorum præcox judicium a contemtu profectum æquo animo ferri, & viciſſim contemni poteſt. Viderint illi, quam vel omnino ſint beati, aut quamdiu ſint beati futuri. Viderint illi, qui opinione ſua ſunt ita felices, an quoque ſint apud Deum in gratia: de qua plerique tanto minus laborant, quo magis de fragili principum gratia ſolliciti ſunt. Quod ſi vero ab iis vilipendium Doctorum proficiſcitur, qui, quidquid ſolidi didicerunt, induſtriæ, fidei, ac eruditioni magiſtrorum fere debent (nam nonniſi perpaucis contigit, *αὐτοδιδάκτοις* ſeu *abſque magiſtro* proficere) nec ſe ſatis noſcunt, nec ſummum præceptorum beneficium agnoſcunt, ſed pro eo animum ingratum impie reponunt. Vſque adeo faſcinat animos, & homines alioqui ſatis intelligentes demen-

Digitized by Google

mentat honorum, & aulicæ φαντασιας ſplendor! Scilicet ita multi cogitant, præceptores ſuos tam puſilli eſſe animi, & omnino ad res gerendas ita imparatos, ut ne quidem honores civiles adſectare auſint, nec enim credibile eſſe, alii ſi ſint, quod libenter velint in deſidioſa vita Scholaſtica conſeneſcere. At ſicut non deſunt, qui ex eo vitæ genere vocati ſummis rebus præfuerunt, & magno Reipublicæ bono dexterrime, & feliciſſime eas tractarunt; ita ſane ſunt, quos ipſa vitæ tranquillitas delectat, & ita ſatiat, ut nec opum nec honorum quidquam amplius deſiderent. Qui ſi interea mandato munere ſedulo defungantur, eſt hæc profecto *αυταρκεια* majori laude digna, quam Alexandri ambitio, Craſſi avaritia, Luculli luxus. Plerique tamen, qui vitam πρακτικην fugiunt, viri docti, id ea potiſſimum cauſa faciunt, quod illam præ aliis accuratiſſime calleant, & perſpectam habeant. Horrent illas voces & actiones, quibus inverecunde ſignificatur, Rempublicam ſine injuria regi non poſſe: deteſtantur fraudes & dolos, quibus publice boni jactura privatum compendium quæritur: damnant pernicioſiſſima conſilia, quibus Principes, & eorum ſubditi inopinato in calamitoſiſſima tempora, aut bella præcipitantur: exſecrantur proſcriptionem juſtitiæ, ambitum, peculatum, aliaſque ejuſmodi peſtes: averſantur invidiæ, æmulationis, & calumniæ tela: faſtidiunt dulce adſentationis venenum, declinant conſuetudinem fallacem ſoricum aulas perreptantium: inſidiis candorem, periculis ſecuritatem, intricatis turbis vitam tranquillam, malæ conſcientiæ bonam, inani gloriæ veram, hominum inſtabili gratiæ perennem Dei præoptant; maluntque eſſe, quam videri, bene latere, quam magnis vitiis, impune licet in hac vita, conſpicui eſſe. Itaque, ut ait Seneca, qui infeliciter aulam adiit in Agamemn.

---- Quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura levat:
Modicis rebus longius ævum eſt.
Felix, mediæ quiſquis turbæ
Parte quietus, aura ſtringit
Littora tuta, timiduſque mari
Credere cymbam, remo terras
Propiore legit.

Atque huic addemus recentioris aulici ſententiam, viri longe prudentiſſimi Busbequii ex ejus epiſt. 4. *Mihi quidem vita aulica uſquequaque cordi non eſt. Notæ mihi ejus ærumnæ. Falſo ſplendore multæ ejus miſeriæ obtenduntur. Fuci in ea multum, candoris parum eſt. Nulla eſt aula, quæ vacat invidia, in qua non deſideretur amicitiæ fides, ubi voluntatum mutatio, & ſubita ruina metuenda non ſit. Nam principes & ipſi homines ſunt. Vidi, qui centum amicis ſtipatus regiam adierat, irato rege, vix cum uno comite domum rediret. Aula vera bona non novit, niſi ſero. Vmbris, fama, ſpecie, fallaciis, errore populari ducitur. Vt eos fortunatos dicere non dubitem, quibus illa cito, & cum parvo incommodo defungi datum ſit. Optabile eſt ſibi poſſe vivere, & Muſis, & cum paucis, & non fallacibus amicis, in agelli angulo conſeneſcere. Aut nulla eſt in hoc terreſtri exilio, aut ea demum vera vita eſt. Nimium quantum ſæpe pluris fiat in aula nobilis ſcurra, quam vir bonus: ut non abſurde boni viri inter aulicos ſpeciem oculis ſubjeciſſe videantur, qui aſinum pinxerunt inter ſimias.* At ubi aliæ ſunt aulæ, aliique mores juſti honeſtique tenaces, obtinent; ibi, ut ait Seneca in Octav.

Pulcrum eminere eſt inter illuſtres viros,
Conſulere patriæ, parcere adflictis, fera
Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo:
Hæc ſumma virtus, petitur hac cælum via.

Ob eam) Muta illa Sapientia, qua quis ſolus fruitur, ſeque ſua contemplatione oblectat, non ſolum Iuſtitiæ, ſed Eloquentiæ prudenter ſuum munus exſequenti poſtponit. Quidquid enim non ſolum poſſeſſori, ſed & communitati prodeſt, illud præſtantius eſt eo, quod nonniſi poſſeſſori prodeſt, & in ſe vertitur: Eloquentia eſt talis facultas. Ergo. Notæ ſunt de Amphione, Orpheo, Mercurio, aliiſque fabulæ, quibus Eloquentiæ vim Poetæ voluerunt depingere. Videtur autem Cicero cum Iuſtitia velle Eloquentiam conjungere,

quod utriuſque vinculo ſocietates humanæ contineantur: qua de re etiam initio hujus libri. Et Ariſtoteles I. Pol. 2. hanc ob cauſam ait: *Orationem inventam eſſe ad declarandum, quod prodeſt & obeſt; adeoque etiam juſtum & injuſtum*. Deinde Iuſtitiam, & Eloquentiam vult copulari Sapientiæ; alias hujus ſolius in vita civili nullum fore uſum.

Atque ut apum) Pergit hoc ſimili docere, homines non tam neceſſitatis vel indigentiæ ſublevandæ cauſa, quam ipſius naturæ inſtinctu in Societates coiiſſe. Etſi autem veriſſimum ſit, hominem natura eſſe ζωον κοινωνικον, vel juxta Ariſtotelem πολιτικον; hunc tamen inſtinctum a Natura accepit cum ob alios quoſdam præcipuos fines, tum etiam ut mutuas ſibi operas præſtarent, & indigentiam explerent. Ariſt. III. Polit. 4. & I. Pol. 2. p 8. ita diſſerit: *Quod homo ſit magis animal πολιτικον natura, quam eſt apis κοινωνικον*. Et paulo poſt ait: *Qui vero non poteſt Societatem cohere, ſive nihil indiget ſociis, quia ſibi forte ſufficiat, is civitatis pars non erit; ſed vel beſtia, vel Deus*.

Itemque magnitudo) Adſerit Iuſtitiam quoque anteferendam eſſe Fortitudini, quod hæc ſine juſtitia potius quædam ferina immanitas, quam virtus ſit habenda: id quod paſſim etiam in ſuo de I. B. P. opere Grotius, cumprimis in ejus prolegomenis demonſtrat, ubi cauſas exponit, quibus inductus illud opus conſcripſerit.

Ita fit) Hæc concluſio ad præcedentem quæſtionem pertinet, Communitatum, hoc eſt, Societatum copulam Iuſtitiam meræ contemplationi Sapientis eſſe præferendam.

Nec verum eſt) Imo inter alia hoc veriſſimum eſt. Etſi enim, uti ait, virgula divina cuique omnis αυταρκεια ſuppeditaretur, tamen hominem hominis, & Societatis cupidum fore certum quoque eſt. Interim tamen quia bonorum αυταρκεια non ſuppeditatur nobis virgula divina, hinc a Natura inſtinctum homo accepit κοινωνιας: illum vero, cum ob alios fines, præprimis ευπραξιαν, tum etiam propter indigentiam explendam mutuis opibus operiſque Ariſtoteles, unde ſua forte depromſit Cicero, triplicem Societatis finem conſtituit, Vivere, Bene vivere, Tuto vivere III. Pol. 4. Inter alia hæc habet ex aſſe reſpondentia Ciceronianis p. 157. *Dictum eſt*, inquit, *hominem eſſe natura animal civile. Qua de cauſa homines, non egentes etiam mutuo præſidio, non minus appetunt ſimul vivere. Nec tamen non communis quoque utilitas cogit, quanta pars cadit in unumquemque vel vivendi, vel bene vivendi. Maxime igitur hic eſt finis, & communiter omnibus, & privatim*. Eod. lib. III. Pol. c. 6. dicit, quod Civitatis finis ſit, το ευ ζην, quod ita explicat, ἡ του ευ ζην κοινωνια, και ταις οικιαις, και τοις γενεσι ζωης τελειας χαριν και αυταρκους. *Bene vivendi communio, & domibus, & familiis eſt vitæ perfectæ, & ſuis rebus contentæ gratia*. Ceterum eodem c. 6. p. 267. Ariſtoteles videtur Ciceroni favere, quando dicit, civilem Societatem Naturam intendere, non vivendi ſolum cauſa, ſed potius bene vivendi, neque in eam homines coiiſſe ſocietatis bellicæ cauſa, ne ab ullo injuriam accipiant: neque propter commercia & uſum mutuum. Vbi videtur comparate loqui Philoſophus, hoc modo: Civilis Societatis finis non tam conſiſtit in vivendo, aut una vivendo, aut in tuto vivendo, aut indigentiam per συναλλαγματα varia ſublevando, quam in τῳ ευ ζην: quod etiam appellat ζην κατα προαιρεσιν. Illud ευ conſiſtit in virtute; ευπραξια igitur eſt primarius Civitatis finis a Natura præſtitutus. Reliqui igitur fines ſunt minus principales, & primario illi fini ſubſervientes. Add. Cl. Conringii diſp. de Cive & Civitate th. 44.

Ergo) Denuo concludit, officia Iuſtitiæ honeſtiora eſſe Sapientia, & mera Intellectus cognitione.

CAPVT XLV.

Illud forſitan) Pergit quærere, an publica Civitatis utilitas, quæ potiſſimum per Iuſtitiam promovetur, ſemper ſit præferenda Temperantiæ, Modeſtiæ, & Verecundiæ; quoquo etiam illa obtineatur modo? Negat Cicero; non enim eſſe facienda mala, ut eveniant bona, fœda & obſce-

Digitized by Google

na non eſſe perpetranda, boni publici aut privati cauſa; iis enim artibus Iuſtitia uti neſcit, neque his præſidiis ad Societatum conſervationem indiget, quin potius illa deteſtatur & damnat. Hac de re ita pronuntiat Ariſtoteles III. Nicom. 1. §. 19. *Sunt nonnulla ejuſmodi, ut fortaſſe nulla vi, aut neceſſitate coacti ea agere debeamus, utque potius mors nobis ſit oppetenda, graviſſimique cruciatus perferendi*.

Hæc igitur) Res turpes nemo Reipublicæ cauſa ſuſcipiet, neque tali ope indigebit umquam, eamve expetet a quoquam. Qui enim revera poſſit eſſe cuiquam utile, quod turpe ſit? Et quacumque ratione a Iuſtitia utilitati publicæ conſulitur, Temperantia, aliæque virtutes ne minima quidem parte læduntur: Virtus enim virtuti non eſt contraria.

Quare) Concludit alteram hujus libri partem, qua officia inter ſe contendit, breviter repetens, præſtantiſſima eſſe illa officia, quibus ſocietas humana continetur: præſtare item cognitione actionem; & hanc illam ſequi, adeoque γνώσεως finem eſſe πρᾶξιν. Ex his jam putat facile poſſe dignoſci gradus honeſtatis reliquorum officiorum, & repetit quædam ex ſuperioribus, uti Iuſtitiæ, ita aliarum virtutum officia pari ratione modo majora, modo minora eſſe. Ita quod Deo exhibemus officium pietate ac veneratione, præſtantiſſimum eſt: proximum quod patriæ, tum quod parentibus, atque ſic deinceps. Vide Gellium de Officiorum gradu, & ordine ex moribus populi Romani obſervato lib. V. Noct. Att. c. 13. & quæ ſingillatim ſupra de his a nobis fuerunt tradita. Addatur noſtrarum Inſt. Iuriſpr. lib. I. tit. 44.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS DE OFFICIIS LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Quemadmodum) Primo quidem ea, quæ ſuperiori libro tractavit, repetitione obſignat. Mox, de quibus jam ſit dicturus, proponit.

Quæ pertinent) Univerſus mundus cum omnibus rebus creatis a Deo hominis, homo autem hominis, & cumprimis Dei cauſa eſt conditus. Ne quid igitur vel ad neceſſitatem vitæ, vel commoditatem, & *ευποριαν* ſeu *αυταρκειαν* deeſſet, infinita ſubſidia rerum Deus ſuppeditavit, quibus ad ſuam felicitatem promovendam homo uti poſſit. Cumque Deus & Natura nihil faciant fruſtra, nulla quoque creatura nimium vel vilis, vel ſuperflua nobis videri debet; Deus enim uti nil fruſtra fecit, ita nec quidquam male, aut vilipendio noſtro dignum. Tolle igitur vel unicam creaturam, cujus aliquis uſus eſſe poſſit Homini, & Mundus imperfectione laborabit. Impium vero fuerit, ſapientiſſimum Creatorem imperfectionis aut defectus alicujus arguere: qualem calumniam architectus aliique artifices ne quidem in ſua fabrica tolerant. Atque hæc, vel omnia, vel pleraque utilium bonorum nomine venire ſolent: quod a Providentia Divina illam facultatem acceperint, ut poſſint & debeant tamquam varii generis inſtrumenta ad felicitatem Hominis adquirendam, exercendam, atque ornandam adhiberi. De quibus utilibus bonis cum admodum abjecte ſentirent Stoici, Deum ipſum, & creaturas illius criminantur, nec ſatis divinæ Providentiæ immenſam bonitatem, & admirabilem ordinem perſpexiſſe videntur.

Quamquam) Antequam illa ipſa officia circa res utiles uſurpanda explicet, rationem tradit ſui inſtituti. Libro enim primo inculcaverat, etiam hoc nos *πρεπον* obſervare debere, ut certum vitæ genus & ſtudium deligamus, & quidem quod Naturæ noſtræ inclinationi, vitæ generi, ac dignitati ſit conveniens. Vitio igitur quis Ciceroni in foro, curia, & honoribus hactenus verſato verteret, quod, omiſſa Reipublicæ cura, Philoſophiæ ſe tradiderit. Hujus igitur rei rationem hic tradit, & mutationem hanc tanto minus eſſe reprehendendam, quod tempore adjuvetur; quemadmodum ibidem ſuperiori libro hac *προφασει* ſuum inſtitutum defendit.

Actiones noſtras) Wolfius potiſſimum intelligi putat Orationes in Senatu, foro, aut pro concione habitas. Quam explicationem niſi mox ipſe Cicero adjuvaret, ego potius hoc acceperim de rebus geſtis, quod Cicero luculentius etiam res a ſe geſtas pro ſua gloriæ cupiditate extrema ætate literis mandare conſtituerit, quarum poſt obitum illius alius vix meminiſſet.

Ut ſæpe fecimus) Libris de Conſulatu, & Temporibus ſuis.

CAPUT II.

Sapientia) Non immerito *σοφιαν απο της φιλοσοφιας* videtur diſtinguere. Etſi enim Pythagoræ modeſtia pepererit nomen Philoſophorum, ipſa tamen rerum divinarum & humanarum ſcientia, rectius *σοφια* dicitur, quam *φιλοσοφια*. Illud enim *το φιλειν της φιλοσοφιας* reſpectu implicat ad ipſum *τον φιλουντα*, eſtque acceſſorium Sapientiæ. Ipſa autem *σοφια* abſtracte definienda eſt. Ejuſmodi autem definitionem ponit, quæ non conte-

Digitized by Google

nnenda eſt. Etſi enim definitum ſit ale, quod plurimorum habituum :ϑροισμον comprehendat, adeoque pro ccurata definitione admitti nequeat, omplectitur tamen hic, & theoretias & practicas ſcientias, earumque auſas.

Qui ſemper) Philoſophos cumprimis racticos laudat, & ſtudii practici uilitatem & oblectationem commenlat.

Aut hæc ars) Vel Philoſophia, quam ic ακυρως & παχυλως Artem appelat, vera animi medela, & in aderſis conſolatio eſt, aut nulla res lia. Iam vero ſi minimarum rerum, exendi, ſculpendi, & ſimilium artes int, qui non Philoſophiæ mentiſue virtutum aliqua ars ſit & mehodus, cujus adminiculo animum in dverſis ſuſtentare ac refocillare poſmus.

Si autem) Υποθετικως colligit, eſſe uoque virtutis Artem ſeu diſciplinam, quam vulgo ηθικην, Ariſtoteles ολιτικην latiori ſignificatione appelat. Iam vero unde hæc Ars parabiur, niſi Philoſophiam adeamus, cuıs hæc magna atque utiliſſima pars ſt? Addantur his Boethii libelli *de onſolatione Philoſophiæ*, & Sadoletus *e Laudibus Philoſophiæ*.

Occurritur) Amoliri ſtudet jam aleram objectionem. Dicat enim quis: um tu, Cicero, ſis Academicorum nus, quorum ſecta nil certo ſciri, ed ſolum probabiliter de rebus coligi poſſe ſtatuerit, qui fixas officioum regulas tradere poteris? Huic uidem reſpondet, at minime ſatisacit. Primum itaque dicit, ſe non ſſe novæ Academiæ addictum, quæ καταληψιαν ſtatuebat, multo minus yrrhoniis, qui omnem rerum deletum tollebant, ſed Academiæ veterei, quæ adhærebat, alia eſſe probailia, modeſtiæ ſtudio; nam alia cera, alia incerta, ſeu vera & falſa ronuntiare, arrogantis eſſe: Sibi iitur eamdem placere modeſtiam, deoque vitio verti non poſſe, ſi id ı vita ſequatur, aut ſequendum doeat, quod ſibi veriſimile videatur. tque hac ratione mori, inquit, Aademici, omnia in dubium vocant, t ita utrinque collatis argumentis eritas eliciatur. Verum ſi exactius conſideremus, quid ſit πιθανον, videlicet probabile argumentum, opinionem in animo hominis gignens, hæc autem cum formidine oppoſiti ſit conjuncta, atque hactenus dubia, profecto uti rectiſſime hoc Ciceroni objectum, ita minime recte ab illo reſponſum fuit. Nam in vitæ regulis non licet nobis ita fluctuare, ſed certa præcepta, & leges Naturæ cumprimis ſequi, quas nonnulli κοινας εννοιας, & προληψεις appellabant. Ceterum grandem hunc errorem plurimi adhuc moralis Philoſophiæ Scriptores errarunt docentes, nullas in ea demonſtrationes dari, ſine quibus nulla Scientia parari, aut conſiſtere poteſt. Relinquitur igitur, ut vel hæc ignorent, vel opinentur. Si meras opiniones in vita morali ſequuntur, nihil certo ac indubitato honeſtum aut turpe erit, quod eſt abſurdiſſimum. Præterea illi ipſi recentiores, ubi de conſcientia dubia docent, ſibi quomodo non contradicant; vix video. Si enim peccat, qui dubia conſcientia quidquam agendum ſuſcipit, nec tamen materia moralis mere contingens, uti illi docent, αποδειξεις, ſed ſolum veriſimilem ac dialecticam diſputationem admittit, ſemper opinionibus, hoc eſt, argumentis huic, aut illi veriſimilibus, cum dubitatione tamen conjunctis, inducti agent. Sed quot, quantorumque errorum puerpera ſit Probabilitas, optime cognoſci poteſt ex Lud. Montaltii Epiſtolis, quibus Ieſuitarum Civilem, & Moralem Philoſophiam percenſet. Secundum hos enim Probabilitatem variis modis laxantes, nullum ſcelus tam nefarium, aut horribile eſt, quod non Probabilitatis fuco incruſtatum, Honeſti ſpeciem mentiri poſſit. Sed hanc maximi momenti rem cum alias plenius, & accuratius diſputaverimus *Examine noſtro Probabilitatis Ieſuiticæ*, ille libellus noſter conſuli, & cum fructu legi poterit.

Tibi autem) Repetit προκαταληψιν, initio primi libri poſitam, ne videatur noctuas Athenas mittere. Etſi, inquit, tu Peripatetica dogmata jam amplexus fueris, duce Cratippo, hunc tamen a veteribus Academicis non multum recedere velim exiſtimes. Hi enim finitima Peripateticis tradiderunt,

Digitized by Google

runt, & ipſe Ariſtoteles plurima, ut dicam pene omnia ab illis accepta, & methodo peculiari concinnata, ſua fecit. Obiter notari poſſunt elogia, quæ Peripateticæ Philoſophiæ tribuuntur, cum qua adeo non meretur conferri, nedum ei anteponi illa nudius tertius nata: quam licet avide arripiant οἱ νεωτερίζοντες, nubem pro Iunone in amplexu ſe habere vix demum ſero agnoſcunt, male memores, Philoſophiam Peripateticam ſubtiliſſimorum hominum ingenio elimatam eſſe, ac tot ſeculorum ſive æmulas, ſive acerbas cenſuras ſuſtinuiſſe.

CAPVT III.

QVinque) Repetitis quinque hujus Operis partibus, dicit, ſe jam de tertia, Vtili, acturum. Illæ vero partes ſunt, quid ſit Honeſtum, tum quid ſit altero Honeſtius, aut honeſtiſſimum: quid Vtile, & quid altero utilius vel utiliſſimum: denique ex his quid ſit aliis præferendum.

Quam quidem) Tertium officiorum librum præprimis commendat, quod iſthic judicio & prudentia maxime opus ſit.

In quo verbo) Accuratiſſima conſideratione indiget illud a Cicerone ὑποθέσεως loco poſitum principium Stoicum: *Nihil eſſe revera Honeſtum, quod non idem ſit Vtile: Nec vere quidquam eſſe Vtile, quod non idem ſit Honeſtum*; ſic ut, ſi ab Honeſto ſecernatur Vtile, nulla pernicies major hominum vitæ, ipſo arbitrante, adferri poſſit. Vtriuſque igitur boni, & Honeſti, & Vtilis natura cumprimis inveſtiganda eſt; imo an omnino utile, qua tale, ſit bonum, nec non quale illud ſit bonum, quaque parte ab aliis differat, merito limatiorem diſquiſitionem meretur. Nec enim abſque hac vel de Hypotheſeos, vel dogmatum, quæ huic ſedimento ſuperſtruxit, veritate nobis conſtare poteſt. Quia autem Boni θεωρίαν Metaphyſici fere ſibi vindicarunt, ex illorum ſcientia quædam ſupponemus. Quando enim Ariſtoteles principio Operis Nicomachii, & I. Rhet. 6. & 7. bonum dicit eſſe, οὗ πάντα ἐφίεται, *quod omnia expetant*; non definire illud, ſed ex veterum conſenſu & hypotheſi deſcribere voluit. Non enim aliquid bonum eſt, quia appetitur; ſed quia appetitur, jam tum bonum eſt. Quemadmodum ergo illi exiſtimant, boni generaliter conſiderati communis aliqua formalis ratio vix dabitur: adeoque dividendum eſt, quatenus aliquid vel in ſe bonum eſt, vel alteri; ſic ut poſterius ſemper intelligatur cum σχέσει, ſeu reſpectu ad alium. Boni in ſe conſiderati formalem rationem conſiſtere ajunt in perfectione ineſſe debita. Perfectum autem id dicitur Ariſt. V. Metaph. c. 16. extra quod non poſſis ullam accipere particulam. Bonum alteri ita appellatur, quatenus alteri conveniens eſt, aut videtur: adeoque illius formalis ratio in convenientia conſiſtet. His ita poſitis, ad examen illius diviſionis accedimus, qua Bonum diſpeſcitur in Honeſtum, Vtile, & Iucundum: quam Philoſophus II. Nic. 3. §. 14. item ad Appetitum refert. Tria, inquit, ſunt quæ ſequi & expetere ſolemus, Honeſtum, Vtile, Iucundum. Tria contraria, quæ fugimus, Turpe, Inutile, Moleſtum. Vbi protinus notandum, partes has dividentes non ſemper ſubjecto diſtingui, ſed ſæpe in eodem convenire; nec tamen hinc colligendum eſt, ac ſi nulla ratione inter ſe differant, cum hoc ipſius ſubjecti conditioni tribuendum ſit, ſi quando in eo concurrant. Ita v. g. actiones virtutis ſunt & honeſtæ, & ad felicitatem indipiſcendam utiles: jucundas quoque eaſdem eſſe, non ſinit quemquam ambigere Magiſter noſter I. Nic. c. 8. §. 10. ἑκάστῳ ἐστὶν ἡδὺ πρὸς ὃ λέγεται φιλοτοιοῦτος. *Cuivis dulce aut jucundum eſt, cujus ille amans, ſtudioſus aut cupidus eſſe dicitur.* Cui igitur virtus cara eſt, φιλάρετος, *virtutis ſtudioſus*, dicitur. Et §. 21. *Non eſt vir bonus, qui honeſtis actionibus non delectatur.* Etſi vero hoc ſæpe, non tamen ſemper & in omnibus ſubjectis contingit. Sanitas enim etſi ſit utilis, & jucunda, adeoque per ſe expetenda, non tamen honeſtorum bonorum cenſu venit. Pharmacum febricitanti utile quidem eſt, non honeſtum, & raro jucundum. Sed hanc differentiam rectius perſpiciemus, ubi ſingularum partium naturam indagaverimus. Experientiam ſi conſulamus, vide-

Digitized by Google

videtur id homini bonum eſſe, quod conveniens illi ſit ad ſui conſervationem, imo quod non ſolum ad eſſe ſuum, ſed & bene eſſe pertineat. Conſtat vero ex duabus præcipuis partibus Homo, Anima, & Corpore, quarum iſta longe præſtantior hac eſt. Quod igitur præſtantiſſimam partem conſervat, ſine dubio præſtantiſſimum eſt bonum: unde frequenter hoc ab Ariſtotele αγαθον abſolute, & κατ' ἐξοχὴν dicitur. Iam quod optimo contrarium, peſſimum eſt ſecundum Ariſt. VIII. Nic. 10. §. 9. adeoque quod illam partem corrumpit, malorum maximum eſt. Porro quæ ad totius hominis conſervationem faciunt, vel ſunt in ipſo, vel extra ipſum. Poſterioris generis ſunt omnia illa, quæ ad uſum illius a Natura, vel Arte ſunt comparata. Quæ enim non propter ſe, ſed propter aliud expetimus, Vtilia appellamus. Hinc Ariſt. VIII. Nic. 2. §. 4. το χρησιμον dicit eſſe δι' ου γινεται αγαθον τι, η ἡδονη, *per quod bonum aliquod honeſtum aut jucundum conſequimur*. Quæ vero in Homine ſunt, vel ad Animam illius, vel Corpus pertinent. Iſta dicuntur Honeſta, quod rationali ejus naturæ talia bona unice conveniant, qualia ſunt actiones virtutum. Quæ ad corpus pertinent, Iucunda fere uſu loquendi dicuntur. Etſi enim & Animi bona non deſtituantur ſua jucunditate, ſpeciatim tamen jam id Iucundum dicimus, quod ſenſui per corpus diffuſo conveniens eſt: aut ſane ſi omnis generis Iucundum ſeorſum hoc membro comprehendere velimus, Honeſtum per abſtractionem præciſivam potius, quam negativam tale dicimus; ſic ut licet nulla illi jucunditas adeſſet, tamen Homini, qua tali, hoc eſt, ratione prædito, conveniens eſſet. Vtriuſque generis bona propter ſe expetuntur, comprobante idipſum Philoſopho c. 2. VIII. Nic. §. 5. *Bonum*, (κατ' ἐξοχὴν ita appellatum, uti paulo ante dixi) *& jucundum amabilia erunt tamquam fines*. Non ſane quod & hoc, uti iſtud, tamquam ultimus finis expetatur; hinc enim illud abſurdum emergeret, eſſe duo ſumma bona. Sed ita jucundum per ſe expetitur, ut in eo quidem tamquam fine terminetur Appetitus, ille tamen imperio Rationis ſit ſubjectus. Etſi igitur recte ita colligas, quidquid eſt Summum Bonum, illud per ſe eſt expetendum; non tamen inferre reciproce licet: quidquid per ſe expetitur, illud eſt Summum Bonum. Quod Bonum eſt, ſui deſiderium & appetitum ciere ſolet. Appetere eſt cum aliquo motu in rem quampiam inclinare, qui motus ceſſat, ubi illam conſecutus fueris. Ille Appetitus vel eſt μετα λογυ, *cum ratione*, vel ανευ λογυ, *abſque ratione*. Cum ratione conjuncta Appetitio vel fertur in bonum finale, vel in tale, quod inſtar medii habet, ac Vtile dicitur: Illa dicitur βυλησις, *Voluntas*, hæc προαιρεσις, Ciceroni *Conſilium*. Sine ratione appetitio Senſitiva dicitur, & fertur in bonum Senſui conveniens, ſeu jucundum, qua tale. Si jam & Voluntas, & προαιρεσις, minime corrupta, ſed in recto Naturæ ſtatu conſideretur, iſta nonniſi honeſtum finem, (hic enim ſolum illi conveniens) hæc nonniſi honeſta Media, vel ſaltem Honeſtati non repugnantia eliget; quatenus ſcilicet ad honeſtatis finem obtinendum ſunt utilia. Hinc ita docemur I. Magn. Mor. 2. *Bonorum alia ſunt fines, alia non*. Sed hic merito quis ita dubitet: Si bonum utile revera eſſet bonum, propter ſe expeteretur; quia enim idem eſt bonum, quod perfectum, nulla res ab aliena perfectione bona denominari poteſt: Iam vero Vtile unice ſui deſiderium excitat, & expetitur propter finem, ut, quidquid bonitatis habeat, ex finis bonitate delibet. Hac de re igitur ita ſentiendum eſt, omnino ita ſe rem habere, ipſum appetentem ſi videas; hic enim utile, quatenus eſt medium ad finem impetrandum idoneum, non alia ex cauſa appetit, quam quod habeat convenientiam ad finem, ut ita ex hujus bonitate per participationem aliquid conſequatur: quemadmodum rhabarbarum ab ægroto expetitur expellendorum vitioſorum humorum cauſa. Interim ſi ipſum utile in ſe ſpectes, qua utile eſt, facultatem in ſe continet, ſemoto hinc appetentis reſpectu ad effectum promovendum, revera etiam in ſe bonum habet: qualis eſt vis expultrix noxiorum humorum in rhabarbaro. Sed, inquis, hæc rerum utilium qua talium, facultas ſine

ſine dubio eſt a natura, & ita ſolum hactenus naturali quadam bonitate æſtimandæ illæ fuerint. Ita vero eſt. Si enim bonum naturale illud eſt, quod cujuſque rei naturæ conveniens eſt, etiam vis expellendi humores in rhabarbaro naturale bonum erit. Ita ſi divitias ejuſque generis alias res videas, prout facultatem continent uſibus finibuſque hominum inſerviendi, naturaliter bonæ ſunt. An igitur, inſtas, utilia bona moralitatis nullatenus ſunt capacia? Sane etſi non minorem facultatem dare videntur, hominibus ut obſint, quam proſint, id tamen ſi fiat, non ex ſe habent. Cum enim nihil fruſtra a Natura ſit conditum, & Providentia divina omnia ad bonum finem ſint deſtinata, facultas illa naturalis, qua talis, videtur nonniſi uſibus commodiſque hominum apta. Si vero aliquando contingat, ut per talium inſtrumentorum abuſum damnum inferatur hominibus, illud unico ipſorum hominum libere, non neceſſitate naturali agentium culpa fit & vitio. Non igitur in ſe ſunt *ἀδιάφορα* hæc Bona, uti exiſtimabant Stoici, ſed potius voluntate noſtra, cujus libertate nobis iis licet uti, & abuti. Ideoque nolebant hæc *Bona* dicere, ſed *Producta*, *προηγμένα*, illorumque contraria non *Mala*, ſed *Rejecta*, *ἀποπροηγμένα*. Itaque iſta non dicunt ſe *Expetere*, ſed *Legere*: nec *Optare*, ſed *Sumere*: hæc autem non *Fugere*, ſed quaſi *Secernere*; uti apud Ciceronem noſtrum IV. de Finib. legimus. Sed hæ quidem ſunt nugæ, quæ parvo, ſi cui arriſerint, pretio veneunt. Quid vero impulit Stoicos, ut ita ſentirent? Hoc nos docet *ὑπερασπιστὴς* illorum Seneca. *Nihil*, inquit Ep. 120. *Bonum nobis videtur, quo quis & male uti poſſit. Nec*, inquit Ep. 118. *niſi cum honeſte adminiſtratæ ſunt, Bona eſſe incipiunt*. Vnde igitur Senecæ tantæ divitiæ, ſi illas non expetiit? Petiit ſcilicet, aut ſumſit, non expetiit. Quare petiit? *non quia Bona ſunt, ſed quia ſecundum Naturam ſunt, & quia bono judicio ſumuntur. Quod erit in illis tunc bonum? hoc unum, bene eligi*, inquit Ep. 92. Hæc verborum ludibria ego optimo jure inter Rejecta illorum referam, & cum poſtremam hanc ſententiam accipiam. Ipſa enim Veritatis vis hanc confeſſionem Senecæ expreſſit, ut, ſecundum Naturam quia nonnullæ res eſſent, veluti ſanitas, robur, ſenſuum integritas, eas ſumeret; Bona tamen negaret, adeoque nec expetere voluerit. Diſtinguere ſcilicet debuerant Stoici inter Naturalem, & Moralem bonitatem. Iſta non ſolum ſanitati, robori, ſenſuum integritati, ſed rebus omnibus a Natura conditis competit, niſi in illam ipſam impius eſſe velis. Imo hoc ſi negent, quomodo tueri poterunt, quæ ex ipſorum ſententia tam magnifice de Providentia Balbus apud Ciceronem II. de Nat. Deor. diſſerit? Moralis autem bonitatis nonniſi natura rationalis, & in ſpecie humana, capax eſt: qua quæ ſunt deſtitutæ res, moraliter nec bonæ, nec malæ dici poterunt; quæ tamen hanc ob cauſam non omni omnino Bonorum cenſu excludendæ ſunt. Quidquid igitur rerum utilium eſt, aptum natum, aut factum eſt, hominum uſibus finibuſque conveniens ſubſidium præſtandi: ut autem reapſe bonis uſibus adhibeatur, aut malis, omne omnino ab humana eſt voluntate liberrime agente. Non igitur divitiæ, ſanitas, robur, & agilitas, firma valetudo, ſenſuum integritas, pulcritudo, gloria, potentia, ejuſque generis alia niſi vitio noſtro mala ſunt: ſeu, ut rectius dicam, non illa unquam mala ſunt, ſed nos, qui vitioſe iis abutimur, mali ſumus. His ita cognitis propius ad Hypotheſeos Stoicæ examen nobis accedere licebit. Primo itaque *ὁμωνυμία* notanda eſt vocis Honeſti. Tale enim non ſolum dicitur, quod abſolute ſuaque nativa vi honeſtum eſt, ſed & omne id, quod iſti proprie & *κυρίως* dicto Honeſto non repugnat. Quemadmodum & vox Iuſti modo natura tale, modo, quod non injuſtum eſt, denotat. Si igitur ſequiori ſenſu vox Honeſti accipiatur, veriſſimum eſt pronunciatum hoc Stoicum: *Nihil eſſe utile, quod non idem ſit honeſtum*. Nec enim utile quidquam revera & conſtanter erit, ſi honeſtati repugnet. Sed, inquis, hæc quidem ita obtinere in Rebuſpublicis rectis, non autem in iis, quæ *παρεκβάσεις* Philoſophis dicuntur? Annuo, atque etiam hoc addo,

Digitized by Google

ldo, alienum eſſe a meo inſtituto, uæ in univerſa hominum ſocietate iſta, Honeſta, aut Vtilia cenſeri oſſint, ad certas Reſpp. applicare, pplicataque examinare; hoc Politici ſt, illud ad Iuris Naturalis diſcipli am pertinet. Ceterum cum Stoici ullum aliud bonum agnoſcerent, præ erquam Honeſtum, ipſumque Boni omen rebus aliis omnibus inviderent, ne dubio πρωτως και κυριως vocem oneſti uſurpabant pro eo, quod ſua atura ac ſimpliciter tale eſt. Ita itur accepto Honeſto falſiſſimum eſt lud effatum: *Nihil eſſe utile, quod n idem ſit honeſtum*. Quot enim, quæ, res ſunt, quæ multiplicem atque gentem uſum ac ſubſidium nobis ebent, nec tamen de Honeſtatis atura quidquam participant? Tali itur hypotheſi conſtituta, quid ali r de compluribus illi innitentibus oncluſionibus pronuntiare poterimus, am illud Ariſtotelis monitum μικρον; ενος ατοπου δοθεντος, συμβαινει και πολλα. *Dato uno abſurdo, ſequentur lura*. Hoc opus igitur, hic labor noſter erit, ut in progreſſu adſertiones ullii noſtri ſecundum hanc hypothen examinemus, & quibus partibus æc laboret aut deficiat, ex aliis meoribus Peripateticorum principiis deonſtremus. Fateor tamen, ſæpiſſime iceronem illius fundamenti quaſi blitum, & veritatis vi abductum, olidiſſimas de plurimis rebus utilibus oncluſiones poſuiſſe, ut plurimum illus præcepta, ad vitam recte inſtiendam peragendamque, bonaque utia recte uſurpanda, nobis prodeſſe ueant.

Hæc tria genera) Honeſtum, Vtile, uſtum vulgo reipſa diſcrepare exiantur: mihi vero, inquit Cicero, agna ratione a Stoicis non re, ſed atione ſolum differre, recte dictum idetur.

Quidquid Iuſtum ſit) Omnis ſocietas liquo jure conſtituitur, conſervaurque, uti pluribus docemur VIII. Nicom. Quod ſi jam Iuſtum Univerale intelligas, quo univerſi generis umani ſocietas niti debet, veriſſimum eſt hoc Stoicum effatum. Quod i ſpeciales ſocietates videamus, quamue ſuo peculiari jure regi certum ſt. Hæ autem ſocietates vel conſiderari poſſunt item in ſtatu mere naturali, & quatenus tendunt ad finem a Natura præſtitutum: & in his quoque ita, ut ajunt Stoici, res ſeſe habere videtur. Ita quod in patria, aut nuptiali, aut herili ſocietate juſtum, idem & utile erit. Quæ vero ſocietates naturales hactenus ſunt, quatenus Naturæ non repugnant, ordinem tamen & formam determinatam ab hominum inſtituto acceperunt, veluti Regnum, Ariſtocratia, Politia, tunc & in his ſingulis idem erit Iuſtum & Vtile; ſic tamen, ut aliud ſit Iuſtum Regium, aliud Ariſtocraticum, aliud Politicum: ex quibus ſi aliud & diverſum alii Statui velis tribuere, aut obtrudere, non idem erit Iuſtum & Vtile. Quod ſi inſpicias Reſpp. παρεκβαινουσας, ab optima, quam Natura intendit, Republica recedentes, Tyrannidem, Oligarchiam, & Democratiam; nec Iuſtum in his erit abſolute, nec Vtile, quo iſtæ ſocietates reguntur, ſed utrumque ὑποθετικως, ut Iuſtum aliquod ſit, & Vtile huic aut iſti Statui, pro ſua conditione, qualitate ac forma, quod abſolute ſpectatum ſæpe ſit injuſtum & inutile.

Quod honeſtum idem eſſe Iuſtum) Iuſtum univerſale idem eſt eſſentia cum Honeſto: differt autem hoc ab iſto τῳ λογῳ, quod Iuſtum Vniverſale ſemper involvat reſpectum προς ἑτερον, *ad alium*. Nam qua ratione virtus differre oſtenditur a Iuſto univerſali V. Nicom. 1. eadem & Honeſtum ab illo diſcrepat. Si vero intelligas Iuſtum Particulare, falſum hoc eſt pronuntiatum; multa enim honeſte fiunt, quæ tamen ſpeciatim Iuſta non ſunt ſecundum Iuſtitiam particularem. Quod ſi videas ſocietates a Naturæ inſtituto exorbitantes, falſiſſimum eſt, Honeſtum & Iuſtum hypotheticum, accommodatum iis Rebuſp. quibus partibus vitioſæ ſunt, eſſe idem.

Ex quo) Hinc jam tertium hoc conſequi putat: *Quidquid honeſtum ſit, idem eſſe utile*. Etſi vero quodammodo hoc roborari in bono ſenſu poſſit, non tamen reciproce licet inferre: Quidquid eſt utile, idem eſt honeſtum. Tum iſta propoſitio: *Quidquid eſt honeſtum, idem eſt utile*, non videtur ſimpliciter vera; ſi enim ipſius ultimi finis συμπραξιας, honeſtatem intuearis,

non

non videtur idem eſſe Honeſtum, & Vtile, quod hoc Medii, illud tum Finis rationem habeat, Finis autem ; & Medium inter ſe differant. Interim hoc medium convenire qualitati finis debet, bonitatem moralem quod attinet.

Quod qui parum) Ingens eſt diſcrimen inter Calliditatem, & Prudentiam: hac vir bonus, iſta malus utitur. Qui ergo utile ab honeſto ſecernit, callidum: qui hæc ubique in conſiliis factiſque conjungit, eum Prudentem eſſe habendum ait. Quod ſi Honeſtum tam late accipias, ut etiam pro eo habeatur, quod non eſt inhoneſtum, tolerari hæc adſertio poterit. Sin proprie Honeſtum intelligas, quod abſolute & in ſe tale eſt, multa profecto utiliter fiunt, quæ hoc modo honeſta non ſunt, & recte etiam a viro bono & prudente ſuſcipiuntur.

Quæ ergo) Hic jam diviſionem inſtituit rerum Vtilium. Bene vero monet, has omnes ad hominum uſum & vitam a Deo eſſe conditas. Vt vero illam diviſionem rectius percipiamus: in genere hic iterum quid ſit Vtile, aut Inutile, quæri poteſt. Cicero videtur ita ſentire, quæcumque homini proſunt, Vtilia, quæ obſunt, Inutilia eſſe. Sed hoc non ſatis accurate dictum videtur, cum Deus, & ſui generis ultimus finis, Felicitas civilis, plurimum proſint homini, non tamen ut Media, ſed perfectiſſimi fines; ad Deum enim tamquam ſimpliciter ultimum finem referenda fuerint omnia.. Rectius igitur forſan Vtilia dicentur, quæ convenientiam Medii ad bonum finem habent, ſive ille finis abſolute bonus ſit, vel bonitati ſaltem non repugnet. Quæ vero talem convenientiam & ordinem ad finem vel omnino non habent, aut, cum habeant, vitio tamen noſtro ad malum finem diriguntur, Inutilia hactenus appellare licebit. His ita præmiſſis, Ciceronianam diviſionem videbimus. Vtilia alia ſunt Animalia, alia Inanimata: ab iſtis excludit quidem recte vegetantia, male tamen ad Inanimata refert. Rectius ergo diviſiſſet in Animata, & Inanimata. Ad hæc referuntur Metalla: ad iſta quæcunque animam habent. Quæ cum ſit triplex, Vegetans, Sentiens, & Rationalis; ad primam quidem plantæ omnes: ad alteram animalia omnia pertinent, quæ aliquam habeant ὁρμὴν, ſeu ſuo appetitu in aliquod bonum ſenſibus gratum ferantur, aut malum ſibi ingratum fugiant. Medio quodam loco ſunt ζωόφυτα. Animalium alia ſunt rationis expertia, alia ratione utentia. Iſta appellamus Bruta, quæ vel Terreſtria, vel Volatilia, vel Aquatilia ſunt: item alia ſunt Sanguinea, alia Sanguinis expertia, veluti Inſecta. Ratione utentium animalium duo ponit genera, Deorum, & Hominum. Quod ſi vel Platonis exemplo, vel ſuo conſilio Deum ζῷον fecit, valde hoc abſurdum eſt, quod Animal, ζῷον, definiatur per corpus animatum ſentiens: Iam vero Deus eſt ſubſtantia incorporea, quæ adeo dimenſionibus corporeis caret: talemque ſubſtantiam habet omnis Spiritus.

Deos placatos) De Diis cum dixiſſet, protinus oſtendit, quando, aut quo pacto ſint hominibus utiles, ſi videlicet non noſtris vitiis irritentur, ſed pietate ac ſanctitate illos placatos reddamus.

Proxime autem) Nullum poteſt hac de re eſſe dubium, quandoquidem Homo proxime ad naturam & excellentiam divinam ex omnibus creaturis accedit. Eleganter Grotius lib. I. de I. B. P. c. ult. num. 2. *Recte*, inquit, *qui de Officiis ſcripſerunt*, *ajunt*, *nihil eſſe homini utilius homine altero. Sunt autem diverſa hominum inter ſe vincula*, *quæ ad mutuam opem invitant. Nam & cognati ad opem ferendam coeunt*, *& vicini inclamantur*, *& qui ejuſdem civitatis ſunt participes*.

Earumque item) Rerum, quæ vel obſunt, vel proſunt, eadem, inquit, diviſio eſt. Quæ vero? ut alias eſſe dicas animatas, alias inanimatas; hanc videtur indicare. Nam & mox excipit Deos, qui non niſi proſint, numquam ſua natura obſint: quod infinita illorum bonitas hoc non concedat. Falſiſſimum igitur eſt illud Poetæ Epicurei de Deo: *Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira*. Homines vero, licet Diis proximi, plurimum ſibi invicem obeſſe poſſunt & ſolent. Anacharſis Scytha interrogatus, τί ἐστι τὸ πολέμιον ἀνθρώποις; αὐτοὶ, ἔφη, ἑαυτοῖς. *Quid homini maxime infeſtum eſſet?*

t? ipſi, inquit, ſibi ipſis. Stob. ſerm.
Pernicies homini quæ maxima? Solus
mo alter. Bias apud Auſon. in ludo
apientum.

Sed enim ipſa) Res inanimatas vi-
tur diſpeſcere in Naturales, & Ar-
ficiales. Neutræ poſſunt nobis vel
enam vel diuturnam utilitatem da-
, niſi acceſſerit Ars & Manus ho-
inum, hoc eſt, Ingenium, induſtria
labor eorum. Deus enim noluit
minem otioſum eſſe, & gravi ve-
rno torpere, ſed curis acuit mor-
lia corda, ceu Poeta loquitur, ut
am induſtriam ac operam rebus ne-
ſſariis impenderent, & ad illas res
nes creatas tamquam vitæ inſtru-
enta referrent. Hæc autem cumpri-
s Intellectu Artis habitu imbuto di-
guntur; tum manu, quæ revera eſt
γανον οργανων, ad uſum noſtrum diſ-
nuntur. Enumerat deinde multas
iſmodi res, atque ita concludit,
ripicuum eſſe, qui fructus, quæque
ilitates ex rebus inanimatis perci-
antur, eas nos nullo modo ſine ho-
inum manu atque opera habere po-
iſſe. Hinc tot inventæ Artes, &
iria vitæ ſtudia, in variis rebus na-
ralibus occupata, quorum multiplex
pene infinitus ad vitam humanam
mmode degendam uſus eſſe poteſt.

CAPUT IV.

Ut poſtea ſubvenire) Non immeri-
to hunc locum ſuſpectum habet
mbinus. Forte legendum eſt, *aut*
ſt iis ſubveniri.

Sine hominum manu) Ratio eſt ma-
s intellectus: Rationis oratio: ora-
nis manus. Manus enim juſſa fa-
t: juſſa obediunt rationi: Ratio vis
tellectus eſt. Scalig. Exer. 256. Ma-
s propria hominis particula eſt.
len. de Anatom. admin. c.3. Et de
u part. c. 2.

Qui denique ex beſtiis) In animatis
tione carentibus par ratio eſt. Nam
c illæ res ſat utilitatis nobis præ-
rent, niſi cultura & induſtria ho-
inum acceſſerit. Ita excubias agere
licerunt canes, aratrum trahere bo-
s, militem ferre & hoſtem ſuſti-
re equus, mimum agere ſimia, ſal-
re elephas, miteſcere leo & urſus.
minum ingenio ungues, cornua, pili, ſetæ, pennæ, & pelles brutorum plurimis uſibus adhibentur. Horum eſt inventum lanificium, mellificium, opus lactarium. Et quis ſatis commendaverit uſum brutorum, quem invento medicorum valetudini præbent? Videantur præter alios Ariſtotelis hiſtoria Animalium, Plinius, Geſnerus, & Ulyſſes Aldrovandus de eodem argumento.

Quæ nocent interficiuntur) Hæ igitur beſtiæ non interficiuntur, quod proſint interfectæ, ſed quod vivæ obſint. At, inquies, quomodo igitur ſunt utiles? recenſio enim facta eſt rerum utilium. Videtur itaque hoc intelligendum eſſe *ακυρως*, videlicet noxias beſtias interfici eſſe utile, quatenus per illarum interitum uſus noſter fructuſque ex aliis rebus perceptus vel percipiendus non impeditur.

Quid enumerem) Redit ad Artium varietatem, quæ ingenio hominum ſunt inventæ & excultæ: abſque quibus ſi fuiſſet, victus, cultuſque humanus nihil a beſtiarum victu diſcrepaſſet. Itaque excitata humana ratio reperit artes, quibus a bruto vivendi more homines avocarentur, & cultum victumque amplecterentur ſuæ dignitati & præſtantiæ convenientem. Etſi igitur multæ paulatim artes etiam ad luxum fuerunt comparatæ; non tamen ceu frugales laudandi ſunt ii, qui antris habitant homines, corpore aut nudo agunt, aut corticibus arborum, aut rudibus ferarum pellibus ſe veſtiunt: ceu facit Grotius II. de I. B. P. c. 2. n. 2. Confer quæ dicta ſunt ad lib. I. c. 4. & 42. *Βιῳ δε ενεςιν ασφαλει εν ταις τεχναις*. *Unum vitæ præſidium in artibus ſitum eſt*. Stob. Serm. 58.

Urbes vero) Urbium, ſocietatis civilis, & Rerump. commoda enumerat. In his natæ leges, jura: in his formata morum exacta diſciplina & manſuetudo: conſervata verecundia, ſecuritas vitæ bonorumque: in his obtinent commercia, & varia rerum communio, denique quidquid ad vitam bene beateque agendam pertinet. Hæc autem uti maxime utilia ſunt, ita non ſine hominum bene compoſito cœtu, qualis eſt ſocietas civilis & Reſpublica, ſive conſtitui, ſive ordinari

Digitized by Google

mari potuerunt. Dicas, multa ex his non eſſe Vtilia, veluti Leges, & Iura ſaltem nonnulla, ſed Honeſta. In ſe ſpectata ſunt ſane honeſta, relata tamen ad ſocietates hominum eorumque fines, nil vetat, quo minus eadem ſint utilia; ut enim quæque virtus eſt præſtantior, ita maxime vult prodeſſe, inquit Ariſtoteles. *Agreſtem incultamque hominum initio ſeculi vitam a communione brutorum animalium vel ferarum, Vrbium conſtitutio prima diſcrevit, In his nomen Reip. peperit communis utilitas, Ideo potentiſſimæ nationes ac principes conſecrati, nullam majorem gloriam putaverunt, quam aut fundare novas civitates, aut ab aliis conditas in nomen ſuum ſub quadam amplificatione transferre*. Veget. prologo lib. IV. de Re Milit.

Manſuetudo animorum) Huc pertinent Poëtarum de Orpheo, Lino, & Amphione fabulæ: nec non illud Horatii in Mercurium carmen lib.I. od. 10. Qua de re etiam ſupra quid diximus ad lib. I. circa fin.

CAPVT V.

Longiores) Prolixior fuit in rebus utilibus recenſendis, in quibus etiam longior fuit Panætius, quem dum accuſat, quod in re manifeſta laboret, ſe excuſatum it.

Neque ducem in bello) Multa ſane, & tantum non omnia Ducibus & Imperatoribus tribui ſolent, illorumque virtuti accepta referri, quæ ſine ope militum fortiſque & numeroſi exercitus confieri non potuiſſe nemo dubitat, Ex quibus omnibus liquido apparet, quam neceſſarius ſit homo homini, ut adeo ſingulis inſtinctus ſocialis a natura ſit tributus, quo mutua ope, ſtudio, rerum operumque commercio alter alteri prodeſſet, atque omnes ad finem naturalem cumprimis his commoditatibus ſubnixi ducerentur.

Atque ut) Sicuti infinitis modis homo homini uſui, præſidio, & auxilio eſſe poteſt, ſi voluntates illorum amice conſpirent, & ad eumdem finem, cumprimis naturalem, contendant; ita contraria omnia eveniunt fraudes, injuriæ, calumniæ, odia, vulnera, cædes; ſi animis, finibus, ſtudiiſque diſſideant. Vt ſane recte exiſtimaverit Dicæarchus, graviſſimas calamitates homini accedere ab homine: id quod cumprimis cernere eſt in bellis, a quibus adeo tanto magis abhorrere debebant homines, ſi ſuæ conditionis bene memores eſſent: cujus multi obliti, ſine ullo cauſæ reſpectu bellorum & periculorum, ut Tacitus loquitur, propter ipſa avidi ſunt. Hinc & Plinius ita queritur procemio lib. VII. Hiſt. Nat. *Leonum feritas inter ſe non dimicat. Serpentum morſus non petit ſerpentes. Ne maris quidem belluæ ac piſces, niſi in diverſa genera ſæviunt: at hercle homini plurima ex homine ſunt mala*.

Cum igitur) Hoc cum ita ſe habeat, virtutis & officii humani eſt, ut quiſque ſibi conciliet animos hominum, videlicet uſibus illorum ac neceſſitati inſerviendo; ſic ſimul ad ſuos, inquit, uſus ſibi adjunget alios. Benefactori enim, & qui opitulatus eſt, gratia mutuaque opera referenda eſt.

Itaque quæ) Res inanimatas ad uſus hominum transferimus artibus operoſis, hoc eſt, ſive artium beneficio, ſive opera noſtra, ſive utriſque. Homo vero homini ſuis officiis prodeſt, alterque alterum ſibi conciliare poteſt excellentiorum rerum adminiculo, virtutibus cum theoreticis, tum practicis: atque his benevolentia hominum mutua excitatur, corroboratur, ac conglutinatur.

Etenim) Explicat, quæ ſit illa virtus, cujus illecebra nobis conciliare poſſimus hominum ſtudia & animos, puta, quæ verſatur vel tantum circa theoriam & doctrinam veritatis, vel circa πρᾶξιν honeſtatis, vel circa uſum civilem familiarem, & ὁμιλίας.

Per eos denique) Homo, ut homini proſit, naturaliter eſt obligatus. Hoc officium qui non ſolum deſerit, ſed & contrarium facit, illius vim atque injurias optimo jure propulſare nobis licet, primo omnium Iudicis, tum ſi ille vel nullus, vel fruſtra ſit, hominum aliorum præſidio uſis, qui arma armis opponant, & vim vi propulſent. Poſterius ubi arripitur, ulciſcendi & puniendi modus ſit, ne ab æquitate & humanitate recedatur. Hac de re plura lib. I. cap. 25. dixit Grot. III. de I. B. P. c. 11. n. 1.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Quibus autem) Antequam tradat præcepta, quibus parari poteſt facultas conciliandi ſibi homines, præmittit quædam de Fortuna; ſic enim apparebit, quanta ſit vis rationis noſtræ, quid noſtri ſit arbitrii, & προαιρεσεως, & quid omnino virtute noſtra effici queat, aut prudentia, & quale vel momentum, vel impedimentum extrinſecus conferre quandoque ſoleat Fortuna.

Magnam) Fortunæ ſæpe eos effectus tamquam cauſæ multi tribuunt, et vel in Dei Providentiam ſint impii, vel neſcio quæ ſibi ſomnia fingunt. Si qui enim caſus eveniant, quos non ſuæ cauſæ protinus aptare norunt, Fortunæ, quidquid ejus generis eſt, imputare ſolent. Recte igitur Hippocrates de Fortuna: Ηʹμιν μεν αυτοματον, τῃ δε αιτια μη αυτοματον. *Nobis quidem fortuitum, cauſæ vero non fortuitum*. Nec non Satyricus:

Nullum Numen abeſt, ſi ſit Prudentia; ſed nos
Te facimus, Fortuna, deam, cæloque locamus.

Videatur in hanc rem elegantiſſima diſſertatio apud Cominæum in vita Ludovici XI. Io. Iovianus Pontanus Fortunam cenſet eſſe occultam vim ſiderum, mirabilium eventuum in rebus & naturalibus & humanis effectricem. Hanc ſententiam miror Wolfio etiam placuiſſe, qui hîc nimis videtur φιλαςρολογος. De Fortuna, quatenus eſt cauſa actionum, vel certorum eventuum, aut ſorte perhiberi poſſit, alibi accuratius a nobis diſputatum fuit, Tract. de Princ. act. moral. diſp. 5. §. 4. & 5.

Hæc igitur ipſa) Enumerat varios caſus, ſeu effectus, qui fortunæ imputari ſolent, ad quos producendos illa utatur miniſterio vel rerum inanimarum, vel brutorum, vel hominum. Atque hi omnes effectus cedunt vel in hominis commodum, vel in ejus incommodum. Ceterum ſicuti rerum creatarum nulla æque prodeſſe poteſt, atque homo homini; ita graviſſimorum quoque malorum cauſam homini hominem exſiſtere poſſe hîc oſtendit. Proinde ſi fortuna (ſecundum Ciceronis hypotheſin loquor) maxime & frequentiſſime nocere velit, non tam rerum inanimatarum, aut brutorum, quam hominum ad eam rem miniſterio utitur: id quod inductione quorumdam ſingularium demonſtrat, trium exercituum interitu, Pompeiani in Pharſalicis Theſſaliæ campis: Scipionum, & reliquiarum Pompeianarum, nec non Petreii, & Afranii in Hiſpania: denique Catonis in Africa. Cum quibus exercitibus occubuerunt tot præclari, fortesque viri, ac inter illos princeps Pompeius. Quæ cum ita ſint, quam maxime intereſt, illa præcepta & noſſe recte, & ad πραξιν transferre, ut nobis homines ita conciliemus, quo prodeſſe nobis, quam nocere malint.

Quæ ſi) Occupatione quadam excuſat, & commendat hujus argumenti prolixiorem forte expoſitionem.

Quæcumque igitur) Hæc ſi ad genuina principia revocanda ſint, transferenda huc erunt illa, quæ Ariſtoteles ſuſe tractat VIII. & IX. Nicom. quod amicitia alia ſit honeſta, alia utilis, alia jucunda: amemus vero propter aliquod bonum, quod itidem ſit triplex, Honeſtum, Utile, Iucundum: quos amemus, iis & faciamus & cupiamus bene pro natura illius boni, propter quod amicitia inſtituta fuerit: homines igitur, inquit hîc Cicero, beneſaciunt ſibi invicem, & per beneficia mutuo voluntates conciliant.

Aut benevolentiæ gratia) Quidquid ab hominibus in hominem confertur, quem ad majorem potentiam, dignitatem, aut honorem evectum volunt; illi hoc faciunt benevolentiæ gratia, cum aliqua de cauſa quempiam diligunt, puta quodam beneficio adfecti. Ita ipſe Cicero paulo poſt hæc declarat illis verbis *Ducuntur enim*,

Honoris gratia) Honor enim etiam quidam amor eſt: amamus vero ita illos, qui virtute præditi ſunt; eſt enim Honor præmium & teſtimonium virtutis: ut adeo horum officiorum non ſit aliud fundamentum, quam virtus, ſiquidem genuinum honorem ſupponas.

Aut cui fidem habent) Hoc ſi ſit per o.ſi-

Digitized by Google

officia honeſtatis, ad amicitiam honeſtam referendum eſt; ſin autem illa merita ratione bonorum utilium exſtiterint in te, forſan ad utilem potius retuleris amicitiam.

Aut cujus opes metuunt). Hæc cauſa non poteſt tam referri ad veram amicitiam, quam ut tempori cedendo, hoc eſt, neceſſitati parendo ex malis minimum, vel deligamus, vel omnia omnino, quæ metui poſſint, comi hac obſervatione, & utili amicitia declinemus. Neceſſe enim eſt ſæpe, ut Cerbero offam objicias, eumque omni ſtudio demulceas.

Aut a quibus aliquid exſpectant) Qui ita dant, & accipiunt, amicitiam quamdam utilem ineunt. Exempla quod attinet, videtur hic Cicero expreſſiſſe Panætium. Cum enim pleræque Reſpp. Græciæ veteris democratice regerentur, & tamen quædam ex iis ſuos haberent Reges, *κατὰ νόμον*, uti Ariſtoteles in Politicis eos appellat; hi Reguli, aliique ambitioſi homines ſolent largitiones proponere, quo popelli iis inèſcati favore, ac ſuffragiis adjuti, vel majorem, vel ſolidiorem, vel diuturniorem ſibi poteſtatem adſtruant.

Aut pretio & mercede ducuntur) Quidam homines tam vili, ac mercenario ſunt ingenio, ut nullum officium faciant gratis, aut virtuti impendant, ſed pretio ac mercede ducti. Quæ largitiones Reip. pernicioſiſſimæ ſunt; etſi enim utilem quamdam amicitiam ſapiunt, quæſtu tamen perficiuntur ſordidiſſimo. Ratione enim dantium ad ambitionem, ratione accipientium ad avaritiam & injuſtitiam pertinent. Qui enim lucrum inde captant, unde non debebant, avari; & quia aliis melioribus, virtute non opibus ſuffultis via præcluditur, injuſti ſunt. Quod dogma gravi præcepto obſignat, cui geminum eſt illud Comici: *Virtute ambire oportet, non fautoribus*. Hodie autem veriſſimum eſt illud Salluſtianum: *Præmia virtutis ambitio poſſidet*.

Sed quoniam) Quis pecuniæ, largitionum, & ſimilium rerum verus poſſit, debeatque eſſe uſus, ſe deinceps diſturum pollicetur, modo illa prius tetigerit, quæ virtuti, & amicitiæ honeſtæ propiora ſua natura fuerint.

Atque etiam) Quas cauſas paulo ante recenſuit, ob quas homines hominibus quædam ſolent tribuere, eaſdem fere eſſe ait, propter quas homines ſe alterius imperio ſubiicere, & amicitiam *καθ' ὑπεροχὴν* contrahere ſolent, ut hi pareant, illi imperent. Efficitur igitur hoc vel benevolentia, hoc eſt, ut ſibi principem conſtituant aliquem, vel propter virtutem: qualis prædicatur Cyrus: vel propter beneficiorum magnitudinem: qualis fuiſſe perhibetur Hercules. Ariſt. III. Polit. 11. *Beneficio impellebantur ad conſtituendos reges: quod eſt officium proborum virorum*. Vel propter dignitatis præſtantiam. Si internam animi dignitatem intelligas, referendum hoc eſſet ad virtutem: ſin externam, ad corporis proceri, ac pulcri conſpicuam ſtaturam: qualis in S. Codice deſcribitur Saul. Placebat enim populo Iſraelitico *Βασιλέα*, non *Βασιλίσκον* creare: uti apud Plutarchum legitur de Educ Liber. Aut ſpe inducti ſe ſubjiciunt, ſibi id utile futurum. Alienæ poteſtati vel ſe quidam ſubjiciunt, vel illi accedunt, inque partem Reip. veniunt. Prius fit vel libere: ſic urbes ſub Eumene nullius liberæ Civitatis fortunam cum ſua mutatam voluiſſe, ait Livius lib. XLII. Sic multos ex liberis Græciæ Civitatibus in Salamina Cypri, quod Evagoræ regnum erat, veniſſe narrat Iſocrates. Vel metu, ne bello victi addictius regantur, ſe potius ſubjiciunt potentiori. Grot. lib. II. de I. B. P. c. 5. n. 31. Qui vero in partem Reip. veniunt, meliori ſunt loco. Ita Lithuania, aliæque Provinciæ acceſſiones ſunt factæ Reip. Polonicæ. Aut ſpe largitionis: hoc adminiculo Philippus Macedo ſibi multa loca, hominesque ſubjecit. Aut mercede, quando cives pecunia corrupti tyrannidem adfectantibus opem ſuam conferunt, eique ſe ſubmittunt. Cumque hic notet Rom. Remp. videtur deſignare Cæſarem, qui Tribunos, ipſamque plebem muneribus ædilitiis, aliiſque largitionibus dementatos ad ſe traduxerat.

Ca-

CAPUT VII.

R*Erum autem*) Vbi ſocietas, ibi amicitia eſt : ubi amicitia, ibi amor. Inter imperantes, & ſubditos eſt quædam ſocietas, cujus proinde firmiſſimum vinculum eſt amor. Id igitur operam dabunt omnes civiliter imperantes, ut amorem ſubditorum demereantur; qui enim metu, ac vi potius in officio ſuos contineri poſſe putant, quam graviter errent, I. Cæſaris, aliorumque exemplis & ſententiis comprobat. Quem enim timemus, eum averſamur & odimus, & quo magis timemus, eo magis averſamur. Tyrannos autem, principeſque ſævientes maxime timemus, adeoque maxime odimus. Malus itaque cuſtos diuturnitatis metus eſt, hoc eſt, non poteſt quiſquam opes ſive potentiam, aut exiſtimationem diu retinere, ſi ab omnibus velit metui; talis enim metus tandem in deſperatam audaciam laxatur. Ariſtoteles V. Polit. 10. hac de re ita differit: *Cum ſint duæ cauſæ, ob quas maxime inſidiantur tyrannidibus, Odium, & Contemtus; harum altera non poteſt abeſſe a tyrannis, Odium ſcilicet*. Mox contendit cum Odio Iram, docetque multos quoque ira incitatos exitium attuliſſe tyrannis, & concludit, Ira magis infeſtum eſſe Odium, utpote ex inveterata ira animo penitus defixum & reconditum. Capite vero ult. ejuſd. libri multis exemplis illuſtrat & confirmat, Tyrannides eſſe omnium politiarum breviſſimas. Videatur jam ſupra citatum cap. 17. & 19. Machiavelli in Principe, adhibitis ſubinde Conringii Animadverſionibus. Confer lib. III. c. 4. 6. & 21.

Similes exitus) Quantum odium hominum valeat ad peſtem, hoc eſt, exitium Tyrannorum, etiam his verſibus Poeta ſignificat:

Ad generum Cereris ſine cæde, & ſanguine pauci
Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.

Contraque benevolentia) Nullo enim munimento vel præſidio tutius niti poſſunt imperantes, quam Amore ſubditorum, quo inprimis illorum poteſtas firmatur, & ad poſteros perpetua ſerie extenditur.

Sed iis) Reſtrictione idipſum, quod de vi, & metu dixerat, temperat: poſſe ſcilicet vim quamdam, & ſeveritatem in eos exerceri, quos vi oppreſſeris, & qui alia ratione, quam vi, & metu, teneri in obſequio nequeant. Nec tamen inhumana adhibenda erit ſævitia, ſed qua in famulos utitur herus. Deſignat igitur manifeſte imperia herilia, quatenus in his metus, & vis abſque injuria locum habens; nec enim ita cenſendum eſt, ac ſi illa omnino Naturæ adverſentur. Multi enim ſunt populi, qui non niſi addictiori freno coerceri, ac in officio contineri poſſunt, veluti Moſchi, Perſæ, Aſiatici, aliive populi. Grot. I. de I. B. P. c. 3. §. 8. II. de I. B. P. c. 5. §. 27. & lib. III. cap. 8. Ageſilaus dicebat, Aſiæ incolas, ſi libertate fruerentur, malos; ſi ſervirent, bonos eſſe. Plutar. in Apopht.

Qui vero) Idem qui velit tentare in civilibus imperiis, quod alii in herilibus, non ſolam aliis injuria gravis, ſed ſibi etiam pernicioſiſſimus eſt, ſic ut quadam dementia in juſtum omnium odium ſe præcipitet. Etiamſi enim legum repagula perfregerit, libertati adſuetis civibus timorem incuſſerit; reſuſcitatur tamen illius memoria ſæpe, & tacitis judiciis damnatur tyrannis, de qua in foro, aut ſenatu juxta leges oppreſſas diſceptare non licet: & emergunt occulta de honore ſuffragia, videlicet tyranno non competere illum honorem, & in cives imperium, quæ invaſione iniqua arripuerit, adeoque ubi memores priſtini ſtatus fuerint animi liberi, non tam diverſa conditione ſe a tyranno diſtare, quin omni jure quandoque illam poteſtatem etiam cum cæde, & ſanguine ei extorqueri, & oppreſſæ libertatis vindicias inſtitui poſſe arbitrantur. Notat autem manifeſte I. Cæſarem. In univerſum tenendum eſt, nonnullos populos herili, pleroſque civili regendos eſſe imperio; ſecus ſi fiat, magna imprudentia, & injuſtitia magni fere excitantur motus, qui ſucceſſum aut occaſionem nacti acerrimam vindictam conſectari ſolent.

Acriores) Rationem hujus rei tradis, quod cives in Rep. libera vi-

Digitized by Google

ventes non tanta contentione florentem, & integram libertatem ſoleant conſervare, quam oppreſſam vindicare. Si enim, uti apud Salluſtium eſt, libertatem nemo bonus, niſi cum anima ſimul amittit, quanta contentione illa gravi & injuria, & damno erepta vindicabitur: quandoquidem, ut ſupra lib. I. ajebat Cicero, pro libertate magnanimis viris omnis debeat eſſe contentio?

Quod igitur) Mutuus imperantium, & parentium amor quantum ad ſocietatis, quæ inter illos eſt, incolumitatem, potentiam, quantum & privatim ſive his, ſive iſtis, nec non publice proſit, repetit. Deinde experientia contrariorum exemplorum illuſtrat, quomodo, qui metui voluerunt, peſſime ſibi conſuluerint: quæ adeo conjungi cum iis merentur, quæ recitat Ariſtoteles ſupra cit. loc. Quatenus Tyrannos, aut alieni imperii invaſores occidere liceat, nec ne, videatur Grot. I. de I. B. P. c. 4. n. 15. ſeqq.

Etenim qui) Δεος προσδοκια μελλοντος κακου. *Metus eſt exſpectatio futuri mali*, inquit Plato. Malum vero cum natura averſemur, primo quidem *parens odii metus eſt*, atque tum circumſpicit, qua ratione illud malum avertat, ſic ut ſæpe in illum ipſum, a quo ſibi metuit, armetur. Hinc θαρρος και φοβος αφρονε συμβουλω, *Audacia, & Metus amentes conſultores* dicuntur Platoni in Tim.

Quo animo) Eo quo Tiberius, teſte Tacito VI. Ann. cap. 6. *Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe adſpici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ita ſævitia, libidine, malis conſultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris, ſuaſque ipſe pœnas fateretur.*

Compunctum notis Threiciis) Qualem deſignet, mox explicat, *Stigmatiam* illum appellans. Ælius Amidenus lib. III. cap. 12. Στιγματα καλουσι τα επι του προσωπου, η αλλου τινος μερους του σωματος επιγραφομενα, οια επι των στρατευομενων εν ταις χερσι. *Stigmata appellant ea, quæ fronti, aut alii corporis parti inſcripta ſunt, quales ſunt notæ in militum manibus*. Nam etiam apud Vegetium legitur, tyrones militiæ adſcriptos punctis fuiſſe notatos. Ille vero Thrax Stigmatias, de quo Cicero loquitur, propter flagitia ac ſcelera notatus fuiſſe videtur. Aquarios perinde uti tyrones manu ſignatos fuiſſe, oſtendit l. pen. C. de aquæductu. Et quoque Fabricenſes L. 3. C. de fabric.

Ab ea eſt) Tantam zelotypiam excitavit fidei, ſpretæque injuria formæ. Zelotypia enim definitur a Chryſippo, ægritudo animi, ex eo proveniens, quod timeas, ne adſit alteri, quod cum nemine velis habere commune.

Nec vero ulla) Hinc experientia locum fecit Proverbio: Nullum violentum diuturnum.

Quid Lacedemonios) Hinc Iſocrates Oratione ſociali oſtendit Lacedæmoniis, non Leuctricam cladem, ſed ſuperiorum temporum injurias exitio fuiſſe. Ita & hodie ſæpe fit, ut qui ſocietatem aut fœdus cum aliis inique colunt, a ſociis, cum minime id commodum accidit, deſtituti graves pœnas ambitionis, & injuriarum dare ſoleant. Revocentur in memoriam illa, quæ ad Belgas Fœderatos perſcripta ſunt, cum illi pacem Noviomagi præriperent.

CAPUT VIII.

Aut mites, aut neceſſarii) Mites ſunt bellorum exitus, cum victi in fidem & clientelam, aut ſocietatem recipiuntur: neceſſarii, ſi vi majori aſperius domiti parere cogantur, aut propter inſignem pertinaciam excindantur. Talis fuit exitus belli Numantini, Punici tertii, Achaici, aliorumque a Romanis geſtorum. Supra lib. I. cap. 11. dicebat, parta victoria conſervandos eſſe eos, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerint: tum bella, quibus imperii gloria propoſita eſt, minus acerbe gerenda eſſe. Add. Grotius III. de I. B. P. c. 11. §. 6.

Regum) Verum quidem eſt, Romanos multis regibus populiſque ſociis ſuccurriſſe; interim ſub prætextu ſociorum, & vindicandarum injuriarum

iis

Digitized by Google

iis illatarum, ſæpiſſime ſuam rem a-ſtute agebant. Qua enim belli cauſa æque amplificatum fuit Imperium Romanum, quam ſociorum prætenſa neceſſitudine? Videantur Alb. Gentilis libri duo de Armis Romanis. Cæſar apud Dion. LXXXVIII. *Majores noſtri tantum urbem noſtram jecerunt, cum ſuas fortunas, tamquam alienam poſſeſſionem, ſemper periculis objecerunt: aliorum autem ditionem, tamquam pertinentem ad ſe, haud cunctanter ſuam fecerent.*

Itaque illud patrocinium orbis) Romani enim ſæpe non pro ſociis tantum, quibus ex fœdere id debebatur, ſed pro amicis bella ſuſceperunt, aut ſuſcipere minati ſunt. Tam late enim patet hominum inter ſe conjunctio, quæ vel ſola ad opem ferendam ſufficit. Plato puniendum cenſet, qui vim alteri illatam non arcet. IV. de Leg. Quod & Ægyptiorum legibus cavebatur; modo id fieri ſine gravi periculo poſſit. Eleganter Seneca lib. I. de Benef. c. 10. *Dignum etiam impendio ſanguinis mei tuebor, & in partem diſcriminis veniam: indignum ſi eripere latronibus potero clamore ſublato, ſalutarem vocem homini non pigebit emittere.* Atque hæc *fortitudo, quæ defendit infirmos, plena juſtitia eſt.* Ambroſius lib. I. de Offic. c. 5. Sed cur patrocinium potius, quam imperium fuit, quod ſocios Romani æquitate, & fide defendiſſent? Sicut patrocinium privatum non tollit libertatem perſonalem; ita patrocinium publicum non tollit libertatem civilem, quæ ſine ſummo imperio intelligi nequit. Ideo apud Livium opponi videas, *in fide eſſe, & in ditione.* Convenit his Ciceronis verbis dictum Scipionis Africani Majoris apud Livium lib. XXVI. *Populum Ro. beneficio, quam metu obligare homines malle, exterasque gentes fide, ac ſocietate junctas habere, quam triſti ſubjectas ſervitio.*

Senſim) Talem fuiſſe dixit quondam Reip. faciem, ut patrocinium orbis terræ vocari poſſet. Iam exponit, quomodo ſenſim ab hac virtute, integritate, ac ſanctitate Romani defecerint. Initium ejus rei factum eſſe ait, Sylla dominante, qui omnem illam juſtitiam & humanitatem proculcavit. Hoc tamen pejorem multo fuiſſe ait Cæſarem. Illius enim victoria licet inhoneſta & inſolens fuerit; cauſa tamen fuit honeſta: hujus vero & cauſa, & victoria fuit abominanda, ſic ut jus omne in armis habuerit, & exemplum amiſſi imperii, ac libertatis propoſuerit omnibus, dum in triumpho Maſſiliam portari juſſerit, indignam & ipſam, quæ noſtræ ſervitutis exemplum præberet, quæ ſitu & munitione tantopere Romanis quondam ducibus profuit, ut Gallos, Tranſalpinoſque populos nec vincere, nec triumphare potuiſſent, niſi illam tenuiſſent. Confer, quæ ſcripſimus ad lib. I. c. 36. ſub fin.

Haſta poſita) Vide noſtrarum Inſtit. Iuriſpr. lib. II. tit. 43.

Prædam ſuam) Iure gentium res hoſtium captæ cedunt in prædam & dominium capientium. Quinam vero ſint Hoſtes, explicat Grotius III. de I. B. P. c. 3. n. 1. Quorum in cenſu non ſunt habendi, qui civilibus bellis contendunt. Sequitur hinc, effectus juris gentium bellici non perinde locum habere in bello civili, quam adverſus veros hoſtes; præſertim cum civium tanta ſit & jure naturæ, & civili communio. Grot. III. de I. B. P. cap. 6. n. 27. Interim divulſis & exaſperatis bello civili animis, ſæpe multa crudeliter perpetrantur. Grot. III. de I. B. P. c. 7. n. 5. Sylla publice aliquando in corona populi opulentum patrimonium diſtrahens, vili pretio juſſit rem amico addici. Cum illum ſuperaret alius licitatione, & proclamaret adjectionem, præco ſtomachatus eſt. *Ecquid hoc mali, Quirites, quæ hæc vis eſt, quod prædam meam mihi non liceat pro arbitrio meo diſtrahere?* Verba ſunt Plutarchi in vita Syllæ.

Publicaret) Publicare bona, idem eſt, ac confiſcare, l. 3. in fin. ff. de bon. eor. qui ant.

Iure igitur) Confitetur culpam: dicitque non ſatis caute & mature a Romanis obſervatum eſſe, quantum mali ſit in exemplis: adeoque conniventiam illam, & indulgentiam circa unum, atque alterum, horumque ſcelerum impunitatem ad eamdem audaciam multos alios excitaſſe: cum-

primis cum ſuæ nequitiæ tantam prædam potuiſſent ſperare ex rapinis & proſcriptione bonorum, exemplo P. & L. Corn. Syllæ, atque Cæſaris. Recte igitur colligit, talibus præmiis propoſitis, numquam defutura bella civilia. Videat itaque Reſp. & attente caveat, ne τὸ μικρὸν, *Puſillum*, irrepat in civitatem: ſi enim conniventia, aut impunitas accedet, tantopere creſcet atque augeſcet illud, ut remedio locus non ſit reliquus. Ariſt. V. Polit. 3. pag. 305. & c. 7. p. 330. Nec tamen indulgentia erga Syllam, ſimileſque unica fuit everſæ Reip. cauſa, ſed plures aliæ. Imo, Cæſar quod tam præpotens & inſolens evaſerit, Ciceroni præcipue debetur, qui Senatui auctor fuit, ut Cæſari Proconſulatus Galliæ in alterum quinquennium prorogaretur, cujus illum conſilii graviter, at nimis ſero pœnituit.

Itaque) Eo res rediit per vim metumque, ut anima Reip. amiſſa, nil niſi parietinæ, & rudera ſuperſint; vix enim, & ne vix quidem ab ædificiis urbis vim, & injuriam abſtinebunt, quibus ſocios vexare ac triumphare, Remp. ejuſque libertatem, proculcatis legibus ac juribus, peſſumdare in ludo eſt. Grot. III. de I. B. P. c. 12.

Atque in hac) In eaſdem inciderunt Auſtriaci, & Hiſpani, cum crudelius & inſolentius dominarentur Helvetiis, Batavis, Luſitanis, Indis: qua de re conſulantur Hiſtorici.

Quæ ſi) A majori ad minus. Si injuſto metu Reſp. Rom. incredibilem illam potentiam perdidit, qui quæſo, ſinguli ſuas opes vi ac metu conſervabunt? Atque hinc fit, quod multi redivivi Sejani parem cum Sejano Ro. exitum conſequantur.

Sequitur) Conſequens eſt, ut præcepta tradam amicitiæ comparandæ, a qua non abſit Honor, & Fides. Tranſire vult ab amicitia ad Gloriam, quatenus & hæc utilis ſit, & quomodo comparari poſſit. Ad perfectam enim Gloriam dicit paulo poſt requiri, ſi diligamur a multis, ſi fidem habeant nobis, ſi cum admiratione quadam honore nos dignos putent.

Sed eo) Magnum hoc bonum eſt, a quamplurimis diligi. Interim aliis alio magis minuſque hominum benevolentia vel prolixa, vel reſtricta indiget: quod diſcrimen inde nobis innoteſcet, ſi vitæ genera & inſtituta varia inſpiciamus. Sicuti enim Ariſtoteles ex diverſis vitæ generibus varias de Summo Bono ſententias extitiſſe ſapienter colligit; ita etiam media huic, aut iſti fini inſervientia ex variis vitæ generibus peti recte poterunt. Si igitur quis ſit privatus, & rem curet familiarem, horum benevolentia indiget, quorum opera ad eam utitur: qui ſunt perpauci. Si vero quis inſignem Magiſtratum gerat, longe pluribus indiget amicis; nec tamen quavis ratione multitudinis auram captare debet, ſed honeſtis modis, cumprimis ut ſit νομοφύλαξ, malitque odium & invidiam ex recte adminiſtrato, quam ex neglecto officio benevolentiam, in ſe derivare. Videantur cumprimis ea, quæ Ariſtoteles IX. Nicom. 10. de numero amicorum diſſerit: ubi hac diſtinctione utitur, utilibus amicis neque nos egere debere, neque iiſdem abundare: jucundos ſufficere paucos, veluti cibo modicum condimentum ſatis eſt: honeſtos reperiri omnino perpaucos, atque ex his ipſis tot eſſe deligendos, cum quot commode poſſis eſſe, & συζῆν. Tandem concludit §. 22. his verbis: *Qui multis ſunt amici, omnibuſque familiariter utuntur, nulli videntur amici eſſe, præterquam civili more, quos ἀρέσκους appellant*. Proinde recte monet Cicero, id eſſe primum & maxime neceſſarium, ut amicis utamur fidelibus, ne iniquo ab illis tempore deſtituamur, ne conſiliorum noſtrorum ſint proditores, ne paraſitando opes noſtras abliguriant.

Noſtra mirantium) Ea enim ratione efficietur, ut fidelioribus uti poſſimus amicis, ſi non contemtui, & ludibrio nos habeant, ſi ludos & fucum facere non auſint, ſi noſtra prudentia aliorum calliditatem eludi, noſtra fortitudine aliorum temeritatem caſtigari, noſtra virtute, & juſtitia aliorum malitiam & fraudes opprimi poſſe viderint, eoque nomine nos admirati fuerint.

Hos

Digitized by Google

Hæc enim) Hæc res (*diligi*) tam eſt neceſſaria, & utilis, ut hactenus inter ſummos & mediocres viros vix aliquod diſcrimen ſit; quippe omnes amicitia indigent, cujuſque etiam conditionis fuerint. VIII. Nicom. 1. Civium tamen, aut multorum hominum honore, gloria & benevolentia non æque omnes indigent. Vt vero quiſque magis hiſce ſubſidiis inſtructus fuerit, ita ad plurimorum amicitias comparandas majorem habet facultatem. Qui igitur in magiſtratu, aut cum imperio, aut in re lauta ſunt, horum fortuna multas ad amicitias comparandas opportunitates habet.

CAPVT IX.

DVo ſunt noſtri libri) Hi nuſpiam hodie comparent; quamvis eos furto avertiſſe Petrum Alcyonium, eum, qui de Exilio ſcripſit, hic notat Aldus Manutius, & lectorem ad Pauli patris commentarium in lib. XV. ep. 27. ad Attic. remittit. Iſtorum vero librorum ſummam ſine dubio hic habemus.

Summa igitur) Perfectam gloriam non definit, ſed tres ejus partes eſſe dicit. Wolfius hic alias ſive deſcriptiones, ſive elogia a Cicerone gloriæ tributa collegit, quarum hæc non eſt contemnenda: *Gloriæ eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute.* Ευδοξια, inquit Ariſt. I. Rhet. 5. εστι το ὑπο παντων σπουδαιον ὑπολαμβανεσθαι, η τοιουτον τι εχειν, ου παντες εφιενται, η οἱ πολλοι, η οἱ αγαθοι, η οἱ φρονιμοι. Quæ ita Latine vertit Riccobonus: *Bona fama eſt, ſi quis ab omnibus virtute prælitus exiſtimetur, vel tale aliquid habere, quod omnes appetunt, vel multi, vel boni, vel prudentes.* Honorem ibidem ita deſcribit: Τιμη εστι σημειον ευεργετικης δοξης. *Honor eſt ſignum beneficæ opinionis.* Capite 7. ait, Honorem eſſe tamquam aliquod pretium, αξιαν. Capite 9. inquit: *Honeſta eſſe, quorum præmium ſit Honos.* Huic cum maxime adfinis Laus ſit: hanc eod. cap. ita deſcribit: Εστιν επαινος λογος εμφανιζων μεγεθος αρετης. *Laus eſt oratio, quæ indicat magnitudinem virtutis.* Capite 11. hæc legimus: *Et Honor, & Gloria eſt inter jucundiſſima, quia oritur phantaſia cuique, ſe talem eſſe, & probum. Itque magis, cum id adfirmant illi, quos exiſtimat vere dicere.* Ex his apparet, virtutem eſſe cauſam efficientem perfectæ Gloriæ, non tamen vulgarem, ſed excellentem: unde eleganter nonnemo Gloriam Laboris filiam nuncupat. Videtur quoque aliquis forſan ex aliis rebus, ων οἱ πολλοι εφιενται, *quæ vulgo expetuntur*, veluti donationibus, muneribus, & ſimilibus Gloriam ex Ariſtotelis ſententia ſibi comparare poſſe: ſed hæc ſine dubio non eſt perfecta; hujus enim cauſa efficiens eſt excellentior Virtus, quæ multis luculentius profuerit. Sic enim teſtimonium virtutis Laus, nec non Honor ſequitur, σημειον ευεργετικης δοξης. Gloria igitur in excellenti virtute fundata, videtur hæc omnia complecti. Addatur Iulius Pacius, magnus ille, & Philoſophus, & ICtus de Gloria.

Hæc autem) Modos tradere vult, quibus Gloria, aut ſingulæ ejus partes pariantur. Primo itaque adſerit, iiſdem rebus illam adquiri poſſe apud multitudinem, quibus apud ſingulos; quamvis præter hos modos etiam alii ſint aditus ad multitudinem, ſi vel eloquentiæ fuco, aut largitionibus, magnificis apparatibus, ac muneribus demulceatur. Loquitur igitur de Gloria viri Politici, quam ex civium benevolentia, per ea, quæ inculcat, ſtudia ſibi pepererit.

Ac primum) Gloriæ tres conſtituit partes, Benevolentiam, Fidem, Honorem cum admiratione. Singulæ ex illis quomodo adquiri poſſint, docet. Quia vero de Gloria non ſatis diſtincte aliquid definiverat, ita hactenus congeſta inſtruit Wolfius: *Gloriæ cauſa efficiens eſt Virtus: Forma, hæ tres partes; Materia, beneficia, voluntas benefica, comitas orationis: Finis, conciliare ſibi animos hominum, & ad uſus ſuos adjungere.* Hæc etſi non male dicantur, vix tamen limam Philoſophicam ſuſtinebunt. Cur enim, quæ ad formam Gloriæ pertinent, non in debitam definitionem concinnantur; ſic etiam de reliquis cauſis res foret liquida?

Beneficiis) Primus modus captandi benevolentiam, & quidem, uti innuit, præcipuus conſiſtit in benefaciendo. *Honorantur*, inquit Ariſtoteles I. Rhet. 5. *juſte quidem, & maxime illi, qui benefecerunt. Imo & is honoratur, qui poteſt benefacere*. Pro magnitudine igitur beneficiorum Honor, & Gloria ſuam habet ἀξίαν. Vnde vero æſtimabimus Beneficiorum gradus? Hoc forſan ex ipſa Beneficii natura intelligemus, cujus varii ſunt modi. Laudatus modo Philoſophus ita docet d. c. *Beneficium eſt vel ad ſalutem, & quæcumque ſunt cauſæ, cur ſimus; vel ad divitias, vel ad aliquod ex aliis bonis, quorum non facilis eſt poſſeſſio, vel omnino, vel ibi, vel aliquando. Multi enim ob illa, quæ parva exiſtimantur, honorem conſequuntur, ſed modi, & occaſiones cauſæ ſunt*. Conjicere hinc licet, quanta benevolentia, honore, & amore quique ſuos benefactores debeant complecti, qui varii ſunt pro varietate ſocietatum, & amicitiarum, de quibus prolixe lib. VIII. & IX. Nicom. docetur.

Benefica voluntate) Alter modus parandi benevolentiam conſiſtit in benefica voluntate, & tenuioris ſortis homines proxime concernit. Quibus enim facultas ſuppetit, tum demum benevolentiam ſolide promerebuntur, ubi ipſam προαίρεσιν facto expleverint. Alius conditionis homines vel ſola προαιρέσει ſibi benevolentiam conciliare poſſunt. His adfinia ſunt illa Ariſtotelis IV. Nicom. 1. §. 37. *Non in multitudine eorum, quæ dantur, ſed in habitu ejus, qui dat, ſita eſt vis hujus virtutis*. (De Liberalitate loquitur.) *Hic autem habitus dat pro facultatibus. Itaque nihil prohibet, quo minus liberalis ſit, qui pauciora donat, ſi modo ex paucioribus donet*. Pertinet huc judicium Servatoris, liberaliorem fuiſſe viduam reliquis omnibus, etiamſi non niſi obolum in ærarium pauperum intuliſſet.

Vehementer) Opinione & Fama etiam benevolentia paratur, cumprimis multitudinis. Hæc autem Fama talis eſſe debet, ut quis celebretur liberalis, juſtus, candidus, omnibuſque iis ſit ornatus virtutibus, quæ τὸ ἐπιθυμητικὸν moderantur, & manſuetudinis, morum facilitatis appellatione hic veniunt; niſi forte hæc vocabula potius a Cicerone hic generaliter videantur poni, pro ſuavi & ſingulari morum cultura. Hujuſmodi ergo opinionem non poſſumus, niſi exercitio virtutum, beneficentiæ, juſtitiæ, aliarumque excitare. Ea enim vis eſt Honeſti, & Decori, ut, qui non ſit plane improbus, & ſaltem aliquam probitatis particulam poſſideat, non poſſit non illas virtutes in altero adamare; & bene de ipſo opinari.

A natura ipſa) Ipſius naturæ ductu. Cum enim Amor ſibi ſemper propoſitum habeat Bonum amabile, ad illorum amorem inprimis excitabimur in quibus illæ virtutes, de quibus paulo ante dixit, reſplendent.

Fides) Pergit docere, quomodo alteram Gloriæ partem, Fidem nobis conſequi liceat, videlicet Prudentia adſociata Iuſtitiæ. His enim virtutibus qui præditus eſt, ei quis non res ſuas committat, & fidem habeat? Nam & Intellectus ipſius practicus ad omnes caſus temporumque momenta recte eſt inſtructus per Prudentiam: & appetitus cum aliis virtutibus, tum præcipue juſtitia eſt manſuefactus, ut ſuum cuique tribuat, nil alienum ſibi, aliiſve vindicet, συναλλάγματα bona fide ineat, pactiſque inhæreat. Iuſtitiam vero hic latius uſurpat, quia Iuſtos, & Fidos appellat Bonos καλοκἀγαθοὺς. Et paulo poſt, quam hic Iuſtitiam, appellat Probitatem. Secundum Ariſtotelem ad εὐβουλίαν, quæ Prudentiæ pars eſt, requiritur, ut ad bonum finem omnis conſultatio dirigatur, per media licita & accommodata, juſto tempore adhibito, nec celeriori, nec longinquiori. VI. Nic. 9. Ipſa prudentia ab illo definitur, quod ſit habitus cum ratione vera conjunctus, ad agendum idoneus, in iis occupatus, quæ homini bona, & mala ſunt. VI. Nic. 5. §. 9.

Harum igitur) Ad fidem comparandam etſi requiratur & prudentia, & juſtitia; hujus tamen in illa adquirenda majorem auctoritatem eſſe docet, ac prudentiam ſine juſtitia nil niſi verſutiam eſſe arguit. Poſtre-

mum

Digitized by Google

mum hoc eſt veriſſimum; quo enim quis ingenioſior eſt ad injurias inferendas, eo eſt ad malitiam verſutior. Interim mente quidem, non tamen reapſe licet ſeparare alteram ab altera. Qui enim quis juſtus eſſe poterit ſine prudentia, aut prudens ſine juſtitia? Cogitatione has ſi ſepares, ſimplex profecto juſtitia melior eſt, quam multiplex, & intricata verſutia. *O bona ſimplicitas, quæ abſque malitia mala eſt*, inquit Comicus. Sic, quamvis reapſe juſtitia ab amicitia ſegregari nequeat, Ariſtoteles tamen etiam *θεωρητικως* illas ſecernens, Amicitiam præfert juſtitiæ. VIII. Nicom. 1. Si igitur verum eſt, ut, quo quiſque eſt juſtior, & prudentior, eo majorem fidem inveniat; non poteſt non ſequi, eo minus poſſe illam quem conſequi, quo fuerit callidior. Habet enim principium ad nocendum promtum paratumque, Mentem perverſam. Tali vero quis fidem habebit, ſeque ſuaſque res committet? Add. Ariſt. I. Polit. 2. ſub fin. Et Machiavellum in Principe c. 18. ibique Conringii Animadverſiones.

CAPUT X.

SEd ne) Merito quis Ciceroni objeciſſet, ac ſi parum memor fuiſſet Stoicæ ſententiæ, qua individuam virtutum copulam conſtituebant, adeoque fruſtra disjungi a juſtitia prudentiam. Hoc ita removet, dum dicit, eſſe duplex diſputandi genus: unum limatum, alterum populare. Si igitur *επιστημονικως*, & exacte rem perpendas, & theoriam ad ipſam naturam & conditionem *των πρακτων* applices, fieri nequit, ut vel hæ, vel aliæ virtutes dirimi poſſint. Sin vulgi opinionem uſumque loquendi ſequaris, poſſis etiam non ſolum in concreto juſtos a fortibus, & ſic in ceteris, ſemovere; ſed & in abſtracto conſiderare ſingularum virtutum vim, quid quæque, ſi ſibi ſola relinqueretur, eſſet forte effectura. Confer lib. I. cap. 5.

Erat) Tertia Gloriæ pars eſt Honor cum Admiratione; quæ quibus rationibus item adquiratur, proponit. Admirationem excitare ſolemus, ſi magna, ſi inopinata, ſi excellentiora noſtra bona eſſe alii animadverterint, quemadmodum experientia comprobat. Hanc Admirationem mox excipit Honor, & Laus, teſtes præconeſque iſtorum bonorum ſeu virtutum. Pertinent huc ea, quæ Ariſtoteles *περι μεγαλοψυχιας de Magnanimitate* diſſerit IV. Nic. 3.

Deſpiciunt) Declarat hoc ex contrario. Sicuti Admiratio propter magna, & inexſpectata bona excitari; ita in quo nihil eſt virtutis aut nervorum, hoc eſt, qui nullius ingenii eſt, ſocors & ſegnis, contemni ſolet. Contemtus enim oritur inde, ſi quid vile, tenue, & nullius pretii videatur. *Quamprimum*, inquit Carteſius part. I. de Paſſionib. artic. 53. & 54. *nobis occurrit aliquod inſolitum objectum, & quod novum eſſe judicamus, aut valde differens ab eo, quod antea noveramus, vel ſupponebamus eſſe debere, id efficit, ut illud admiremur. Admirationi igitur juncta eſt Exiſtimatio, vel Contemtus, prout vel magnitudinem, vel parvitatem objecti admiramur.* Si ergo contemnuntur, quæ per ſe ſunt vilia & abjecta; quantopere contemnentur ea, quæ ita ſunt vilia, ut admirationem ſui excitent?

Non enim) Male exiſtimamus de iis, qui vel vitioſi ſunt, vel ſaltem tales præſumuntur. Hos vero non ſimpliciter contemni ſolere ait. Cur quæſo? quia in quibuſdam multum eſt nervorum, magnumque habent acumen, & ingenii vim ad magna, inopinata & inſignia mala edenda: quales non contemnendi, ſed diligenter obſervandi ſunt, cum etiam, qui optime cavit, ſæpe cautor captus ſit a tam vafris hominibus. Contemtus quam vim habeat cum ad alias Reſp. tum inprimis tyrannides diſſolvendas, tradit Ariſtoteles V. Polit. 10. Parere vero ſolent contemtum ignavia, negligentia, voluptates, luxus, ætas, ſexus, generis ignobilitas, clades aliqua accepta, aut infelicitas, infirmitas denique, & parvæ opes. Admirationem vero cumprimis merentur optimi quique viri, aut ſaltem, qui iis vitiis ac malis carent, quæ modo enumerata ſunt, eaque immoto animo ſuſtinent, quibus vincendis alii ſunt impares. Poſtremi generis

quæ

quæ ſint, mox recenſet. Quo igitur excellentiore quis virtute eſt præditus, eo majorem admirationem, & honorem ſibi comparabit.

Qui nec ſibi nec alteri) Vide Eraſmum in Adag. p. 285.

Nam & voluptates) Vt quidque difficillimum eſt, ita maxime in eo Ars, & Virtus occupata eſt, inquit Ariſt. II. Nicom. 3. §. 21. Reſiſtere autem Voluptatibus, & Doloribus, eſſe difficillimum experientia comprobat. Heraclitus etiam exiſtimavit, facilius iræ, quam voluptati obſiſti poſſe. Quæ de Voluptatum blanditiis, dolorumque facibus addit, eleganter quoque explicat Philoſophus. *Voluptatis*, inquit, *illecebris ad turpes atque improbas actiones invitamur, & doloris aculeis ab honeſtis avocamur, & deterremur*. II. Nicom. 3. §. 5. *Qui voluptate, aut dolore correptus eſt, ei ſtatim principii videndi facultas eripitur: neque is animo cernere poteſt, ſe hujus rei cauſa, & propter hanc cauſam omnia aptare atque agere oportere*. VI. Nicom. 5. §. 15. Qui igitur utramque fortunam, & omnia illa, quæ vel voluptatem, vel dolorem adferre poſſint, qualia ſunt, vita, mors, divitiæ, paupertas, excelſo animo decenter ſuſtinere ſciunt, hi præ aliis ex virtute ſua admirationem conſequuntur: atque hos ſub idea Magnanimi viri depingit Philoſophus. IV. Nicom. 3.

CAPVT XI.

Ergo & hæc) Denuo repetit, Gloriam cum Admiratione conciliari per Prudentiam, (quam hic *animi perſpicientiam*, paulo ante *intelligentiam* appellabat) & juſtitiam, magis tamen per hanc, quam iſtam. Eſt enim pervulgatum illud juſtitiæ pretium & excellentia, ut ſi quis hac una ſolum præditus, nec aliis conſpicue ornatus videatur, Bonus tamen vir propter illam audiat. Sane populariter ſi hoc accipias, ex quaque fere virtute, cumprimis juſtitia, boni viri nomen ſolet ei imponi, qui præclariorem aliquam hujus aut alterius actionem prodiderit. At limate, & *ἐπιστημονικῶς* ſi hoc conſideremus, verum hoc non eſt, niſi de univerſaliter juſto: qui ſecundum Philoſophum poſſidet *ὅλην τὴν ἀρετὴν*, *virtutem omnigenam*.

Nemo enim) Poteſt profecto hæc vel maxime, & licite timere vir juſtus; at ita non debet timere, ut horum effugiendorum cauſa aliquid juſtitiæ officiis vel honeſtati decedat. Præterea quoque eſt veriſſimum, non poſſe eſſe juſtum, qui pluris faciat divitias, vitam copioſam, aliaque ejuſmodi bona, quam juſtitiam & honeſtatem. Hinc admirationem ſui inſignem illi cient, qui ſanctas habeant manus, nec pecunia aut prenſationibus ſe corrumpi patiuntur. Cujus innocentia ita explorata, tamquam aurum ab omni ſcoria igne purgatum, laudari ſolet: ipſique illi abſtinentes viri digniſſimi cenſentur ſpectatu, hoc eſt, qui in honoribus, magiſtratibus conſpiciantur, & ab aliis colantur, obſerventurque, quandoquidem rariſſimi ſunt ii, qui ad illos ſcopulos non faciunt naufragium. Democritus divitias projecit, onus illas bonæ mentis exiſtimans. Sen. de Provid. c. 6. Fabricius Pyrrhi regis aurum repulit, majuſque regno judicavit, regias opes poſſe contemnere. Sen. Ep. 120. Nuntiato naufragio, Zeno, cum omnia ſua audiret ſubmerſa: *Jubet*, inquit, *me fortuna expeditius philoſophari*. Sen. de Tranquill. c. 14. De Cratete videatur Laertius in ejus vita.

Itaque) Tres Gloriæ partes, Benevolentiam, Fidem, & cum admiratione Honorem, juſtitiæ cumprimis effectus eſſe ait, ſic ut in his producendis nullius rei aut virtutis alius tanta ſit vis & auctoritas.

At mea) Nulla eſt ſocietas hominum, nec ullum vitæ genus, quæ non adjumenta vitæ, ſeu bona utilia deſideret. Vt autem vere ſint utilia, & homo homini in ſocietate proſit, neceſſe eſt illam ſocietatem certo jure regi: ceu pluribus ab Ariſtotele VIII. & IX. Nicom. docetur. Hinc denuo occaſionem arripit Cicero juſtitiam extollendi. Poſito enim hoc, nihil eſſe utile, niſi quod etiam honeſtum ſit, hoc eſt, quod honeſtati non repugnet, ſane non poteſt a ſocietatibus humanis abeſſe juſtitia, quod abſque hac vitæ adminicula credita forent hominum nocumenta.

Inprimiſque) Vitæ enim conſuetudo,

cui

Digitized by Google

mi ſermo inſervit, præcipuum mutus eſt ac vinculum ſocietatis, & amicitiæ: uti pluribus docet Ariſtotees IX. Nic. c. ult.

Niſi ſpeciem) Vitæ conſuetudo ac amiliaritas, utut neceſſaria, non tanen recte coli poteſt, niſi ſis vir onus, vel ſaltem boni viri opinioem de te excitaveris. Bonum vium autem ex ſola juſtitia denomiari ſupra dixit. Unde concludit itae rgo ſolitario homini, hoc eſt, cum aucis, in agro fortan degenti, etam juſtitiæ opinio neceſſaria eſt; & uidem tanto magis neceſſaria, quod ui non exiſtimetur juſtus, occultis ominum judiciis damnatus, habeatur njuſtus, & per conſequens ad vitæ ocietates, harumque adjumenta conferenda ineptus. Unde fit, ut ab omniis deferatur, & nullis præſidiis ſetus omnium inſultibus ac injuriis ſit xpoſitus. Hoc ſi diligentius perpenerent ii, quibus in more eſt Punica des, quique fidem tempori, & loco, ut fortunæ nutibus accommodant, eque magnam vel fœderum, pactoum, aut juramentorum religionem abent, deprehenderent utique, contra propria commoda ſe laborare, & ejus olim ſe deceptum iri, quam ipſi mquam deceperint. Cumque numquam eſint adſentatores, qui fallendi artes rincipum animis inculcant, memiiſſe hi debebant, facere iſtos, quod ocent.

Atque his) Quicumque illi fuerint, ui amicitiam utilem contraxerint, eceſſe eſt juſtitiam adhibeant, quæ ebitam ubique æqualitatem conſeret, ne ſi hic plus acceperit, alteri inus ſit relictum, diffidia, & ex iffidiis ſocietatum diſſolutio oriatur. Nullum igitur dubium eſt, quin & is, qui ἑκουσίοις συναλλάγμασι amiciiam ſuam exercent, opus ſit juſtiia, quam ideo συναλλακτικὴν vulgo ppellant, Ariſtoteles διορθωτικὴν V. Nic. paſſim.

Cujus tanta) Tanta juſtitiæ in ſoietatibus eſt neceſſitas, ut nec laronum aut piratarum ſocietas ſine uſtitiæ particula ſeu imitamento conſiſtere queat. Recte quidem hinc colgi poteſt juſtitiæ ſumma neceſſitas: n vero hæc proprie ſit juſtitia, quæ n ſocietate latronum obtinet, merito dubitatur. Expedit rem Philoſophus II. Nicom. 4. *Agunt quædam juſta, non juſte: plurima vero agunt non ſolum injuſta, ſed & injuſte.* Non igitur eſt illa proprie juſtitia, ſed alius quædam particula, uti Cicero ait, vel potius umbra. Quemadmodum igitur latronum, & ſimilium hominum non eſt proprie Societas, ſed potius Factio; ſeu colluvies; ita nec proprie dicta, ſed ſpeciem ejus mentita juſtitia illi nebulonum turbæ præeſt.

Imperatoreſque) M. Ventirius, & poſt Cn. Plancius, prætores. Vid. Livius, & Florus.

CAPUT XII.

Mihi quidem) Pluribus juſtitiæ neceſſitatem declarat, quod hujus deſiderio, & ingenti uſu Reges olim conſtituti, legeſque conditæ fuerint. Hos vero Reges appellat *bene moratos.* Multi enim regio imperio ſunt aut fuerunt præditi, nec tamen ita ſunt morati, ut propter ſingularem virtutis & juſtitiæ opinionem, ſicut olim, eligerentur. Ariſt. III. Polit. 11. p. 204. *Hanc ob cauſam Regum poteſtati ſe olim tradebant, quia rarum erat invenire viros multum virtute præſtantes.* Et cap. 12. ejuſdem lib. p. 215. *Quapropter erit & diſciplina eadem, & mores iidem ferme, qui virum bonum faciunt, & qui faciant Reipub. adminiſtrandæ regnoque idoneum.* Nulla igitur virtus Reges magis decet, quam regina virtutum juſtitia.

Eædemque) Et Reges, & Leges propter neceſſariam juſtitiæ adminiſtrationem ab hominibus fuerunt conſtitutæ. Reges vero intelligit virtute omnibus aliis excellentiores; hi enim inſtar vivæ legis erant, quemadmodum Prætor apud Romanos, παμβασιλεὺς apud Ariſtotelem. Quia autem nec appetitus hominis facile coerceri poteſt, & rariſſime talis aliquis inventus fuit, leges conditæ ſunt, omnis adſectus, quo judicia corrumpi ſolent, expertes. Hinc ita Ariſtoteles III. Polit. 12. p. 208. *Qui Mentem jubet imperare, videtur jubere imperare Deum atque Leges. Qui vero jubet Hominem, adjungit & belluam. Cupiditas enim hujuſcemodi quiddam eſt. Atque ex-*

can-

Digitized by Google

eundeſententia eos, qui imperium habent, diſtorquet, & optimos etiam viros. Quare Lex eſt ſine appetitione mens. Hoc eſt, quod Cicero mox dicit, Leges cum omnibus ſemper una atque eadem voce loqui.

Neque enim aliter) Hoc pluribus demonſtratur V. Nicom. 3. ubi tamen probe obſervandum eſt, quod illa æqualitas in civitate duplex ſit, Geometrica, & Arithmetica. De utraque videri poterit paſſim Ariſtoteles in Ethicis & Politicis. Quod ſi illi veteres populi, de quibus loquitur Cicero, Reges nacti fuiſſent non ſolum juſtos, ſed & prudentes, ἀκμὴν & faſtigium humanæ felicitatis ſe conſecutos eſſe non immerito arbitrabantur. Bonus enim idemque prudens Rex nihil differt a bono paſtore, imo a bono parente; uti eſt apud Xenophontem.

Ipſa propter ſe) Inter alias enim conditiones, quæ ad genuinæ virtutis exempla pertinent, etiam hanc exigit Ariſtoteles II. Nicom. 4. §. 10. ut agens agnoſcatur talia ſuſcipere προαιρούμενος, & quidem προαιρούμενος δι' αὐτά. Ut adeo ipſius juſtitiæ amore juſta juſte ſint peragenda.

Nam aliter) Si quis juſtus eſſe ſtuderet, non ipſius juſtitiæ & honeſtatis amore, ſed ſuas actiones ad gloriam aut divitias unice, aut primario referret, minime juſtus, ſed prorſus alius foret. Sin juſtum per ſe expetat, detracta omni conſectatione utilitatis, & extrinſecus nihilominus obveniant honos, gloria, & ſimilia; tamquam ſuæ virtutis teſtimonia recte admittere, eorumque rationem habere poteſt.

Sed ut) Quæ actiones circa τὰ χρήματα commendantur, eaſdem Gloriæ ait eſſe accommodandas. Primo itaque in laude eſt, ſi licitis modis pecuniam adquiramus: deinde ut ea recte utamur, vel ad neceſſarios, vel ad liberales uſus. Sic etiam *ratione*, hoc eſt, prudenter debitiſque modis Gloria quærenda eſt, & collocanda. Quibus autem rebus ac præſidiis illa quæratur, ſupra cognitum fuit. Iiſdem officiis, & actionibus erit collocanda, ut ſubinde novas Gloriæ collectæ ſtricturas & commoda, tamquam fœnus quoddam percipias, dum magis magiſque tuam virtutem veneratur & admiratur multitudo, maioremque fidem ac benevolentiam tibi tribuit.

Quamquam) Quod attinet Gloriæ acquiſitionem, oſtendit ſibi placere Socratis ſententiam exiſtimantis, eam partu ſic fore facillimam, ſi quis quam optimus eſſet. Gloria enim non poteſt, niſi virtutis eſſe præmium. Illam igitur qui expetit, neceſſe eſt, ut ex iis rebus quærat, ex quibus unice ſcit illam efflorеſcere. Si ergo vir bonus haberi velis, & magnus ex virtutibus, ſis quoque talis oportet. Quam vanum enim ſit, velle ſibi conſtantem gloriam ex mentita probitatis ſpecie polliceri, mox oſtendit, & rationem hanc innuit, quod hujus nullum ſit fundamentum, vera autem Gloria radices agat in virtute, & per tales actiones magis magiſque ad immortalitatem nominis propagetur. Confer lib. I. c. 19.

Nec ſimulatum) Nam vel ab aliis larva iis detrahitur, aut ipſi ſe ſuo indicio produnt, quando ad ingenium redeunt. Vide Conringii Animadv. ad Machiavelli Principem cap. 18. Exemplo ſit Tiberius, qui ſecreti licentiam nactus, & quaſi a civitatis oculis remotus, cuncta ſimul vitia male diſſimulata tandem profudit. Suet. in vita c. 42.

Teſtes) Vel una Gracchorum familia comprobari poſſe ait, cum veræ, tum adfectatæ Gloriæ conſtantiam & inconſtantiam. Conſulatur hiſtoria Romana. Nam Grammaticis, & Hiſtoricis commentationibus nobis ſingularem ac prolixam operam impendere decretum non eſt; ceu initio Operis monitum eſt.

Qui igitur) Ex his concludit, neminem poſſe gloriam juſtitiæ, & ad eumdem modum aliarum virtutum ſibi parare, niſi officiis juſtitiæ. Hanc cur ſpeciatim deſignet, ex ſuperioribus notum eſt. Et quæ eſt ratio quærendi gloriam per officia juſtitiæ, eadem quoque eſt ratio ejus fœnori collocandæ, ut illud ex frequenti cum juſtitiæ, tum aliarum virtutum exercitio colligas: qua de re jam ante etiam aliquid fuit dictum.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Sed ut) Etſi maxima ſit difficultas, ut quis ſit Bonus, & Juſtus, & per conſequens Gloria dignus; non tamen, & nulla eſt, ut alis ab aliis agnoſcaris, & honore adficiaris. Hujus ergo rei quædam præcepta præſcribit.

Nam ſi) Si quis ſit genere nobilis, ut patre natus meritis, aut genere præclaro, aut caſu quodam alio, non ita induſtria; is uti cauſam habet conſervandæ celebritatis ab ipſa ineunte ætate, & ab omnibus attente obſervatur, ita provide rerum ſuarum ſatagat, ut nec dicto nec facto peccet, ſed a teneris adſueſcat, ut alis videatur, qualem eum fore vel natalium dignitas, vel alia felicitas augurata fuerit, vel optimi quique ſpe ampla ſibi promiſerint.

Quorum autem) Qui obſcuro loco nati ſunt, & emergere volunt, ad magna contendent, & talibus intererunt, & per recta ſtudia virtutum tum mentis, tum morum ad ſimilia adſpirabunt; ſic & ipſi paulatim Gloriæ limen contingent. Nec vero propter conditionis tenuitatem deſpe ent, ſed confidenter Gloriam ſectentur, eo illos confirmat, quod ſeniores non invidere, ſed favere potius teneræ generoſæque ætati ſoleant. Pares enim aut æquales ſibi invicem multa obſtacula ex invidia ponere ſolent, nimiæ excellentiæ, aut potentiæ metu. At in adoleſcentibus laudatur erectus animus, & honeſta æmulatio. Exempla, quibus hæc illuſtrentur, legere eſt apud Manutium. Licet autem non male ita doceat Cicero, frequentiſſime tamen ipſius oinio ſucceſſu deſtituitur; quia non ſolum inter ætate aut conditione æquales, ſed & his inæquales invidia agrat, ipſaque juventus per ſe fere contemni a ſenioribus ſolet, atque remi, ubi de honoribus eſt contentio.

Prima) Inter recta illa emergentis ſtudia ponit bellicum: quod in Rep. Ro. verſanti, quæ omnes alias gentes belli gloria obtriverat, non potuit non eſſe commendabile. Hoc vero ſtudium uti nobilibus, ita obſcuro loco natis viam non minus ad Gloriam & nobilitatem aperit, veluti Mario, aliiſque. In Rep. quoque Turcica, aliiſque rei militari inſigniter addictis populis hæc expeditiſſima ad Gloriam via eſt. Hinc ita Marius apud Salluſtium loquitur: *Contemnunt novitatem meam, ego illorum ignaviam. Mihi fortuna, illis probra objiciuntur. Quamquam ego naturam unam, & communem omnium exiſtimo, fortiſſimum quemque generoſiſſimum eſſe.* In theſi tamen loquendo pacis artes præſtantiores ſunt bellicis, quod bellum pacis gratia geratur. Et ipſe Cicero lib. I. Off. togatam fortitudinem ſagatæ prætulit.

Tua autem ætas) Commoda digreſſione laudat hoc ſtudium in filio, & ſubindicat, recte tamen ab illo factum, quod ab illo ad Philoſophiam ſe contulerit; illam enim fuiſſe tempeſtatem, & bellorum civilium fortunam, ut Pompeiani nimis infelices, Cæſariani nimis injuſti fuerint, & jura divina, ac humana proculcaverint, uti ſupra lib. I. dicebat. Nec tamen ita cupidi debemus eſſe gloriæ, ut quælibet bella, etiam injuſta ſequamur: id quod bona conſcientia tanto minus fieri poteſt, quod ſæpe abſtinendum ſit bellis, ubi etiam eorum juſtæ poſſint ſubeſſe cauſæ: ceu præclare oſtendit Grotius II. de I. B. & P. cap. 24. Et profecto perquam eſt lubricum, perinde ut alia vitæ genera, ita quoque bellicum, ceu cuivis licitum patefacere, & commendare: cumprimis ut nunc ſunt & tempora, & bella.

Mihi autem) Revocat orationem ad generaliora Officiorum præcepta.

Ut igitur) A Belli ſtudio ad ingenii exercitia tranſit, ſic ut hæc iſti longe præferat. Bella enim, præcipue ſi milites ſpectes, potiſſimum corporis viribus peraguntur; imperatoribus autem, & multo, & magno conſilio opus eſt: in quo ſæpe togatorum prudentia adjuvantur, aut reguntur. Cum Guiſiani bellum contra Hugonottos in Gallia molirentur, diſſuadente id Hoſpitalio Cancellario, togatæ illius conditioni non convenire iſti dixerunt de bello decernere: quibus ille reſpondit, arma quidem ſe tractare manibus non didiciſſe, ſed

ex

Digitized by Google

ex libris de cauſis & rationibus belli gerendi & omittendi ſe ſatis edoctum eſſe.

Prima) Etſi juvenis bellico ſtudio ſibi Gloriam parare poſſit; quia tamen vel bellum eſt improbum, vel viribus cum corporis, tum animi, quibus hæc ætas fere deſtituitur, geritur; ſunt etiam alia ſtudia & virtutes, quæ in illa commendantur, patentemque ad Gloriam viam habent, cumprimis Modeſtia σωφροσύνη, εὐταξία, & εὐκαιρία, Pietas in parentes, neceſſaria juſtitiæ pars, ut & benevolentia erga propinquos, & amicos.

Facillime) Quemadmodum magnam virtutis opinionem de ſe concitant, qui eos ſectantur imitanturque, quorum prudentia & opera Reip. magnopere profuit; ita ſpes hinc concepta Gloriæ, & Honoris primitias mox exhibet. Sic, qui ſtipendia meruerit ſub celebri imperatore, & illum Martis pullum fore conjicimus. Si præclari Oratoris, aut ICti ſcholam, vel domum ſectatus fuerit, in his ſtudiis illum præſtiturum aliis, non immerito auguramur. Ipſum enim illud ſtudium ſectandi tales viros indicat animum emergendi cupidum: & celebritas ac virtus eorum, quos ſectetis, confirmat opinionem de facultate conceptam, poſſe videlicet illos ſectatores, ſive ex doctrina, ſive exemplo ſuorum magiſtrorum illam præſtantiam conſequi: cui opinioni jam tum annuit fortunæ, & gloriæ favor. Atque hoc ipſum illuſtrat exemplis quorumdam Romanorum.

P. Rutilii) P. Rutilius opinionem innocentiæ (quod abſtinentes habiturus eſſet manus) & juris ſcientiæ ex conſuetudine P. Mucii Scævolæ obtinuit. At Craſſus juvenili ætate tantum in eloquentia profecit, ut non aliunde, ſed ſua ſibi induſtria magnam gloriam compararet; videlicet cum C. Carbonem, eloquentiſſimum hominem, magna cum admiratione, & applauſu accuſaſſet. Atque æmulus hac in re fuit Demoſthenis, ſummi Oratoris, qui incredibilem eloquentiæ ſtudio gloriam conſecutus eſt. Imo viciſſe videtur Demoſthenem L. Craſſus, quod qua ætate iſte propter exercitium, & diſciplinam artis oratoriæ laudem promeritus eſt, ea Craſſus jam in foro ſuam eloquentiam oſtendit, tanta facundia, ut nihil præmeditatus fuerit, laude licet digniſſimus, ſi bene præparatus ac meditatus ea ætate in forum veniſſet.

CAPVT XIV.

SEd cum) Præcedentis exempli acceſſione docet, quantum gloriæ quærendæ ſubſidium ſit eloquentia. Dividit vero ſermonem in Familiarem, & Contentioſum, uti lib. I. c. 37. Hoc proprie utitur Eloquentia, iſto Comitas, & Affabilitas in ὁμιλίᾳ. Hæ quidem multum faciunt ad conciliandam gratiam, at plus longe Eloquentia ad gloriam confert, ubi illa vim ſuam omnem laxaverit. Vide, quæ notavimus ſupra ad lib. I. c. 4. & 37. Hortenſii oratoris imago in palatio erecta; fuit enim gentile domus bonum, Eloquentia. Tacit. II. Ann. c. 37. Fama in poſteros, præmium eloquentiæ pulcherrimum. Idem lib. II. c. 6.

Extant) Quid poſſit Comitas illa, & ubi præcipue locum inveniat, exemplis declarat; ea ſcilicet & horrida plebs, & durus miles deliniri poteſt. Eleganter quoque Poetæ obſervatum eſt, quo pacto tumultuans ignobile vulgus ſedari ſoleat. Verſus ejus merentur hic legi:

Tum pietate gravem, ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Quæ autem) Quanta eloquentiæ vis ſit ad gloriam parandam apud multitudinem, explicat. Sic vero adoleſcenti maxime ad illam prodeſt, ſi ineſt in oratione mixta modeſtiæ gravitas. Modeſtia enim hanc ætatem præcipue decet. Sed rarum hoc eſt mixturæ genus, uti ait Petronius.

Sed cum ſint) Eloquentia in diverſis cauſarum generibus verſatur. Si enim dicimus in Senatu, Senatoria; ſi in foro, forenſis; ſi ad populum, concio appellatur. Ex his maximam admirationem, & gloriam parere forenſem ait. Hæc autem conſiſtit vel in accuſando, vel defendendo. Vtroque

Digitized by Google

que laudem paraveris, modo ne ſæpe accuſationem inſtituas. Nam apud Romanos Accuſationis munus quodammodo probro fuiſſe conſtat. Sigon. l. II. de Iudic. cap. 9. Quandocumque igitur hoc onus in te ſuſceperis, vel patrocinii, vel Reip. præprimis cauſa id facias: aut ſi ſæpe idem tractaveris negotium, ut id omne ad Rempub. referatur; alias ſane pro gloria ingentem tibi invidiam conflabis. Modus quoque adeſſe debet, ne ſi ſæpe accuſes alios, & in diſcrimen capitis, & fortunarum adducas, vel ut inhumanus, vel ut ſycophanta traducaris, multorumque odia & pericula incurras. Cicero quidem ſcribit, ſe per tres amplius dies Verrem accuſaſſe, quod ipſum verbo hic tangit: eumdem vero Cornelium per quatriduum defendiſſe, tradit Aſconius. De Accuſatione, & Defenſione vid. Sigon. d. lib. c. 17. & 18.

Atque etiam). Cumprimis vitandum eſſe monet, ne eloquentia abutamur ad innocentes per calumniam opprimendos. Bene igitur ille Iudex dicebat, præſtare, decem nocentes abſolvere, quam unum innocentem condemnare: quam ſententiam etiam expendere, & amplecti debent accuſatores. Hæc malitia ut a Iudiciis Ro. abeſſet, variis præſidiis quæſitum fuit, juramento calumniæ, inſcriptione, SCto Turpiliano. Dd. ad tit. Inſt. de pœn. tem. litig. tit. C. de jurejur. prop. calum. dando l. 2. §. ult. & l. 3. §. 1. ff. de accuſ. l. ult. C. de injur. l. 3. C. qui accuſ. poſ. l. pen. C. de accuſ. De SCto Turpiliano extant quoque peculiares tit. ff. & C. Apud Ammianum Marcellinum lib. XVIII. Delphidius orator; *Ecquis nocens poterit eſſe umquam, ſi negare ſufficerit?* Cui Iulianus Imp. *Ecquis*, ait, *innocens eſſe poterit, ſi accuſaſſe ſufficiet?* In judiciis igitur bene conſtitutis debita ſeveritate puniri debet advocatorum calumnia, reprimi immodeſtia, caſtigari linguæ petulantia.

Nec tamen) Proponitur hic ardua quæſtio, an recte quis poſſit patrocinari homini impio, & nefario? Sane quod adfert de conſuetudine, nihil eſt. Quid enim ſi illa mala ſit, & contra bonos mores? Nec facile hoc defendat Humanitas: *Bonis enim nocet, qui parcit malis*. Et quamvis nemo pœnis ac ſuppliciis hominum etiam peſſimorum delectari debeat, non tamen ſceleribus eſt connivendum, & intempeſtiva clementia adſectanda; illecebra quippe peccandi ſpes impunitatis eſt. Multitudo quod ita velit, non ſemper ea propter rectum eſt; niſi forſan multitudo tumultuetur, & ſeditionem ſpiret; tunc enim locum habet illud in Politicis toties obſervandum; *Ex malis minimum*. Cum autem Cicero hujus adſertionis temeritatem facile agnoſceret, tali adminiculo illam fulcire ſtudet, tanto confidentius facinoroſi hominis cauſam agere, & ornare poſſe cauſidicum, ſeu oratorem, quod huic ſæpe propoſitum ſit τὸ πιθανόν, & veriſimile; judicem itaque debere tanto eſſe prudentiorem, & ipſum verum inde eruere. Longe vero aliud docet Ariſtoteles Rhet. I. ubi dicit, Areopagitas nullos admittere voluiſſe in ſuum judicium Oratores, qui adfectus cierent, aut fucum incruſtata oratione facerent. *Non enim*, inquit, *oportet Iudicem pervertere ad iram excitando, vel invidiam, vel miſericordiam: quia id ſimile eſt, ac ſi quis, qua uſurus eſt regula, eam reddat perverſam*. Sed & ipſe Cicero noſter vim veritatis facile pervidit; ideoque dicit, ſe Panætii auctoritate inductum hoc ita ſcripſiſſe, quod alias defendendum non ſuſcepiſſet, præſertim φιλοσοφικῶς de talibus diſputans; nam in foro Panætii dogma ſæpe ſecutus eſt: & in Cluentiana, ſe fucum feciſſe Iudicibus, jactitat. Hinc cum aliquando Numatio patrocinatus eſſet, atque abſolutus ille neceſſarium Ciceronis poſtularet Sabinum, eo proruptiſſe Ciceronem ira ferunt, ut jactaverit: *Quid? an tu ex illo judicio tua, Numati, evaſiſti innocentia? annon mea opera, qui multum caliginis lumini offudi tribunalis?* Plutarch. in vita Cicer. Ceterum nondum dubitatio hæc ſublata penitus eſt, adeoque quæri poſſit, an numquam plane maleficus defendi poſſit? Vt ergo & nos hac de re nonnihil philoſophemur; primo hic conſiderandus eſſe videtur ipſe maleficus, deinde ejus accuſator, tertio judex, & denique judicii ordo. Si enim ordo judiciorum is ſit, ut jura-

Jurati adſint advocati, & in criminalibus forte cauſis reo ſemper adjungi ſoleat aliquis Patronus; nullum dubium eſt, quin licite pro eo merita cauſæ expendat & proferat, non tamen eo fine, ut omni modo & ſtudio cauſam velit implicare, & jus pervertere, ſed ſecundum judicii ordinem dextre ſolideque eam exhibere, ut non minus reus intelligat delicti ſui qualitatem, & gravitatem, quam Iudex ſententiam de eo laturus. Si talis ordo abſit, Iudex ex officio hoc demandare alicui poteſt, eodem obſervando fine, ut Iuſtitiæ liquidius ſatisfiat. Si accuſator ſit verſutus, aut potens, reo licet ſic ſatis perito item adjungendus fuerit Patronus: quod ſi reus ſit aſtutus & juriſperitus, accuſator vero manifeſto jure nitatur, & factum ſeu delictum rite probet, licet ſimplex ſit, huic tum magis, quam iſti cauſidico opus fuerit. Magnum cumprimis habet favorem defenſio, & innocentiæ præſumtio. Quiſque enim præſumitur bonus, donec probetur contrarium; tritum eſt verbum. Sed quales hæ debeant eſſe probationes, prudenter hoc modo conſtitutum eſt l. ult. C. de probat. *Sciant cuncti accuſatores, eam ſe rem deferre in publicam notionem debere, quæ munita ſit idoneis teſtibus, vel inſtructa apertiſſimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita.*

Maxime) Et ex accuſationibus, & ex defenſionibus gloriam per eloquentiam parari poſſe ſupra dixit. Iam vero planius hoc determinat, dicitque defenſionibus majorem gloriam acquiri: quod vel ex iis incommodis, quæ accuſationes comitari ſolent, (de quibus paulo ante) liquet. Cumprimis gloria ex defenſione illorum clientum exiſtit, qui potentis alicujus civis, aut actoris opibus eſt circumventus; difficile enim eſt vel eloquentiæ, vel amicitiæ, vel potentiæ, vel pecuniæ & largitionis telis ſe objicere, eaque reprimere. Hic vero cumprimis notatu dignum eſt, a patronis accuſationes, & defenſiones ſecundum Ciceronem ſuſcipiendas eſſe, ſuam rem quod attinet, Gloriæ adipiſcendæ gratia. Vnde apparet, quam longe a vera Gloria abſint, qui operam forenſem quæſtui habent, miſeros clientes ita emungunt, ut ipſa judicia deteſtentur ad incitas redacti. Proſpectum quoque huic grandi malo fuit cum in Iudiciis Ro. tum aliis, variæque paſſim publicari ſolent Taxæ Cancellariæ. Sed quid proficiunt vanæ leges ſine moribus? Dum enim hæc improba furta non coercentur, non ſolum Iudiciorum, ſed & Legislatoris auctoritas ludibrio habetur, ipſaque juſtitia, res ſaluberrima, acerbiſſimum abſynthii ſaporem, ut Propheta loquitur, oppreſſis & attritis in judicio hominibus ingeneret.

CAPVT XV.

DEinceps) De Beneficentia, ac Liberalitate egit lib. I. c. 14. & 15. quatenus eſt pars aut fons aliquis Honeſti. Hic autem illius quædam præcepta tradit, quatenus ſunt media, ad benevolentiam hominum, & gloriam nobis conciliandam utilia.

Cujus eſt) Beneficentiæ duo conſtituit inſtrumenta, Operam, & Pecuniam. Iſta eſt vel animi, vel corporis. Hæc tam late patet, quam τὰ χρήματα, externum objectum Liberalitatis a Philoſopho conſtituta: *Χρήματα λέγομεν πάντα ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται. Opes dicimus omnia, quorum pretium nummo æſtimatur*, inquit lib. IV. Nicom. c. 1. §. 4. Add. l. 178. & 22. l. ff. de V. S. Præfert autem Liberalitatem, quæ fit opera, quam quæ fit pecunia, quod altera ex arca, altera eſt virtute depromatur. Non recte. *Quarum enim rerum uſus aliquis eſt, iis & recte, & perperam uti licet. Optime unaquaque re utitur is, qui propria ejus rei virtute præditus eſt. Ex quo intelligitur, optime & divitiis uſurum eſſe eum, qui virtutem eam, quæ ad pecuniarum uſum pertinet, conſecutus erit*. IV. Nicom. 1. §. 12. 13. 14. Sive igitur quis magnas, ſive exiguas opes poſſideat, temere quidem & inconſulto, aut immodice largiri poteſt; Liberalis vero ex tali datione non dicetur, ſed tum demum, ſi recte det: hoc autem fieri ſine virtute Liberalitatis, & prudenti προαιρέσει nequit. *Liberalis*, inquit §. 27. d. c.

Digitized by Google

ut honeſti cauſa, & recte dabit, &c. §. 37. *Non in multitudine eorum quæ dantur, ſed in habitu ejus, qui dat, ſita eſt vis hujus virtutis.* Hoc tamen recte a Cicerone eſt dictum, benefacere pecunia facilius eſſe diviti, quam opera. *Videntur liberaliores eſſe, qui ſuas facultates non quæſiverunt ipſi, ſed ab aliis partas acceperunt* §. 39. d. c.

Largitioque) Sequitur alia ratio, qua quis perſuaderi poſſit, liberalitatem, quæ fit pecunia, inferiorem eſſe liberalitate per operam exhibita, quod continuis largitionibus opes abſumantur, atque ita multis benefaciendo ipſam benefaciendi facultatem perimas. Ipſam quæſtionem non anxie diſputabimus, at hæc, uti ſuperior ratio minime idipſum evincit. Quiſque enim liberalis dabit pro facultatibus, alias nomen ſuum tueri non poterit. Deinde ut diu, & multis dare poſſit, etiam ſua induſtria licitis modis opes acquiret, conſervabit, augebitque. Hinc Ariſtoteles non ſolum *ἐν τῷ δοῦναι*, ſed etiam *λήψει* Liberalitatem conſtituit; non ſane, quod proprie accipiendo quis ſit liberalis, ſed ex eventu, quatenus accipit unde, & quomodo debet, ea animi deſtinatione, ut aliis gratificari ſuo tempore ex accepto queat. Reprehendit hunc Ciceronis locum Lactantius lib. VI. c. 12.

At qui opera) Qui ingenio, honoribus, & auctoritate valent, animi opibus plurimis poſſunt prodeſſe, & ſuis meritis ſibi devincire, ut non ſolum ſibi, ſed aliis, quibus velint, ad benefaciendum eos obligent: amici enim pars noſtri ſunt. Quod vero putat, diutius quempiam poſſe benefacere ingenii, quam fortunæ copiis, dubium eſſe poteſt. Sicuti enim hæ egeſtate, furtis, rapinis atteri poſſunt, aut largitionibus exhauriri; ita per morbos, per animi curas, adverſitatem fortunæ & temporum, ac turbulenta negotia, multis modis ſive animi, ſive corporis functiones impediri, & exſtingui poſſunt: ut ſæpe has opes amiſſas difficilius recuperes, quam iſtas.

Deinde conſuetudine) Non minorem facultatem ac facilitatem Liberalitati, ſive pecunia, ſive opera benefaciendi ſufficiet Conſuetudo, ſeu Adſuefactio; hæc enim præcipua virtutum moralium cauſa eſt. II. Nic. 1. Sed Cicero ita ſine dubio ex præcedentibus colligit, ex diuturniori per operas benefaciendi conſuetudine oriri firmiorem magiſque radicatam *προαίρεσιν*, ac voluptatem his gratificandi. Ceterum illam *ὑπόθεσιν* jam dubiam fecimus, an videlicet quis diutius, vel his, vel iſtis opibus ſit ſuffultus; etiamſi enim Fortuna pro ſua levitate modo addit huic, demit illi; ita ſane operæ noſtræ multis etiam caſibus ſunt obnoxiæ. Interim ſive operæ, ſive pecuniæ nos deficiant, habitus tamen, & *προαίρεσις* nihilominus ſupereſſe poterit benefaciendi.

Præclare) Idem comprobare vult exemplo. Vbi primo hoc monebimus, quod ad ipſam quæſtionem accommodari poſſit, nullum eſſe dubium, quin benefaciendi ratio per operam præſtantior ſit illa, quæ fit per pecuniam. Vtraque ut recte fiat, neceſſum eſt, ut ſua quæque virtute ſit perfecta & adminiſtrata: ipſa vero hæc benefaciendi inſtrumenta alia aliis præſtant; fortunæ enim bona cedunt bonis corporis, hæc animi. Et prout animi bona fuerint, quæ alterius commodo impendere velis, ita etiam nonnumquam excellentiori virtute neceſſe eſt uſum illorum dirigi v. g. Sapientia, aliave tali. Exemplum quod jam attinet, jure merito Alexander a patre fuit reprehenſus, quod ſubditorum aut militum animos largitionibus ſibi conciliare ſtuderet; iſtud enim hominum genus ſemper deterius fit, dum accipiendo ad idem ſemper exſpectandum paratum & intentum habet animum: Principibus ſane non ſolum hæc ratio non utilis, ſed inutilis eſt; ſiquidem illarum largitionum ii ſint futuri effectus, ut illæ hinc ſint corruptelæ appellandæ. Optima hodie Principibus conciliandi ſubditorum benevolentiam ratio fuerit, ſi non nimiis exactionibus vexentur & exhauriantur. Sed longe gravior caſtigandi filium Philippo cauſa etiam hinc fuiſſet, cur idipſum ſe vivo faceret, forte quod animos civium ad ſe traducere ſtuderet, nimis imperii avidus, quod exſpectare fas ſit, malis artibus ad ſe derivare, aut præripere nefas. Quam ſæpe

Digitized by Google

pe hominum donationem ſuam inconſultam objurgantium hanc audimus vocem: Mallem perdidiſſe, quam illi dediſſe. *Turpiſſimum genus damni eſt, inconſulta donatio*. Sen.

Hoc ille) Minime vero hoc præceptum patemus omnibus; ſed tum demum ubi par omnino ratio fuerit, alias nemini perſuaderetur beneficentia pecuniaria. Hinc mox ſubjungit quamdam ἐπανόρθωσιν, docetque, & illam eſſe neceſſariam liberalitatem, cujus modum ſecundum varias circumſtantias præſcribit, in quibus conſiſtit mediocritas illa rationis Ariſtotelica. Add. lib. IV. Nicom. c. 1. §. 27. *Idoneis hominibus indigentibus*. Horum verborum eſt quædam mutua ἐπεξήγησις: ut adeo notandus ſit Lactantius; ubi eo nomine notare voluit Ciceronem d. l. Ipſe Cicero ab iniqua Lactantii cavillatione ſe abſolvit, lib. I. cap. 15. in fin. *Beneficium dignis ubi des, omnes obliges*. Publ. Syr.

Diligenter) Adhibito recto judicio.

Moderate) Pro modo facultatum.

Multi enim) Hoc prodigorum eſt. Vid. IV. Nic. 1. §. 59. ſeqq.

Atque etiam) Ariſtoteli d. c. §. 72. ſeqq. prodigi ſunt alii ſolum ratione δόσεως, quod ſine modo, & ratione erogent: alii etiam ſunt ἀνελεύθεροι, & ratione λήψεως peccant. *Plerique*, inquit, *ex prodigis, & unde non debent, rapiunt & capiunt, & ea de cauſa ſunt avari, & injuſti. Efficiuntur autem ad rapiendum propenſi eo, quod impenſas facere velint, neque facere tamen his in promtu ipſis ſit. Nam cito deficiunt eos rei familiaris copiæ. Aliunde igitur, quam de ſuo, largiri aliis, & ſuppeditare coguntur. Simul & ob id rapaces evadunt, quia nullam honeſti rationem habent. Largiendi enim cupiditate flagrantes, quomodo, aut unde largiantur, ſuſque deque habent*. Exempla ſunt in promtu. Videantur cauſæ conjurationis Catilinariæ apud Sallustium.

Ita cum) Recta opum largitio rectam præſupponit acceptionem, vitioſa vitioſam: ut qui vitioſe acceperit, haud facile honeſte dare poſſit. IV. Nic. 1. §. 51. ſeqq.

Quamobrem) Egregium præceptum modum liberalitatem exercendi cernens. Add. Ariſt. IV. Nicom. 1. §. 37.

Omnino) Quomodo contra hoc præceptum peccari conſueverit, adeoque inconſultis largitionibus nihil proficiatur, exponit. Frequentiſſimis enim maximiſque largitionibus ſuis id effecerant Romani, ut patrimoniis quidem ſuis aliorum aviditatem paſcerent, numquam ſatiarent, nec ſtabilem ſibi amicitiam pararent. Ratio eſt in mundo, quia fundamentum, cui hæc benevolentia, aut amicitia innititur, nimis lubricum eſt. Ubi enim dare deſieris, amare deſinent. Qui igitur hac ratione benevolentiam ſibi conciliare ſtudent, cribro aquam hauriunt, aut pertuſum dolium implere ſatagunt. Hinc Comicus: *Beneficium beneficio tegendum eſt, ne perpluat*.

Largitionem fundum) *Sera parſimonia in fundo eſt*: inquit Seneca.

Etenim) Hunc locum mendi alicujus ſemper ſuſpectum habui; ut tamen defendi poſſe videatur, hoc modo: *Quis poteſt eſſe modus, cum & iidem, qui conſueverunt*, ſcilicet, accipere, vel deſiderare, *& illud idem alii deſiderent*.

CAPUT XVI.

OMnino) Qui largitiones faciunt, ita hic dividuntur, ut alii ſint prodigi, alii liberales. Iſtos ex actionibus depingit, uti & hos: ex quibus ita colligas, prodigos illos dici, qui intempeſtivos, vel immodicos ſumtus in res non neceſſarias; hos, qui in neceſſarias, & honeſtas moderate faciunt.

Epulum) Significat convivium publicum, quod civibus exhiberi ſolebat vel a triumphantibus, vel in exſequiis magnæ dignitatis viri mortui, vel ſi templum dedicaretur.

Viſceratio) Ita dicebatur crudæ carnis inter cives diſtributio, quæ vel fiebat in ſolemni feſtivitate, vel in funere excellentis perſonæ.

Gladiatorum) Munera dicuntur ſpectacula ſeu ludi, qui a Principe, vel aliis muneris loco populo exhibebantur: & quod is tali ſpectaculo perinde atque munere quodam capiebatur.

Digitized by Google

tur. Munus gladiatorium dicebatur, quum in ſpectaculis multa gladiatorum paria exhiberentur. Suet. in Cæſar.

Venationes) Dicebantur ludi, quibus feræ magno diſcrimine ab iis, qui depugnabant, conficiebantur.

Captos redimunt) Hoc enim tam pium & humanum creditum eſt, ut etiam ejus cauſa vaſa ſacra alienare licuerit, l. 21. C. de SS. Eccleſ. Neque inſinuatione opus fuerit, quantaſcumque donationes quis in redemtionem captivorum feciſſet, l. 19. C. d. l. 36. C. de donat. Si maritus omnem dotem expendit, ut a latronibus redimeret neceſſarias mulieri perſonas, actio dotis evaneſcit, l. 21. ff. ſol. matrim. Valer. Max. lib. IV. cap. 8.

Æs alienum ſuſcipiunt) Add. l. 5. §. [illegible] ff. de jur. dotium. Suet. in Tito Veſp. c. 8. Polyb. lib. V. c. 89.

Filiarum collocatione) Nam Romani Reip. intereſſe credebant, mulieres dotes habere, propter quas nubere poſſent, l. 2. ff. de jur. dot.

Opitulantur) Ut vel eo fine de ſuis opibus donent, commodent, ſine uſuris mutuo dent, fide jubeant. *Sæpe majores noſtri miſerti plebis Rom. decretis ſuis inopiæ ejus opitulati ſunt*. Salluſt.

Itaque miror) His ita poſitis, graviter reprehendit Theophraſtum, qui magnificentiam ejuſque munera fructum divitiarum dixit. Non ſatis accurate videtur Cicero magnificentiæ naturam perſpexiſſe, & quid illa a liberalitate differat, aut non differat. Omnis enim magnificus eſt liberalis, licet hæc propoſitio reciproce vera non ſit, adeoque magnificus numquam ſuis opibus rebus neceſſariis deerit: interim quatenus revera eſt magnificus, oportet ipſum excellentius, cum decore tamen, *δαπανᾶν*, *ſumtus facere*, & in publica vel convivia, ſyſſitia, ejuſque generis res alias ſuas opes impendere. Cumque illa *συσσιτία* mirifice etiam commendet Ariſtoteles in Politicis paſſim, eaque populari ſtatui valde ſint amica, & in Democratiis Græciæ fuerint uſitatiſſima, videtur etiam huc reſpexiſſe Theophraſtus diſcipulus, & illa *συσσιτιῶν*, eorumque apparatum non adeo abſurde commendaſſe. Add. l. IV. Nic. c. 2.

Quanto Ariſtoteles) Magiſtri auctoritatem opponit diſcipulo, quamvis ipſe locus Philoſophi non ſit manifeſtus. Hujus ſententiam dicit eſſe, ſolere homines admirari propter rariſſima exempla, ſi quis ſextarium aquæ mina emerit, tamquam rem inuſitatam, ubi autem neceſſitate ſitis eum compulſum audiverint, veniam illi facile dare. Eam vero eſſe perverſitatem, ut maximos ſumtus, nulla neceſſitate expreſſos, profundentes neque mirentur, neque reprehendant, quod ſcilicet frequens hoc ſit, & tamen non quotidianum.

Nec dignitas) Si ex magnis ſumtibus nullum decus conſequemur, minus recte illa *δαπάνη* ſe habebit; modus enim, & *τὸ δέον* ſi adhibeatur, viri magnifici dignitas utique augebitur: alias foret potius *βαναυσία* vel *ἀπειροκαλία*.

Ipſaque illa) Cum plebeji animi tamdiu beneficii memoriam retineant, quamdiu illius voluptate fruentur, putat magis in neceſſarias, quam ſplendidas, aut jucundas res ſumtus eſſe faciendos. Sunt hæc quidem veriſſima, interim tamen ſecundum Peripateticos, licet quoque homini in his eſſe magnifico, ubi neceſſariis præprimis jam conſuluit. Nec judicium plebejorum morari debemus, ſed hominum proborum, recteque ſentientium; quinimo, licet nemo agnoſcere velit beneficia publico bono conſecrata, cumprimis ſi in res duraturas collata fuerint, ſibi virtus erit pulcherrima merces. Videtur vero Cicero omnino loqui de iis, qui ſtolide magnifici ſunt aut haberi volunt, ſuo honori & ambitioni velificantes, neceſſitati vix obolum impendentes: qui ſane plurimorum Romæ mores erant.

Eaque a leviſſimo) Etiam hic textus corruptus eſt, qui forſan ita reſtitui poſſit: *Apud leviſſimum quemque animum, in quo ipſo una cum &c.*

Bene etiam) De ſpectaculis, viſcerationibus, venationibus, muneribuſque ædilitiis Romanorum veriſſime hæc dicta ſunt; niſi quatenus hæc forte in Democratiis, quæ forma Reip. etiam tunc apud Romanos in uſu erat,

rat, publicæ utilitati & tranquillitati ſervire poſſint; etſi non pauci ædiles his muneribus plebem in partium ſtudia pellicere ſtuduerunt. Adeoque ſuo tempore & loco etiam aliquando ſaltem in his magnificentia, ubi *τὸ δέον* adeſt, ſine quo nec nomen tueri poterit, etiam optimis quibuſque plane probari poterit. Hinc corrigit mox quodammodo idipſum, dicitque a præſtantiſſimis Romæ viris ædilitia munera poſtulata fuiſſe, vel ex conſuetudine, vel pro tempore neceſſaria, vel ut non inhoneſta oblectamenta, quibus populus delinitus cum patriciis, & cives cum civibus majori benevolentia ſociarentur. Apud Ciceronem lib. III. de Legg. hæc lex XII. Tabb. legitur: *Suntoque Ædiles curatores urbis, annonæ, ludorumque ſolemnium: ollisque ad honoris amplioris gradum is primus adſcenſus eſto.* Ita igitur munerum exhibitio ad officium Ædilium pertinuit: quibus populus jam a tot ſeculis adſueverat, & abſque quibus Ædiles ad majores honores non facile emergere poterant: id quod ipſe Cicero confirmat Mamerci exemplo.

CAPVT XVII.

IN *quibus omnibus*) Deteſtatur grandes illos ſumtus, quibus non neceſſariis ſed ſuperfluis rebus litatur, idque ſæpe ſine ullo modo; nonnumquam tamen vix aliter poteris, quam ut plebis genio aliquid indulgeas, ne avaritiæ crimine traducaris, & in honorum petitione turpem repulſam, & quidem ex præſumta avaritiæ opinione, feras. Atque his cauſis ſemet ad idem faciendum impulſum fuiſſe fatetur, ut tamen facultatum rationem habuerit.

Et ſi quando) Quemadmodum honeſta quæ ſunt, omni loco & tempore decent, ita inhoneſta ſua natura nequaquam. Quod ſi quæ actiones ſint non quidem in ſe honeſtæ, nec tamen honeſtati ſimpliciter adverſantes, licitæ illæ ſunt; ſic ut quandoque præterea ſint commendabiles, ſi ſingularis utilitatis, aut boni cauſa prudenter fuerint ſuſceptæ.

Prandia in ſemitis) Spectacula ſunt tributim data, & ad prandium vulgo vocati. Cic. pro Muræn.

In caritate annonæ) Ideo jura eundem favorem levandæ fami, quem captivis redimendis impartiuntur, L. 21. C. de SS. Eccleſ. Grot. II. de I. B. & P. cap. 2. n. 6. *Πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος*. *Multa docet fames*.

Magna enim) M. Seius prudenter pecuniam in loco neglexit, & inveterata invidia ſe expedivit, aſſe vendens modium, jactura non turpi, quod ædilis erat, quorum alia munera fere ſumtuoſa erant, hiſque incumbebat urbi de frugibus proſpicere; ſed nec maxima illa jactura fuit, quod multo pretioſiores donationes, aut munera alii ædiles edidiſſent.

Sed honori) Miloni bene de ſe merito aliquam etiam laudem tribuit; quamvis ille hoc factum exilio Maſſilienſi luit, & ingens æs alienum eo conflavit. Notetur vero quantum ſibi tribuat, dum Reip. ſalutem ſua ſalute contineri dicit. Nam *Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit*.

Cauſa) Largiri recte poterimus, ſi vel neceſſitate ac indigentia alterius, vel utilitate propria aut aliena impellamur. Qua poſtrema ratione multa ex ſuperioribus excuſationem, & interpretationem accipiunt, modo nihil fiat inhoneſte, quandoquidem nihil cenſeri debet utile, quod honeſtati repugnet. Vtra vero ex cauſa largitio fiat, mediocritatis regula ea debet definiri, ſecundum omnes circumſtantias, objecti, finis, & cumprimis facultatum ratione habita: poſtremum autem hoc videtur præcipue reſpicere, ceu etiam ex ſequentibus apparere poterit.

L. quidem Philippus) Ne quis plauſiculum conſuetudini indulgeat, aut exiſtimet, ac ſi alia ratione non liceat emergere, contraria ſuperioribus exempla reſtrictæ liberalitatis, vel magnificentiæ adducit.

Atque etiam) Laudat eadem in magnifico Ariſtoteles IV. Nicom. 2. (Cicero enim liberalitatem cum magnificentia, uti libro ſuperiori, miſcet) §. 28. *Illud* Magnifici *opus demum commendationem habet maximam, quod magnitudine præſtat, & pulcritudine antecellit. Talis enim operis ſpectatio admi*-

airi

miratione homines adficit . Quod autem magnificum eſt , id admirabile eſt .) Adde §§. ſeqq. ubi narrantur magnifici viri impendia §. 41. *In ea potius pecuniam impendet, quæ diuturna ſunt futura ; ſunt enim hæc pulcherrima .*

Propter Pompeium) Hic enim nulla non ex re gloriam pompamque aucupatus eſt, ut, teſte Plutarcho in vita , nemo magis gloriam, quam ipſe expetiverit , nemo res ceteras magis contemſerit .

Secutus ſum) Hæc eſt illa libertas, de qua initio hujus operis , quam ſibi reſervavit, ut Panætii decretis non tamquam interpres ſerviat ac inhæreat , ſed libere hæc quidem ſequatur, illa repudiet.

Tota igitur) In univerſum igitur pronuntiare poſſis , omnem ſumtuoſam largitionem, ceu nimiam & enormem, eſſe vitioſam ; interim pro ratione temporis , Reipublicæ , aliarumque circumſtantiarum non eſſe talem, modo in his adhibeatur moderatio , quam definiat facultatum ratio .

CAPUT XVIII.

IN *illo autem altero*) Quo largorum duo genera fecit , quorum alii ſint prodigi, alii liberales. Prodigos appellat, qui magnos ſumtus faciunt, ſive id recte fiat, ſive non : quæ eſt improbanda confuſio. Vitioſum enim nomen propter actionem bonam, aut ſaltem licitam numquam bene cuipiam tribuitur . His ſubjungit præcepta officiorum liberalitatis , debere quidem nos eſſe propenſos ad dandum juvandumque, ſed non uno modo. Illam modi diverſitatem aliquot ſingularibus explicat, v. g. propenſiores eſſe debemus erigendi adflictos, quam ambitioſos, majora bona adfectantes, nulla gravi ſorte preſſos. Non tamen inquit omnino deeſſe debemus altiora meditantibus , ſed judicium adhibere , an digni ſint , qui juventur, nec ne. Fit enim non raro, ut, qui liberaliſſime a nobis fuerint adjuti , & evecti , opibus ac potentia , vel contra noſmetipſos, vel contra Rempubl. improbe abutantur : ut adeo ſollicite ſint exploranda ingenia, ne inſtrumenta malitiæ exercendæ præbeantur iis, quæ potius omni ſtudio eripienda , aut ſubtrahenda fuerant . Ariſt. IX. Nic. 2. §. 12. hoſce variantes modos ad generalem aliquam regulam revocat , eos ſcilicet eſſe maxime dignos noſtra amicitia & ope , ubi major vel honeſtas, vel neceſſitas noſtra officia provocent .

Quod autem) Eſt hæc quædam cohortatio ad liberalitatem . Bonis enim quidquid tribuerimus, ejus uberrimus fructus ad nos redundabit . Idem enim & bonus eſt , & gratus : Καλος θησαυρος παρ' ανδρι σπουδαιῳ. χαρις οφειλομενη . *Bonus eſt theſaurus gratia a viro bono debita* , inquit Iſocrates . Nam non ſolum fructum liberalitatis ab ipſo bono viro , gratum animum qua poteſt ratione teſtificante , percipimus, ſed etiam ex aliorum laude , & approbatione . Modo, inquit, temeritas ſit remota , hoc eſt , modo ut certo judicio ac delectu des, non temere , ſed προαιρετως , & prudenter.

Summi cujuſque) Hoc cumprimis illis dictum eſt , qui illuſtri lautaque fortuna utuntur . Hos enim quampluximis prodeſſe decet , & tum excellens hoc elogium eos conſequetur , quod ſummi cujuſque bonitas commune perfugium ſit omnium . *Regia (crede mihi) res eſt ſuccurrere lapſis* . Ovid. Præcipuam vero laudem adepti hac bonitate ſunt ii Principes , qui Muſas exules ac profligatas , Conſtantinopoli capta , benigne receperunt , aliove tempore ac neceſſitate viros doctos foverunt : quos inter immortalem gloriam conſecuti ſunt in Rom. Rep. Mæcenas , in Gallia Nicolaus Claudius Fabricius Peireſcius , cujus vita a P. Gaſſendo deſcripta eſt lectu digniſſima : cui addi poterit Bœclerus in Grotii Prolegomena de I. B. P.

Danda igitur) Plura liberalitatis præcepta inculcat , quomodo ad utilitatem referri poſſint . Itaque iis præ aliis benefaciendum eſſe monet , quorum etiam poſteri propter memoriam aut fructum beneficii nobis maneant devincti ; nec enim huic nexui ſe ſubducere poſſunt , niſi αχαριστιας nota velint infamari . *Mihi quidem abſurdum quiddam eſſe videtur , hominem prudentem poſſe ingratum eſſe* . Phil.

Comm. lib. 2. Comm.

Eamque injuriam) Quantum crimen ſit, Ingratum dici, nonnullis rationibus exponit. Primo deterrentur homines per αχαριςιαν a liberalitate: deinde non ſolum hoc vitio, qui dedit beneficium, læditur, ſed quiſque ad ſe quoque illam injuriam trahit, qua effectum eſt, ut manum deinceps erga alios quoque clauſam habeant opulentiores: unde denique tanquam communis tenuiorum hoſtis traducitur. Nam, ut P. Syrus Mimus ait: *Ingratus unus miſeris omnibus nocet*. Sen. ep. 81 in fin.

Atque hæc) Suppeditat alias rationes, quomodo beneficentia in privatos collata ſæpe utilis etiam poſſit eſſe Reip. Et vero illæ multo ſunt præſtantiores, quam quibus privatum emolumentum quæritur, aut quando unice privato benefit. Hujuſmodi beneficia ſæpe a Senatoribus & Patriciis eſſe collata, ex Craſſi oratione probat. Malo enim hîc cum Franc. Maturantio intelligere ordinem Senatorium, quam collegium augurum, ceu hoc accipit P. Marſus. Hinc cum Iure Rom. ſedulo bonorum eccleſiaſticorum alienatio eſſet prohibita, excepta tamen fuit cauſa captivitatis, & famis, l. 21. C. de SS. Eccl. quia non ſit abſurdum, animos hominum quibuſcumque vaſis & veſtimentis præferri, juxta illud D. Ambroſii: *Aurum habet Eccleſia, non ut ſervet, ſed ut eroget; ac ſubveniat neceſſitatibus* c. aurum. 14. quæſt. 2. Socrates Hiſtor. Eccleſ. l. 7. cap. 21. memorat, Acacium Amidenum Epiſcopum ob hanc cauſam conflaſſe vaſa omnia aurea & argentea, dixiſſeque clericis ſuis: Ο' θεος ἡμων ουτε δισκων, ουτε ποτηριων χρῃζει· ουτε γαρ εσθιει, ουδε πινει, επει μη προσδεης εστι. *Deus noſter neque patinis, neque poculis utetur. Nec enim edit, nec bibit, quandoquidem nullius rei indigus eſt*. Narrat quoque aliud exemplum de vaſis Eccleſiæ a Cyrillo Hieroſolymorum epiſcopo venditis Sozomenus V. Tripart. 37. Tradit quoque Victor lib. I. de Perſecutione Vandal. Carthaginenſem Epiſcopum, ut captivos a Vandalis & Mauris liberaret, vaſa aurea & argentea vendidiſſe. Plura de hac alienandi cauſa legi poterunt apud Covarruviam lib. II. var. Reſol. cap. 16. n. 7. ſeqq. & Molinam tr. 2. diſp. 330. num. 22.

Hanc ergo) Quantum publica ſalus & utilitas præſtat privatæ, tantum benignitas ea, qua & privatorum & Reip. neceſſitati ac temporibus conſulitur, eſt præſtantior ea liberalitate, quæ quidem confertur in publicum, ſed non ob finem vel neceſſarium, vel bonum: tales vero erant fere largitiones munerum, quibus Ædiles, aliive nonniſi populi favorem captabant.

Convenit) Quemadmodum το δεον in dando obſervandum, ita quoque habet ſuum δεον quod obſervet, qui beneficio noſtro indiget, ne is nimis ſit moleſtus & importunus. Alii hoc ita intelligunt, liberales nos eſſe debere cum voluptate & facilitate, at referendæ gratiæ nos rigidos exactores eſſe debere. Add. IV. Nic. 1.

In omni) Hoc præceptum probe uſurpatum mirifice amicitiam utilem, quo omnes contractus pertinent, confirmabit, & pacem ac concordiam civium tuebitur, qui omnino neceſſum habent, per contractus indigentiæ conſulere: quæ ſane etiam ea ratione flagellabitur, ſi crebro de commerciis litigandum fuerit. Hinc inter alia Ariſtoteles IV. Polit. 17. Iudicia inſtitui vult περι των ιδιων συναλλαγματων, και εχοντων μεγεθος, *de privatis rerum magnarum contractibus*.

Et neſcio) Ita quiſque debet affectus eſſe erga alios, quibuſcum συναλλαγμα aliquod habet, ut malit aliquam rei familiaris, quam amici ac neceſſarii hominis, jacturam facere. Id fiet, ſi bonam fidem in contractibus ſequatur, & ſtricto juri ſemper æquitatem præferat. Ariſt. IV. Nicom. 1. §. 57. ait, liberalem poſſe injuriam perpeti, quippe qui non magni faciat pecuniam. Ceterum quod non licet, inhoneſtum per ſe videtur, quale quid perpeti, non omnino in Officio eſſe poteſt. Videtur autem Cicero in vitii fuga illorum morem ſequi, qui ligna diſtorta directuri in contrarium flectunt: id quod laudat Ariſt. II. Nicom. 9. §. 7. & 8.

Eſt enim) Confirmat hoc ab honeſto, & utili; videlicet ne odium tibi concites, magnos ſumtus facias,

præ-

Digitized by Google

præſertim ubi ſunt Judiciorum labyrinthi, ut lauderis boni & æqui viri nomine, qui non ſectetur τὸ ἀκριβοδίκαιον, *ſummum jus*, ſed τὸ ἐπιεικές, *æquum bonum*, & ut multos tibi adjungas amicos: quod iis cumprimis eſt utile, qui victum ex commerciis quærunt, varii generis mercatores.

Habenda) Reſtringit præcedentia, debere quemque de jure ſuo concedere, ut ſuſpicionem quidem avaritiæ vitet, non tamen ita, ut avari & injuſti homines bona cujuſquam impune involent, & ſine ulla judicis ſollicitatione rem quis ſuam negligenter dilabi aut diripi patiatur.

Poſſe enim) Recte ſuis opibus poſſe uti (id quod per Liberalitatis habitum ſit) nec tamen omni cenſu ſe ſpoliare, maximus pecuniæ fructus eſt. Ariſt. IV. Nicom. I. §. 44.

Recte etiam) Hoſpitalitas etiam utilis amicitiæ ſpecies eſt: qua & Reip. & noſtris commodis ac ornamentis proſpicimus, beneque conſu[illegible]imus. Huc revocari poſſunt illa, quæ lib. I. de domo viri honorati ſcripſit. Alibi dicit, hoſpitem ſuum fuiſſe Deiotarum Regem. Nam olim Hoſpitii neceſſitudo non ſolum inter privatos, ſed etiam inter populos contrahebatur: quin etiam inter ſingulos privatoſque, & Civitates. Atque hoc publici hoſpitii genus, προξενία; privatum hoſpitium ἰδιοξενία Græcis dicebatur, cujus erat nota hoſpitalitatis teſſera. Arctum autem fuit hujus neceſſitudinis vinculum, ac Jovis Hoſpitalis, in cujus tutela hoſpites credebantur, numine ac reverentia ſanctum. Plautus in Pœn. *Deum hoſpitalem, & teſſeram mecum fero.* Sed cum Natura inter omnes homines quamdam cognationem conſtituerit, Hoſpitalitas ipſo jure Humanitatis niti videtur. Barbarorum eſt hoſpites pellere, ait ex Eratoſthene Strabo. nec probati hac in parte Spartanorum mores. Iſtiuſmodi σκυθικὸν & inhoſpitalitatem exercuerunt Ponti accolæ, qui inde ἄξενος fuit dictus. Illi enim hoſpites immolare, illorum carnibus veſci, & craniis poculorum vice uti ſolebant, teſte Strabone lib. [illegible]. Poſtea cum quidem Iones ſe iſtuc contuliſſent, illorum conſuetudine mores emolliti, populique illi manſuefacti paulatim ſunt; ſic ut Pontus deinceps εὔξενος vel εὔξεινος dici cœperit. Ariſt. VIII. Nicom. 12. §. 4. Franciſcus Patritius l. 8. de Regno tit. 13.

Qui honeſte poſſe) Non ſemper vituperandum eſt, ſi quis inſigniorem potentiam adſectet, ſiquidem illud eo fine fiat, ut præ aliis Reip. prodeſſe & velit, & per alia ſubſidia poſſit; illud enim eſt honeſte multa poſſe. Potentia vero augetur amicorum opera. Si igitur cum illuſtribus viris provincialibus Hoſpitalitatis jura & amicitiam colueris, facilius illorum opera Provinciam in obſequio Reip. continebis, quam militis. Exemplum præbet Cæſar in ſuis Commentariis de Divitiaco, ejuſque fratre.

CAPUT XIX.

QUæ autem) Tranſit a pecuniaria liberalitate ad eam, quæ fit opera & induſtria. Hac autem vel toti Reipub. vel ſingulis civibus proſumus, vel utriſque. Utro id fiat modo, valde utile eſt ad auctoritatem, dignitatem, & benevolentiam aliorum erga nos amplificandam. Hinc Cicero I. de Orat. ait, obtinendæ, & augendæ potentiæ gratia huic ſtudio ſe tradidiſſe veteres.

In jure cavere) Hoc verbum varias in jure ſignificationes habet, uti vel abſolute ponitur, vel variis nominibus jungitur. Ita qui vel ſibi vel alteri proſpicit, aut ſecuritatem quærit, *cavere* dicitur. Alia vero hujus verbi ſignificatio eſt in l. 73. §. ult. ff. de R. I. Hoc loco illud proprium eſt ICtis, & Patronis, qui cavere ſuis clientibus dicebantur, quum proſpiciebant, ne circumſcriberentur in contractibus, pactis, & judiciis l. 3. pr. ff. de tranſa. l. 53. §. ult. ff. de act. empt. Ipſe Cicero τὸ *Cavere in jure* hic declarat verbis ſequentibus, *conſilio juvare*. Adde illius Lib. VII. Epiſtolam 6. ad Trebatium.

Itaque cum) Ex ſtudiis operiſque noſtris primo commendat Juriſprudentiam, cujus, tamquam proprii ſui ſtudii, Mutii, Craſſus, aliique optimi & nobiliſſimi viri dignitatem haſtenus conſervaverant. Turpe enim credе-

debatur patricio, & nobili, & cauſas oranti, jus, in quo verſaretur, ignorare, l. 2. §. 43. ff. de O. I. Ubi ICtorum veterum principes etiam a Pomponio recitantur. Bellis vero civilibus Iudiciorum auctoritas concidit, ceu fieri ſolet, ut inter arma ſileant leges, cum Martem, non Prætorem, ſibi arbitrum delegiſſent Cæſar, & Pompeius. Cumque Ius civile in magnam amplitudinem, molem, & confuſionem excreviſſet, indignatur potiſſimum Cicero, Ius eo tempore fuiſſe oppreſſum, quo extiterint eruditiſſimi viri, qui in methodum jus omne civile potuiſſent compingere: quos inter fuit ipſe Cæſar, teſte Suetonio, cujus hæc ſunt verba: *Ius civile ad certum modum redigere ſtatuit; atque ex immenſa diffuſaque legum copia optima quæque, & neceſſaria in pauciſſimos conferre libros*. Et profecto dolendum eſt, quod vel a Cæſare, vel Sulpitio, vel alio pari ingenio & doctrina instructo ICto, aut pluribus etiam communi ſtudio, res illa non fuerit perfecta. Procul dubio enim non tam infelix fuiſſet fatum librorum Iuris, quod poſt fuit ſubſecutum, cum aliorum, tum Iuſtiniani, Baſilii Macedonis, quique hunc pone ſubſecuti ſunt, auſpiciis. Vnde mox natæ ἐκλογαὶ, συνόψεις, πρόχειρα de quibus breviter & accurate poſt alios egit Iac. Gothofr. Manual. Iur. part. 2. Numquam certe mihi perſuaſero, veterum ICtorum quemquam eo veſaniæ prolapſurum fuiſſe, ut, concinnato methodice Iuris ſtudio, (quam rem in conſilio fuiſſe dixi) prudentiſſimorum ICtorum libros & commentarios, quibus ad Syſtema Iuriſprudentiæ uſi fuiſſent, penitus atque adeo temere aboleviſſent, ceu vel Iuſtiniani juſſu, vel Triboniani deteſtabili conſilio factum fuiſſe conſtat. Præſtitiſſet ſane, ſanctiſſime adſervari duo illa millia librorum veterum; quæ plus quam tricies centenis millibus verſuum exarata habebantur, quam Tribonianeos centones in centum quinquaginta millia verſuum redactos ſemper cum triſti deſiderio integrorum voluminum inſpicere l. 2. §. 1. C. de vet. jur. enucl. Hos, inquam, præſtaret habere, quam infinitis Deciſionum, Quæſtionum, Conſiliorum, Reſponſorum voluminibus nuper natis pluteos implere. Sed cum amiſſa fruſtra recuperare quæramus, utamur ſane & contenti ſimus Triboniani purpureis panniculis: in quem, vel ipſum Iuſtinianum ne iniquiores eſſe videamur, velim attente legantur, quæ Io. Sichardus, ICtus cumprimis bonus, ſcripſit ad Ferdinandum I. Hungariæ & Bohemiæ regem, epiſt. dedicat. Codici Theodoſiano præmiſſa. Cui addatur eruditiſſima Præfatio Nicolai Ciſneri Tribunalis Imperii Adſeſſoris, ad Geideros fratres, Franc. Duareni Operum parti ſecundæ præfixa.

Hæc igitur) Si tantum hoc eſt beneficium; quanti a Cicerone æſtimatur, quantopere illi de Rep. literaria erunt meriti, qui juriſprudentiæ Ro. libros in lucem denuo protraxerunt, eoſque a ſtribligine & barbarie repurgarunt? Qui iis Hiſtoriæ facem, & Philoſophiæ ſplendorem attulerunt? Qui Ius Naturæ ſeorſum excoluerunt, a Deo profectum, & quo omnes homines obligantur?

Atque huic arti) Pergit ad ſtudium Eloquentiæ, cujus operam etiam liberaliorem & utiliorem eſſe ait ipſa Iuriſprudentia, quod illa non ſolum Iudiciis, ſed & Senatui inſerviat. Confirmat hoc ab effectibus, & veterum Romanorum teſtimonio. Inprimis commendat Eloquentiam, ſi ſit gratuita, defendat reos, (accuſationes enim ſupra volebat eſſe rariſſimas) operamque iis facilem, non pretio aut precibus emtam, exhibeat. Hoc enim eſt hominis facile, non gravate, & gratuito laborantis. Ea vero re inprimis extollit Eloquentiam, quod illi principatus ſit datus in tota dignitate, hoc eſt præ aliis omnibus ſtudiis, quibus ἀξία, pretium, aut honos umquam eſt tributus. Plura in Eloquentiæ laudem dicta invenies a Cicerone in libris *de Oratore*. Vbi inter alia Eloquentem hoc modo deſcribit, qui & ſubtilia humiliter, & magna graviter, & mediocria temperate poſſit dicere. Atque his omnibus uſum fuiſſe Demoſthenem, non ſolum Cicero, ſed & Dionyſius Halicarnaſſenſis auctor eſt, qui lib. περὶ τῆς Δημοσθένους δεινότητος ſcribit, illum characterem attemperaſſe qualitati

aliaque ſublimi, alia humili, alia mediocri ſtylo expoſuiſſe. Defenſio, cujus ſpeciatim hic iterum meminit Cicero, quomodo ſit inſtituenda, tradunt Rhetores, quæ compendio legi poſſunt apud Io. Gerh. Voſſium Inſtit. Orat. lib. III. par. I. c. ult. p. 24.

Finitima) Sc. ad utilitates comparandas: vel, quod mores Ro. Iuriſprudentiæ officia Eloquentiæ beneficio expediebantur.

Admonebat) Sicut Iuriſprudentiæ ſtudium & dignitas bellis civilibus evilit, ita non minus ſe conqueri poſſe ait, idem Eloquentiæ, his turbis interpellatæ, accidiſſe. Quia vero agnoſcere videtur ſe inter principes Oratorum eſſe, modeſte occupationem adhibet, ne magis ſuum quondam honorem in Senatu & foro, quam Reip. calamitatem deplorare videatur.

Cum autem) Pauci quidem Eloquentiæ laudem habent aut merentur, at nos ipſos plurimis prodeſſe poſſe ait: quod ipſum quomodo fiat, variis modis propoſitis explicat; puta, ſi beneficia, honores, magiſtratus aliorum nomine petant, cauſam Iudicibus vel commendent, vel defendant: aut hoc ibi facere nequeant, alios rogent, qui vel conſilio, vel patrocinio clientes juvent: quæ ſtudia ad Gloriam parandam valde ſunt utilia.

Iam illud) Regulas tradit, quomodo opera noſtra aliis prodeſſe, & quidem caute ac ſine criminatione poſſimus.

Quos non debent) V. g. eos, qui juri dicundo, aut magiſtratibus aliis præſunt.

Quos non expedit) Ne potentiores irritentur vel in defendentis detrimentum, vel ejus, quem defendere ſtudet. Pittaci, & Chilonis præceptum erat: *Ne judex ſis inter duos amicos*: quod neceſſum ſit, alterutrum offendi. Atque hæc præcepta Oratori, aut Patrono tanto diligentius erunt obſervanda, quo majori ſuo malo hæc didicit ipſe Cicero, qui ſibi dicendo ſæpe magnam & intolerabilem invidiam conflavit. Feliciter itaque is ſapit, qui alieno periculo ſapit, uti bene monet Plautus in Mercat.

Utendum) Si officii ratio tanta & tam gravis ſit, ut illud omnino ſubire cogaris, & invitus nonnullos offenderis, purgare te his debes, & demonſtrare, non ullo odio aut ſimultate, ſed officii neceſſitudine adductum ita egiſſe. Tum occaſione data convenientibus operis, quod violatum eſt, compenſabis. Sic enim de muneris neceſſitudine plenius alteri conſtare poterit. Si ergo defendendo clientem adverſarium ejus offenderis, honeſtiſſime factum tuum excuſare poteris, ſi, quam ſancta patronatus & clientelarum jura antiqui eſſe voluerint, oſtenderis: de quibus Dionyſius lib. II. & Plutarchus in Romulo. Hinc Lex XII. Tabb. *Patronus, ſi clienti fraudem fecerit, ſacer eſto*. Si enim clientes quaſi colentes ſunt, & patroni quaſi patres; tantumdem eſt clientem, quantum filium fallere, inquit Servius ad illum Virgilii verſum VI. Æneid. *Aut fraus innexa clienti*. Add. Gellius Noct. Attic. lib. V. c. 13.

Caput XX.

Sed cum) Profitentur quidem multi, ad benefaciendum ſe magis impelli moribus, hoc eſt, ut optimo cuique libentiſſime proſint; interim actu ipſo magis ſequuntur fortunam, & inde ſperatam utilitatem. Nam quo fortuna, eo quoque favor hominum inclinare ſolet. Interim *odi ego homines ignava opera; philoſopha ſententia*; inquit Pacuvius apud Gellium lib. XIII. c. 9.

Sed animadvertendum) Oſtendit etiam inopis non eſſe nullam remunerationem, cujus intuitu plerumque plebeji animi ad benefaciendum excitantur, ſecundum illud Ovidii: *Vulgus amicitias utilitate probat*. Itaque recte docet, virum inopem eumdemque bonum diviti ac inſolenti præferendum, diviti vero & bono non poſtponendum. Illi enim præ aliis benefaciendum eſt, qui noſtræ opis maxime indiget, uti docuit lib. I. Deinde gratiam ſi ſpectes, & diligentius attendas, quæ natura rerum ſit, hoc eſt, quam de his veritatem genuina Philoſophia, non ex opinione vulgi nata, prodat; non eſt exiſtimandum, minus gratum eſſe eum, qui gratias animo habet, quam qui reapſe refert,

ſert, ſiquidem non ſuppetat, unde iſte referat.

Commode autem) Gemina ſunt his, quæ in Orat. pro Cn. Plancio leguntur: *Diſſimilis eſt*, inquit, *pecuniæ debitio, & gratiæ. Nam qui pecuniam diſſolvit, ſtatim non habet id, quod reddidit. Qui autem habet, is retinet alienum. Gratiam autem & qui refert, habet: & qui habet, eo ipſo quod habet, refert*. Et in Oratione ad Quirites poſt reditum: *In officio perſolvendo diſſimilis ratio pecuniæ debitæ eſt: propterea quod pecuniam qui retinet, non diſſolvit: qui reddidit, non habet. Gratiam & qui retulit, habet: & qui habet, diſſolvit*. Poſſunt hæc Ciceronis loca mutuo ſe illuſtrare, qui hoc loco id ſignificare videtur, aliud eſſe, debere pecuniam, mutuo forte acceptam, aliud debere gratiam: ac viciſſim diverſam horum debitorum eſſe ſolutionem. Nam quamdiu quis pecuniam ex mutuo habet, non eam reddidit: ubi vero reddiderit, eam non habet. At gratiam qui retulit, beneficio forte viciſſim præſtito, etiam eam habet, declarando ipſo facto grati animi προαίρεσιν. Et qui tantum animo gratiam habuerit, beneficium mutuum negante forte inopia, hæc προαίρεσις & boni animi ſignificatio tanti debet fieri, ac ſi reapſe gratiam retuliſſet. Placuit igitur Ciceronis ambiguis hiſce phraſibus ludere, de quibus legere licet ſententiam Antonii Iuliani apud Gellium lib. I. c. 4.

At qui ſe) Cur potius inopi bono, quam diviti inſolenti benefaciendum ſit, quadam ἀντιθέσει explicat: non quod illi mores omnium vel divitum vel pauperum ſint, ſed ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Inopi eidemque bono qui benefacit, videtur hoc facere propter bonum honeſtum: & is, ſi facultatem habebit, referet, vel ſaltem animo gratias habebit; quod tamen tantumdem Ciceroni, & cujvis humanitatis ſtudioſo erit, ac ſi referatur. Diviti honorato & propter divitias inſolenti qui benefacere velit, videtur amicitiam utilem cum ipſo contracturus: circa quam prudenter monet Ariſtoteles VIII. Nicom. 13. §. 28. videndum eſſe ſtatim a principio, a quo beneficium accipias, & quam beneficii mercedem ille exſpectet, ut hac conditione beneficio te adfici aut patiaris, aut recuſes. Nam, uti Mimographus ait: *Beneficium accipere, libertatem vendere eſt*. Si itaque Dives nil niſi opes ſuas quæri videat, diſcrimen ſane & delectum adhibere poteſt, velit ne beneficio tali adſtringi, nec ne: at ſi hoc faciat ex mera quadam inſolentia & faſtu, talique animo officia & ſtudia aliorum faſtidiat, merito reprehendendus eſt: idque multo magis, ubi beneficium accipiendo dediſſe beneficium videri velit, ſi forte illud invicem ſe debere intellexerit.

Se ſpectatum) Inopiam ſuam, morum innocentiam & probitatem. *Neſcio enim quomodo bonæ mentis ſoror eſt paupertas*, inquit nequitiarum Arbiter. Hic vero non ſolum ipſi benefactori, ſed & aliis, quorum ope forſan eget, gratum ſuum animum declarare ſtudet: & ſi forſan reapſe operam pro opera reddat, illam extenuat potius, quam ut jactitet, hoc ipſo uberius gratiæ referendæ deſiderium ſignificans.

Videndumque) Melius apud bonos, quam opulentos beneficium collocari, etiam ſic oſtendit. Si divitem in judicio defenderis, vix eſt, ut ejus beneficii gratiam præter illum, aut certe liberos ejus a quoquam exſpectes: at inopi ſi benefeceris, ab omnibus ejus ſortis hominibus amaberis, non ſolum bonis, ſed etiam omnibus non improbis, propterea quod communem patronum ea humanitate præditum ſibi omnibus & ſingulis paratum exiſtiment.

Danda omnino) Si omnibus noſtram opem requirentibus ſatisfacere poſſimus, obligati ſane ad multiplex officium ſumus: at ſi omnibus ſubvenire nequeas, aut quæſtio ſit, utri magis minusve obligatus ſis, habenda eſt ratio cum honeſtatis, tum neceſſitatis. Prioris exemplum proponit Themiſtoclem, quem hac in re auctorem ſequamur.

Sed corrupti) Ea eſt morum pravitas, & judiciorum perverſitas, ut magis utilia bona, quam honeſta admirentur, faciliuſque viro diviti, improbo licet, quam inopi eidemque bono adſurgant, & nihil non tribuant,

ſe-

ſecundum elegans illud Petronii epigramma:

Quiſquis habet nummos, ſecura naviget aura,
Fortunamque ſuo temperet arbitrio.
Vxorem ducat Danaen, ipſumque licebit
Acriſium jubeat credere, quod Danaen.
Carmina componat, declamet, concrepet, omnes
Et peragat cauſas, ſitque Catone prior.
Iuriſconſultus, Paret, Non paret, *habetor*,
Atque eſto; quidquid Servius, & Labeo.
Parva loquor. Quidvis nummis præſentibus opta;
Eveniet. Clauſum poſſidet arca Iovem

Quarum magnitudo) Stoice jam de Divitiis diſſerit, quæritque quid harum magnitudo poſſeſſori conferat. Illum, inquit, adjuvat, ejuſque indigentiam ſublevat, qui habet; non tamen ſemper adjuvat, ſed ſæpe mergit. Ηδη γαρ τινες απωλοντο δια πλουτον, inquit Ariſtoteles I. Nicom. 3. §. 4. *Exſtitere, quibus divitiæ exitio fuerunt. Immodicæ divitiæ*, inquit Apuleius in Apologia, *veluti ingentia & enormia gubernacula facilius mergunt, quam regunt, quod habent irritam copiam, noxiam nimietatem*. Et licet concesserimus, juvare divitias poſſeſſorem, non tamen honeſtiorem illius animum per ſe efficiunt; niſi quatenus etiam honeſtatis inſtrumenta adhibitæ fuerint Divitiæ: abſque hoc ſi fuerit, potentiorem ſane reddere poterunt. Vnde Potentes etiam Latinis ſcriptoribus *Opulenti* dicuntur, & Potentia *Opum*, vel *Opulentiæ* nomine venit. Quod ſi idem dives ſit & vir bonus, quid tum conferunt Divitiæ? Sane ipſum animum non perficiunt hæc inſtrumenta; ſed ipſa Virtus efficit, ut hæc inſtrumenta ad convenientem debitumque uſum adhibeantur, & ut ornamento ſint & adjumento, quæ virtutis directione deſtituta impedimento eſſent futura. Hoc modo hæc explicata conveniunt cum Peripateticis. Quod ſi vero dixeris, nihil quidquam ad actiones virtutum exercendas conferre Divitias, utique hoc falſum eſt. Si ergo idem ſit & dives, & vir bonus, & adeo liberalitate pecuniariæ non indigeat, opera tamen noſtra juvandus eſt, a qua promte impertienda non ejus pecunia nos avocare debet; quamvis neque hujus intuitu, ſed ſolius honeſtatis juvandus ſit.

Extremum) Si quis hominum ſtudia ad ſuas utilitates adjungere velit, tamquam præcipuam regulam obſervet, ut ita ſit beneficus erga alios, ne aliis inferat injuriam, ſed cum beneficentia juſtitiam conjungat; hæc enim ſolidam laudem & gloriam demum conciliat. Alteri enim prodeſſe cum alterius injuria nefas fuerit. Non ergo concuſſionibus pecuniæ ſunt coacervandæ, ut liberalitatem exercere queas. Non defendendus quiſpiam eſt in judicio, ut fucum facias judici, jus pervertas, & improbitati calumnioſe operam commodes.

CAPVT XXI.

SEd quoniam) Beneficentiam, magnum gloriæ, utilitatumque parandarum præſidium, fecerat duplicem, ratione rerum, quibus illa exercetur: nunc item ratione perſonarum eamdem conſtituit duplicem, Privatam, de qua hactenus: & Publicam, quæ talis dici poteſt, vel ratione dantis, ſi Magiſtratus, aliuſve publico munere fungens det; vel ratione ejus, cui benefit, ſi vel in Rempub. univerſam, aut cives, aut collegium aliquod beneficium conferatur.

Eorum) Vel beneficia pertinent ad univerſos, ſi donum ſit commune omnibus; veluti ſi quis forum, aut theatrum excitet in Vrbe; ſi ludos, ſpectacula, munera ædilitia exhibeat, triremes ſuo ſumtu in uſum Reip. inſtruat, copias conſcribat, publicæ cauſæ patrocinium ſuſcipiat, legationem, aut ſimilia officia obeat. IV. Nicom. 2. §. 30. Vel ad ſingulos, ſi viritim inter ſingulos munuſcula diſtribuantur: ſi ex publico frumentum detur, agri Reip. vectigales dividantur, miſſilia ſpargantur, epulum vel ſyſſitia inſtruantur, congiaria, donativa, fercula, & panes gradiles offerantur: de quibus Seneca, Suetonius, Pli-

Digitized by Google

Plinius in Panegyrico Trajano dicto, aliiſque paſſim legi poterunt. Poſteriora dicit eſſe gratiora, hæc enim magis ſunt propria, quam iſta, magiſque adeo animos adficiunt, & demerentur.

Danda eſt) Si fieri poſſit, & univerſis, & ſingulis benefaciendum eſſe monet, ea circa privatas largitiones cautione adhibita, ut ſi non ſemper proſint Reip. ne tamen ullatenus ei obſint. Subjungit deinde exempla, quomodo alius immodica largitione Reipub. damnum, alius modica commodum utrique attulerit.

Inprimis) Privatas opes & poſſeſſiones ab iis, qui in publico munere ſunt, non lædendas eſſe monet, auræ popularis captatione: quod fit vel novis tabulis, quas Græci χρεων ἀποκοπὰς, Solon σεισάχθειαν, appellabant: aut æquatione bonorum, aut rigidis tributis, aliiſque ejuſmodi oneribus. Confer lib. I. c. 7. & lib. II. c. 23. in fine. Ita Philippus publicos agros populo dividendos ſuadens vehementer erravit, etiamſi multi pauperes in Rep. fuerint. In ejuſdem forenſis turbæ ſeu factionis, ut Livius loquitur, vel, ſecundum Ciceronem, urbanæ plebis favorem legem ſuam agrariam Ti. Gracchus his verbis commendaſſe apud Livium legitur: *Feras quidem ac beſtias luſtrum ac tectum, quo ſe reciperent, in Italia habere: qui vero adſidue pro libertate pugnarent, præter aerem, lucemque nihil in Italia poſſidere, ſed ſine lare, ſine ſede, cum liberis, conjugibuſque vagari: mentiri autem imperatores Rom. cum milites hortarentur, ut pro aris, focisque pugnarent; neque enim lares paternos, nec monumenta majorum eos tenere, ſed pro aliena luxuria dimicare: atque orbis terrarum dominos verbo appellari, revera autem ne glebam quidem terræ poſſidere.*

Qui rem haberent) Res pro opibus, ſubſtantia, οὐσία. Horatius Epiſt. 1. Lib. I

Is ne tibi melius ſuadet, qui, ut rem facias, rem,
Si poſſis recte: ſi non, quocumque modo rem.

Rei nomine quod hic venit, *in bonis eſſe* ICtis dicitur, l. 49. ff. de V. S. Non erat æquum Principes civitatis rem habere, inquit lib. III. cap. 18.

Capitalis) Hæc enim bonorum æquatio non ſine aliorum injuria, querelis ac ſeditionibus fieri poteſt. *Detrahere enim aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum, & ſocietatem. Si enim ſic erimus adfecti, ut propter ſuum quiſque emolumentum ſpoliet, aut violet alterum, diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maxime eſt ſecundum naturam, humani generis ſocietatem*, ceu hæc egregie ab ipſo Cicerone explicantur intra lib. III.

Hanc enim) Si ſecuritatis etiam cauſa Vrbes, & Reſpp. ſunt conditæ, neceſſe eſt omnia illa averti, quæ illam labefactare poſſint. Etſi enim Homo natura ſit ζῶον κοινωνικόν, Reſpublicæ tamen conſtitui, & Vrbes condi ac muniri cœperunt, ut quiſque ſuo ſecure uti frui poſſet. Atque illa ſecuritas vel perſonis quæritur, vel rebus. Illa erit ſalva atque integra, ſi imperium; hoc, ſi Dominium legum armorumque præſidio ſit munitum, ut & fraus & violentia qualiſcumque inique imminens arceri queat.

Danda etiam) Tributa, & frequentes acerbaſque exactiones vitandas eſſe monet. Ad hanc rem multum confert, ſi Ærarium bene ſit inſtructum, in quod cum alia, tum ordinaria, eaque tolerabilia tributa inferantur. Illud vero ne cito deficiat, bella omni ſtudio declinanda ſunt, & parſimonia ac diligens diſpenſatio adhibenda eſt, ne ulla fiat pecuniæ erogatio, quam non vel neceſſitas imperet, vel honeſtas. Illam autem præfectus ærarii indicabit populo, quo faciliores ſint ad collationem, nec aliquem tumultum excitent. Multa hic utiliter moneri poſſent de Ærario, qua parte plurimæ Reſpp. laborant, & cumprimis hæc noſtra Germanica. Potentia enim civilis præcipue in his quinque partibus conſiſtit, pecuniæ copia, ſubditorum ac militum frequentia & viribus, ſitu & munitionibus regionis, amicorum fide ac fœderibus, denique inſtrumentorum bellicorum copia, commeatu & annona. Quæ omnia vel haberi,

vel

vel conſervari, vel ad neceſſarios uſus diſponi nequeunt ſine illo neceſſario rerum gerendarum nervo, Pecunia. Notum eſt illud Taciti in hanc rem IV. Hiſtor. *Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Quod ſi ergo Ærarium aliunde poſſit eſſe inſtructum, ut tributorum exactione plane opus non ſit, optime hac quidem parte conſtituta erit Reſpublica. Teſtis eſt Plinius Hiſt. Nat. lib. XXXIII. c. 3. Æmilium Paulum, Perſeo rege Macedonum victo, prædam pondo trium millium in ærarium intuliſſe, & ex eo tempore populum Rom. tributum pendere deſiiſſe. Quod ſi omnino tributis opus ſit, ordinariis utendum eſt, ut tamen quandoque ad extraordinaria viam aperiat Neceſſitas. Secus ſi fiat, peribit in ſubditis amor patriæ, fides, & benevolentia, præcipua ejus munimenta. De Tributis Romanorum plura ſcripſit Car. Sigonius l. 1. de Ant. Iur. civ. Ro. cap. 15. Add. Caſp. Klock de Ærario.

Atque etiam) Qui præſunt Reip. etiam proſpicere illi debent de Annona, rebuſque omnibus pace & bello neceſſariis, idque tum præcipue, quando propter copiam viliſſimi ſunt pretii, magnoque numero & quantitate ea coëment, & recondent, ſi ſervando ſervari queant. Hoc enim niſi mature fiat, incumbente ſubito magna plurium rerum inopia, vel exaurietur pene, vel non ſufficiet ærarium: aut, licet pecunia non defuerit, coemendi facultas variis modis impediri, aut plane tolli poterit. Abrumpit autem hujus præcepti exquiſitam explicationem, quæ varia eſſe poſſit pro diverſa Rerump. conditione. Addatur Grotius III, de I.B. P. c. 17. n. 2.

Caput autem) Maximum Magiſtratuum vitium Avaritiam eſſe adſerit; hac enim infecti venalem habebunt Remp. omniaque ejus commoda, fulcra ac præſidia, Senatum, dignitates, Iudicia, univerſamque Remp. quovis modo quæſtui habebunt. Quanta vero mala hinc oriri poſſint, exemplo ſeu oratione Pontii declarat. Cui geminum eſt illud Philippi Macedonis dictum: Nullum caſtellum adeo eſſe munitum, quod non expugnari poſſit, in quod modo aſellus onuſtus auro aſcendere poſſit. Cic. ad Attic. lib. I. ep. 13. Atque hic eſt ille C. Pontius Samnitum Dux, qui M. Curio Conſuli contra Samnites pugnanti magnum auri pondus miſit: qui, eo repudiato, non aurum habere præclarum ſibi videri dixit, ſed iis, qui haberent, imperare. Tam ſedulo itaque avaritia vitanda eſt, ut ne quidem ſuſpicio illius aliqua poſſit cuiquam moveri. Cujuslibet enim boni viri domus ita debet eſſe comparata, qualem ſuam volebat eſſe Cæſar, ut non ſolum vitiis, ſed & vitiorum ſuſpicione careat. Addatur ad hujus loci illuſtrationem Ant. Mureti l. 10. Var. Lect. c. 8.

Non eſſem paſſus) Qui avaritiæ ſunt dediti, venalem habent animam, &, ſicuti privatim plurimum nocere poſſunt, ita omnium indigniſſimi & ineptiſſimi ſunt, quibus Reip. cura & publica negotia committantur: quod C. Pontius probe perſpexit corruptelis Remp. ejuſque imperium everti poſſe; atque utinam ne idem Imperio Germanico brevi eveniat!

Nondum centum) Avaritia Magiſtratuum quam ſit pernicioſa Reip. & ſubditis, declarat judicio repetundarum, quo Socii apud Romanos pecunias ſibi inique ereptas repetebant, eaſque ex condemnatorum litibus æſtimatis recipiebant. Litis vero æſtimatio eſt rei controverſæ, & quod propter eam actoris interfuit, in certam pecuniæ ſummam a judice facta redactio. Cic. & Aſcon. in Verr. Litis æſtimationem ſolvere, eſt tantum ſolvere, quanti controverſa res eſt, l. ult. ff. de condict. tritic. Quamvis autem olim hoc judicium in eos magiſtratus ſolos, qui in provincias fuerant miſſi, fuerit inſtitutum, poſt tamen eo crimine & judicio tenebantur, qui pecunias in magiſtratu, poteſtative curatione, legationeve, vel quo alio officio, munere, miniſteriove publico ob judicandum cepiſſent, quive magiſtratus urbani a ſorde ſe non abſtinuiſſent, l. 1. & t. t. ff. de L. Iul. repetund. Memorabile quoque eſt, quod apud Tacitum XI. Annal. in d. t. Dig. vero non legitur, Advocatos fuiſſe repetundarum reos, quod

quod pecunia a Guillio accuſatore acceptâ prævaricati eſſent. Atque ibidem refert ſancitum, ut qui Advocati denum ſeſtertium modum egrederentur, repetundarum tenerentur. Sueton. in Nerone c. 17. De pœna horum reorum præter L. 7. ff. d. t. videri etiam poterit Lipſius ad Taciti l. XIV. Annal. p. 423. ſeq. Legi etiam cumprimis meretur Sigonius lib. II. de judic. cap. 27. ubi illud ipſum, quod de Piſone hic refert Cicero, ac ſi ante eum nulla lex de repetundis exſtiterit, his verbis explicat: *Creſcente in dies magiſtratuum in provinciis libidine, L. Calpurnius Piſo tribunus plebis An. DCIV. Manlio & Cenſorino Coſſ. exſtitit, qui legem tulit, qua non ſolum pœna graviore, ut veriſimile eſt, hoc crimen vindicandum ſanxit, ſed etiam, ut certum hæc quæſtio poſthac haberet prætorem, inſtituit, ita ut nova lege ſociis opus non eſſet, ſed certum, ad quem confugerent, prætorem haberent.* Hæc ille: cui adde, ſi lubet, Manutii librum de Legibus Romau. Danda itaque eſt opera Principibus, & Rebuſpub. ne ſocii aut ſubditi a magiſtratibus, eorumve miniſtris vexentur, opibuſque emungantur: aut ſane ut ſedulo ac ſevere judicia repetundarum, & ſi quæ ſunt ſimilia alia, in illos concuſſores, depeculatores, prædones, & expilatores publicos inſtituantur. Prius vero poſt alia etiam hac ratione obtinebitur, ſi Luxuria omni ſtudio e Rep. exterminetur, cujus initium, & incrementum cum præprimis in potentioribus cernatur, nequaquam ea gratia ipſis eſt tribuenda: ut contrario eoque pernicioſiſſimo exemplo leges ſumtuarias ipſis impune relaxare liceat. Deinde ut cuique magiſtratui vel miniſtro idoneo honoraria & ſtipendia pro cujuſque conditione præbeantur, & ſingularia forte merita extraordinariis remunerationibus compenſentur, ne gratis pœniteat fuiſſe probos. Graviſſime enim decipiuntur Principes, qui putant, ſe vel ſic locupletiores fore, ſi maxime exigua miniſtris ſuis ſalaria conſtituant, aut ſatis æqua ægre ſolvant, cum revera eo modo fures Reip. alant. Suum igitur ſi cuique tribuatur, id quod inique ſubductum eſt, acriori juſtæ pœnæ ſenſu repeti poterit. Quem modum a ſuis Proconſulibus teneri voluerint Romani, eleganter proponit ICtus *l.* 6. §. 3. ff. de off. proconſ. ubi vetus proverbium commendatur: *ουτε παντα, ουτε παντοτε, ουτε παρα παντων. Neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus.* Nam, inquit ICtus, valde inhumanum eſt, a nemine accipere: ſed paſſim, viliſſimum eſt: & omnia, avariſſimum.

Propter judiciorum) Ne repetundarum, concuſſionis, aut peculatus rei fierent, multos ſe ſocios addidiſſe ait quondam bello Italico; de quo conſulendi ſunt Hiſtoriæ Rom. Scriptores. Eodem metu complures ductos conjurationi Catilinariæ nomina ſua dediſſe, apud Salluſtium legere eſt. Neque ulla facile Reſpublica ab hujuſmodi motibus libera eſſe poteſt, ubi ſemper ſunt, qui

> *Quærere, ut abſumant, abſumpta requirere, certant.*

CAPVT XXII.

Laudat) Superioribus contraria exempla abſtinentiæ opponit, ſic tamen, ut majores in Africano alias virtutes laudet; nam iſta quidem ætate abſtinentiam ab omnibus pene ſanctam, avaritiam contra deteſtabilem fuiſſe habitam. Confer. lib. III. c. 31. pr.

Abſtinentia) Abſtinentia eſt ſpecies Temperantiæ proprie. Hic pro illa virtute accipitur, qua quis abſtinet a corruptelis pecuniariis: quæ etiam Continentia dicitur. Unde Cicero Abſtinentiam, & Continentiam mox conjungit cap. ſeq.

Quamquam) Vel enim publicum incrementum ad ipſum ex parte pertinebat, vel gloria tam laudabilis facti ad illum referebatur.

Nullum) Rectiſſime avaritiam, cumprimis in Principibus damnat: quid enim in tali Repub. ſanctum, aut juſtum eſſe poteſt? Non ſolum igitur turpe eſt hoc in illis vitium, ſed ſceleratum, & nefarium: videlicet, quod ad nefaria quæque ſcelera largitionibus poſſint impelli. Qua de re tanto luculentius conſtare poteſt, ſi per partes Reip. eundo explores, quam pernicioſum, imo exitioſum ſit Reip.

ſi ii, qui magiſtratuum munere fun-guntur, aut Senatores, aut Iudices int avari, ac juſti, honeſti, bonique ublici ratione poſtpoſita, munera aptent, ſic ut hæ

Quo plus ſint potæ, plus ſitiantur, aquæ.

dem confirmat oraculo Apollinis, uod in Ariſtophanis Scholiis legitur: demque quod Spartæ Apollo, quili-et prudens cuivis Reip: poſſit augu-ari. Την πολιτειαν ουκ εργασιαν δει νο-μίζειν, αλλα λειτουργιαν. *Non oportet ex iſtimare, adminiſtrationem Reip. eſſe officium mercenarium, ſed miniſterium*, inquit Iſocrates in Areopag. Hic de-uo ex Ariſtotelis lib. IV. ad Nicom. . 1. notandum eſt, Avaritiam vel ſſe ſimplicem, vel μετα συμπλοκης, um luxu, aliiſque vitiis conjunctam. 'oſterioris generis avaritia fere ma-nates laborare ſolent.

Nulla autem) Indicat abſtinentiæ ſeu ontinentiæ plurima eſſe commoda tilitateſque.

Qui vero) Cum modo tradidiſſet præceptum, quo obſervato benevo-entia multitudinis conciliari poſſit; ubjicit jam, & graviter reprehendit nodum, ad eumdem quidem finem eſtinatum, ſed in ſe peſſimum, & Remp. perturbantem. Nam qui au-æ popularis ſtudio exæquationem bo-orum quærunt, debita quovis modo xpungunt, ejuſque generis alia ten-ant, Remp. labefactant; tollitur nim concordia, & ex injuſta illa vel iſtributione, vel confuſione, oritur nultiplex querela. Æqualitas ſane eſt micitia, & hac quæque conſervatur ocietas; interim cum illa duplex t, vel Arithmetica, vel Geometri-a, hine pro natura ſtatus ſeu Rei-ub. alius alio poteſt eſſe opulentior. it ſi forſan æqualitas bonorum circa eipub. conſtitutionem fuerit intro-ucta, ſi tamen illa vel induſtria, el aliis bonis rationibus fuerint au-a, non poſſunt ſane ſine querelis diſſidiis bona diligentibus patribus-amilias eripi, & adſignari ignavis, ſæpe luxurioſis. Nam etiam hoc otandum venit, diſcrimen eſſe ha-endum, num quis civium opulen-ior fuerit factus ex titulo oneroſo, n lucroſo: qua diſtinctione uti ſo-ent ICti. Hac enim obſervata, for-ſan e re fuerit Reip. certum legibus modum ponere, quatenus adquirere titulo lucroſo liceat opes, nec ne. Ita teſtamenti factio libera, quæ vul-go Iuris naturæ dici conſuevit, hoc eſt, permiſſa a Iure naturæ, pro cer-to Reipub. ſtatu non ſolum reſtringi, ſed & plane inhiberi poteſt, non re-pugnante Iure naturæ.

Atque in hac) Illa bonorum exæ-quatio uti privatim iniqua, publice pernicioſa eſt; ita fere aucupes fa-voris popularis ſuo fine illam fruſtra-ri docet.

Nec, ſi) Dicat aliquis popularis, aut ſibi perſuadeat, ſe numero illo-rum tutum eſſe, qui lege agraria di-tati ſint, quos in ſua quaſi clientela habeat, atque adeo ſpernere illorum invidiam poſſit, qui propter bona ſi-bi ademta ei ſuccenſent. Sed recte ait Cicero, non tam ſtrenue incum-bere ſolere homines in gratiam refe-rendam, quam vindicandam injuriam, majuſque fore odii, quam gratiæ mo-mentum: id quod etiam Tacitus con-firmat IV. Annal. *Proclivius eſt inju-riæ, quam beneficio vicem rependere; quia gratia oneri, ultio in quæſtu habe-tur.* Obiter etiam notari poterit, quod Ciceronem hic imitati videntur, qui, cum in Comitiis Germaniæ, at-que alibi diſputaretur, an decreta ſecundum Majora eſſent concipienda, exiſtimaverunt, ſaltem in quibuſdam cauſis ſuffragia non eſſe numeranda, ſed ponderanda: ſeu, ut alias amant loqui, ſuffragia in iis cauſis non ma-jora, ſed ſaniora obtinere debere. Plura ea de re dixi ad Grotii lib. II. de I. B. P. c. 5. §. 17.

Quam autem) Quia dominia rerum a naturali poſſeſſione originem tra-hunt, ceu recte ſenſit Nerva l. 1. §. 1. ff. de acq. vel amitt. poſſ. hinc ſic-uti magnus Dominii, ita & Poſſeſ-ſionis, tempore cumprimis ſatis mul-to continuatæ favor eſt, ne in hac temere fiat perturbatio ſeu invaſio. Atque hanc æquitatem ſequuntur Le-giſlatores, quando jus uſucapionis le-gibus latis certo modo ratum habent. Etſi enim illud ab ipſo Naturæ jure non ſit introductum, moribus tamen gentium, & Rerump. plerarumque civilibus legibus tam diligenter eſt ſancitum, ut non ſolum nihil habeat ini-

iniqui, ſed ad tranquillitatem publicam, & lites ſopiendas plane ſit neceſſarium, quandoquidem abſque eo dominia rerum pleraramque forent incerta l. 1. ff. de uſurp. & uſuc. & l. 5. ff. pro ſuo. Atque ob hos ipſos fines non minus, ſi non magis, hoc jus locum invenit inter liberos populos, quam ejuſdem civitatis membra. Vide Grotium lib. II. de I. B. P. cap 4. ad quod plura de hoc argumento ſcripſimus, & Conringium de Finib. Imp. Germ. cap. 19. p. 360. Exempla hanc in rem ipſe Cicero eximia hic narrat. De prudentiſſimo Arati conſilio, præter Plutarchum in vita ejus, etiam legi poteſt Grotius lib. I. de I. B. P. c. 4. n. 8. & lib. III. de I. B. P. cap. 16. num. 6. Vnum adhuc notandum eſt, ubi de uſucapionis jure inter liberas gentes quæſtio eſt, non illud juris alicujus civilis decempeda ſtricte tum menſurandum eſt. Etſi enim uſucapionis inſtitutum ad jus Naturæ non referamus, cujus ſententiæ rationes accuratius expendimus ad Grotii d. l. nihilominus iiſdem populis propter fines ſupra memoratos hoc præſidium quam maxime eſt neceſſarium. Puto enim eos falli, qui exiſtimant, quæ fini naturali quomodocumque ſerviunt, illa omnia eſſe Juris Naturæ.

CAPVT XXIII.

QVinquaginta annorum poſſeſſiones) Quid igitur de novo jure Dependentiarum, aut Reunionum dicendum eſt, quo vel totius ſeculi, aut vetuſtior etiam poſſeſſio convellitur? quam illud æquitatem habet? Hac equidem ratione nihil amplius poteſt eſſe certum, tutum, aut tranquillum. Sulpitius contra Antiochum diſputans oſtendit iniquum eſſe, ut quod populi Græci in Aſia aliquando ſerviiſſent, id jus poſt aliquot ſecula eos aſſerendi in ſervitutem faciat. Liv. lib. XXXV. Tacitus vetera repoſcere (τὰ πρὸ Εὐκλείδου, inquiunt Græci) *Vaniloquentiam* vocat VI. Annal.

Bis jam) Dominante Sulla, & poſt Cæſare: qua de re etiam ſupra.

Eaque eſt) Salus enim publica ſuprema lex eſto, quam privatis, & publico bono contrariis ſtudiis non datur conſequi, ſed ſi omnes, & ſinguli eadem juris æquitate fruantur, abſque qua civium ſocietas commode contineri nequit.

Habitant gratis) At nunc, inquit, ea ſunt tempora, quibus aliena occupata habitantur, & detinentur, nulla juris æquitate, ſed per ſummam injuſtitiam, quam liquido demonſtrat.

Tabulæ vero novæ) Hæ ſunt, quibus debitæ pecuniæ gratia ſeu remiſſio fit debitori, cui illa credita ab alio eſt. Hæc lex de ære alieno plebi, invitis creditoribus, relaxando ſæpius Romæ lata eſt, maximiſque turbis cauſam dedit. Oſtendit iterum Cicero, has tabulas nonniſi injuſtitiæ argumentum prodidiſſe. Confer l. 1. c. 7.

CAPVT XXIV.

QVamobrem) Monitum ingerit utiliſſimum, omni ſtudio providendum eſſe, ne cives, vel pars illorum, in grandius æs alienum incidant, ex quo factiones exiſtere poſſint, aut, quo onere ut liberentur, hinc arripi poſſit occaſio, tabulas novas importune poſcendi, aut alias turbas excitandi. Horum igitur malorum cauſas, qui velit præcidere, non debet eam inire rationem, ut tollatur fides, nec creditum ſolvatur. Nam ſine commerciis ſocietas civilis ſubſiſtere nequit, neque iſta perfici poſſunt ſine bona fide & æqualitate: de quo argumento plura ſcripſi ad Grotii de I. B. P. lib. II. cap. 12. & quædam etiam hinc repetendi occaſio dabitur lib. III. Offic.

Si hoc non fuerit) Etiamſi ad æs alienum Reip. expungendum pro remedio non fuerit adhibitum, ut locupletes &c. Hæc videtur eſſe ſententia Ciceronis, licet ejus verba in Codicibus non eadem legantur.

Numquam) Catilina cum ſociis obæratis luxuque perditis eodem modo ſe ære alieno liberare, & aliorum opes involare moliebatur. At impunitatis (quæ eſt illecebra peccandi) & fraudis ſpe ſublata, ſolvendi neceſſitas conſecuta eſt ex illa conjuratione ſuperſtites. Hoc ipſum bellum, ejuſque cauſas, graviter deſcripſit *Criſpus Romana primus in hiſtoria*.

At

Digitized by Google

At vero hic noſter) Innuere videtur, Cæſarem, cujus ſane ingens fuit æs alienum, tacite faviſſe Catilinæ, ut, ſi hic viciſſet, illius furore ad ſuum quoque compendium, & debiti obliterationem abuteretur. Hic Cæſar poſt bellum civile victor recoxit illas cogitationes, easque tum perfecit, cum jam nihil intereſſet, quod vel occiſi eſſent, & diſperſi creditores, vel ipſe rerum opumque omnium eſſet potitus.

Tanta in eo) Vehemens profecto hæc eſt accuſatio, quæ merito ab iiſdem criminibus deterrere alios debeat. Cum enim varii ſint peccatorum gradus, ſecus atque Stoici ſenſerunt, qui illa omnia paria eſſe pronuntiarunt; ille profecto ſummum improbitatis faſtigium jam adſecutus eſt, qui libidine peccandi peccat; id quod ſecundum Ariſtotelem eſt, προαιρετικῶς omnino improbum eſſe.

Ab hoc igitur) Quid in magiſtratibus maxime ſit reprehendendum, vidimus. Iam inculcat, quid contra iis ſit faciendum, ut quiſque ſuum habeat, juſtitiæ, quæ eſt quædam æqualitas, norma, & judiciorum æquiſſimo ordine religioſe obſervato, ubi nulla ſit vel excæcans animum δωροληψία, *munerum captatio*, vel iniqua προσωποληψία, *perſonæ reſpectus*.

Neque tenuiores) Id quod fit, ſi, pecunia a potentioribus credita, egena plebs magnis uſuris affligatur, vel exhauriatur; unde non poſſunt non querelæ, & res novæ ſequi. Notæ ſunt ex hiſtoriæ Romanæ Scriptoribus ſeditionum, & ſeceſſionum a plebe quondam factarum cauſæ. Nam ante Legg. XII. Tabb. uſuræ fere pro libidine fœneratorum exigebantur: poſt placuit uſura unciaria, teſte Tacito VI. Annal. & deinde rogatione tribunitia ad ſemiunciam redacta eſt. Sed cum ea ratione haud facile in creditum ire allubeſceret, centeſimam voluerunt eſſe legitimam uſuram, l. 1. §. 3. ff. de pignoribus, quam *Sanguinolentam* appellat Seneca VII. de Benef. c. 10. Tandem Iuſtinianus pro negotiorum qualitate, & perſonarum conditione diverſa alium atque alium uſurarum modum conſtituit l. 26. C. de uſur. ad quem tit. præter alios videatur Perezius. Romani itaque ad utrumque extremum prolapſi ſunt, unde non potuit non turbari Reſpublica. Nam gravioribus uſuris plebeji fuerunt exhauſti, unciaria autem, & ſemiunciaria in damnum conjecti ſunt creditores. Iſtæ cauſam dedere tabulis novis, aut ſeditionibus ac ſeceſſionibus: his effectum eſt, ut commercia multis modis ſuſflaminarentur. Non quidem ignoro, de uſura unciaria non idem ſentire doctos; ſequor tamen hac in re ICtos ad l. 47. §. 4. ff. de admin. & per. tut. Media proinde via hic eſt tutiſſima, ut uterque ordo, pauperum, & divitum conſervetur; ad alterutrum extremum ſi deflexeris, alterum certe ordinem peſſumdari, vel ſaltem graviter vexari, & affligi neceſſum eſt. Optime igitur proſpectum eſt iis Rebuſpub. ubi uſuræ ſunt modicæ & tolerabiles, ut tamen quandoque temporum, & negotiorum habeatur juſta ratio, atque ita ſuum quærant compendium ditiores, ut adminiculum hinc ſentiant pauperes & plebeji ſine facultatum graviori detrimento; ſic enim inter hos major æqualitas, & temperamentum obtinebit, neque vel oligarchica, vel democratica ſtudia enormius excreſcent. Videſis Salmaſium de Modo Vſurarum.

Neque locupletibus) Alioqui id accidet, quod ait Comicus:

Iudices ſæpe propter invidiam adimunt diviti:

Aut propter miſericordiam addunt pauperi.

Tenenda vel recuperanda) Notum eſt, quæ hanc in rem juris præſidia apud Romanos, & interdicta fuerint adhibita, quæ non minus in bona cauſa ditioribus prodeſſe debent, quam egenis.

Præterea) Et ſingulorum opus tueri debent Magiſtratus, & cumprimis Reip. ejuſque opum incrementum quærere licitis modis, quorum nonnullos enarrat, qui tamen injuriæ patrandæ fere proximi eſſe ſolent. Qui vero honeſte Reip. proſunt, nullis malis artibus uſi, huic inſignem utilitatem, ſibi vero exemplo majorum in Rep. Rom. gratiam, & gloriam parabunt.

In his autem) Hactenus de iis ſub-

ſidiis & mediis egit, quæ ad gloriam cum exiſtimatione parandam utilia eſſe queant. His jam adjiciendum eſſet de rei familiaris, & valetudinis curatione, ex Antipatri Tyrii ſententia, rebus ſane utiliſſimis ad vitam commode degendam. Nam inter bona corporis valetudo, inter fortunæ pecunia primo fere eſt loco.

Quas res) De divitiis, & valetudine ideo Panætius nihil dixiſſe videtur, quod illa in bonis non ponerent, neque magni facerent ſeveriſſimi Stoici.

Sed valetudo) Vetus eſt ſenarius apud Græcos: Ουκ εσθ' ὑγιειας κρειττον *ουδεν εν βιῳ*· *Valetudine bona nihil melius eſt in vita*. Proinde ejus conſervandæ præcepta, licet pauca, tradit. Et quidem primo, ut quis diligenter ſuam naturam, vires, ac temperamentum exploret, ac quid proſit, quid obſit, obſervet: ſic enim ſibi quodammodo medicus eſſe, aut medicum rectius edocere poterit. Deinde accuratam rationem habendam eſſe ait diætæ, ut in ea teneatur ſedulo, *το μηδεν αγαν*, *Ne quid nimis*. Nam *cibi modicus*, *ſibi medicus*, præ foribus Pharmacopœi cujuſdam Hamburgenſis legitur. Cumque diætæ faciant complures partes *οἱ ιατρων παιδες*, ſpeciatim præcipit moderationem voluptatum, quibus non minus corpus, quam anima enervatur. Nam, uti bene Val. Maximus lib. II. c. 5. ait: *Bonæ valetudinis quaſi quædam mater eſt frugalitas, inimica luxurioſis epulis, & aliena nimiæ vini abundantiæ, & ab immoderato Veneris uſu averſa*. Reliqua ad bonam valetudinem ſive conſervandam, ſive recuperandam facientia petenda eſſe monet a medicæ artis cum ſcientibus, tum eximie peritis Doctoribus.

Res autem familiaris) Res familiaris vel adquiritur, vel adquiſita conſervatur, vel ad uſum transfertur. Adquiſitio non debet eſſe ſordida, nec turpis. Conſervatio fit per diligentiam, ut, ſi quod demtum fuerit, mox reſtituatur: vel ut ſub diligenti cuſtodia habeatur, ne pateat quibuslibet: quod parſimoniæ officium eſt. Divites enim non ſolum reddimur adquiſitione opum, ſed & illarum quam [illegible] impenſa ac erogatione. Ariſt. I. Rhet. 4. Idem præcepta diteſcendi ſeu artis *χρηματιστικης* optime tradidit lib. I. Polit. & in Œconomicis, modo hæc ſint tribuenda Ariſtoteli. Pleraque enim diteſcendi præcepta, quæ ibi proponuntur, tyrannidem redolent. Cumprimis etiam Xenophontis Œconomicus legi, & cum iſtis conferri meretur.

CAPVT XXV.

SEd utilitatum) Iam attingit a Panætio prætermiſſum caput, quæ bona utilia aliis ſint præferenda. Præcipua ſunt bona Animi, deinde Corporis, tum externa, ſeu fortunæ quæ dicuntur. Vt enim hæc vel præſtantiori parti præſtantius aliquod adjumentum, aut perfectionem adferunt, ita ipſa quoque alia aliis ſunt præſtantiora. Sed hæc forſan in ſingularibus deliberationibus clarius, quam in genere definiri poterunt. Nam varia ſunt hominum ſtudia, & fines, ut ſane non idem omnibus ſit æque utile.

Externorum) Iam exempla proponit bonorum fortunæ inter ſe comparatorum: ad quem locum ſive emendandum, ſive rectius intelligendum, addi poterunt Plinius lib. XVIII. c. 5. Adr. Turnebus VI. Adverſ. c. 23. & Manutius h. l. Eo vero quod Catonis hoc dictum refert Cicero, videtur una cum ipſo omnem artem fœnebrem deteſtari; & a modis opum adquirendarum licitis plane excludere, & peſſimis artibus *καπηλευτικας*, de quibus Ariſt. I. Polit. eam annumerare. Ceterum quid differant uſura a fœnore, & ab utroque id quod intereſt, & quibus differentiis hæc invicem diſterminentur: item, an omnino jure naturæ licitum ſit uſuras accipere, nec ne, non perfunctorie me diſputaſſe puto ad Grotii lib. II. de I. B. P. c. 12. §. 20. & 21. qui & ipſe hac de re legendus eſt. Adde noſtræ Inſtit. Iuriſpr. lib. II. tit. 55. & qui de Contractibus Vſurariis, & Vſuraria pravitate ſcripſerunt.

Bene veſtire) Alii ſubſtituunt *vitire*: quod in quodam MSo codice ſe repeririſſe teſtantur Nannius, & Langius.

Ex quo) Occaſione artis fœnebris a ſe damnatæ monet, non fruſtra de ejuſ-

Digitized by Google

ejuſmodi rebus, earumque comparatione diſquiri, quod quædam ſint ejus momenti, ut honeſtati, & rectæ conſcientiæ omnino repugnent, adeoque cum nullo modo agi debeant aut ſuſcipi, ne quidem cum aliis actionibus circa bona fortunæ licite occupatis recte contendantur.

Sed toto hoc) Ex qua pecunia, & quo illius uſu, ſeu commercio, vel major, vel minor utilitas colligi, ipſaque pecunia coacervari queat, rectius norunt mercatores, & quibus in vita unice lucellum eſt propoſitum, quam Philoſophi: qui tanti hoc non faciunt, nec ullam, aut ſane exiguam in iis curam ponunt, quam tamen ſi huic ſtudio impendere velint, non minus facile eſt Philoſophis, quam mercatoribus diteſcere, ſiquidem utriſque par quoque juſtitiæ cura fuerit, confirmante hoc Ariſtotele I. Polit. 7. exemplo Thaletis, qui cum, proſpecta ex rationibus Phyſicis ſterilitate, omnem olivitatem coemiſſet, poſt ex hujus mercis monopolio magnam confecit pecuniam.

Optimis viris) Quia vero artem fœnebrem cum Catone tantopere deteſtatus eſt, qua ratione illos, qui eam exercent, *optimos viros* appellat? Vel ergo hoc *εἰρωνικῶς* dictum eſt, vel mendum ſubeſt, ut forte pro *optimis* ſit legendum, *opimis*, vel *opulentis*.

Ad medium Ianum) In illo enim vico cum ſuis menſis proſtabant fœneratores & nummularii, qui in ſummum, medium, & imum dividebatur. Horatius lib. I. ep. I.

O cives, cives, quærenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt nummos. Hæc Ianus ſummus ab imo
Perdocet.

Digitized by Google

IN M. T. CICERONIS DE OFFICIIS LIBROS TRES ALDI MANVTII PAVLI F. ALDI N. COMMENTARIVS.

LIBRI PRIMI

ARGVMENTVM.

E Verſa rep. civili bello Cæſaris, & Pompeii, rebus omnibus ex unius arbitrio, nutuque pendentibus, cum leges, & judicia jacerent, non in curia, non in foro locus eſſet, retulit animum Cicero, quaſi medicinam doloris, & ſolatium adverſæ fortunæ quærens, ad intermiſſa philoſophiæ ſtudia: nec vero tantum, ut unus ipſe ſibi legendo prodeſſet; verum etiam, ut Latinorum hominum ingenia, quantum in ipſo eſſet, ad
arum artium, quarum plerique rudes, ignarique adhuc erant, ſcribendo excitaret.
Explicata igitur, & magna jam ex parte Latinis litteris illuſtrata philoſophia, con-
ulit ſe ad pulcherrimam omniumque nobiliſſimam de Officiis commentationem: utpote
ua nec ad commodum humanæ vitæ, nec ad ornamentum quæſtio magis ulla pertineat.
Que vero ſcribendi potiſſimum cauſſa fuit, ut abſenti filio, & Athenis liberales di-
ciplinas colenti, prodeſſet, ab ea initium ſumit. Et, quoniam duas perſonas ſuſti-
et, patris unam, præceptoris alteram: orditur a paterno jure, hortaturque filium,
ique admonet, ut, quamquam philoſopho clariſſimo, ejuſque ætatis Peripateticorum
rincipi, Cratippo operam det: nec dubitandum ſit, quin, eo doctore, annuo præ-
ertim jam ſtudio, tantum profecerit, ut iis præceptis, atque inſtitutis, quibus ad ſa-
ientiam vita dirigitur, non modo non egeat, verum etiam abundet: ſua tamen La-
ina ſcripta non aſpernetur: idque non tam propter doctrinam, a Peripateticorum
ræceptis interdum, ſed tamen haud ita multum diſſidentem, quam ut, dum Græcas
ractat artes, Latinæ ſimul facultatem augeat orationis. Atque hoc loco, ipſe ſibi vi-
lelicet egregie notus, in ſuas laudes digreditur: parum modeſte, dicet aliquis: ita,
i cum aliis loqueretur: ſed, quia cum filio, excuſationem laudatio, vera præſertim,
abere juſtam videtur: certe enim hoc neque negabit quiſquam, neque negare jure poſ-
it, viciſſe eum in oratoria laude Latinos omnes, Græcos adæquaſſe. Græcis quidem
pſis in eo etiam præſtitit, quod illi uno tantum induſtriæ genere floruerant, ut Pla-

Digitized by Google

to, Ariſtoteles, Theophraſtus tradendis philoſophiæ præceptis; Demoſthenes, Æſchines, Iſocrates oratoria facultate: ipſe autem cum in forenſi genere dicendi ita verſatus eſt, ut omnium conceſſu palmam tulerit: tum etiam, oppreſſa rep. otium in communi calamitate nactus, ne prorſus nihil ageret, ſuis in villulis, omiſſa plane rerum urbanarum cura, ſcripſit egregios de philoſophia libros: quorum alii nunc exſtant, teruntурque manibus eorum, quibus & ſapere, & bene dicere ſimul curæ eſt, alios vel temporum, vel hominum injuria conſumſit. Hoc igitur, quod ad Græcos attinet: nam Latinos quin utroque pariter genere, & agendis cauſſis, & præceptis de philoſophia tradendis, longo poſt ſe omnes intervallo reliquerit, eſſe neminem arbitror, qui negare audeat, aut poſſit. Hac abſoluta parte, cauſſas exponit, quibus hoc potiſſimum argumentum delegerit: eæ duæ ſunt, una, quod adoleſcentem iis maxime deceat præceptis erudiri, præſertim a patre, quibus inſtructus, in reliqua ætate dedecus, ac turpitudinem vitet, laudem, ac dignitatem ſequatur: altera, quod ſibi, maximis in rebus, cauſſiſque reip. verſato, ſummis magiſtratibus, & honoribus perfuncto, nulla magis quæſtio, quam quæ ad inveſtigandam officii notitiam pertinet, convenire videbatur: ſiquidem hac notitia nihil eſſe fructuoſius, aut præſtantius, ex eo conſtet, quod nulla prorſus, quæ officio vacet, vitæ pars eſt: ut, ſi quis officium ignoret, is nec amicitiam; nec ullam plane virtutem colere poſſit. Tertio loco aggreditur ad id, quod ei propoſitum eſt, ut de officio diſputet: & eo quidem ordine narrationem inſtituit, ut nihil illuſtrius, nihil commodius, nihil omnino ad intelligentiam aptius eſſe videatur. Quod quiſque velit, ſentiat: liberum eſt enim: ego ut ipſius quidem Ariſtotelis ordinem, quem ſervavit in Ethicis, cum hoc Ciceronis ordine contulerim: aut, ſi contulerim, non prætulerim certe. Hic quatuor initio virtutes proponuntur, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia: ex his deinde, tamquam ex quattuor fontibus, honeſtum, & ex honeſto officium deducitur, ac derivatur. Quid elegantius? quid etiam hujuſce doctrinæ cupido lectori jucundius? Ipſas vero virtutes ita ornat ſingulas, ita ſuis quaſi coloribus pingit, atque illuſtrat, non modo ut formam cujuſque, ac ſpeciem, ſed vim etiam, atque utilitatem ſeparatim liceat intueri. Neque hac diligentia contentus, adjuvat doctrinam exemplis: quæ, quis eſt, qui non cum voluptate legat, ſumta præſertim a claris viris, aut a notis gentibus? Hoc in genere, ſi neceſſarium eſt, parcus, & ſiccus Ariſtoteles: ſi non eſt, gravis, & magnificus, qui totus hæreat in rebus ipſis, reliqua tamquam inania contemnat: ſed tamen varietatem interdum aliquam, ad vitandam ſatietatem, ſubtilior quoque doctrina deſiderat: & eo magis, quod obſcuriorem ſua natura rem illuſtrari ſæpe videmus exemplo: quod quia præter ceteros unus animadvertiſſe, ac noviſſe Cicero videtur, propterea non unum, aut alterum amatorem habet, ſed omnibus fere, qui elegantiore ſunt ingenio, in deliciis eſt, omnium ſinu excipitur, omnibus in otio perjucundus, nemini ne in negotio quidem gravis, aut moleſtus eſt. Hanc diſputationem excipit illa dubitatio, duobus propoſitis honeſtis, utrum ſit anteponendum: de qua ita ſtatuitur: ſi honeſtum illud, quod ad omnes, aut ad multos pertinet, cum eo concurrat, quod ad unum, aut ad paucos, non eſſe dubitandum, quin communis honeſti major habenda ratio ſit, quam privati: quod ſi communia plura ſint, in ipſa communitate cautionem quamdam requiri, & gradus obſervari quoſdam officiorum oportere:

ut,

ne, ſi paria putentur, peccetur in delectu, & honeſtum illud commune, alteri communi honeſto injuria antelatum, honeſtum eſſe deſinat, &, quod per ſe laudabile eſt, ex comparatione vitioſum, ac turpe videatur: nam, ut inter communes, privataſque res, evenit ſæpe, ut honeſta duo concurrant: ſic in ipſa communitate poteſt honeſtorum duorum exoriri eadem illa contentio. Sed, ſi cogitabitur, primam a nobis caritatem, benevolentiamque diis immortalibus, alteram patriæ, tertiam parentibus, gradatim deinde reliquis deberi; erroris occaſio penitus auferetur omnis: licebit enim perſpicere, quæ cujuſque dignitas officii ſit, & qui cuique locus in ipſa etiam communitate debeatur. Atque hæc libro primo, diſtincta partibus, exornata verbis, aucta, & amplificata ſententiis Cicero perſequitur.

Digitized by Google

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

MIlitaris induſtria primas partes, alteras litterarum ſcientia Romæ tulit: armorum ſtudium, ut alia fere ex aliis bella oriebantur, aut numquam, aut raro admodum intermiſſum, tanto in honore fuit, quanto decuit eſſe illam artem, cujus munere ceteræ coluntur artes, & quæ niſi ſit, reliqua, quæ ſunt, diutius eſſe non poſſint. Nec ſua litreris adjumenta defuerunt, cum enim poſt Punica bella, ſublato jam hoſtili metu, pax, & otium ad elegantiam doctrinarum, & ad mitiora ſtudia civium animos convertiſſet, exſtitit præclarus ille mos, ut adoleſcentes erudiendi gratia Athenas mitterentur: quemadmodum hodie Patavium, Bononiam, aliove confluere multos videmus, ut mox, pulcherrimarum artium ſcientia ornati, atque inſtructi, ad ſuos redeant, ſibique, ac familiæ rem, decuſque parent. Hæc igitur Ciceroni præter ceteros mens, cupiditaſque fuit, ut Marcum filium ſtudiis philoſophiæ, ſine quibus eloquentiam eſſe nullam, aut certe debilem, aut mancam intelligebat, ſummis doctoribus erudiendum traderet: itaque miſit eum Athenas paullo ante bellum Hiſpanienſe, quod inter Cæſarem, & Pompeii liberos geſtum eſt: nam civilis belli principiis, cum in Pharſalia, duce Pompeio Magno, pugnatum eſt, non interfuiſſe tantum Ciceronem filium, ſed turmis etiam equitum præfuiſſe, facile eſt ex iis verbis intelligere lib. II. Offic. *Tua ætas incidit in id bellum, cujus altera pars ſceleris nimium habuit, altera felicitatis parum: quo tamen in bello, cum te Pompeius alæ alteri præfeciſſet, magnam laudem & a ſummo viro, & ab exercitu conſequebare, equitando, jaculando, omnia militari labore tolerando.* Iviſſe autem Athenas Ciceronem adoleſcentem paullo ante, quam Cæſar contra Pompeii liberos in Hiſpaniam proficiſceretur, ſatis illa ipſa prima verba declarant lib. I. *Annum jam audientem Cratippum.* Annuum enim ſpatium intercedit ab initio Hiſpanienſis belli ad illud tempus, quo Cicero hos Officiorum libros cœpit ſcribere: cœpit enim ſtatim poſt Cæſaris necem: nam, ubi de injuſtitia loquitur, *declaravit*, inquit, *id modo temeritas C. Cæſaris, qui omnia jura divina, & humana pervertit, propter eum, quem ſibi ipſe opinionis errore finxerat, principatum.* Accedunt epiſtolarum ad Att. teſtimonia: quæ quia ſunt in promtu, omnibuſque patent, omittuntur. Miſſo igitur Athenas filio, dabat operam ſcribendis de philoſophia libris, abjecta prorſus & ſenatorii muneris, & forenſium cauſſarum cura. Interim, orta civium nobiliſſimorum conjuratione, in Pompeii curia Cæſar eſt interfectus: & facta ſunt, M. Antonio conſule ſenatum habente, S. C. duo, unum in ſententiam Ciceronis, ut omnis veterum diſcordiarum memoria, pacis inter cives conſtituendæ gratia, oblivione ſempiterna deleretur: alterum, ipſo referente Antonio, ut Dictatoris nomen, quod ſæpe juſtum fuerat, ob recentem perpetuæ dictaturæ memoriam funditus e rep. tolleretur: mutata publicarum rerum forma videbatur, ſic, ut in ſpem libertatis antiquæ minime dubiam erigerentur animi civium bene de rep. ſentientium; ſed eam brevi ſpem eripuit Antonii conſulis concordiæ pr-

Digitized by Google

publicæ ſemper infenſa, diſſimulata paucis diebus improbitas: nam cum ſe in illo S. C. patronum libertatis, potentiæ vero ſingularis, ad quam, recenti C. Cæſaris exemplo, tacite viam affectabat, adverſarium acerrimum profeſſus jam eſſet: poſtea, orationis in funere Cæſaris habendæ munere ſuſcepto, commemoratis ejus rebus geſtis, maximiſque erga populum Romanum meritis, veſte demum C. Cæſaris multis gladiorum ictibus perfoſſa, ad commovendam miſerationem, explicata, in eum furorem populum impulit, ut ad ædes conjuratorum per univerſam urbem cum facibus, teliſque ſtatim diſcurreret: ita, rerum omnium tamquam orbe repente converſo, M. Antonius, & reliqui Cæſarianarum partium duces in urbe dominabantur, ita contemtis legibus, ac judiciis, ut, ſublato tyranno, tyrannidis tamen omnia ſigna cernerentur. Brutus, & Caſſius, quique cum eis præclarum illud facinus conſciverant, concitati populi metu, ex urbe profugerunt: boni cives in ſenatum venire, & ſententiam pro rep. dicere, magna militum manu ipſam curiam, juſſu Antonii conſulis, obſidente, non audebant. Tum Cicero, deſperata libertate, primum in Græciam ad filium navigare cœpit: deinde, ex medio curſu ab ipſa rep. revocatus: poſtremo, rurſus amiſſa communis concordiæ ſpe, totus ad litteras converſus, libros Officiorum compoſuit, ita ſane diligenter, ut ne inter Græcos quidem præſtantius quidquam, aut moribus hominum conformandis accommodatius eſſe videatur. Quid autem acciderit, ut, mutata ſententia, Cicero in urbem redierit, ipſo narrante oſtendam. Phil. I. ſic: *Cum Brundiſium, iterque illud, quod tritum in Græciam eſt, non ſine cauſſa vitaviſſem, Kalendis Sext. veni Syracuſas, quod ab ea urbe tranſmiſſio in Græciam laudabatur; quæ tamen urbs, mihi conjunctiſſima, plus una me nocte cupiens retinere non potuit: veritus ſum, ne meus repentinus ad meos neceſſarios adventus ſuſpicionis aliquid afferret, ſi eſſem commoratus. Cum autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod eſt promontorium Rhegini agri, venti detuliſſent, ab eo loco conſcendi, ut tranſmitterem: nec ita multum provectus, rejectus Auſtro ſum in eum ipſum locum, unde conſcenderam: cumque intempeſta nox eſſet, manſiſſemque in villa P. Valerii, comitis, & familiaris mei, poſtridieque apud eumdem, ventum exſpectans, manerem, municipes Rhegini complures ad me venerunt, ex iis quidam Roma recentes: a quibus primum accipio M. Antonii concionem, quæ mihi ita placuit, ut, ea lecta, de reverſione primum cœperim cogitare. Nec ita multo poſt, edictum Bruti affertur, & Caſſii: quod mihi, fortaſſe, quod eos plus etiam reip. quam familiaritatis gratia diligo, plenum æquitatis videbatur. Addebant præterea (fit enim plerumque, ut ii, qui boni quid volunt afferre, affingant aliquid, quo faciant id, quod nunciant, lætius) rem conventuram, Kalendis Sext. ſenatum frequentem fore, Antonium, repudiatis malis ſuaſoribus, remiſſis provinciis Galliis, ad auctoritatem ſenatus eſſe rediturum. Tum vero tanta ſum cupiditate incenſus ad reditum, ut mihi nulli neque remi, neque venti ſatisfacerent*. Et in ep. ad Cornificium: *Ego tuorum conſiliorum auctor, dignitatiſque fautor, iratus temporibus, in Græciam, deſperata libertate, rapiebar: cum me Eteſiæ, quaſi boni cives relinquentem remp. proſequi noluerunt; Auſterque adverſus maximo flatu me ad tribules tuos Rhegium retulit: atque inde ventis, remiſque in patriam omni feſtinatione properavi poſtri*.

poſtridieque in ſumma reliquorum ſervitute liber unus fui. Et ad M. Brutum: *Cum teneri urbem a parricidis viderem, nec te in ea, nec Caſſium tuto eſſe poſſe, eamque armis oppreſſam ab Antonio: mihi quoque ipſa excedendum putavi; tetrum enim ſpectaculum, oppreſſa ab impiis civitas, opitulandi poteſtate præciſa: ſed animus idem, qui ſemper infixus in patriæ caritate, diſceſſum ab ejus periculis ferre non potuit: itaque in medio Achaico curſu cum Eteſiarum diebus Auſter me in Italiam, quaſi diſſuaſor mei conſilii retuliſſet, te vidi Veliæ*. Et, ut erat gloriæ cupidus, amplificatione interdum utens, reip. voce ſe dicit eſſe revocatum: ad Plancum enim cum ſcriberet: *Abfui*, inquit, *proficiſcens in Græciam: &, poſteaquam de medio curſu ſum reip. voce revocatus, numquam per M. Antonium quietus fui*. In extremo autem lib. III. Off. ita cum filio loquitur: *Sed ut, ſi ipſe veniſſem Athenas: quod quidem eſſet factum, niſi me de medio curſu clara voce patria revocaſſet: aliquando me quoque audires: ſic, quoniam his voluminibus ad te profecta vox mea eſt, tribues his temporis, quantum poteris; poteris autem, quantum voles*. Reverſus igitur in urbem Cicero, animadverſa, ut dixi, contra quam ſperaverat, reip. perturbatione, rurſus urbe egreſſus in villis ſuis libros hos de Officiis, ut reliquos de philoſophia, compoſuit. Miſit autem eos ad filium, ut, quem cariſſimum, unicumque habebat, ejus animum ſaluberrimis ad omnem honeſtatem, omnemque laudem præceptis imbueret. Sed neſcio quo pæne communi filiorum morbo a præclaris parentibus degenerantium, Cicero filius, ſive id naturæ vitio, ſive voluntatis acciderit, a patris gloria longe deflexit. Pater a prima adoleſcentia ſobrie, continenterque vixit, diu, noctuque ſtudiis deditus bonarum artium, nihil omnino gulæ, aut inhoneſtis voluptatibus indulgens, totus virtutis amore flagrans: filius, quaſi ad eum ſimul cum re familiari paternæ virtutis gloria, nullo ſuo labore, perventura eſſet, imitatione domeſticæ induſtriæ neglecta, vino, ebrietatibus, luxuriæ ſe totum tradidit. Et, ut alia omittantur, uno Plinii majoris exemplo contentus ero: *Tergilla*, inquit, *M. Ciceronem filium binos congios ſimul haurire ſolitum ipſi objicit, Marcoque Agrippæ a temulento ſcyphum impactum: etenim hæc ſunt ebrietatis opera: ſed nimirum hanc gloriam auferre Cicero voluit interfectori patris ſui M. Antonio: is enim ante eum avidiſſime apprehenderat hanc palmam*. Hæc Plinius. Pater tamen, quod ad eum attinuit, filii gloriæ, quantum in ipſo fuit, dum viveret, conſuluit: ut etiam blanditiis, ac fere precibus cum ipſo de ſua laude agat: in extremo enim tertio libro: *Vale*, inquit, *mi Cicero, tibique perſuade, te mihi quidem eſſe cariſſimum, ſed multo fore cariorem, ſi talibus monumentis, præceptiſque lætabere*. Iam in epiſtolis quam diligenter eum Athenis operam Cratippo dantem Attico commendet, ne quid ei deeſſet, quod ad victum, & cultum ſpectaret, omnibus intelligere facile eſt, qui epiſtolas ipſas legerint. Non optime tamen, ut erat in primis acuto, longeque in poſterum proſpiciente ingenio, de filii indole videtur exiſtimaſſe: cujus dubitationis exſtat ſignum illud ep. 46, lib. XIII. ad Att. *Turpe eſt nobis, illum, qualiſcumque eſt, hoc primo anno egere*. Et ep. 16. lib. XV. *Leonidas retinet illud ſuum: Adhuc quod eſt dubitantis, non fidentis, teſtimonium*. Sed hæc quaſi *παρεργα*.

M. T.

M. T. CICERONIS DE OFFICIIS AD MARCVM FILIVM

LIBER PRIMVS.

INſcriptionem, de Officiis, quia plenior eſſe videtur, quam de Officio, propterea magis probavit: licet Panætius, quem ſe fatetur imitari, cum in eodem verſaretur argumento, ſuos libros inſcripſiſſet, *περι του καθηκοντος*, quod eſt, de Officio; qua de re Ciceronem ipſum audiamus ad Attic. epiſt. 13. lib. XV. *Nos hic φιλοσοφουμεθα: quid enim aliud? & τα περι του καθηκοντος magnifice explicamus; προσφωνουμεν Ciceroni: qua de re enim potius pater filio?* Et epiſt. 11. lib. XVI. *τα περι του καθηκοντος, quatenus Panætius, abſolvi duobus; illius tres ſunt.* Ibidem infra: *Quod de inſcriptione quæris, non dubito, quin το καθηκον officium ſit: niſi quid tu aliud: ſed inſcriptio plenior de Officiis; προσφωνω autem Ciceroni filio.* Hæc ille. Sed accedit illa quoque ratio: quod, ut ſæpe ipſe gloriatur, plura tractat officiorum genera, quam Panætius; recte igitur, *de Officiis*, ob ea quæ perſecutus eſt, a Panætio prætermiſſa: quamquam (ut aliquid pro Panætio dicam) niſi me fallit aurium judicium, in Græco ſonat aptius, & omnino videtur elegantius, *περι του καθηκοντος*, quam, *περι των καθηκοντων*. Nam, quod ad ſignificationem attinet, æque omnia, quamvis multa, complecti ſingularis numerus & poteſt, & ſolet; itaque, cum eſſent plura divinandi genera, de divinatione tamen inſcribere Cicero maluit, quam, de divinationibus: quæ plenior inſcriptio fuiſſet.

Officiales libros appellat Lactantius lib. VI. cap. 11. & 18. De Panætio autem vide Plinium in Præfatione, & Agellium. Scripſerat & Brutus librum *περι καθηκοντος*, auctore Seneca Epiſt. lib. XV. & Chryſippus libros *περι κατορθωματων*. Plut. in Opuſc. & alibi. citat, & eumdem Chryſippum *εν τῳ περι καθηκοντος*, tum alibi, tum in ſeptimo. Cleanthes ſcripſit lib. tres *περι καθηκοντος*. Citatur & Poſidonius *εν τῳ πρωτῳ περι καθηκοντος*, Laertius: & Hecato Rhodius, idem Laertius: ſed primus ſcripſit Zeno Citiæus, auctore eodem Laertio, & Suida. Sed & Epictetus in Enchiridio quiddam ſcripſit: & Ariſtotelem de Officiis ſcripſiſſe D. Ambroſius tradit: qui totam hanc materiam Chriſtianis exemplis mirifice illuſtravit.

CAPVT I.

QVamquam te, Marce fili) Paucis verbis egregium artificium in cohortando ad philoſophiam filio licet animadvertere; nam & Cratippum, & Athenas ideo nominat, ac laudat, ut oſtendat, qui talem doctorem ſit nactus, in ea præſertim urbe, quæ præſtantiſſimorum philoſophorum copia ſemper floruerit, claroſque viros liberalibus diſciplinis excultos, in omnes fere orbis terræ partes diverſis temporibus emiſerit, & turpe admodum eſſe, vertique vitio jure poſſe, ſi, tam præclaris non commotus exemplis, optimarum doctrinarum expers, inaniſque domum redeat. His duabus cauſſis tertiam adjungit, ſpatium temporis, quo eum doctorem in ea urbe audiat; nam, eum ait, *annum jam*, admonitio quædam eſt, quid annuo ſtudio præſtare debuerit. Ex quibus tribus cauſſis intulit verbum, *oportet*; non enim, Arbitror, aut ſimile quippam, ſatis eſſe duxit, ſed, Oportet: cum antecedant illa, Audire Cratippum, Audire Athenis, Audire multis menſibus; quo efficitur, niſi valde jam profecerit, culpam, & infamiam vitare non poſſe. Athenas, & Cratippum conjungit etiam in proœmio lib. III.

Digitized by Google

Annum jam) Annuum tempus conficiebatur poſt Kal. Apr. ut patet ex lib. XV. ep. ad Att.

Audientem) Quod magis eſt, quam privatim ſtudere. Proverbium eſt: *Ζωσης φωνης μειζω την ενεργειαν ειναι.* Id eſt: *Vivæ voci majorem vim ineſſe*.

Cratippum) Hic Peripatetica ſcientia claruit. Infra: *Diſces tu quidem a principe hujus ætatis philoſophorum*. Et lib. II. *In antiquiſſima, nobiliſſimaque philoſophia, Cratippo auctore, verſaris, iis ſimillimo, qui iſta præclara pepererunt*. Et lib. III. *A Cratippo noſtro, principe hujus ætatis philoſophorum, hoc te audire, atque accipere confido*. Hic Mitylenæus fuit: proque eo Cicero apud Cæſarem egit, cum rerum potitus eſſet, ut civis R. adſcriberetur: perſuaſitque ſenatui Areopagitarum apud Athenienſes, ut inſtituendæ juventuti præficeretur. De eo vide, quid dicat Cicero filius in ep. ad Tironem lib. XVI. Pompeium, e Pharſalica clade aufugientem, apud Mitylenem occurrens, ſolatus eſt argumentis e philoſophia depromtis.

Athenis) Olim civitate libera nec indiga ullius præconii amplius, tanta claritas ſuperfluit, ut inquit Plinius. Plato φιλολογον, & πολυνοιαν appellat. Cicero pro Flacco ab ea ait humanitatem, doctrinam, fruges, jura, leges ortas, atque in omnes terras diſtributas. Vide Xenophontem in dictis, & factis Socratis, Iſocratem in Panegyrico, Ciceronem de Fato, de Leg. II. de Oratore, Iuſtinum libro ſecundo, Florum lib. III. capite quinto, Plutarchum in Cimone, Pauſaniam in Atticis.

Abundare) Non modo non egere, ſed etiam abundare.

Oportet) Par eſt, credibile eſt: prorſus ratio poſtulat, ut abundes: nec aliter credendum videtur,

Præceptis, inſtitutiſque philoſophiæ) Perpendenda interdum ſingula ſunt verba, ne Ciceronis elocutio, aptam ſententiis, utilemque copiam ſuppeditans, non intelligentibus inanis, & ſupervacanea videatur. Inſtituere plus eſt, quam Præcipere; præcepta enim docent, quid agendum ſit: nec tamen omnes, quibus præcipitur, ita ſe gerunt, ut præceptorum ſententiam vita, & moribus exprimant; inſtituta vero plane formant, & fingunt eorum animos, quibus præcepta traduntur, ſic, ut a præceptorum regula nihil, aut minimum diſcedant; quo major in Ciceronis cohortatione vis eſt, qui filium admoneat, non eum noſſe tantum oportere, quæ philoſophia præcipiat, ſed ita etiam inſtitutum eſſe, ut ea, quæ noverit, ſimul agenda ſibi eſſe conſtituat.

Propter ſummam & doctoris auctoritatem, & urbis) Vrbis, ob exempla, Doctoris, ob ſcientiam. Auctoritas eam vim habet, ut ipſa per ſe, vel ſi ratio nulla, cur aliquid agamus, afferatur, nos tamen ad agendum impellat; ratio autem, ſi auctoritate careat, ſæpe languet. Eſt enim auctoritas in eo, de cujus virtute, prudentia, bonitate ſic exiſtimamus, ut eam in delectu rerum haudquaquam falli poſſe judicemus. Inanimatæ rei auctoritas non eſt: ſed eam urbi Cicero tribuit, propter illos viros, qui, cultis in ea philoſophiæ ſtudiis, doctrinæ, ac ſapientiæ laude præſtiterant. Movere te debet, inquit, & doctoris, & urbis auctoritas, cogitantem, quid Cratippo doctore, quid in urbe Athenarum præſtare te deceat. Nicias apud Platonem in Lachete, a bono tantum præceptore, Socrate maxime, inſtitui voluit, ne, perpetuo diſcens, δυσμαθης, hoc eſt, dediſcens, videretur. Philippus Macedo diis gratias agebat, quod ſibi Alexander Ariſtotelis tempore natus eſſet. Plato etiam iiſdem gratias agebat, primum, quod homo potius, quam brutum natus eſſet: ſecundo, quod Athenis: tertio, quod temporibus Socratis.

Augere) Augent nos ea, unde fructum capimus: itaque, augeri ſcientia, honoribus, re familiari, proprie dicimus; malis rebus augeri aliquem, non dicimus; nam, ſi quis improborum conſiliis, & conſuetudine depravatur, quis eum vitiis auctum eſſe dixerit? cum ea minuantur potius: quibus, Augere, verbum, adjungimus, res domeſtica, exiſtimatio, virtus.

Exemplis) Senecæ verba ſunt epiſtolarum lib. XIV. *Nulla res magis animos honeſtate induit, dubioſoſque, & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum converſatio; paul-*

la-

Digitized by Google

atim enim deſcendit in pectora; & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, adſpici frequenter. Occurſus mehercle ipſe ſapientium juvat: & eſt aliquid, quod e magno viro vel tacente proficias.

Ut ipſe ad meam utilitatem ſemper cum Græcis Latina conjunxi) Monet filium exemplo ſuo, ne Latinam linguam a Græca disjungat: (cum id maxime conducat: ut in ipſo Cicerone intueri licet, & locus eſt ab utili: nam in genere deliberativo utilitatem proponere debemus, & ſine Græca eruditione, quæ de philoſophia ſcripta ſunt, intelligi perfecte non poſſunt:) veritus, ne, cum aſſidue Cratippum audiat Græco ſermone philoſophiæ præcepta explicantem, Latinæ ſtudium negligat orationis; hoc eo pertinet, ut ſua ſcripta legenda ſibi putet, ſi minus ob res ipſas, in quibus eum Cratippo tradiderat excolendum, cui ſcientiam philoſophandi non concedere arrogantiæ eſſe videbatur: ſaltem ob Latinam linguam, in qua ſatis eum conſtabat ceteris antecellere: nec eam ipſe laudem reſpuit, ſed jure quodam ſuo, nihil metuens arrogantiæ ſuſpicionem, ſibi vindicat. Ob meam utilitatem, dicit, quia ſemper id ſpectavit, ut in eloquentia palmam obtineret: quod aſſecutus eſt, numquam intermiſſa, ne cum philoſophiæ quidem operam dabat, Latini ſermonis exercitatione. Ad Atticum ſcribens, lib. I. gloriatur, ſe præter ceteros φιλέλληνα & eſſe, & haberi. Et I. de Oratore: *Summorum oratorum Græcas orationes explicabam: quibus lectis, hoc aſſequebar, ut, cum ea quæ legerem Græce, Latine redderem, non ſolum optimis verbis uterer, & tamen uſitatis: ſed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ rara noſtris eſſent, dummodo eſſent idonea.* Plutarchus in ejus vita ait, cum Græce apud Rhodum declamaret, eum Apollonii Molonis F maximum in oratoria præceptorem Græcis eloquentiæ, & doctrinæ palmam præripuiſſe, dixiſſe. Quinctilianus ſtudiorum auſpicia a Græcis fieri voluit: ſed de iis loquebatur, qui Latinam linguam una cum lacte materno imbibebant; nos tum Græcam diſcere debemus, cum Latinæ analogiam per nos callere incipimus.

Semper) Non tantum adoleſcens.

Neque id in philoſophia ſolum, ſed etiam in dicendi exercitatione feci) Ambigua ſententia; quæri enim poteſt, utrum Latinam, an Græcam linguam, & in philoſophia, & in dicendi exercitatione a ſe cultam eſſe dicat. Si Græcam, adverſantur ea, quæ ſequuntur: in quibus apertiſſime filium ad Latinam amplectendam hortatur; ut cum ait: *Orationem autem Latinam profecto legendis noſtris efficies pleniorem.* Si Latinam: ordo non placet: dicendum enim potius videbatur: Neque id in dicendi exercitatione ſolum, ſed etiam in philoſophia feci: ut oſtenderet, non modo ſe feciſſe, quod ab iis fieri neceſſe eſt, qui ad eloquentiæ laudem ſpectant, ſed etiam, quod neceſſe minus erat: exerceri enim Romano ſermone in ea philoſophia, quæ tum Græcis litteris tota continebatur, quis neget, multo minus, quam in oratoriæ ſtudio facultatis, utile fuiſſe? Veritas igitur ſententiæ quærenda: quam quidem hanc eſſe non dubito: Ita cum Græcis Latina conjungere mihi ſemper curæ fuit, ut Latini ſermonis uſum, ne cum philoſophiæ quidem operam dabam; Græci, ne cum Latine quidem exercebar, umquam dimiſerim. Et, quia minus mirum videri potuiſſet, pluris a ſe factam eſſe patriam linguam, quam Græcam: ideoque & in philoſophia, & in dicendi exercitatione cultam eſſe: non, inquit, id modo feci, ut Latinam linguam in philoſophia exercerem, ſed illud etiam, ut in Latina exercitatione Græcam non omitterem. Quinctilianus in Præfatione, oratorem, & philoſophum eumdem eſſe tradit. Cicero in Oratore, non tantum ſe debere ſcholis rhetorum teſtatur, quantum Academiæ ſpatiis. Idem Quinct. lib. XII. cap. 2. oratorem philoſophia inſtructum eſſe vult: cum non intelligi poſſit eloquentia hominis optima neſcientis, ſicque Periclem Anaxagoræ, Demoſthenem Platoni operam dediſſe. In philoſopho quoque eloquentiam requiri, affirmat Cicero in Præfatione Tuſculanarum, cum ait: *Hanc perfectam philoſophiam ſemper judicavi, quæ de maximis quæſtionibus copioſe poſſet, ornateque dicere; in quam exercitatio-*

tio-

Digitized by Google

tionem istā nos ſtudioſe operam dedimus, ut jam etiam ſcholas Græcorum more habere auderemus.

Dicendi exercitatione) Quales declamationes exſtant, de Latinis, Quintiliani, Senecæ: de Græcis, Libanii, Ariſtidis, & aliorum.

Cenſeo) Paternam auctoritatem redolet hoc verbum; nam, Arbitror, aut ſimile quiddam, levius erat. *Cenſeo* autem, qui dicit, non modo ſuadet, verum etiam pæne jubet. Fecit autem filius, quod pater juſſit; ad Tironem enim ſcribens, ſe apud Caſſium Græce, apud Brutum Latine declamitare ait.

Vtriuſque orationis) Græcæ, & Latinæ: philoſophicæ, & oratoriæ.

Quam quidem ad rem) Quam? nimirum eam, de qua proxime locutus eſt: pares ut eſſe poſſent Romani homines in utriuſque orationis facultate; quod aliqua dubitatione non caret; longe enim pauciora Græce, quam Latine Cicero compoſuit: ut gloriari prorſus ei non liceat, æque ſe magnum in utraque lingua Romanis hominibus adjumentum attuliſſe. Quærenda igitur eſt, quæ cum Ciceronis mente conſentiat, interpretatio. Et fortaſſe dicit hoc de libris, quos de Arte Oratoria & de Rep. & poſtremo de philoſophia multos ediderat, ſic a ſe locupletatam eſſe Latinam linguam, ut, ex ea Romani homines Græcæ jam æquata, non minorem in poſterum ſperare gloriam poſſent, quaſi excellerent in Græca, tot ſeculorum ſpatiis, tot ſummorum oratorum laboribus abſoluta. Pares igitur eſſe poterant in utriuſque orationis facultate, quod ad Latinam linguam attinebat: quæ ne Græcæ concederet, induſtria ſua præſtitiſſe ſibi Cicero videbatur; nam, ſi Latina fuiſſet inferior, quis in utraque par eſſe poſſet, cum pares ipſæ non eſſent?

Vt videmur) Hoc poſuit ad vitandam arrogantiæ ſuſpicionem: parumperque minuit, quod ait ſequentibus verbis, *magnum attulimus adjumentum hominibus noſtris*; nam, *ut videmur*, arbitrantis eſt, non affirmantis.

Magnum adjumentum) In Præfat. Tuſc. *Philoſophia latuit uſque in hanc ætatem, nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum: quæ illuſtranda & excitanda nobis eſt, ut, ſi occupati profuimus aliquid civibus noſtris, proſimus etiam, ſi poſſumus, otioſi.*

Hominibus noſtris) Romanis, & Latinis.

Vt non modo Græcarum litterarum rudes) Proxima ſuperiora ad Latinam tantum linguam pertinent; quæ ſequuntur, etiam ad res ipſas: quas cum Græcis litteris traditæ eſſent, a ſe tamen ita explicatas oſtendit Latino ſermone, non modo ut ii, qui Græce neſcirent, ſed etiam, qui optime ſcirent, eaſque poſſent e Græcis libris cognoſcere, mallent ſua ſcripta legere, ex quibus aliquem ſe fructum capere arbitrarentur; nam, ſi & hæc, & ſuperiora æque de Latina tantum lingua dicerentur, non conſentire ſibi ipſe Cicero videretur, qui, cum dixiſſet, *magnum adjumentum*, ſubjungeret, *aliquantulum*.

Docti) Abſolute dictum: non, *docti litterarum*: ut inepte quidam opinantur.

Aliquantulum) Non, ad dicendum: quod pertinet ad Latinam linguam, in qua ſe jam dixit non aliquantulum, ſed multum Romanis hominibus profuiſſe. Ad judicandum igitur: quod non ad Latinam linguam, ſed ad philoſophiæ præcepta, ab ipſo Latine tradita, pertinet; in quo ne Græcis Philoſophis, qui ea multis libris egregie perſecuti erant, detrahere velle videretur, *aliquantulum*, dixit: quo modeſtius dicere non potuit.

Et ad dicendum) Augetur enim Latina lingua, non modo cum oratoria præclare tractat, ſed etiam, cum ad explicanda philoſophiæ ſenſa transfertur: quod ante Ciceronem præſtiterat nemo, ut ipſe dixit loco ſupra recitato.

Et ad judicandum) Philoſophus enim de rebus judicat, in verbis non immoratur: judicat autem, quid agendum, vitandumve ſit: quæque obſcuriora ſunt, erroribuſque multis humanas mentes involvunt, judicii ſui præſtantia illuſtrat, ac patefacit. Poſſunt igitur, inquit, noſtrorum librorum lectione Romani homines non augeri ſolum Latina lingua, ſed judicandi quoque ſcientiam conſequi: &, quamvis Græcos de philoſophia libros legant, aliquem tamen ex in-

du-

Digitized by Google

uſtria quoque noſtra fructum cape-e.

Quamobrem diſces tu quidem) Concludit, quod ei propoſitum eſſe jam iximus, legenda filio ſua ſcripta, ſi on doctrinæ, quam ejus judicio permittit, orationis certe Latinæ gratia.

Hujus ætatis) *Hujus memoriæ*, ait b. III. Ita autem dicit, ut aſſentationem cavere videatur.

Diſces, quamdiu voles) Quod ſuæ oteſtatis eſt, filio largitur: ut ſtatuat pſe Cratippi tempus audiendi. Sed, uod largitur, adſtringit paullum ſequentibus verbis. Sino tuam voluntaem, inquit, liberam eſſe, cum hoc amen, ut eam doctrinæ regat, ac noderetur utilitas; quamdiu enim Craippo magiſtro proficere te intelliges, amdiu dandam ei operam eſſe, exitimare debebis. Et hic quædam laet admonitio; nam, quem proxime philoſophorum principem nominavit, oſſe, qui eum vel diutiſſime audiat, ſemper aliquid diſcere, omnino ſignificat.

Quamdiu voles : tamdiu autem velle debebis) Infra: *Quod vitium qui effugere volet* (*omnes autem velle debebunt*) &c. Eodem modo locutus Fam. lib. II. ep. 11. *Quidquid erit, tibi erit.* Et ep. 18. e. l. *Sin quid offenderit, ſibi totum, nihil tibi offenderit.* Lib. III. ep. 2. *Quibuſcumque rebus potes*, (*potes autem plurimis.*) Lib. VI. ep. 5. *Quotieſcumque filium tuum video*, (*video autem fere quotidie.*) Et ep. 6. e. l. *Quidquid valebo vel auctoritate, vel gratia, valebo tibi.* Et lib. IX. ep. 14. *Neminem conveni*, (*convenio autem quotidie plurimos.*) Et ep. 17. e. l. *Fiet, quodcumque volent, qui valebunt: valebunt autem ſemper arma.* Et lib. X. ep. 6. *Quos adhuc gradus dignitatis conſecutus es*, (*es autem adeptus ampliſſimos.*) Et lib. XIII. ep. 41. *Quotieſcumque me videt*, (*videt autem ſæpiſſime.*) Et ep. 53. e. l. *Quoad fides tua, dignitaſque patietur: patietur autem in omnibus.* In Piſonem: *Videre te volui, vidi.* Phil. I. *Huc ſi quid acceſſerit, non tam mihi, quam vobis, reique pub. acceſſerit.* Simile quid habent & illa. Lib. I. ep. I. *Regis cauſſa ſi qui ſunt, qui velint: qui pauci ſunt.* Lib. II. ep 18. *Quæ mihi veniebant in mentem, quæ ad te pertinere arbitrabar*, &c. Lib. IV. ep. 7. *Hos idem omnes, qui te diligunt, ſentiunt: quorum eſt magna multitudo.*

Non pœnitebit) Non parum videbitur, Ter. Heaut. Quinctilianus: *Multi ad ſumma pervenirent, niſi, ſe jam eo perveniſſe, perſuaſum haberent.* Et Bion dixit: Την οιησιν ειναι της προκοπης εγκοπην. hoc eſt: *Opinionem felicitatem præcidere.* Proverbium eſt: *Senex ſemper aliquid addiſcet.* Solon apud Platonem de rep. VII. & in dial. de Philoſophia, & in Lachete: Γηρασκω δ' αιει πολλα διδασκομενος, i. e. *Diſcenti aſſidue multa, ſenecta venit.* Et apud Agellium: *Uſus me genuit, peperit mater memoria.* Seneca ad Lucilium: *Tamdiu diſcendum eſt, quamdiu neſcias: &, ſi proverbio credimus, quamdiu vivas.* Demea Terentianus:

Numquam ita quiſquam bene ſubducta
ratione ad vitam fuit;
Quin res, ætas, uſus ſemper aliquid
apportet novi,
Aliquid moneat, ut illa, quæ te ſcire
credas, neſcias;
Et, quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Et Senecæ verſiculus ille: *Diſcipulus eſt prioris poſterior dies.* Imitandus ille, (Iuliano juriſconſulto auctore) qui, vel ſi alterum pedem in ſepulcro haberet, tamen adhuc velle diſcere profitebatur. Plato quoque cuidam otioſo, & voluptatibus dedito, percontanti: Quoad puer eſſe vellet? quod eum diſcendo non minus, quam docendo videret occupari: reſpondiſſe fertur: Quoad, quantum doctrina, & virtute augear, me non pœnitebit.

Non multum a Peripateticis diſſidentia) Oſtendendum eſt, in quo diſſideant, & quantum diſſideant a Peripatetica doctrina Officiorum libri. Peripatetici virtutem, & honeſtum ceteris rebus omnibus longe præferri debere judicabant, ſola tamen felicitatem poſſe conficere nequaquam arbitrabantur; quod ſi accederent opes, honores, valetudo, quæque alia ſunt ejuſmodi, ut iis deſtituta humana vita laboraret: tum vero felicitatem abſolvi, cum accidere nihil poſſet, quod moleſtiam animo, corpori afferret incommodum. Stoici contra, felicitatem una virtute metiebantur: ſi quis honeſte, & cum virtute vitam duceret, nihil præterea deſiderare: ſapientem,

tem, id eſt virtute præditum, ſolum eſſe divitem, pulcrum, honoratum, omnibus denique rebus. quæ falſo vocabulo bona dicerentur, ſolum abundare. Hanc diſſenſionem paucis verbis attingit Cicero lib. III. ita ſcribens: *A te poſtulo, mi Cicero, ut mihi concedas, ſi potes, nihil, præter id, quod honeſtum ſit, eſſe propter ſe expetendum: ſin hoc non licet propter Cratippum: at illud certe dabis quod honeſtum ſit, id eſſe maxime propter ſe expetendum.* Hæc igitur inter eos diſſenſio fuit magna prorſus, & quæ diverſiſſima vitæ genera induceret. Aliud eſt enim, honeſto quidem plurimum tribuere, ceteris tamen rebus, quæ ad commoda corporis, atque ad animi delectationem pertinent, locum relinquere, iiſque, ſi abſint, comparandis operam dare: ſi adſint, frui, quantum deceat: aliud, in uno honeſto omnia ponere: cetera, ſi cum eo jungantur, paupertatem, ignominiam, morbum, tormenta ipſa cara habere, & ſuavia eſſe dicere: ſi disjungantur ab eo, divitias, gloriam, bonam valetudinem, commoda denique omnia, non modo, quaſi ad felicitatem nihil afferant, contemnere, ſed etiam, quaſi felicitati repugnent, inter mala numerare. Hoc Stoici cum ſentirent, accerrimeque defenderent, quæri poteſt, cur Cicero, qui ſe in his libris potiſſimum ſequi Stoicos profitetur, ſua ſcripta dicat a Peripateticorum ſententia non admodum diſcrepare. Huic dubitationi occurritur hoc modo. Præcepta officiorum Cicero de Stoicorum fontibus hauriebat: ea dicit oriri ab honeſtate, honeſtatem ipſam ex quatuor virtutibus, prudentia, juſtitia, fortitudine, temperantia. In hoc nihil a Peripateticis Cicero diſſidebat; nulla enim fuit, ad hanc quidem partem quod attinet, inter Stoicos, & Peripateticos controverſia; nam honeſtum utrique negabant eſſe, quod ab harum virtutum aliqua non oriretur. In quo igitur a Peripateticis Cicero diſſentit? In honeſto: quod e Stoicorum ſententia ſi ſolum propter ſe expetatur, valde probat. In quo ab iiſdem non multum diſſentit? In eodem; nam, etſi Stoicorum ſententiam probabat, Peripateticorum tamen haud improbabat omnino. Itaque lib. III. cum honeſtum Peripateticorum a Stoicorum honeſto diſtinxiſſet, poſtulat a filio, quod ſupra jam oſtendi, ut id ſibi concedat, quod Stoici probant: ſi non poteſt, quod adverſetur Peripateticæ doctrinæ, cui tunc Cicero filius operam dabat, concedat ſaltem id, quod placet Peripateticis. Quo loco ſubjungit hæc: *Mihi utrumvis ſatis eſt: & cum hoc, tum illud probabilius videtur, nec præterea quidquam probabile.* Aperte demonſtrat, Peripateticorum honeſtum a ſe non improbari, Stoicorum autem probari vel maxime. Sed in his libris declinat interdum ad Peripateticorum ſententiam: neque contemnit opes, honores, amicitias, reliqua adjumenta vitæ, quamquam ea non ſejungat ab honeſto; itaque vere dixit, diſſidere ſe quidem a Peripateticis, non multum tamen: cum eorum honeſtum plane non improbaret, locum relinquens aliquem iis rebus, quas omnino Stoici, ut inanes, excludebant.

Vtrique Socratici, & Platonici eſſe volumus) Videtur hoc dicere: Et Stoicos, & Peripateticos ſequi volumus: ut ab his non valde diſſideamus: cum tamen illos probemus maxime. Negari enim non poteſt, quin hoc ideo ſubjungat, ut rationem afferat, cur ſua non multum a Peripateticis diſſideant, ſed diſſideant tamen. Quod ſi ita eſt, quæri oportet, cur Socraticos pro Stoicis, Platonicos pro Peripateticis poſuerit: quandoquidem verbum, *utrique*, aperte eos, ut diverſa ſentientes, diſtinguit. Socrates idem fere ſenſiſſe, quod Stoici, & exemplo ſuæ vitæ Stoicam ſectam peperiſſe, videri poteſt: qui etiam perire maluerit, quam judicibus in bona cauſſa ſupplicare: cum eſſe malum probis, innocentibuſque viris mortem negaret: quæ Stoicorum poſtea ſententia fuit, nihil omnino malum, niſi quod turpe eſſet, judicantium: nihil bonum, niſi quod honeſtum. Libentius autem Socraticos, quam Stoicos, dicit: ut videatur, licet Stoica præcepta valde probaret, Socraticam tamen philoſophiam ſequi velle, ſimilem quidem Stoicæ, & ideo diſſidentem a Peripatetica, mitiorem tamen aliquanto, & ideo non multum diſſidentem. Platonicos pro Peripateticis uſurpat: quia,

Digitized by Google

quia, quod ad mores attinet, de quibus agitur in his libris, nulla videtur nter eos controverſia fuiſſe. Quod ſi Peripateticos dixiſſet, omnes Peripateticæ philoſophiæ partes comprehendiſſet; omnes autem ipſe non tractat: ſed, ut dixi, moralem tantum: & Platonis lectione magis, quam Ariſtotelis, eum eſſe delectatum, Platonicumque ſe potius, quam Ariſtotelicum, profiteri ſolitum, ſatis conſtat.

De rebus ipſis utere tuo judicio : nihil enim impedio) Probes, nec ne, mea ſcripta, quod attinet ad præcepta, non laboro; avocare enim te ab ea doctrina, in qua, Cratippo magiſtro, tuum ſtudium locas, conſilii noſtri non eſt. Ad Atticum ſcribens ſic ait: *Eſt magnum illud quidem, verumtamen multiplex pueri ingenium : quo ego regendo negotii habeo ſatis.*

Profecto) Quinctil. *Is*, ait, *ſe profeciſſe multum exiſtimet, cui Cicero valde placere cœperit.*

Legendis noſtris) Figura Latini ſermonis pro, *Dum noſtra leges*. Sic locutus lib. III. de Rep. apud Nonium: *Noſter populus, ſociis defendendis, terrarum jam omnium potitus eſt.*

Pleniorem) In Oratore nullam ait eſſe ullo in genere laudem oratoris, cujus in ſuis orationibus non ſit aliqua ſi non profectio, at conatus tamen, atque adumbratio.

Arroganter) Arrogantiam ait eſſe Ariſtoteles lib. II. Eth. ad Nicom. προσποιητον επι το μειζον, i. e. plus ſibi tribuere, quam par ſit. De hoc autem Cicero reprehenditur, qui nimium ſe jactet; & de rebus quoque geſtis ſuis ea dicat, quæ aures offendant: defendit eum Quinctil. lib. XI.

Scientiam) Rei per cauſſas cognitionem; nam, ut ait Ariſt. Ουδεν ισμεν ανευ της αιτιας: id eſt: *Nihil ſcimus, ſi cauſſam ignoremus.*

Concedens) Quaſi dicat, Non repugno, quo minus alii philoſophiæ cognitione mihi non modo conferantur, ſed etiam præferantur. Facilis autem eſt conceſſio, ſi tibi id ſerves, quod eſt, aut habetur præſtantius. Qualis eſt illa apud Virgil. Æn. VI.

Excudent alii ſpirantia mollibus æra:
(Credo equidem) vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt cauſſas melius, cælique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento;
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem;
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Multis) Varroni, Catoni, aliis.

Oratoris proprium) Quinctil. lib. II. cap. 16. ait, hoc Ciceronem pluribus locis dixiſſe: Plutarchuſque dicit, eum oratoris nomen magis, quam philoſophi, fuiſſe amplexum.

Apte, diſtincte, ornateque dicere) Apte, ad id, quod orator agendum ſuſcepit; ut ea dicantur, quæ ſubjecta materia poſtulat: Diſtincte, ne rerum ordo perturbetur; fruſtra enim apte dicit, qui ſuo quidque loco non dicit: Ornate, adhibitis Latinæ orationis luminibus, & ornamentis, quorum primum inventio, alterum diſpoſitio, tertium præſtat elocutio; quas omnes partes cum alibi, tum in Oratore illo numquam ſatis laudato copioſe in primis, & erudite Cicero perſequitur. Conferendus locus Iſocratis in oratione Κατα Σοφιςων. Το των καιρων μη διαμαρτειν, αλλα και τοις ενθυμημασι πρεποντως όλον τον λογον καταποικιλαι, (hoc eſt, apte dicere) και ταξαι κατα τροπον. (hoc eſt, diſtincte dicere) και τοις ονομασιν ευρυθμως, και μουσικως ειπειν, και των ιδεων εφ' έκαςῳ των πραγματων, άς δει προδιελεσθαι, και μιξασθαι προς αλληλας, μη διαμαρτειν. (hoc eſt, ornate dicere.) Quæ ſic Latine verti poſſunt: *Non aberrare, neque occaſionem negligere, aut excedere modum, ſed & argumentis totam orationem decenter variare*, (hoc eſt, apte dicere) *& ordine diſponere*, (hoc eſt d. dicere) *& verba ita collocare, ut numeroſa ſint, & muſicum quemdam concentum efficiant, & in ſingulis rebus, quæ prius diſcernendæ ſunt, & inter ſe miſcendæ, non errare.* (hoc eſt, o. d.) Quod autem Cicero hic ait, Oratoris officium eſſe, apte, diſtincte, ornate dicere: Craſſus de Oratore orationem vult eſſe, aptam, δεινοτην, Latinam, & planam, ευκρινειαν, ornatam, καλλον, & καθαροτην. Quinctilianus autem ait, hæc contineri partibus mo-

vendi, docendi, delectandi. Ad movendum pertinent Affectus; ad docendum Expoſitio, & Argumentatio, ad delectandum utraque, ſed maxime Elocutio.

Ætatem conſumſi) Senex enim erat.

Si id mihi aſſumo) Sapit emphaſin.

Meo jure quodam vindicare) Genus loquendi ex Iuriſconſultorum fontibus derivatum. Qui primus e ſervorum numero libertatem eſt adeptus, ei nomen Vindicii fuit; inde *Vindiciæ*, pro Libertas: *Vindico*, pro Libero; inde factum, ut, qui controverſam rem ex aliena poteſtate, quaſi omnino ſibi debitam, non exſpectato judicio, vel vi, vel alio quovis modo ad ſe transferret, is eam rem jure quodam ſuo vindicare ſibi diceretur: quod, in litibus uſurpari cœptum, ad omnes poſtea res conſuetudo deduxit. Exempla quædam Iuriſconſultorum, Oratorumque ſubjungerem, niſi ſatis eſſent in promtu, ipſaque per ſe legentibus occurrerent.

Hos etiam de philoſophia libros) Vtrum hos de Officiis, an ſuos omnes de philoſophia libros dicit? non dubito, quin omnes; non enim videtur id, quod ſequitur, *qui jam ſe illis fere æquarunt*, ad hos de Officiis, qui nondum exierant, poſſe pertinere. Antiquus liber non habet, *hos*.

Qui jam ſe illis fere æquarunt) Nihil muto, cum & ita ſit in pleriſque antiquis libris. Vtor autem tredecim, ære meo mihi acquiſitis, & ex univerſa Italia in meam haud forſan contemnendam Bibliothecam accitis, in hoc opere emendando nullis neque laboribus, neque ſumtibus parcens, ut ſtudioſorum commodo conſulam. Quorum novem faciunt cum vulgata lectione. Quatuor alii, & unus præterea perantiquus Alberti Tertii, vetere mihi amicitia conjunctiſſimi, & pro eximiis animi dotibus, nec mediocri, ſed præſtanti virtute cariſſimi, habent: *qui jam illis fere æquarunt*. Genus autem hoc loquendi exemplis quam plurimis confirmatur. In Lælio: *Superiores ſe æquare cum inferioribus debent*. In Verr. *Aliquid cum aliquo æquari, conferrique poſſe*. Non tamen contemno alteram illam lectionem. Nam & in Hirtio lib. IIX. ubi eſt in impreſſis, *collocatur in eo turris XI. tabulatorum, non equidem quæ manibus æquaretur*, in quibuſdam antiquis eſt, *æquaret*. Et illud Pacuvii apud Agellium lib. XIV. cap. 1. ejuſdem generis eſt:

Nam, ſi qui, quæ eventura ſunt, prævideant,
Æquiparent Iovi.

Fere æquarunt) Laude: parem fere laudem conſecuti. Ea, quæ ſuccedunt, loqui de oratione Latina, non de rebus, Ciceronem oſtendunt. Sunt autem dicendi genera, ſummum, orationum: medium, horum librorum de philoſophia: infimum, epiſtolarum, aut dialogorum; quibus omnibus æque Cicero excelluit. *Fere*, dicit, quia dicendi vis in oratore dominatur. Alii, *fere æquarunt*: hoc eſt, orationum numerum, granditatem, & molem æquarunt; nam Cicero brevi tempore multos de philoſophia libros ſcripſit; quod cum ex aliis locis, tum ex initio Topicorum perſpicue apparet, & ex prœmio lib. III. horum librorum.

Vis enim dicendi major eſt in illis) Orationes enim, forenſes præcipue, πολυ το παθητικον (ait Dionyſius) εχειν δει, id eſt: *habere debent multos affectus*.

Æquabile, & temperatum) Ex utroque miſtum; ſummo, & infimo.

Vt idem utroque in genere laboraret) Mira prudentia: nam, ſi dixiſſet, *excelleret*, potius, quam, *laboraret*: (quod falſo dictum videri poſſet: non enim nemini Græcorum contigerat, ut in utroque laboraret: ſed nemini, ut excelleret: nam laboraverat Phalereus, ſed non excelluerat) ſi dixiſſet, inquam, *excelleret*, adimere Græcis, & ad ſe transferre videretur laudem utriuſque generis: quod intelligi potius, quam exprimi a ſe, vult: ita & modeſtiæ ſervit in verbo *laboraret*, quod gloriantis non eſt: & quia dixerat, *nemini Græcorum*, quod verum non erat, correxit vitium, exceptione ſtatim illata unius Phalerei, qui diſputandi ſubtiliter laudem adeptus, quod eſt philoſophi, dicendi vi aruerat, quæ prima laus oratoris eſt.

Forenſe dicendi) Orationes in foro ad judices habebantur: & priſcis quidem temporibus, in puro comitio, quæ

Digitized by Google

quæ fori pars fuit : exornata autem operibus urbe, in baſilicis : exceptis, quæ in ſenatu, ut Catilinariæ.

Quietum) Caret enim actione forenſi, nec illam dicendi vim ad excitandos animos requirit.

Niſi forte) Non ſine contemtu aliquo dictum videri poteſt, hoc ſententiæ principio, *niſi forte* : quaſi dicat : opponet aliquis Phalereum, qui laboraverit in utroque : quid tum? philoſophum fuiſſe concedo, oratorem nego : itaque fruſtra laboravit.

Demetrius Phalereus) Quinctil. lib. X. Cic. in Bruto in medio dicendi genere eum præfert omnibus. Multa ejus ſcripta commemorat Laertius. Alio nomine dictus φανος, φαληριος vero απο τȣ φαληρȣ, Atticæ portu. Suidas. Poſt obitum Demoſthenis, cum Macedones Athenas ſubegiſſent, multum auctoritate apud cives ſuos valuit, apud Macedones etiam gratioſus. Tandem, per invidiam, & cum ignominia pulſus, Alexandriam ad Ptolemæum profectus, ampliſſimæ bibliothecæ præfuit : (quod & D. Hieronymus in Danielem memoriæ prodidit :) tandem a ſerpente occiſus. Laertius genus dicendi Demetrii philoſophicum ait eſſe, contentione, & vi oratoria temperatum. Victorinus Afer de Orthographia Grammaticos nominat, Demetrium Phalereum & Hermocratem. Nominatur & a Theophylacto in epiſt. 34. ad Romæum : in qua meminit libri Περι Ερμηνειας, qui nunc extat, his verbis: Ει δε τȣ περιπατȣ σπȣδαζεις και τον δαιμονιον Αριςοτελη αυχεις, τι την γλωτταν επεχεις και αποποιει συ τα πατρια, ȣ γαρ εκεινȣ συ κορυφαιȣ θιασωται Θεοφραςος, και Δημητριος; ων ὁ μεν απο τȣ θειοτερον φραζειν ελαχεν, ὁ δε Φαληρευς και περι ερμηνειας λογȣ συνταγματιον σπȣδαιον εξηνεγκεν. *Si quo de peripatu curas, & de genio, Ariſtotelem jactas, cur linguam cohibes, &, quæ patriæ tuæ ſunt, rejicis? nonne illius coryphæi ſunt ſectatores Theophraſtus, & Demetrius, quorum ille, eo quod divinitus loquebatur, nomen ſortitus eſt, hic autem Phalereus de ratione interpretandi primum commentarium ſtudii plenum promſit.*

Orator parum vehemens) Deſuerunt enim illi τα παθη, & nervi oratorii.

Dulcis tamen) In lib. de Claris Orat. *Suavis, ſicuti fuit, videri maluit, quam gravis*. Et in Oratore : *Hic primus inflexit orationem, & eam teneram, mollemque reddidit*.

Theophraſti diſcipulum) Quid Theophraſto nitius? Cicero ſcriptum reliquit in Hortenſio. Laertius : Τυρτον Τυρταμον λεγομενον, Θεοφραςον δια το της φρασεως θεσπεσιον Αριςοτελης μετωνομασε. *Hunc Tyrtamum appellatum, Ariſtoteles ob dicendi divinitatem Theophraſtum nuncupavit*. Quæ verba quaſi Cicero interpretans, Theophraſtus ait, dicendi divinitate nomen invenit. Vide Agell. lib. XIII. cap. 5. Quinctil. lib. X. In Theophraſto tam eſt eloquentiæ nitor ille divinus, ut ex eo nomen quoque traxiſſe dicatur.

Poſſis agnoſcere) Agnoſcuntur ſæpe in diſcipulis aut virtutes, aut vitia præceptorum, ut in Phalereo Theophraſti ſuavitas : in Demoſthene Iſæi vis, de quo Iuvenalis.

> *Ingenium velox, præceps facundia, ſermo*
> *Promtus, & Iſæo torrentior.*

Nam in verbo, *torrentior*, vis oſtenditur : quæ patet etiam in ejus, quæ exſtant, orationibus.

Equidem & Platonem exiſtimo) Præclara correctio : nam, quia nemini Græcorum parem utriuſque generis laudem contigiſſe jam oſtenderat, ſubjungit, aliis id non contigiſſe, quia, cum vellent, non potuerunt, ut Phalereo: aliis, quia cum poſſent, noluerunt, ut Platoni, Ariſtoteli, Demoſtheni, Iſocrati. Quinct. lib. IX. de Compoſ. Platonem, & Demoſthenem inter ſe diſſimiles fuiſſe teſtatur : Platonemque compoſitionis diligentiſſimum eodem capite fuiſſe affirmat; illius copiam, hujus vim Cicero effinxit, teſte eodem Quinct. lib. X. Aſianum lib. XII. vocat. Dum Plato in Gorgia oratoribus illudit, ſummum agit ipſe oratorem. Idem Quinct. Homericam facultatem ei tribuit. Et Panætius apud Cicer. Tuſc. I. vocat eum philoſophorum Homerum. Videndus & Laertius, qui ex Timone recitat, quod ad hanc rem facit. Infanti illi, in cunis dormienti, apes in labellis conſederunt: & reſpon-

 ſum

Digitized by Google

ſum eſt, ſingulari illum ſuavitate orationis fore. Cic. I. de Div. Plin. lib. XI. cap 18. Valer. lib. 1. cap. de Prodigiis. Chryſoſtomus de Sacerdotio l. IV. Iſocrati terſum tenorem tribuit, Demoſtheni amplam ſublimitatem, Thucydidi venerandam majeſtatem, Platoni excellentem dignitatem. Plato Ariſtocles fuit dictus a parentibus: ſed *δια τον πλατυτητα ειτε των ωμων, ειτε των λογων*, i. e. ſive ob latos humeros, ſive ob orationis amplitudinem, & majeſtatem, Platonis nomen invenit. Iovem ajunt Græci, ſi loqui more humano voluiſſet, non alio, quam Platonico genere orationis uſurum fuiſſe. Et Cic. in libris de Oratore, Platonem in exagitandis oratoribus ſummum oratorem agere, teſtatur.

Quæ a Platone didicerat) Multos annos, Platone magiſtro, Demoſthenes operam philoſophiæ dedit: poſtea, cum audiſſet orantem Calliſtratum, ejus eloquentia delectatus, a philoſophiæ ſtudio ad oratoriam artem ſe tranſtulit. Plutarchus, Libanius, A. Gellius lib. III. cap. 13. Ammianus Marcellinus lib. XXX. alii. Quanti Demoſthenes Platonem fecerit, vide ejus epiſtolam ad Heracleodorum.

Pronunciare) Proferre, diſputare, vel in ſcholis philoſophorum, vel in libris. Vti voluit oratorio verbo, cum de ſummo oratore loqueretur, quamquam diſputante potius ut philoſopho, quam agente ut oratore: nam, ſi recte animadvertimus, Platonem transfert a gymnaſio in forum, Demoſthenem a foro in gymnaſium: ut id, quod ei propoſitum eſt, probet, utrumque potuiſſe, ſi voluiſſet, in utroque genere excellere.

Ornate, ſplendideque) Profecto nihil hoc oratore prudentius; philoſopho Platoni gravitatem, & copiam, oratori Demoſtheni ornatum, & ſplendorem, ſuum videlicet utrique, tribuit: ut Plato philoſophiæ ſcientiam in agendis cauſſis cum eloquentia conjungeret: Demoſthenes in tractanda philoſophia oratoriam facultatem adhiberet: eſſetque, ſi vellet, eorum alter graviſſimus, & copioſiſſimus orator: alter ornatiſſimus, & ſplendidiſſimus philoſophus.

De Ariſtotele, & Iſocrate) De æmulatione Ariſtotelis, & Iſocratis, vide Quinct. lib. III. cap. 1. Hinc diverſæ ſectæ. De quibus quid ſenſerit Cicero, lege Plutarchum in ejus vita. Vide & Cic. III. de Oratore, & Tuſc. I. & Laertium.

Suo ſtudio) Ille, philoſophiæ; hic, artis oratoriæ: etſi Iſocrates ſuum ſtudium philoſophiam ſæpe dicat: & Socrates apud Platonem, natura philoſophiam quamdam in animo Iſocratis ineſſe ait.

CAPVT II.

ÆTati tuæ eſſet aptiſſimum) Decet enim erudiri adoleſcentem officii potiſſimum colendi notitia; & decet erudiri a patre. Æſchines præclare dixit, adoleſcentes poetarum ſententias ediſcere oportere, ut iis, viri cum ſint, uti poſſint. Imitatus eſt hoc loco Cicero Iſocratem in oratione ad Demonicum, & Nicoclem.

Auctoritati meæ graviſſimum) In argumento levi nequaquam verſari debuit is, cum magnam auctoritatem, honores, magiſtratuſque pepererunt: eſt autem officio nihil gravius. Magnifice ait ſe explicare hanc materiam ad Att. lib. XV.

Gravia) Quæ auctoritatem habeant.

Vtilia) Ad tranquillitatem animorum.

Accurate) Methodice.

Copioſe) Oratione ornata, & quæ ſplendorem habeat.

Diſputata) Quæ, cauſſis utrimque allatis, vera eſſe dignovimus.

Forenſibus) Forenſes domeſticis oppoſuit: cum tamen omnes intelligeret, non quæ in foro tantum, ſed quæ ubique prorſus extra domum geruntur. Forenſe regnum alicubi ſe amiſiſſe, queritur.

Neque ſi tecum agas quid) Multa enim ſæpe ſoli agimus, in quibus ipſis aut officium colitur, honeſte: aut negligitur, turpiter; propterea ſubjungit: *In eoque colendo ſita vitæ eſt honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo*. Seneca ait, hominem ſolitarium tum ſibi peccatis interdicere, cum, dignitatem ſui reputans, ſeipſum revereretur

Digitized by Google

retur. Huc reſpicit, quod eſt apud Iſocratem ad Nicoclem, & in Parænesi. Scipio dicere ſolitus erat, ut hic ait lib. III. ſe numquam minus eſſe otioſum, quam cum otioſus: neque minus ſolum, quam cum ſolus eſſet. Auſonius: *Turpe quid acturus, te ſine teſte time.* Philolaus autem præcipue ait, homines ſe ipſos timere debere.

In eoque colendo) Sic Cic. Tuſc. II. *Vt agri non omnes frugiferi ſunt, qui coluntur, ſic animi non omnes culti fructum ferunt.* Tota autem hæc enumeratio perpulcra eſt, & quæ cum aliis ejuſdem Ciceronis locis utiliter conferri poſſit. Fam. lib. V. ep. 8. *Quamobrem velim, ita & ipſe ad me ſcribas, de omnibus minimis, maximis, mediocribuſque rebus, ut ad hominem amiciſſimum; & tuis præcipias, ut opera, conſilio, auctoritate, gratia mea ſic utantur in omnibus publicis, privatis, forenſibus, domeſticis, tuis, amicorum, hoſpitum, clientum tuorum negotiis* &c.

Philoſophum ſe audeat dicere) Seneca ait, Philoſophiam eſſe vitæ legem.

Nonnullæ diſciplinæ) Vt Epicurea, cui finis malorum eſt dolor, bonorum voluptas.

Officium omne pervertunt) Officium, in quo bonum omne ſitum eſt, prorſus e vita tollunt.

Qui ſummum bonum ſic inſtituit) Vt Epicurus.

Si ſibi ipſe conſentiat, & non interdum naturæ bonitate vincatur) Si ſemper idem ſentiat, nec ſe doceri, & corrigi ab ipſa rerum omnium optima natura patiatur. Natura nihil ſuadet, niſi bonum: turpe nihil patitur: conſuetudine vincitur interdum: ſed ipſa numquam peccat: ideo laudamus eos, qui natura duce vivunt, naturamque ducem in omni re ſequuntur.

Neque amicitiam colere poſſit) De Fin. I. *Neque vero hæc oratione ſolum, ſed multo magis vita, & moribus comprobavit, amicitiam poſſe coli in hoc dogmate.*

Nec juſtitiam, nec liberalitatem) Tres attingit morales virtutes, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam, quas & Ariſtoteles agnoſcit, omiſſa quarta, quam infra nominat, Prudentia: nam Liberalitas juſtitiæ pars eſt: infra.

Alio loco) In libris de Finibus bonorum, & malorum.

Firma, ſtabilia) Cum vero enim, ut ait Ariſtoteles, omnia conſentiunt, a falſis autem ſtatim diſcrepant.

Aut ab iis, qui ſolam) Stoicos primum, deinde Peripateticos indicari, obſcurum non eſt. Solam enim honeſtatem Stoici: maxime autem, ſed non ſolam, Peripatetici ſequebantur.

Ea præceptio) De officio, qua carent illæ diſciplinæ.

Academicorum) Qui de honeſtate ſentiebant idem, quod Peripatetici: propterea ſupra, Platonicos pro Peripateticis accipi, diximus. Fuerat autem veteris Academiæ princeps, & auctor Plato.

Ariſtonis, Pyrrhonis, & Herilli jampridem exploſa ſententia eſt) Hi cum Zenonem Citiæum, Stoicæ ſectæ conditorem, audiſſent, ab eo tamen, & ipſi etiam inter ſe diſſenſerunt: quarum opinionum varietatem collectis e Cicerone teſtimoniis, quam clariſſime fieri poterit, oſtendemus. Zeno, Polemonis Academici auditor, cum Academicorum dogma ſequi videretur, ac plane in aliqua parte ſequeretur, ab iis tamen deflexit, Stoicamque diſciplinam inſtituit: nam cum Academia, id eſt cum Platone, ipſius Academiæ auctore graviſſimo, ac principe, de ſummo bono idem ſenſit: cum nihil diceret eſſe bonum, præter virtutem: bonum ſolum, quod honeſtum: malum, quod turpe: beatam vitam in una virtute conſtitutam: in quibus autem ab Academia, id eſt a Platone, Platoniſque rationem, & auctoritatem ſequentibus Speuſippo, Xenocrate, & Xenocratis auditore Polemone, magiſtro ſuo, diſſenſit, hæc fere ſunt. Cum nihil aliud, præter honeſtum, numeraret in bonis, idque appellaret honeſtum, quod eſſet ſimplex quoddam, & ſolum, & unum bonum: cetera, etſi nec bona nec mala eſſent, tamen alia ſecundum naturam dicebat, alia naturæ eſſe contraria, his ipſis alia interjecta, & media numerabat: quæ autem ſecundum naturam eſſent, ea ſumenda, & quadam æſtimatione dignanda docebat: contraque contraria: neutra autem in mediis relinquebat: in quibus ponebat nihil omnino eſſe mo-

Digitized by Google

momenti : ſed, quæ eſſent ſumenda, ex iis alia pluris eſſe æſtimanda, alia minoris. Cumque ſuperiores illi non omnes virtutes in ratione eſſe dicerent, ſed quaſdam virtutes natura, aut more perfectas: hic omnes in ratione ponebat. Cumque illi ea genera virtutum, quæ ſupra dixi, ſejungi poſſe arbitrarentur: hic nec id ullo modo fieri poſſe diſſerebat, nec virtutis uſum modo, ut ſuperiores, ſed ipſum habitum per ſe eſſe præclarum, nec tamen virtutem cuiquam adeſſe, quin ea ſemper uteretur. Cumque perturbationem animi illi ex homine non tollerent: naturaque & condoleſcere, & concupiſcere, & extimeſcere, & efferri lætitia dicerent: ſed ea contraherent, in anguſtumque deducerent: hic omnibus his, quaſi morbis, voluit carere ſapientem. Cumque eas perturbationes antiqui naturales eſſe dicerent, & rationis expertes; aliaque in parte animi cupiditatem, alia rationem collocarent: ne his quidem aſſentiebatur: nam & perturbationes voluntarias eſſe putabat, opinioniſque judicio ſuſcipi; & omnium perturbationum arbitrabatur eſſe matrem immoderatam quamdam intemperantiam. Hæc fere de moribus: nam, quod ad naturas attinet, ab iiſdem etiam diſcrepabat. Sed in moribus a Zenone auditor ejus Ariſto de fine bonorum non diſſenſit: cenſuit enim nihil eſſe bonum, niſi virtutem: neque malum, niſi quod virtuti eſſet contrarium: quæ vero in mediis momenta Zeno eſſe voluit, ea ipſe nulla eſſe, iiſque neutram in partem moveri, ſummum bonum duxit: ſic enim Cicero ſcriptum reliquit in Lucullo. Idemque lib. IV. de Fin. Vt *Ariſtonis*, inquit, *eſſet exploſa ſententia, dicentis, nihil differre aliud ab alio, nec eſſe res ullas præter virtutem, & vitia, inter quas quidquam omnino intereſſet: ſic errare Zenonem, qui nulla in re, niſi in virtute, aut vitio, propenſionem ne minimi quidem momenti ad ſummum bonum adipiſcendum eſſe diceret: &, cum ad beatam vitam nullum momentum ea res haberet, ad appetitionem rerum eſſe in his momenta diceret.* Et lib. I. de Leg. *Sive Ariſtonis difficilem, atque arduam, ſed jam tamen fractam, & convictam ſectam ſecuti ſunt, ut, virtutibus exceptis, atque vitiis, cetera in ſumma æqualitate ponerent.* Et infra: *Si, ut Ariſto Chius ſolum bonum eſſe diceret, quod honeſtum eſſet, malumque quod turpe, ceteras res omnes plane pares, ac ne minimum quidem, utrum adeſſent, an abeſſent, intereſſe: valde ex Xenocrate, & Ariſtotele, & ab illa Platonis familia diſcreparet.* Et lib. II. de Fin. *Tres ſunt fines expertes honeſtatis, unus Ariſtippi, vel Epicuri, alter Hieronymi, Carneadis tertius: tres, in quibus honeſtas cum aliqua acceſſione, Polemonis, Calliphonis, Diodori: una ſimplex, cujus Zeno auctor, poſitus in decore totus, id eſt in honeſtate: nam Pyrrho, Ariſto, Herillus jamdiu abjecti* Et infra: *Primum viliſſimas res ad virtutem addunt, deinde ſingulas potius, quam omnia, quæ prima natura conciliaviſſet; quæ cum Ariſtoni, & Pyrrhoni omnino viſa ſunt pro nihilo, ut inter optime valere, & graviſſime ægrotare nihil prorſus dicerent intereſſe: recte jampridem contra eos deſitum eſt diſputari: dum enim in una virtute ſic omnia eſſe voluerunt, ut eam rerum ſelectione exſpoliarent, nec ei quidquam, aut unde oriretur, darent, aut ubi niteretur, virtutem ipſam, quam amplexabantur, ſuſtulerunt. Herillus autem ad ſcientiam omnia revocans, unum quoddam bonum vidit, ſed nec optimum, nec quo vita gubernari poſſit: itaque hic ipſe jampridem eſt rejectus, poſt Chryſippum enim non ſane eſt diſputatum.* Et lib. III. *Cum virtutis hoc primum ſit, earum rerum, quæ ſecundum naturam ſint, habere delectum: qui omnia ſic exæquaverunt, ut in utramque partem ita paria redderent, uti nulla ſelectione uterentur, virtutem ipſam ſuſtulerunt.* Hæc M. Cato, qui paulo poſt negat a ſe, Stoiciſque reliquis tolli rerum illud diſcrimen, quod Pyrrho, & Ariſto prorſus eſſe tollendum cenſebant: nam, cum Cicero ſubjunxiſſet: *Iſtud quidem optime dicis: ſed quæro, nonne tibi faciendum idem ſit, nihil dicenti bonum, quod non rectum, honeſtumque ſit, reliquarum rerum diſcrimen omne tollenti:* reſpondet Cato: *Siquidem tollerem: ſed relinquo.* Et lib. V. *Hoc unum Ariſto tenuit: præter vitia, atque virtutes, negavit rem ullam eſſe aut fugiendam, aut expetendam.* Et in Hortenſio: *Ariſto*

Chius,

Digitized by Google

Chius, *præfractus*, *ferreus*, *nihil bonum*, *niſi quod rectum*, & *honeſtum*. Rurſus ab Ariſtone Pyrrho diſſenſit in eo, quod illi ſummum bonum fuit, iis, quæ Zeno inter ea, quæ ſecundum naturam, contraque naturam eſſent, media numerabat, neutram in partem moveri. Pyrrho autem, ea ne ſentire quidem ſapientem. Qua tota de re ſic lib. IV. de Fin. *Mihi videntur* (loquitur ut Academicus) *omnes quidem illi erraſſe*, *qui finem bonorum eſſe dixerunt*, *honeſte vivere*, *ſed alius alio magis*, *Pyrrho ſcilicet maxime*, *qui*, *virtute conſtituta*, *nihil omnino*, *quod appetendum ſit*, *relinquat*; *deinde Ariſto*, *qui nihil relinquere non eſt auſus*, *introduxit autem quibus commotus ſapiens appeteret aliquid*, *quodcunque in mentem incideret*, & *quodcumque tamquam occurreret*. *Is hoc melior*, *quam Pyrrho*, *quod vel aliquod genus appetendi dedit*: *deterior*, *quam ceteri*, *quod penitus a natura receſſit*. *Stoici autem*, *quod finem bonorum in una virtute ponunt*, *ſimiles ſunt illorum*: *quod autem principium officii quærunt*, *melius*, *quam Pyrrho*: *quod ea non occurrentia fingunt*, *vincunt Ariſtonem*: *quod autem ea*, *quæ ad naturam accommodata*, & *per ſe aſſumenda eſſe dicunt*, *non adjungunt ad finem bonorum*, *deſciſcunt a natura*, & *quodammodo ſunt non diſſimiles Ariſtonis*: *ille enim occurrentia neſcio quæ comminiſcebatur*: *hi autem ponunt illi quidem prima naturæ*, *ſed ea ſejungunt a finibus*, & *a ſumma bonorum*: *quæ cum proponunt*, *ut ſit aliqua rerum ſelectio*, *naturam videntur ſequi*: *cum autem negant*, *ea quidquam ad beatam vitam pertinere*, *rurſus naturam relinquunt*. Herillus autem, cum Zenonem audiſſet, ab eo tamen, ceteriſque Stoicis, de fine bonorum in eo diſcrepabat, quod in cognitione, & ſcientia ſummum bonum poſuit. *Omitto illa*, inquit in Lucullo, *quæ relicta jam videntur*, & *Herillum*, *qui in cognitione*, & *ſcientia ſummum bonum ponit*: *qui cum Zenonis fuiſſet auditor*, *vides*, *quantum ab eo diſſenſerit*. Et lib. II. de Fin. *Herillus ad ſcientiam omnia revocans*, *unum quoddam bonum vidit*, *ſed nec optimum*, *nec quo vita gubernari poſſit*: *itaque hic ipſe jampridem eſt rejectus*: *poſt Chryſippum enim non ſane eſt diſputatum*. Et lib. IV. de Fin. *Vtrique idem faciunt*, *ut*, *ſi lævam partem negligerent*, *dexteram tuerentur*: *aut ipſius animi*, *ut fecit Herillus*, *cognitionem amplexarentur*, *actionem relinquerent*. Et lib. V. *Iunctæ*, & *duplices expoſitiones ſummi boni*, *tres omnino fuerunt*: *nam aut voluptas adjungi poteſt ad honeſtatem*, *ut Calliphoni*, *Clitomachoque placuit*: *aut doloris vacuitas*, *ut Diodoro*: *aut prima natura*, *ut antiquis*, *quos eoſdem Academicos*, & *Peripateticos nominamus*. *Reſtant Stoici*: *qui cum a Peripateticis*, & *Academicis omnia tranſtuliſſent*, *nominibus aliis eaſdem res ſecuti ſunt*. *Iam exploſæ*, *ejectæque ſententiæ Pyrrhonis*, *Ariſtonis*, *Herilli*, *quod in hunc orbem*, *quem circumſcripſimus*, *incidere non poſſunt*, *adhibendæ omnino non fuerunt*. *Nam*, *cum omnis hæc quæſtio de finibus*, & *quaſi de extremis bonorum*, & *malorum ab eo proficiſcatur*, *quod diximus naturæ eſſe aptum*, *atque accommodatum*, *quodque ipſum per ſe primum appetatur*: *hoc totum* & *ii tollunt*, *qui in rebus iis*, *in quibus nihil aut honeſtum*, *aut turpe ſit*, *negant eſſe ullam cauſſam*, *cur aliud alii anteponatur*, *nec inter eas res quidquam omnino putant intereſſe*: & *Herillus*, *ſi ita ſenſit*, *nihil eſſe bonum præter ſcientiam*, *omnem conſilii capiendi cauſſam*, *inventionemque officii ſuſtulit*. Et infra: *Sæpe ab Ariſtotele*, & *Theophraſto mirabiliter eſt laudata per ſe ipſa rerum ſcientia*: *hoc uno captus Herillus*, *ſcientiam ſummum bonum eſſe defendit*, *nec rem ullam aliam per ſe expetendam*. Hæc ex Cicerone. Laertius autem Pyrrhonis, & Herilli vitam litteris mandavit; Ariſtonis omiſit; quædam tamen de eo ſparſim tradidit, ut hæc in Menedemi vita. Placet Cynicis, rationalem, naturalemque philoſophiam tolli, ab Ariſtone Chio non diſcedentibus, moralemque ſolam coli. Ibidem in extremo: Quæ inter virtutem, & vitia ſunt, indifferentia, ut Ariſto Chius, appellant. Et in Zenone Citieo Ariſto Chius finem eſſe dixit ad aliquid, inter virtutes, ac vitia indifferenter vivere, varietatem, vel modicam nullam relinquens, ſed æqualitatem ſervans omnibus in rebus: eſſe autem ſapientem præclaro ſimilem hiſtrioni, qui ſive Therſitis, ſive Agamemnonis perſonam ſumat, utrumque decentiſſimo geſtu imitatur. Naturalem, ac rationalem philoſophiam ſuſtulit, alteram dicens eſſe ſu-

ſupra nos, alteram nihil ad nos, quæ vero mores corrigat, ſolam ad nos pertinere. Virtutes neque multas, ut Zeno, neque unam, ut Megarici, quæ multis appelletur nominibus, induxit. De Pyrrhone, & Herillo nihil addemus ex Laertio: cum utriuſque ab eo ſcripta vita exſtet. Legendum quoque Gellium lib. XI. c. 5. de Pyrrhonis opinione, & ea, quæ inter illum, & Academicos fuit, diſſenſione, lectorem admonemus.

Exploſa ſententia eſt) Audita diſplicere, geſtus quidem, & vox, ſed maxime plauſus indicat: nam in exploſa re videtur ineſſe turpitudo quædam: eſt autem plauſus multitudinis proprius, hiſtrioni malo plaudentis in theatro. Paradoxo III. *Hiſtrio ſi paulo ſe movit extra numerum, aut ſi verſus pronunciatus eſt ſyllaba una brevior, aut longior, exſibilatur, & exploditur*. Exploſa igitur eſt, ut abſurda, officioque, id eſt humanæ ſocietati, contraria, Ariſtonis, Pyrrhonis, & Herilli ſententia, ſic, ut indigna prorſus haberetur, contra quam ulla philoſophorum ſecta diſputaret: neque poſt Chryſippum, qui ad refellendam Ariſtonis opinionem rationibus multis uſus, contra quiſquam diſputavit: unde illa lib. IV. de Fin. *Glorioſa oſtentatio in conſtituendo ſummo bono: cum enim, quod honeſtum ſit, id ſolum bonum confirmatur; tollitur cura valetudinis, diligentia rei familiaris, adminiſtratio reip. ordo gerendorum negotiorum, officia vitæ, ipſum denique illud honeſtum, in quo uno vultis eſſe omnia, deſerendum eſt: quæ diligentiſſime contra Ariſtonem dicuntur a Chryſippo*. Hæc ſunt, quibus & Ariſtonis, & reliquorum officia, diſcrimenque tollentium, exploſa ſententia eſt: quod idem lib. II. de Fin. *Pyrrho*, inquit, *Ariſto*, *Herillus*, *jamdiu abjecti*. Et paulo poſt: *Quæ cum Ariſtoni, & Pyrrhoni viſa ſunt pro nihilo, ut inter optime valere, & graviſſime ægrotare nihil prorſus diceret intereſſe: recte jampridem contra eos deſitum eſt diſputari*. Ibidem de Herillo: *Hic ipſe jampridem eſt rejectus*. Et Tuſc. V. *Ariſtonis, Pyrrhonis, Herilli, nonnullorumque aliorum ſententiæ evanuerunt*. Hos autem, (Ariſtonem ſcilicet, Pyrrhonem, & Herillum) ait Cicero, nullum rerum delectum reliquiſſe, id eſt, delectum rerum omnium ſuſtuliſſe, negaſſe quidquam in vita diligi debere, opinantes, & aſſerentes, nullam eſſe rem, quæ probari magis, quam alia, poſſet: propterea non patuiſſe illis aditum ad inventionem officii: emergit enim officium ex delectu, & ex eo, quod probamus: qui vero nihil diligit, nihil probat, officium invenire quî poterit? Iure igitur eorum exploſa ſententia eſt, utpote quæ a communi ſenſu nimium abhorreret, neque dogma ullum haberet: cum nulla præterea philoſophorum ſecta ſuo dogmate careret. Laertius de Ariſtone nihil, ut diximus: numerat enim Ariſtones aliquot, opinionibus eorum omiſſis: inter quos non fuiſſe videtur hic Ariſto, quem cum Pyrrhone, & Herillo, quaſi unum & idem omnes ſenſerint, Cicero conjungit. Vnum ait muſicum fuiſſe, alterum poetam, tertium artis oratoriæ ſcriptorem: e quibus certe hic non fuit, cum philoſophus haberi vellet: tres Peripateticos addit; & Peripateticis aditus erat ad inventionem officii, Ariſtoni vero huic, Pyrrhoni, & Herillo non erat. Herillum autem etſi Laertius nominet, non hunc eſſe opinor: nam Carthaginienſis, quem nominat, qui finem dicebat eſſe ſcientiam, & ad vivendum cum ſcientia cuncta referebat, hic certe non eſt. Eorum igitur opinio, a Laertio prætermiſſa, ex Pyrrhonis opinione colligitur: is autem, ut in ejus vita teſtis eſt Laertius, dogma nullum habuit, res omnes pariter contemſit, nullam ex infinita univerſitate probavit, nihil inter eas affirmans intereſſe: non differre honeſtum a turpi, juſtum ab injuſto, divitias a paupertate, voluptatem a dolore: & opinionem vita comprobaſſe: nam, currente adverſus eum curru, & cane, loco non ceſſiſſe, ſed a familiaribus cum ſequentibus retractum: eumdem Anaxarcho, magiſtro ſuo, in ſcrobem prolapſo, opem non tuliſſe. Recte igitur Cicero dixit, nullum eos rerum delectum reliquiſſe.

Qui tamen haberent jus ſuum diſputandi de officio, ſi rerum aliquem delectum reliquiſſent) Quo modo enim diſputare de officio poſſunt, qui ea tollunt, unde oritur officium? tollunt enim de-

Digitized by Google

electum, diſcrimenque rerum, cum aria omnia eſſe putent, ſolum auem bonum eſſe, quod honeſtum ſit. llustrant hunc locum verba illa lib. V. de Fin. *Cum, honeſtum quod ſit, id lum eſſe bonum confirmatur, tollitur cu- valetudinis, diligentia rei familiaris, lminiſtratio reip. ordo gerendorum negoorum, officia vitæ: ipſum denique illud oneſtum, in quo uno vultis eſſe omnia, eſerendum eſt.* Et quæ proxime ſeuuntur: *Officia tolluntur, delectu omni, diſcrimine remoto: quæ enim eſſe porant, rebus omnibus ſic æquatis, ut inr eas nihil intereſſet.*

Ut ad officii inventionem aditus eſſet) lelectu rerum pervenitur ad officium: electu autem ſublato, quem tres illi ollebant, aditus ad officii inventioem præcluditur.

Hoc quidem tempore, & in hac quæione) Germanum Stoicum non fuiſe, hæc verba declarant: eſt enim erſpicuum, hoc dici: ſe quidem hoc empore, & in hac quæſtione additum eſſe velle. Stoicorum doctrinæ: lio tempore, & in hac quæſtione non tem.

Potiſſimum Stoicos) Stoicos potius, uam alios, quod ea diſciplina honetatem, & officium in primis coleret; ecte igitur, cum de moribus ageret, os maxime, qui moribus excellerent, imitandos filio proponit: ut, ſi nimus ad ſummum perveniat, laudem amen, in medio conſiſtens, haud param aſſequatur. Hos Tuſc. I. amicos nos dicit.

Non ut interpretes) Interpretes nulam ejus libri, quem interpretantur, ententiam prætermittunt: id enim orum munus eſt: eam Cicero exiuam laudem putat: ideo ſubjungit; *ed, ut ſolemus*: quia, cum veterum Græcorum ſcientiam Latine referret, e ſuo multa ſolitus eſſet addere, ne lienæ tantum ſervire videretur indutriæ, nullius addictus jurare in verba nagiſtri.

E fontibus eorum) Cicero Acad. I. *Meos*, inquit, *amicos, in quibus eſt ſtulium, in Græciam mitto*: id eſt, ad Græcos ire jubeo, ut ea e fontibus otius hauriant, quam rivulos conſetentur.

Quoque modo videbitur) Addendo, minuendo: quo ſint illa ipſa, quæ de Græco vertuntur, & utiliora Latinis hominibus, & jucundiora, quam ſi Græca legerentur: propterea dictum eſt in prima proœmii parte: *Ut non modo Græcarum litterarum rudes, ſed etiam docti, aliquid ſe arbitrentur adeptos, & ad dicendum, & ad judicandum.*

A Panætio) Stoico, clari nominis philoſopho: quem in hac potiſſimum quæſtione ſequebatur. Rhodi natus eſt, ut & Poſidonius: docuit minorem Africanum.

Prætermiſſum) Miratur Cicero a Panætio officii definitionem prætermiſſam eſſe: atque ita eum ſimul reprehendit: in quam quidem reprehenſionem ipſummet Ciceronem, qui, quid ſit Officium, definire pollicitus eſt, docti viri incidiſſe ajunt; non enim ſubjicit, quid ſit Officium, ſed dividit.. At dicendum, præclare feciſſe Ciceronem, qui, cum ſciret, non unam eſſe hominum actionem, ſed multiplicem, atque etiam varia officiorum genera: idcirco non potuit unam ac ſimplicem officii definitionem tradere. Hac igitur de cauſſa primum ab officii definitione exorſus eſt, deinde officium ipſum dividendo definiit.

Miror) Miti verbo utitur de magiſtro loquens.

Omnis inſtitutio) Omnis diſputatio: nam diſputatio docet, atque inſtituit.

A ratione) Si modo rationem ſequi volumus in diſputando: quæ poteſt enim eſſe ſine ratione recta inſtitutio?

Debet a definitione proficiſci) Initium ſumere; hoc ſervatur ab Ariſtotele in omnibus fere libris: quod ſi omittatur, incerto quaſi gradu procedimus ad id, de quo futura diſputatio eſt; nam poſt definitionem conſiderantur partes, ex quibus conſtat, quibus cognitis, obſcuritatis in ſubjecta re nihil relinquetur.

CAPUT III.

Omnis de officio duplex eſt quæſtio) Velle ſe Officium definire, ut diximus, pollicitus eſt, & dividere potius videtur, quam definire. Sed in diviſione continetur ipſa definitio; nam, cum officium ita dividitur. Officio-

Digitized by Google

ficiorum duo genera, unum, quod pertinet ad finem bonorum, alterum, quod poſitum eſt in præceptis, quibus in omnes partes uſus vitæ conformari poſſit: quis non videt, duas oriri definitiones: unam prioris generis: Officium eſt illud, quod pertinet ad finem bonorum; alterum poſterioris: Officium eſt illud, quo vita communis inſtituitur, & conformatur? Hæc igitur eſt prima diviſio, & prima definitio, ſimul junctæ. Altera diviſio, & altera definitio, ſeparatim traditæ, ſequuntur infra, in iis verbis: *Atque etiam alia diviſio eſt officii; nam & medium quoddam eſt officium, & perfectum; atque ea ſic definiunt, ut, rectum quod ſit, id perfectum eſſe dicant: medium autem officium id eſſe dicant, quod cur factum ſit, ratio probabilis reddi poſſit.*

Quod pertinet ad finem bonorum) Quo ignorato, finem bonorum noſſe, & conſequi non licet; ad finem enim bonorum ducimur officiorum via.

Vſus vitæ conformari poſſit) Mirum eſt, quam multis in locis, pro, *conformare*, ſcripſerant imperiti librarii, *confirmare*, ignoratione pulcherrimi verbi, quod etiam hic repoſuimus: nec veremur, quin periti Latini ſermonis noſtram conjecturam probent, ac ſequantur. Loquitur enim hic Cicero de vita hominum, præceptis emendanda, officiorumque obſervatione ad virtutem dirigenda, quæ ſi per ſe eſſet optima, quid præceptis opus eſſet? aut cur hos libros de Officiis Cicero conſcriberet? Ergo præcepta tradenda fuerunt, ut uſus vitæ ad honeſtam, laudabilemque formam redigeretur. In quo non quadrat, aut certe multo minus convenit, *confirmari*. Mecum faciunt duo ex meis veteribus libris.

Perfecta) I. e. eo & judicio, & voluntate ſuſcepta, & ad exitum perducta, ut nulla ignorantiæ nubecula, nulla pravæ cupiditatis labe admiſta contaminentur, ut ad verum ſcopum, citra ullas ambages, contendatur, nec uſquam ab eo deerretur.

Numquid officium aliud alio majus ſit) Hæc quæſtio ex altera pendet; ſi enim non omnia officia perfecta ſunt: aliud officium alio eſſe majus aut minus, ſatis apparet: perfecta enim, & magnitudine, & dignitate imperfectis præſtant; minoraque ſunt τὰ καθήκοντα τῶν κατορθωμάτων.

Atque etiam alia diviſio eſt officii) Altera officii diviſio, e qua item oritur altera definitio.

Perfectum officium) Quod in Tuſc. Cic. oſtendit, cum agit de contemnenda morte, de ferenda paupertate; itaque pertinet ad ſolum ſapientem. Lib. III. *Illud quidem honeſtum, quod proprie, vereque dicitur: id in ſapientibus eſt ſolis, neque a virtute divelli umquam poteſt: in iis autem, in quibus ſapientia perfecta non eſt, ipſum illud quidem perfectum honeſtum nullo modo eſſe poteſt, ſimilitudines honeſti eſſe poſſunt.*

Κατόρθωμα) I.e. officium perfectum, quod vir ſapiens facit.

Καθῆκον) I.e. officium medium, quod facere poteſt ille, qui perfecte ſapiens non eſt; nam Stoici eum ſapientem vocant, qui numquam fuit, neque eſſe poterit, vel futurus non eſt: qui vero ſapiens non eſt, perfectum officium facere non poteſt.

Hoc autem commune) De quo diximus his libris explicandum.

CAPVT IV.

TRiplex *igitur eſt, ut Panætio videtur, conſilii capiendi deliberatio*) Vide Ciceronem ad Att. lib. XVI. Sunt autem quæſtiones de Officiis quinque, I. Honeſtum, an turpe. II. Honeſtum honeſto honeſtius. III. Vtile, an inutile. IV. Vtile utili utilius, V. de Comparatione.

Tum autem inquirunt, aut conſultant) Eſt quædam ingeniorum proclivitas ad mutandum, qui morbus multas corrupit Latinæ linguæ partes. Æque Latina verba ſunt, *inquiro*, & *anquiro*: æque igitur in libris retineantur, niſi ſi conſenſus omnium veterum librorum adverſetur: cum præſertim, utro modo legatur, ſententia lucri nihil faciat, alioqui luſus quidam videtur, ſi, cum nihil accedit ad ſententiam, verborum mutatione delectemur. In meis quatuordecim antiquis libris eſt, *inquirunt*, quo libentius, quod receptum jam eſt, tueor; unus Tertii habet: *tum autem aut anquirunt, aut conſultant.*

Vite

Digitized by Google

Vitæ commoditatem) Alia enim alii commoda ſunt, pro ingeniorum, corporum, fortunarum, ſtudiorum varietate.

Iucunditatem) Ariſtoteles, qui certa aliqua re delectantur, φιλοτοιυτυς appellat.

Facultates rerum, atque copias) Non tantum, quantum opus eſt, ſed etiam ut ſuperſit.

Opes) I.e. amici, gratia, auctoritas, inde Adagium: Vbi amici, ibi opes: non enim pecuniam tantum ſignificat; unde, *opem ferre*, i. e. juvare.

Potentiam) I. e. defenſionem ſui, & ſuorum, offenſionemque adverſariorum: non modo ut tuti ab injuria, verum etiam inimicis formidabiles, amicis autem ſolatio, præſidioque ſimus.

In rationem utilitatis cadit) Obſervandum hoc loquendi genus, *ratio* cum genitivo.

Videtur) Hominibus leviter eruditis, populariterque & ſentientibus, & loquentibus. Stoici enim nihil putabant utile, quod honeſtum non eſſet. Inde Auſonius: *Numquam diſcrepat utile a decoro*. Lib. III. conjungit utilitatem, & honeſtatem.

Cum honeſto) Quod lucet ipſum per ſe.

Id, quod videtur eſſe utile) Quod falſa ſpecie utilitatis blanditur, naturamque boni fallaciter imitando adulterat.

Rapere) Vtilitatis majorem eſſe vim indicat.

Revocare) Ducere, allicere, perſuadere. Revocare, autem dicit, ut oſtendat hominem natura eſſe honeſtati conjunctum, a qua interdum abſtrahitur ſpecie utilitatis, & illecebris voluptatis.

Ancipitem curam) Ovidius.

---- *Aliudque cupido,*
Mens aliud ſuadet. Video meliora, proboque,
Deteriora ſequor.

Imitatus autem Ovidius Euripidem Medea, qui & in Hippolyto Coronato idem dixit. Demoſthenes quoque de ſuis Athenienſibus queritur, rei bene gerendæ pleraſque occaſiones eos amiſiſſe, non quod ignorarent, quid officii ſui eſſet, ſed quod id exſequi nollent, hæc autem ejus ſunt. Ορω γαρ ὑμας, ω Αθηναιοι, τα πλειω των πραγματων αποπεφευγεναι, τω μη βουλεσθαι τα δεοντα ποιειν, ου τω μη συνιεναι. *Video enim vos, Athenienſes, multa opera omittere, non quod neſcitis, ſed quod neceſſaria facere non vultis.*

Primum igitur eſt de honeſto, ſed dupliciter; tum pari ratione de utili; poſt de comparatione eorum differendum) His verbis argumentum horum trium librorum perſequitur.

CAPVT. V.

PRincipio generi animantium omni eſt a natura tributum, &c.) Stoicos imitatur, qui initio diſputationis prima quæque a natura ducebant, quod Plutarchus de Chryſippo ſcriptum reliquit. Idemque tradit Cicero lib. V. de Finibus (Principio). Sic Livius: *Iam primum omnium ſatis conſtat*. Præclara autem eſt ſcribendi, atque etiam dicendi ratio, cum a genere ad partes, & a partibus ad unum illud, quod propoſitum nobis eſt, oratio deducitur.

Vt ſe, vitam, corpuſque tueatur) Taurus apud Agell. lib. II. cap. 5. *Natura*, inquit, *omnium rerum, quæ nos genuit, induit nobis, inolevitque in ipſis ſtatim principiis, quibus nati ſumus, amorem noſtri, & caritatem; ita prorſus, ut nihil quidquam eſſet carius, penſiuſque nobis, quam noſmetipſi. Se*, totum eſt. *Vitam*, id eſt animam, quæ eſt vitæ cauſſa. *Tueatur*, vim vi repellat; hinc bruta, dentibus, cornibus, unguibus, teſtis, cruſtis, ſquamis, ſpinis, & id genus aliis rebus armata, & munita ſunt, ut aut vim propulſare, aut quomodocumque ſe tueri queant, alia minus, alia magis. Vnde illud Phocylidis: Οπλον εχαςω νειμε θεος. Raro ejuſdem generis animantes mutuo ſe devorant, aut lædunt, niſi irritatæ, quod Plinius tradit lib. VII. & Iuvenalis Sat. XV. *Solus homo homini inimicus.*

Quæ nocitura videantur) Plin. lib. IIX. cap. 4. *Nimirum hæc eſt natura rerum, hæc potentia ejus, ſæviſſimas ferarum, maximaſque, quæ numquam vidiſſent, quod debeant timere, ſtatim intelligere, cur ſit timendum.*

Omniaque quæ ſint ad vivendum neceſſaria) Plut. Ποτερα των ζωων φρονιμωτε-

Digitized by Google

τερα, τα χερσαια, η τα ενυδρα. *Quænam ſint animalia ſapientiora, terreſtria, an aquatica*: & in Gryllo, ſive Περι του τα αλογα λογω χρησθαι.

Conjunctionis appetitus) Ariſtoteles: Φυσικωτατον εστι το γενναν ἑαυτω ὁμοιον: *Procreare ſui ſimilem, eſt maxime ſecundum naturam*. Plato in Convivio, partum, fetumque ex congreſſu viri, & mulieris provenientem, divinum opus appellat.

Et cura quædam eorum, quæ procreata ſunt) Scilicet, nutriendi. Vide Phavorinum apud Agell. lib. XII. cap. I. Macrobium lib. V. cap. II. & Plut. in lib. de liberis educandis.

Sed inter hominem, & belluam hoc maxime intereſt, quod hæc tantum, quantum ſenſu movetur, ad id ſolum, quod adeſt, quodque præſens eſt, ſe accommodat) Videtur Ariſtotelem imitatus in eo loco Pol. I. Και ὁ κοινωνων λογου τοσουτον, ὁσον αισθανεσθαι. *Senſu movetur*: Proverbium: Εκ του εισοραν γιγνεται ανθρωποις το εραν. *Amor ex adſpectu naſcitur mortalibus*.

Homo autem, qui rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, & cauſſas rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, & ſimilitudines comparat, rebuſque præſentibus adjungit, atque adnectit futuras) Hoc plane totum ſumpſit ex Polybii lib. VI. Του γαρ γενους των ανθρωπων, inquit, ταυτη διαφεροντος των αλλων ζωων, η μονοις αυτοις μετεστι νου, και λογισμου, φανερον ὡς ουκ εικος παρατρεχειν, αυτους την προειρημενην διαφοραν, καθαπερ επι των αλλων ζωων, αλλ' επισημαινεσθαι το γινομενον, και δυσαρεστεισθαι τοις παρουσι, προορωμενους το μελλον, και συλλογιζομενους, και το παραπλησιον ἑκαστοις αυτων συγκριστι. *Quoniam enim homo a ceteris animantibus hoc differt, quod mentis, & rationis ſit particeps, non eſt profecto ſimile veri, ipſos hanc voluntatum diverſitatem inobſervatam prætermiſſuros, quod faciunt aliæ animantes; ſed admiſſum delictum revocaturos ad animum, & præſentem ſtatum damnaturos: ut qui futura proſpicientes facile ſibi quoque eadem eſſe eventura intelligant*. Quibus tamen in verbis ſuſpicor eſſe mendum. Nec Perottus interpres locum recte vertit: qui mihi videtur ex Cicerone poſſe corrigi, aut egregie ſaltem intelligi. Quinctilianus lib. II. cap. I. *Atque adeo naturalis eſt hominis ratio, ut, ſicut aves ad volatum, equi ad curſum, ad ſevitiam feræ gignuntur: ita nobis propria ſit agitatio mentis, atque ſolertia, unde origo animi cæleſtis creditur: hebetes vero, & indociles non magis ſecundum naturam eduntur, quam prodigioſa corpora, & monſtris inſignia*. Vide Cic. I. de Leg. Lactant. de opificio hominis, cap. 2. eumdem Quinct. lib. II. cap. 17. Senecam lib. X. Epiſt. qui ait, Rationem hominis eſſe propriam, cetera illi cum animalibus communia eſſe. In quo forte Ariſtotelem ſequitur, I. de Hiſt. Anim. Phocylides:

Ὅπλον τοι λογος ανδρι ευμωτερος εστι σιδηρου.

Id eſt:

Ratio, & oratio ſunt arma hominis, acutiora ferro.

Euripides:

Βραχυ τοι σθενος ανερος, αλλα ποικιλιαις πραπιδων
Δαμα φυλα ποντου, χθονιων τ' αεροπαιδευματα.

Id eſt:

Exigue quidem ſunt hominis vires: ſed ingenii ſolertia
Domat marinas belluas, & varios terreſtrium animalium fetus.

Principiis & cauſſis rerum videt) Gloſſema ſuſpicor fuiſſe, *principiis*: nec eſt in antiquis libris, nec requiritur a ſententia: quodque valde me movit, librum habeo veterem, in quo ſcriptum eſt, ſupra verbum *cauſſis*, id eſt principia. Ut jam, niſi fallor, de loci ſinceritate dubitatio nulla relinquatur.

Earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat) Earum rerum, non, earum cauſſarum, interpretor, homo enim rationis ope intelligit, quo modo res & progrediuntur, & quaſi antecedunt. Addidit autem Cicero, *quaſi*, quia proprie res non antecedunt, ſed videntur antecedere, cognitis earum cauſſis, ex quibus ipſæ res oriuntur, & in quibus ineſſe quodam modo videntur. *Progreſſus*, non, *progreſſus*, & ſententia poſtulat, jam a nobis explicata, & eo libentius retineo, quia teſtimonio comprobatur meorum omnium veterum librorum.

Et ſimilitudines comparat) Ne deſciſcere videar ab antiquitate, quam ſe-

Digitized by Google

ſequi me profiteor, addidi copulam: cum in veteribus eunctis exemplaribus vel ea ipſa ſit, vel, *ſed*: quod minime placet.

Rebuſque præſentibus adjungit, atque adnectit futuras) Homerus de Calchante:

Ος γ' ηδει τα τ' εοντα, τα τ' εσσομενα, προ τ' εοντα.

Ex quo Virgilius de Proteo:

---- Norat,
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ poſt ventura trahantur.

Vt hominum cœtus & celebrari inter ſe, & ſibi obedire velit) Quis non intelligit, civitates deſcribi? cœtus enim multorum hominum legibus utentium, Civitas eſt. Verbum, *Celebrari*, frequentiam congregatæ multitudinis oſtendit: *Obedire*, leges, quæ niſi ſint, cœtus ille hominum nemini obediat; ſed ex libidine ſua, temere ferarum more vivat. *Celebrari* autem, pro coire: ex quo, Celebris locus, & Deſertus, opponuntur.

Suppeditent) Sunt, qui legant, *ſuppetiſent*; ut ſit frequentativum a *ſuppeto*.

Ceteriſque, quos caros habeat) In eam ſententiam Euripides in tragœdiæ, quæ Ἡρακλειδαι inſcribitur, exordio:

Παλαι ποτ' εςι τουτο μοι δεδογμενον,
Ο δ' ὁ δικαιος τοις πελας πεφυκ' ανηρ.
Ο δ' εις το κερδος λημ' εχων ανειμενον,
Πολει τ' αχρηςος, και συναλλασσειν βαρυς,
Αυτῳ δ' αριςος, &c.

Id eſt: *Iam olim in ea ſententia fui, Virum bonum aliis eſſe natum. Cujus vero animus pecuniæ inhiat, Is & Reip. eſt inutilis, & ad commercia difficilis, Et ſibi ipſi vero optimus.*

Exſuſcitat) A ſomno ignaviæ. Sic Virg. Georg. I. de Iove:

---- Curis acuens mortalia corda
Nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno,
Vt varias uſus meditando extunderet artes.

Hominis eſt propria veri inquiſitio, atque inveſtigatio) Metaphora a venatoribus, qui e veſtigiis luſtra ferarum indagant, unde illud apud Comicum: *Pedum viſa eſt via*. Natura enim habet quædam ſenſibus obvia, e quibus concludit ratio, quæ ſenſus perſpicere nullo modo poteſt. Inde Ovidius e recto ſtatu corporis humani colligit homini res cœleſtes eſſe propoſitas, Metam. I.

Pronaque cum ſpectent animalia cetera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque videre
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Et Salluſtius in Catilinæ proœmio: *Omnes homines, qui ſeſe ſtudent præſtare ceteris animalibus, ſumma opera niti decet, ne vitam ſilentio tranſeant, veluti pecora, quæ Natura prona, atque ventri obedientia finxit*. Cicero pro Milone ex humana mente ratiocinatur, Mundi univerſitatem divina quadam mente gubernari, ejus hæc ſunt: *Neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate noſtra, ineſt quiddam, quod vigeat, & ſentiat: & non eſt in hoc tanto naturæ, & tam præclaro motu*. Cic. de Leg. l. I. & de Nat. Deor. l. II. *Naturam*, inquit, *nos celſos, & rectos conſtituiſſe, ut deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere poſſemus*. Et Plato in Cratylo.

Id eſſe naturæ hominis aptiſſimum) Natura enim omnes homines ſcire deſiderant. Proverbium eſt: *Veritatis ſimplex oratio*. Mendacia, & ſimulationem Euripides inſectatur, Andromacha:

Ω πασιν ανθρωποισιν εχθιςοι βροτων
Σπαρτης ενοικοι, δολια βουλευματα,
Ψευδων ανακτες, μηχανορραφοι κακων,
Ελικτα, κ' ουδεν ὑγιες, αλλα παντα περιξ
Φρονουντες. αδικως ευτυχειτ' αν Ἑλλαδα.

Id eſt: *O Spartani, omnibus mortalibus inimiciſſimi, doloſi conſultores, mendaciorum reges, callidi malorum concinnatores, ſine ullo candore, perplexis, & intricatis animis: injuria felices eſtis in Græcia.*

Veri videndi cupiditati) *Videndi*, participium præſentis paſſivi eſt, Linacro.

Appetitio quadam principatus) Hinc Co-

Cæſar in parvulo oppidulo primus, quam Romæ ſecundus, eſſe malebat. Hinc illud:

Πηλευς μεν ῳ παιδι γερων επετελλ' Αχιλλει,
Αιεν αριςευειν, και ὑπειροχον εμμεναι αλλων,

Id eſt:

Peleus grandævus nato mandabat Achilli,
Fortia facta gerens alios ſuperaret ut omnes,

Et apud Lucanum,

---- *Cæſar non ferre priorem,*
Pompeiuſve parem voluit. ----

Vt nemini parere animus) Ariſtoteles IV. Politic. cap. 11.

Ex quo animi magnitudo exſiſtit, humanarumque rerum contemtio) Proxime dixit: *ut nemini parere animus bene informatus a natura velit, niſi præcipienti, aut docenti, aut utilitatis cauſſa juſte, & legitime imperanti.* Quæ verba ſatis oſtendunt, ſermonem de virtute ſubjungi. Eſt autem virtus, Animi magnitudo, humanarumque rerum contemtio; non, *humanarumque rerum contentio*, ut alii malunt. Ego, præter ſententiam ſatis, ut arbitror, perſpicuam, veteres etiam libros, conſentientes in, *contemtio*, ſecutus ſum.

Eorum ipſorum, quæ adſpectu ſentiuntur) Cum oculorum ſenſu bruta quoque utantur, ordinem tamen in ſenſilibus non agnoſcunt. Guſtum, Tactumque Ariſtoteles ακολαςυς, hoc eſt intemperantes, dixit: Gellius, belluinos, quod ex ipſis immodica voluptas capiatur. Reliquos, Viſum, Auditum, & Olfactum homini ſoli tribuunt.

Ab oculis ad animum) Inde Plato ανθρωπον non tam παρα το ανω τρεπειν τον ωπα, hoc eſt, *a vultu ſurſum converſo*, quam παρα το αναθρειν α οπωπεν, *a rebus, quas viderit, conſiderandis* dictum putat. Menander:

Ως χαριεν εςʼ ανθρωπος αν ανθρωπος η.

Quam ſuavis res eſt homo, ſi ſit homo.

Indecore) Contra modeſtiam, ſive temperantiam.

Effeminateve) Molliter mulierum more: contra viri decorum: nam Mulierem dictam, quaſi Mollem aerem, ab animi mollitie, Grammatici ajunt: Græci vero Virum, Αρρα, dicunt quaſi ανω αιρω.

Libidinoſe) Excluſa ratione.

Nobilitatum) Hoc explanatur proxime ſequentibus verbis. *Nobilitatum*, multorum ſermonibus, & admiratione celebratum.

CAPVT VI.

Formam quidem ipſam) Homines ait habere ſemina quædam, & virtutis igniculos a natura datos, ex quibus conflatur honeſtum, quod eſt ſecundum naturam, & dividitur in quatuor partes, Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam: quæ ſunt magnæ, & veræ virtutes, quod ex ratione oriantur: quia nihil in homine divinius. De his ergo diſputat, quos appellat fontes omnium officiorum Sed prius de officiis, i. e. operationibus ſtudioſis, quæ ab ipſa Prudentia oriuntur; inde a Iuſtitia, & Fortitudine; poſtremo a Temperantia, ubi declarat, quid ſit illud decorum, quod ubique ſervandum eſt: demum, propoſitis duobus honeſtis, utrum ſit honeſtius.

Vt ait Plato) In Phædro.

Mirabiles amores excitaret ſapientiæ) Inde natum adagium: Ex τυ ὁραν γινεται το εραν. *Ex viſu naſcitur amor.* Quod Græcorum ſcriptis celebre eſt. *Sui*, pro *ſapientiæ*, reponendum quidam putarunt, ex Platone, cujus hæc ſunt: Οψις ἡμιν οξυτατη των δια τυ σωματος ερχεται αισθησεων, η φρονησις ὐχ ὁραται. δεινυς γαρ αν παρειχεν ερωτας, ειτι τοιυτον ἑαυτης εναργες ειδωλον παρειχετο εις οψιν ιον. Cicero etiam lib. XI. de Fin. *Quam illa*, inquit, *ardentes amores excitaret ſui, ſi videretur.* Sed, ſi retineas, *ſapientiæ*, ita explana: *Sapientiæ*: fons enim, unde manat ſapientia, honeſtum eſt.

Colligata) Vnam enim virtutem qui poſſidet, reliquas item poſſidere dicitur; quod Ariſtotelici, teſte Laertio, negant.

Subjecta eſt veritas) Quæ animæ tantum oculis cernitur, ut ait Plato.

Reliquis autem tribus virtutibus) Ariſtoteles Prudentiam omittit: nec enim vere ſeparata quædam virtus eſt,

Digitized by Google

eſt, ſed communicatur omnibus virtutibus.

Parandas, tuendaſque) non enim minor virtus eſt, quam quærere, parta tueri. Demoſthenes Olynth. I. Διοπερ πολλακις χαλεπωτερον ειναι δοκει το φυλαττειν τ' αγαθα, τε κτησασθαι. *Sæpius videtur difficilius cuſtodire, quam comparare bona.* Salluſt. Cat. *Virtus, atque ſapientia, major in illis fuit, qui ex paucis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea, bene parta, vix retinemus.* Et Iugurtha: *Majus dedecus eſt, parta amittere, quam omnino non paraviſſe.* Et in concione Marii: *Nobilitatem certe peperiſſe, quam acceptam corrupiſſe, melius eſt.* Thucydides quoque lib. I. in concione Periclis 2. Αισχιον εχοντας αφαιρεθηναι, η κτωμενους ατυχησαι. *Turpius eſt, habentes ſpoliari, quam nova acquirentes non aſſequi.* Demoſthenes tamen Olynth. II. & ibi Ulpianus, falſum hoc ait eſſe: Πολυ ῥᾳον εχοντας φυλαττειν, η κτησασθαι παντα πεφυκε. *Natura ita omnia comparata ſunt, ut multo facilius qui habent, cuſtodiant, quam acquirant.*

Quibus actio vitæ continetur) Recte Ariſtoteles: Αδυνατον η μη ραδιον τα καλα πραττειν αχορηγητον οντα. *Impoſſibile, nedum difficile, eum qui rebus indiget neceſſariis, pulcra perpetrare.* Inde Orator: Δειν δη χρηματων, και ανευ τουτων ουδεν ειναι γενεσθαι των δεοντων: *Opus eſt pecunia, & ſine ea nihil fieri poteſt ex iis, quæ ſunt neceſſaria.* *Actio vitæ*; ὁ πρακτικος βιος. Et hæc eſt Prudentia.

Societas hominum) Iuſtitia.

Animi excellentia) Fortitudo.

Ordo autem) Temperantia.

CAPUT VII.

Naturam humanam) Quæ potiſſimum in excellentia mentis eſt poſita. Cic. de Fin. I.V. *Homo e corpore, animoque conſtat: cum primæ ſint animi partes, ſecundæ corporis.* Salluſt. Cat. *Noſtra omnis vis in animo, & corpore ſita eſt: animi imperio, corporis ſervitio magis utimur.* II. de rep. ordin. *Corpus animo obedit.* Ideo Plato in Clitophonte vocat: Το μεν αρχον, το δε αρχομενον. *Illud quidem quod imperat, hoc vero, quod jubetur.*

Trahimur, & ducimur ad cognitionis, & ſcientiæ cupiditatem) Sophocles animam jam agens, amicis colloquentibus aures præbuit, ſemper aliquid addiſcendum ratus. *Trahimur* quaſi vi, etiam inviti. *Ducimur*: natura enim nos cogit: cognitionis vero ſuavitas maxime delectat. Inde Mimographus: *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.*

Et malum & turpe) Ut ad damnum accedat infamia.

In hoc genere & naturali, & honeſto) Duo, inquit Cicero, ſunt hominum genera, utrumque reprehendendum: unum duabus cauſſis, alterum una tantum; nam, qui & in rebus obſcuris nec neceſſariis elaborant, & nimium elaborant, dupliciter peccant: qui vero optimo judicio ducti, res diligunt & honeſtas, & cognitione dignas, in quibus ſuum ſtudium ponant, in eo laudem quidem aſſequuntur: quod ſi earum rerum ſtudio ita teneantur, ut debitam patriæ opem, ubi tempus poſtulat, non præbeant, aut amicos deſerant, aut rem familiarem negligant, in hoc turpiter ſe gerunt: omnino enim in vita colendum eſt officium; officium autem deſerere ſcientiæ cauſſa, turpe eſt. Quare ita præclarum eſt, in veri inveſtigatione verſari, ut ne rerum actio penitus omittatur: ſi quidem tanti eſſe nihil debet, ut ab officio nos abducat. Non igitur ſtudium in hujuſmodi artibus, ſed nimium ſtudium vituperatur: obſcuris vero, nec neceſſariis in artibus omnino ſtudium omne reprehenditur.

Unum, ne incognita pro cognitis habeamus) Quo vitio laborant adoleſcentes.

Et tempus) Mimographus: *Ad pœnitendum properat, cito qui judicat.* Iſocrates: Βουλευου μεν βραδεως, επιτελει δε ταχεως τα δοξαντα. *Cunctanter quidem delibera, at ſtatim perfice, quæ ſunt excogitata.* Vide, quæ collegimus ad locum Salluſtii in Catilina: *Prius, quam incipias, conſulito; &, ubi conſulueris, mature facto opus eſt.* Nazianzenus quoque: Συμβουλος ουδεις εστι βελτιων χρονου: *Nullus melior conſiliarius tempore.*

Et diligentiam) Quod maxime efficitur per dialecticam, & rhetoricam. Dia-

Digitized by Google

Dialectica namque oculos humanos in barbarico cœno defoſſos ſenſim attollit, atque abſtergit, ut in judicando acutius cernant. Vide Plat. VII. de Rep.

Alteram eſt vitium) Sic Neoptolemus apud Ennium, deguſtandum ex philoſophia ait, non in eam ingurgitandum, quod ait Agell. l. V. c. 16. &c. ſuperiore, philoſophandum paucis, nam omnino haud placet. Vide apud eumdem Agell. l. X. c. 22. quædam ex Gorgia Platonico.

In aſtrologia C. Sulpicium) Hic tribunus mil. conſ. Æmilio Paulo contra Macedones bellum gerente, ſua aſtrologia mirandum in modum profuit, quia prædixit Lunæ defectionem, qua Romani ſolebant perturbari; tum vero ab eo moniti nihil timuerunt; contra, Macedones ita ſunt conſternati metu, ut facile victi ſint. Livius lib. XL. IV. Plut. in Paulo Æmilio. De eo meminit Cic. de Sen. Val. lib. XII. cap. 11. Plin. lib. XI. cap. 12. Quinctil. lib. I. cap. 17.

In Geometria Sex. Pompeium) Patruum Cn. Pompeii Magni, juris civilis, geometriæ, ac Stoicarum rerum ſcientia præſtantem.

Cujus ſtudio a rebus gerendis abduci, contra officium eſt) Ita Archimedes, periclitante civitate, ſuis ipſe pulveribus intentus fuit.

Virtutis enim laus omnis in actione conſiſtit) Idem Cicero: *Fructus ingenii, & virtutis tum maxime percipitur, cum in proximum quemque confertur*. Quid, (ait Nazianzenus) *manibus alligatis linguam armare*? Vide Lactantium lib. III. cap. 16.

Ad ſtudia reditus) Seneca: *Tamdiu diſcendum eſt, quamdiu neſcias: & ſi proverbio credimus, quamdiu vivas*. Idem paulo aſperius *mentiri* dicit *eos, qui turba negotiorum fieri dicunt, ut liberalia ſtudia non ſequantur. Simulant* (ait) *occupationes, & augent, & ipſi ſe occupant*.

Tum agitatio mentis poteſt nos in ſtudiis cogitationis continere) Invitus ab eruditis hominibus diſſentio. Idem tamen ſpecto, quid ſuſcepti muneris ratio poſtulet, poſtulat enim certe, ut majorem veritatis, publicique commodi, quam cujuſvis alius rei, rationem habeam. Hic omnes libri veteres, ne litteræ quidem unius varietate, habent, *cogitationis*: hæc eſt prima ratio, cur mihi, *cognitionis*, quod alii pro *cogitationis* reponunt, placere nullo modo poſſit. At interdum in veteribus libris mendum deprehenditur. Eſto: quid tum agimus? ſententiam perpendimus, & ex ea de mutatione, aut retinenda vetere lectione, conſilium capimus. Sententiam igitur videamus. Confert Cicero virtutis actionem cum cogitatione. Summa, inquit, laus eſt, idque in primis hominem decet, in rebus gerendis verſari: cum præſertim ipſa virtutis actio perpetua non ſit, ſed ab ea liceat interdum ad ſtudia divertere, unde cognitio manat: aut agitatione, motuque quodam mentem, animumque exercere. Quemadmodum autem ſtudia cognitionem pariunt; ſic agitationis, motuſque mentis, & animi Cicero fructum oſtendit: is porro duplex eſt; aut enim agitatione illa mentis conſequimur, ut recta conſilia capiamus, quibus omnis vitæ ratio conformetur: aut, verum inveſtigantes, occultarum rerum ſcientiam adipiſcimur. Ergo prima eſt virtutis actio; ſequuntur ſtudia cognitionis; poſtrema eſt agitatio mentis, quæ non ad unam cognitionem refertur, ſed tum in conſiliis, ad bene, beateque vivendum pertinentibus, verſatur; tum etiam quærendo invenit ea, quæ ſcitu digna ſunt: itaque non omnino ſcientia, cognitioneque caret. Nec vero dubitari poteſt, quin his verbis: *omnis autem cogitatio, motuſque animi*; ipſa mentis agitatio ſignificetur: quæ ſi ad ſtudia tantum cognitionis attineret, non ſubjungeret Cicero duplicem cogitationis fructum, prudentiam, & cognitionem. Hæc eſt hujus loci vera, & germana ſententia, quam nemini antea diſplicuiſſe, ideo poſſum conjicere, quod nemo aut locum mutavit, aut aliter eſt interpretatus. Vnus diſſenſit, quod nollem: ejus enim ſtudiis, gloriæque vehementer faveo. Cic. Fam. lib. VI. ep. 1. ad Torquatum: *Eſt tuum, ſic agitare animo, ut adhibeas in conſilium cogitationum tuarum* &c.

Sine opera noſtra) Quæ nos ab actione

Digitized by Google

ne abducit . Operam autem intelligit, cum ſcribimus, diſputamus, audimus.

Conſiliis capiendis) Quod eſt præcipue mutatæ ætatis munus; vide Ariſt. in II. Magn. Moralium.

CAPUT VIII.

Societas hominum inter ipſos, & vitæ quaſi communitas continetur) Illuſtrant hunc locum, quæ ſunt de Fin. l. V. *In omni*, inquit, *honeſto nihil eſt tam illuſtre, nec quod latius pateat, quam conjunctio inter homines hominum, & quaſi quædam ſocietas, & communicatio utilitatum, & ipſa caritas generis humani: quæ nata a primo ſatu, quo a procreatoribus nati diliguntur, & tota domus conjugio, & ſtirpe conjungitur, ſerpit ſenſim foras cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, poſt vicinitatibus, tum civibus, & iis, qui publice ſocii, atque amici ſunt, deinde totius complexu gentis humanæ, quæ animi affectio ſuum cuique tribuens, atque hanc, quam dico, ſocietatem conjunctionis humanæ munifice, & æque tuens, Iuſtitia dicitur, cui adjunctæ ſunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quæque ſunt generis ejuſdem. Atque hæc ita Iuſtitiæ propria ſunt, ut ſunt virtutum reliquarum communia; nam, cum ſic hominis natura generata ſit, ut habeat quiddam innatum quaſi civile, atque populare, quod Græci* πολιτικον *vocant, quidquid aget quæque virtus, id a communitate, & ea, quam expoſui, caritate, atque ſocietate humana non abhorrebit: viciſſimque juſtitia, ut ipſa ſe fundet uſu in ceteras virtutes, ſic illas expetet.*

Virtutis ſplendor) Ariſt. V. Eth. ad Nicom. Ἡ δικαιοσυνη κρατιστη των αρετων· ουθ' ἑσπερος, ουθ' ἑως ουτω θαυμαστος. *Iuſtitia virtutum præſtantiſſima; neque veſper, neque lucifer tanta mortales admiratione percellunt*. Excelſiorem hanc vocat D. Ambr. Beneficentiam vero ſplendidiorem.

Beneficentia) *Beneficientia*, alii ſcribunt.

Quam eamdem) Pronomen pro adverbio uſurpatum eſſe, notavit Valla, & Linacer, & alii.

Niſi laceſſitus injuria) Vim enim vi repellere licere, ait Florentinus l. 3. ff. de Iuſtitia, & jure: inſidiari autem non licere. Videndus Agellius lib. VI. cap. 14. Furem nocturnum, Spoliatorem, & vim inferentem impune occidi poſſe, ſcripſit Plato.

Sunt autem privata nulla natura) Id eſt, primo ortu: nam natura in medium omnia protulit: vide paullo poſt.

Ut qui bello potiti ſunt) Bellum gerentes. Alii legunt: *Aut bello, ut qui victoria potiti ſunt:* fortaſſe non male.

Arpinas, Tuſculanus) Exemplo utitur familiari: nam Arpini Cicero natus: in Tuſculano vero villam habuit magnificam.

Deſcriptio) Id eſt, diſtributio. Legendum autem hoc loco, *diſcriptio*.

Ius humanæ ſocietatis) Ius humanum Livio dicitur.

Ut præclare ſcriptum eſt a Platone) In epiſtola ad Architam Tarentinum: ſunt autem hæc verba Platonis: Αλλα κακεινο δει σε ενθυμεισθαι, ὁτι ἑκαστος ἡμων ουκ αυτῳ μονον γεγονεν, αλλα της γενεσεως ἡμων το μεν τι ἡ πατρις μεριζεται, το δε τι οἱ γεννησαντες, το δε οἱ λοιποι. *Sed & illud te in animum tuum inducere oportet, quod unuſquiſque noſtrum non ſibi ſolum natus eſt, ſed noſtræ nativitatis aliquid ſibi vindicat patria, aliquid parentes, reliqua vero ceteri amici*. De Fin. I. idem ait. Indè adagium: Homo homini deus. Seneca: Aliis vivere oportet, qui ſibi vivere velit. Tuſc. I. *Quæ eſt*, ait, *in hominum genere natura melior, quam eorum, qui ſe natos ad homines ſervandos arbitrantur*.

Partem patria, partem parentes vindicant, partem amici) Hoc totum, ita ut a Platone ſcriptum eſt, reliqui; ipſe enim Cicero Platonem hoc in loco a ſe converti fatetur. At veteres libri duas voces inducunt, *partem parentes*. At ego hiſtoriam ipſam, & Platonis verba ſequi malo, quam fluxam incertamque librariorum fidem; cum præſertim facile potuerit error naſci ex voce *partem*, ter repetita; quod ſæpe contingit in ſimilibus locis. Libro etiam de Fin. II, *Non ſibi*, inquit, *ſe ſoli natum meminerit, ſed patriæ, ſed ſuis*. Nec dubitandum, quin uno verbo *ſuis*, parentes primum, deinde amicos complexus ſit.

Digitized by Google

Atque, ut placet Stoicis) Particulam ut abundare, ut inferiorum verborum ordo conſiſtat, opinor; in eaque opinione confirmor auctoritate duorum meorum veterum librorum. Chryſippum hujus ſententiæ auctorem facit Cic. de Fin. III. Vide & de Nat. Deor. II.

Mutatione officiorum) Sic quatuordecim mei veteres libri, & unus Tertii; & recte: nam illud, *Communes utilitates in medium afferre*, nihil aliud ſignificat, quam ut officium pro officio reddatur: ego illud, quo tu indiges: tu, quo indigere me vides; ita fit permutatio quædam humanæ vitæ neceſſaria, & ſecundum naturam, quam debemus ducem ſequi.

Tum artibus, tum opera) Plato, το εαυτου πραττειν.

Fundamentum autem juſtitiæ eſt Fides) Benevolentiæ fidem hominem homini manſuetum, & mitem reddere, ait Plutarchus.

Dictorum, conventorumque conſtantia) Agell. lib. XX. cap. I. *Hanc fidem majores noſtri, non modo in officiorum vicibus, ſed in negotiorum contractibus ſanxerunt, maximeque in pecuniæ mutuaticiæ uſu atque commercio.*

Audeamus imitari Stoicos) Auguſtinus in Dialectic. ait, Ciceronem nimium Stoicos irridere, in vocum originibus inquirendis.

Credamuſque, quia fiat, quod dictum eſt, appellatam Fidem) Idem ait ad Tironem lib. XVI. epiſt. 12. *Tu muſis noſtris para, ut operas reddas; noſtra ad diem dictam fient; docui enim te, Fides ετυμον quod haberet.* Et lib. IV. de Rep. apud Nonium: *Fides nomen ipſum mihi videtur habere, cum fit, quod dicitur.*

Sed injuſtitiæ duo genera ſunt) Platonis eſt hæc diviſio lib. V. de Leg.

Aut ira) Hinc Salluſtius in Cæſaris oratione, odium, amicitiam, iram, atque miſericordiam a conſultoribus expellit.

Nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ) Id etiam ait Vlpianus l. 9. §.1. ff. de L. Cornelia de falſis.

Si parentes, aut amicos, aut patriam deſerat) Cæſ. VI. Bell. Gall. ait, *qui milites ſecuti non eſſent, eos in deſertorum, ac proditorum numero duci.* Plutarchus in Ageſilao ait, iis matrimonio a Lacedæmoniis interdici, omniumque contumeliis exponi. Verbum *ſocios*, hic alii admiſcent: *Amicos*, delentes contra librorum veterum omnium fidem. Hoc autem dictum eſt e Stoicorum ſententia, quia ajebant, omnia peccata paria eſſe. Parad. III. & de Fin. lib. IV.

Atque ille quidem injuriæ) Ariſtoteles lib. V. cap. 3. Pol. Δια δε φοβον στασιαζουσιν οιτε ηδικηκοτες, δεδιοτες μη δωσι δικην, και οι μελλοντες αδικεισθαι, βουλομενοι φθασαι πριν αδικηθηναι. *Propter metum autem ſeditionem commovent, & qui injuriam fecerunt, ne dent pœnas; & qui ſuſpicantur futurum, ut injuria afficiantur, volentes antevertere, atque occupare, priuſquam injuſte lædantur.*

Maximam autem partem ad injuriam faciendam aggrediuntur nonnulli, ut adipiſcantur ea, quæ concupierunt) *Maximam partem*, valet, Plerique homines; ut apud Cæſarem lib. IV. Bell. Gall. *Maximam partem lacte, & caſeo vivunt.* Contraria igitur videntur, *maximam partem*, & *nonnulli*, non enim eadem in ſententia ſignificari poſſunt & multi, & pauci: quare nulla dubitatio eſt, quin ſequi debeamus eos libros, a quibus abeſt, *nonnulli*, Græci: Ως δ' επι το πλειστον, οις ενιοις δε, οις τα πολλα δε.

Vt adipiſcantur ea, quæ concupierunt) Apud Livium Tullia maritum, Tarquinius & uxorem, & Servium ſocerum regni cupiditate necant.

In quo vitio latiſſime patet avaritia) *Auri ſacra fames*, ait Poeta.

Expetuntur autem divitiæ) Ariſt. lib. I. Pol. c.6. Οσοι δε και του ευ ζην επιβαλλονται, το προς τας απολαυσεις τας σωματικας ζητουσι. *Quicumque bene vivere cupiunt, & ipſas oblectationes corporeas inquirunt.*

Spectat ad opes, & ad glorificandi facultatem) *Opes* dicuntur, non divitiæ, ſed honores, auctoritates, & poteſtates, quæ ex divitiis naſcuntur, quibus egenos adjuvamus. Divitiæ autem ad uſum humanum pertinent. Hanc differentiam ponit Cicero in Lælio, ubi ita eſt: *Divitiæ, ut utare: opes, ut colare.*

Qui ſuis fructibus exercitum alere non poſſet) Exercitus populi Romani quatuor legiones erant, binæ ſingulis con-

Digitized by Google

conſulibus attributæ; in ſingulis autem legionibus, extremis reip. temporibus, peditum ſex millia fuere: quod Plutarchus in vita Ciceronis, epiſtolæ ad Atticum, & alia præterea veterum teſtimonia declarant; nam Africani minoris ætate non amplius quatuor millibus ducentis peditibus in legione fuiſſe, id eſt, Velites mille ducentos, Haſtatos totidem, Principes totidem, Triarios ſexcentos, Africani comes Polybius perſpicue docet. Quo igitur tempore in quatuor legionibus viginti quatuor millia peditum fuere, tunc menſtruum ſtipendium totius exercitus fuit, centum & octo ſcutatorum millia; ſingulis enim diebus denarium pro ſtipendio ſingulos pedites accepiſſe, auctor eſt Tacitus lib. I. & Plinius lib. XXXIII. cap. 3. Quod ſi addatur equitum ſtipendium, qui erant in ſingulis legionibus trecenti, haud paullo major ſumma fiet. Nec centurionum par ſtipendium cum privato pedite fuiſſe, verum aliquanto amplius, veriſimile eſt. Hæc ideo collegi, ut M. Craſſi pateat immenſa cupiditas opum, qui cum Romanorum ditiſſimus eſſet, ſibi tamen dives non eſſe videretur, quando ali ſuis fructibus non poſſe populi R. exercitum non intelligeret, quod ei Cicero in Paradoxis quoque objicit. *Multi*, inquit, *ex te audierunt, cum diceres, neminem eſſe divitem, niſi qui exercitum alere poſſet ſuis fructibus: quod populus R. tantis vectigalibus jampridem vix poteſt; ergo, hoc propoſito, numquam eris dives ante quam tibi ex tuis poſſeſſionibus tantum reficiatur, ut ex eo tueri* VI. *legiones, & magna equitum, ac peditum auxilia poſſis*. Quo loco IV. legiones, qui erat integer exercitus populi Romani, non VI. legendum omnino crediderim. Exercitum in Craſſi vita Plutarchus quoque nominat. Plinius lib. XXXIII. cap. 10. hoc dictum ad unam legionem reſtringit, utpote qui non eodem in Craſſum, quo Cicero, flagrabat odio. M. Craſſus, inquit, negabat locupletem eſſe, niſi qui reditu annuo legionem tueri poſſet, in agris ſuis H-S vicies centena millia poſſedit.

Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt) Lucanus lib. I.

Nulla fides regni ſociis, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Cujus rei exempla ſunt, Romulus, & Remus; Romulus, & Tatius; Triumviri, M. Craſſus, C. Iulius Cæſar, & Cn. Pompeius, Lepidus, Antonius, Auguſtus. Idem Lucanus ſubdit hoc exemplum;

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Declaravit id modo tempeſtas C. Cæſaris) In quibuſdam antiquis libris, *temeritas* C. Cæſaris: verum, *tempeſtas*, malim, quaſi turbo, & procella; quo reſpicit, apteque refertur verbum infra poſitum, *pervertit*; eſt enim nimis leve verbum, *temeritas*, in eum, qui omnia jura divina, & humana pervertit: cum ſit immanitas potius appellanda, quam temeritas, ut infra, in eumdem Cæſarem: *Quo deteſtabilior eſt eorum immanitas, qui laceraverunt omni ſcelere patriam. C. Cæſaris*; qui, teſte Plutarcho, malebat in parvo oppidulo primus eſſe, quam Romæ ſecundus. Hinc illud Lucani lib. I.

Nec quemquam jam ferre poteſt, Cæſarve priorem,
Pompeiusve parem.

Iura divina) Ærarium invadendo, ingentem auri vim e Capitolio furando, templa divum donis referta expilando.

Humana) Patriæ arma inferendo, libertatem reip. opprimendo, ſocietatem, & regna pretio vendendo, urbes ad deditionem paratas diripiendo.

Opinionis errore) Putavit enim ſe beatum fore, oppreſſa rep. quod ſecus accidit.

In maximis animis, &c.) Plutarchus in Demetrio ex Platone: Ο'τι και κακιας μεγαλας ωσπερ αρετας αι μεγαλαι φυσεις εκφερουσι. Id eſt: *Vitia magna, ut & virtutes, ex magnis animis proficiſcuntur.*

Conſulto, & cogitato) Capto conſilio, & cura adhibita.

CAPUT IX.

INimicitias) Quas ſuſtinere, grave eſt, ſi inopem contra potentem defendas.

Laborem) Sine quo nil confici poteſt.

Sumtus) Qui admodum neceſſarii

ſunt & in publica re, & in privata.

Videndum eſt) Modeſte diſſentit a Platone, Philoſophorum ſententiam in ſexto de Rep. comprobante. Vide Cic. lib. III. de Fin.

In philoſophos dictum) *In*, cum laude. Sic locutus in Bruto, III. de Divin. & l. de Legibus.

Diſcendi ſtudio impediti, quos tueri debent, deſerunt) Beneficentia igitur doctrinæ anteponenda. Hujuſmodi philoſophos, qui in veri tantum inveſtigatione verſantur, reprehendit Lactantius lib. I. cap. 16. Epictetus apud Agellium lib. XVII. cap. 19. *Ανευ τȣ πραττειν, μεχρι τȣ λεγειν. Sine operibus, verbis tenus.* Epictetus autem ipſe, teſte eodem Agellio lib. XV. cap. 11. urbe ejectus. Et Cicero ad Varronem Fam. lib. IX. *Quis*, inquit, *hoc non dederit nobis, ut, cum opera noſtra patria ſive non poſſit uti, ſive nolit, ad eam vitam revertamur, quam multi docti homines fortaſſe non recte, ſed tamen multi etiam reip. præferendam putaverunt.*

Studio rei familiaris tuendæ) Quod laudabile eſſe, non dubium eſt; pater enim procreandis, educandiſque liberis, reip. ſeminaria parat; ſeque, & ſuos honeſta aliqua arte exercendo alit.

Odio quodam hominum) Μισανθρωπια.

Ne facere cuiquam videantur injuriam) Cum tamen faciant: quia vitæ ſocietatem deſerunt.

In alterum incurrunt) Quod ſtultorum eſt proprium.

Niſi noſmetipſos valde amabimus) Quæ φιλαυτια eſt. Inde Pindarus:

Το οικειον πιεζει, αλλοτριον δ' ȣ μελει.

Id eſt:

Propria premunt, aliena non movent.

Difficilis cura) Moleſta.

Terentianus ille Chremes) In comœdia Heautontimorumeno. Scribit autem D. Auguſtinus, cum Romæ in theatro hic verſus recitaretur, univerſum populum reclamaſſe.

Aliter de illis, ac de nobis judicamus) minus illis conſulere ſtudemus, quam nobis.

Quod dubites) Huc pertinet proverbium illud apud Senecam: *Quod dubites, ne feceris.*

Æquitas lucet ipſa per ſe) Ariſt. libro II. Rhet. hoc illuſtrat exemplo Sapphus, & Alcæi.

CAPVT X.

NOn reddere depoſitum) Hoc, & quod de furioſo ſubjungitur, ad illud infra poſitum refero, *ſit juſtum*: particulam enim, *non*, quæ eſt in pleriſque antiquis libris, (nam a duobus abeſt, tribus autem aliis eſt addita) numquam ſuſtulerim: ea vero ſi retinetur, non poteſt hæc ſententiæ pars cum ſuperioribus conjungi: ſiquidem, non reddere depoſitum, & promiſſum non facere, numeranda non videntur inter ea, quæ juſto digna ſunt homine: quare infra referantur: ut dicatur, juſtum eſſe nonnumquam, depoſitum non reddere, nec promiſſum facere. Illud autem, *etiam ne furioſo*, licet aperte corruptum, mutare tamen non audeo: opem libri veteris exſpectabo: (nam omnes mei conſentiunt cum impreſſa lectione, uno excepto, in quo pro *furioſo*, *furiſo* legitur) interea placet relinquere, in quo aliorum exerceantur ingenia: ſententia quidem ſatis patet: ſed ipſa verba aut abundant, aut certe mendo non vacant: non enim hærere cum eo debent, *promiſſum facere*, ſed cum eo, *non reddere depoſitum*: nam libro quoque III. loquitur Cicero, non de promiſſo furioſo non faciendo, ſed de depoſito furioſo non reddendo: cum enim, exemplis aliquot adductis, ſatis probaſſe, pacta, & promiſſa non eſſe ſervanda, ſibi videretur: hæc ſubjunxit: *Ergo & promiſſa non facienda nonnumquam, neque ſemper depoſita reddenda ſunt: ſi gladium quis apud te ſanæ mentis depoſuerit, repetat inſaniens, reddere peccatum ſit, non reddere, officium.*

Ea migrare interdum, & non ſervare ſit juſtum) *Migrare*, antique dixit, pro, *mutare*. Sic & in decem meis veteribus libris, & in uno Tertii, & in iis, quos primi olim impreſſores fideliter ex antiquis deſcriptos, nulla adhibita conjectura, ediderunt, legi animadverto. Hujus autem verbi vim primus olim Pater meus indicavit, in eo loco lib. III. de Fin. *Qui id conſervaret, eum juſtum, qui migraret, in-*

ju-

juſtum fore. Quod quia durius viſum iri ſuſpicabatur, confirmavit duobus exemplis: uno, lib. III. de Leg. *Quod quis earum rerum migraſſit, noxiæ pœnæ par eſto*. Altero, lib. I. de Div. *Ne communia jura migrare videatur*: ſic enim legit ex antiquis libris, non, *communi jure*.

Ne cui noceatur) Noceretur enim furioſo, ſi ei redderetur gladius depoſitus.

Communi utilitati ſerviatur) Nam, ſi Phœbus Phaetonti promiſſum negaſſet, non tantum factum fuiſſet orbis incendium. Vide Ovidium Metam. II.

Vt in fabulis eſt) Cicero de Natura Deor. III. Vide Ovid. Metam. XV. Plutarchum, Hyginum capite 47. & 250. Virgil. lib. VII. & Pind. od. 3. Pyth. & Plutarchum in Theſeo. Plato lib. II. de Leg. *Και οταν γε ὁ πατηρ ων γερων, η και σφοδρα νεανιας, μηδεν των καλων και των δικαιων γινωσκων, ευχηται μαλα προθυμως ενταθημασιν αδελφοις ων τοις γενομενοις Θησει προς τον δυστυχως τελευτησαντα Ιππολυτον*. Imo etiam *quando pater, ſive ſenex, ſive admodum juvenis, cum nec honeſtorum, nec juſtorum quidquam cognoſcat, ſic affectus, ut Theſeus erga infelicem Hippolytum, impenſius imprecatur*.

Iratus) Quod ab ea Phædram conjugem de interitu appellatam crederet; cum id a Phædra, quæ ſe ab Hippolyto rejectam iniquiſſime ferret, fictum crimen eſſet.

Nec promiſſa igitur ſervanda ſunt ea, quæ ſint iis, quibus promiſeris, inutilia) Duo mei veteres libri: *nec promiſſa igitur ſervanda ſunt iis, quibus promiſeris, inutilia ſi ſint*.

In rem præſentem) In judicium. Verba Iuriſconſultorum.

Aut deceptus dolo) Decem mei veteres libri, & unus Tertii, *quæ deceptus dolo*; unus omittit *aut*, &, *quæ*. *Metu: Dolo*; De metu, Octavius; de dolo, Aquillius prætores leges primi tulerunt.

Calumnia quadam) Quæ fit vel falſa accuſatione, vel prava interpretatione ſcripti, aut legis.

Summum jus, ſumma injuria) Ex Terentii Heautontimorumeno; apud quem, ſummum jus, ſumma malitia; apud Columellam de Re Ruſt. *Summum jus, ſumma crux*. Iuriſconſulti appellant jus ſtrictum; Ariſtoteles, *ακριβοδικαιον*, id eſt, jus exactius, duriuſque.

Quo in genere & in rep. multa peccantur) Miror, hunc locum mendoſum a quibuſdam haberi. Mei omnes libri cum vulgatis conſentiunt; ſententia patet; &, quod aliis viſum eſt durius, unde orta eſt mutandi voluntas, id uſitatum eſſe, exemplis probemus. De Nat. Deor. I. *Empedocles multa peccans*. Pro Murena: *Non multa peccas*. Et paulo poſt: *Nihil peccare*. Tacitus quoque, *magna peccare*, dixit. Eſt enim, *multa*, pro, in multis rebus; ut: Non multa peccas; pro, non multis in rebus a te peccatur: Multa peccantur in repub. pro, Multis in rebus peccatur in rep. Sic enim converto; &, opinor, recte.

Noctu) Ephorus apud Strabonem Thracium commentum dicit adverſus Bœotos. Vide Proverbium: *Θρακεια παρευρεσις*. Cleomenes Lacedæmonius, cum Argivis ſeptem dierum inducias pactus, tertia nocte fidem fefellit. Plut. in Apophthegm. Laconicis.

Q. Fabium Labeonem, ſeu quem alium) Simile quid narrat Valerius lib. VII. cap. 4. qui ait, eum, cum regem Antiochum ſuperaſſet, ex fœdere icto dimidiam partem navium accipere deberet, medias omnes ſecuiſſe, ut eum tota claſſe privaret.

Haud ſcio, an ſatis ſit) Id eſt, parum abeſt, quin exiſtimem, ſatis eſſe.

CAPVT XI.

VT & ipſe ne quid tale poſthac) Ex meis antiquis libris, unus habet, *audeat*; unus, *committat*; unus, *faciat*, & in ſpatio, quod verſus dirimit, explanandi cauſſa, *committat*; quatuor, *faciat*; unus pro *poſthæc*, habet, *poſſeat*; verbum ſcilicet addere voluit, qui verbo ſententiam carere cognoverat; ſex, & unus Tertii, *poſthac*, nullo adhibito verbo. Quæ varietas aperte declarat, quodcumque verbum addatur, ſive, *faciat*, ſive, *audeat*, ſive, *committat*, ut erat in pervulgatis, gloſſemata eſſe omnia; cum per ſe, ſine verbo, ſententia conſiſtat.

Digitized by Google

ſunt & in publica re, & in privata.

Videndum eſt) Modeſte diſſentit a Platone, Philoſophorum ſententiam in ſexto de Rep. comprobante. Vide Cic. lib. III. de Fin.

In philoſophos dictum) *In*, cum laude. Sic locutus in Bruto, III. de Divin. & I. de Legibus.

Diſcendi ſtudio impediti, quos tueri debent, deſerunt) Beneficentia igitur doctrinæ anteponenda. Hujuſmodi philoſophos, qui in veri tantum inveſtigatione verſantur, reprehendit Lactantius lib. I. cap. 16. Epictetus apud Agellium lib. XVII. cap. 19. Ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν. *Sine operibus, verbis tenus*. Epictetus autem ipſe, teſte eodem Agellio lib. XV. cap. 11. urbe ejectus. Et Cicero ad Varronem Fam. lib. IX. *Quis*, inquit, *hoc non dederis nobis, ut, cum opera noſtra patria ſive non poſſit uti, ſive nolit, ad eam vitam revertamur, quam multi docti homines fortaſſe non recte, ſed tamen multi etiam reip. præferendam putaverunt*.

Studio rei familiaris tuendæ) Quod laudabile eſſe, non dubium eſt; pater enim procreandis, educandiſque liberis, reip. ſeminaria parat; ſeque, & ſuos honeſta aliqua arte exercendo alit.

Odio quodam hominum) Μισανθρωπία.

Ne facere cuiquam videantur injuriam) Cum tamen faciant: quia vitæ ſocietatem deſerunt.

In alterum incurrunt) Quod ſtultorum eſt proprium.

Niſi noſmetipſos valde amabimus) Quæ φιλαυτία eſt. Inde Pindarus:

Τὸ οἰκεῖον πιέζει, ἀλλότριον δ' οὐ μέλει.

Id eſt:

Propria premunt, aliena non movent.

Difficilis cura) Moleſta.

Terentianus ille Chremes) In comœdia Heautontimorumeno. Scribit autem D. Auguſtinus, cum Romæ in theatro hic verſus recitaretur, univerſum populum reclamaſſe.

Aliter de illis, ac de nobis judicamus) minus illis conſulere ſtudemus, quam nobis.

Quod dubites) Huc pertinet proverbium illud apud Senecam: *Quod dubites, ne feceris*.

Æquitas lucet ipſa per ſe) Ariſt. libro II. Rhet. hoc illuſtrat exemplo Sapphus, & Alcæi.

CAPUT X.

NOn *reddere depoſitum*) Hoc, & quod de furioſo ſubjungitur, ad illud infra poſitum refero, *fit juſtum*: particulam enim, *non*, quæ eſt in pleriſque antiquis libris, (nam a duobus abeſt, tribus autem aliis eſt addita) numquam ſuſtulerim: ea vero ſi retinetur, non poteſt hæc ſententiæ pars cum ſuperioribus conjungi: ſiquidem, non reddere depoſitum, & promiſſum non facere, numeranda non videntur inter ea, quæ juſto digna ſunt homine: quare infra referantur: ut dicatur, juſtum eſſe nonnumquam, depoſitum non reddere, nec promiſſum facere. Illud autem, *etiam ne furioſo*, licet aperte corruptum, mutare tamen non audeo: opem libri veteris exſpectabo: (nam omnes mei conſentiunt cum impreſſa lectione, uno excepto, in quo pro *furioſo*, *furiſe* legitur) interea placet relinquere, in quo aliorum exerceantur ingenia: ſententia quidem ſatis patet: ſed ipſa verba aut abundant, aut certe mendo non vacant: non enim hærere cum eo debent, *promiſſum facere*, ſed cum eo, *non reddere depoſitum*: nam libro quoque III. loquitur Cicero, non de promiſſo furioſo non faciendo, ſed de depoſito furioſo non reddendo: cum enim, exemplis aliquot adductis, ſatis probaſſe, pacta, & promiſſa non eſſe ſervanda, ſibi videretur: hæc ſubjunxit: *Ergo & promiſſa non facienda nonnumquam, neque ſemper depoſita reddenda ſunt: ſi gladium quis apud te ſanæ mentis depoſuerit, repetat inſaniens, reddere peccatum ſit, non reddere, officium*.

Ea migrare interdum, & non ſervare fit juſtum) *Migrare*, antique dixit, pro, *mutare*. Sic & in decem meis veteribus libris, & in uno Tertii, & in iis, quos primi olim impreſſores fideliter ex antiquis deſcriptos, nulla adhibita conjectura, ediderunt, legi animadverto. Hujus autem verbi vim primus olim Pater meus indicavit, in eo loco lib. III. de Fin. *Qui id conſervaret, eum juſtum, qui migraret, in-*

ju-

Digitized by Google

ſtum fore. Quod quia durius viſum ri ſuſpicabatur, confirmavit duobus xemplis: uno, lib. III. de Leg. *Quod quis earum rerum migraſſit, noxiæ ma par eſto*. Altero, lib. I. de Div. *Ve communia jura migrare videatur*: ſic nim legit ex antiquis libris, non, *mmuni jure*.

Ne cui noceatur) Noceretur enim ırioſo, ſi ei redderetur gladius deoſitus.

Communi utilitati ſerviatur) Nam, Phœbus Phaetonti promiſſum neaſſet, non tantum factum fuiſſet oris incendium. Vide Ovidium Mem. II.

Vt in fabulis eſt) Cicero de Natura eor. III. Vide Ovid. Metam. XV. Plurchum, Hyginum capite 47. & 250. irgil. lib. VII. & Pind. od. 3. Pyth. Plutarchum in Theſeo. Plato lib. I. de Leg. Και οταν γε ὁ πατηρ ων ιρων, η και σφοδρα νεανιας, μηδεν των αλων και των δικαιων γιγνωσκων, ευχηαι μαλα προθυμως ενταθημαση αδλφοις ων τοις γενομενοις Οιησει προς ον δυστυχως τελευτησαντα Ιππολυτον. Iο etiam quando pater, *ſive ſenex*, *ſive dmodum juvenis*, *cum nec honeſtorum*, *ec juſtorum quidquam cognoſcat*, *ſic affelus*, *ut Theſeus erga infelicem Hippolyum*, *impenſius imprecatur*.

Iratus) Quod ab ea Phædram congem de interitu appellatam crederet; um id a Phædra, quæ ſe ab Hippoyto rejectam iniquiſſime ferret, fitum crimen eſſet.

Nec promiſſa igitur ſervanda ſunt ea, *ue ſint iis*, *quibus promiſeris*, *inutilia*) Duo mei veteres libri: *nec promiſſa igiur ſervanda ſunt iis*, *quibus promiſeris*, *nutilia ſi ſint*.

In rem præſentem) In judicium. Vera Iuriſconſultorum.

Aut deceptus dolo) Decem mei veteres libri, & unus Tertii, *quæ deceptus dolo*; unus omittit *aut*, &, *quæ*. *Metu*: *Dolo*; De metu, Octavius; de dolo, Aquillius prætores leges primi tulerunt.

Calumnia quadam) Quæ fit vel falſa accuſatione, vel prava interpretatione ſcripti, aut legis.

Summum jus, *ſumma injuria*) Ex Terentii Heautontimorumeno; apud quem, ſummum jus, ſumma malitia; apud Columellam de Re Ruſt. *Summum jus*, *ſumma crux*. Iuriſconſulti appellant jus ſtrictum; Ariſtoteles, ακριβοδικαιον, id eſt, jus exactius, duriuſque.

Quo in genere & in rep. multa peccantur) Miror, hunc locum mendoſum a quibuſdam haberi. Mei omnes libri cum vulgatis conſentiunt; ſententia patet; &, quod aliis viſum eſt durius, unde orta eſt mutandi voluntas, id uſitatum eſſe, exemplis probemus. De Nat. Deor. I. *Empedocles multa peccans*. Pro Murena: *Non multa peccas*. Et paulo poſt: *Nihil peccare*. Tacitus quoque, *magna peccare*, dixit. Eſt enim, *multa*, pro, in multis rebus; ut: Non multa peccas; pro, non multis in rebus a te peccatur: Multa peccantur in repub. pro, Multis in rebus peccatur in rep. Sic enim converto; &, opinor, recte.

Noctu) Ephorus apud Strabonem Thracium commentum dicit adverſus Bœotos. Vide Proverbium: Θρακεια παρευρεσις. Cleomenes Lacedæmonius, cum Argivis ſeptem dierum inducias pactus, tertia nocte fidem fefellit. Plut. in Apophthegm. Laconicis.

Q. Fabium Labeonem, *ſeu quem alium*) Simile quid narrat Valerius lib. VII. cap. 4. qui ait, eum, cum regem Antiochum ſuperaſſet, ex fœdere iſto dimidiam partem navium accipere deberet, medias omnes ſecuiſſe, ut eum tota claſſe privaret.

Haud ſcio, *an ſatis ſit*) Id eſt, parum abeſt, quin exiſtimem, ſatis eſſe.

CAPVT XI.

VT & ipſe ne quid tale poſthac) Ex meis antiquis libris, unus habet, *audeat*; unus, *committat*; unus, *faciat*, & in ſpatio, quod verſus dirimit, explanandi cauſſa, *committat*; quatuor, *faciat*; unus pro *poſthac*, habet, *poſcat*; verbum ſcilicet addere voluit, qui verbo ſententiam carere cognoverat; ſex, & unus Tertii, *poſthac*, nullo adhibito verbo. Quæ varietas aperte declarat, quodcumque verbum addatur, ſive, *faciat*, ſive, *audeat*, ſive, *committat*, ut erat in pervulgatis, gloſſemata eſſe omnia; cum per ſe, ſine verbo, ſententia conſiſtat.

Digitized by Google

Cum ſint duo genera decertandi, &c.) Iſocrates: Πολλων, ait, κακων τῃ φυσει των ανθρωπων υπαρχοντων, αυτοι πλειω των αναγκαιων προσεξευρηκαμεν, πολεμους, και στασεις ημιν αυτοις εμποιησαντες. Id eſt: *Ad multa mala, quibus natura hominum obnoxia eſt, nos plura quoque neceſſariis cogitavimus, addentes bella, ſeditioneſque.*

Hoc belluarum) Imitatus forſan eſt Heſiodum I. de Re Ruſt. ibi.

Τον δε γαρ ανθρωποισι, &c.

Parta victoria) Auguſt. lib. I. de Civ. Dei negat, de Romanis vere dici:

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos;

Vt majores noſtri) Amplificandæ magis urbis gratia, ſi verum dicere velimus, quam humanitate adducti.

Tuſculanos, Aequos, Volſcos, Sabinos, Hernicos) Tuſculani donati civitate ſunt anno CCCLXXV. Lib. VI. Plut. in Camillo, Valer. lib. VII. cap. 3. Sabini Romanis juncti unam civitatem ex duabus fecerunt, & omnia ſua Romam tranſtulerunt. Liv. l. I. Dionyſius lib. II. Plutarch. in Romulo, Florus lib. I. cap. 1. Hernici a Q. Marcio in deditionem accepti, anno CDXLIX. Contra Aequos, Volſcoſque, ſæpe bellatum lego; nuſquam in civitatem receptos. Florus lib. I. pervicaciſſimos, & quotidianos hoſtes appellat.

Carthaginem, & Numantiam) Vtramque Scipio Æmilianus evertit. Oratione in Rullum. Pro Murena duos terrores imperii Romani nominat. Vide & de Senectute. Carthaginem æmulam Romani imperii dicit Livius.

Corinthum) Quam Mummius evertit; de quo vide lib. XI. elogium. Velleius, Plin. lib. XXXIV. cap. 2. epit. Liv. lib. LII. Oroſ. lib. IV. cap. 3. Eutropius lib. IV. cap. 3. Ea incenſa, nomen æri Corinthio inditum. Horatius *Bimarem*, id eſt, διθαλασσον dicit, in Iſthmo ſitam; qui hinc Ionio mari alluitur, inde Ægæo.

Secutos) In evertenda Corintho.

Opportunitatem loci) Græciæ compedes propter Iſthmum Philippus junior dixit. Plut. in Arato. Vel, quod Iſthmii Neptuni veſtibulum. Pind. Od. 13. Olymp. Vel, quia ſuperciliosa, Straboni. Vel, quod officina omnium artificum, & commune Europæ, Aſiæque emporium, Straboni, Thucydidi, Oroſio. Vel, quod oculus Græciæ, Ciceroni: Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria, Ionium, & Ægaeum quaſi ſpectacula oppoſita, Floro. Vel, quod αφνειος, Homero, id eſt dives.

Sed credo illos ſecutos opportunitatem loci maxime) Mei omnes veteres libri pro, *illos*, habent, *aliquos*, in quorum uno tamen, in ſpatio, quod verſus dirimit, legitur, *alias*, *Eos*. Vt videre liceat, unde varietas orta ſit. *Aliquos*, ſi placet, ſenſus erit: Ex iis, qui Corinthum evertendam cenſuerunt, alios alia ſpectaſſe, aliquos autem opportunitatem loci maxime. *Aliquid ſecutos*, video nonnullis placere: quod mihi multo minus placet, quam, *aliquos ſecutos*: nec tamen eorum judicio meum antepono: cum iis facit Tertii liber.

Paci, quæ nihil habitura ſit inſidiarum) Nam Plato inane eſſe pacis nomen in terris dicit. Inde Iſocrates: Νυν ου διαλυομεθα, αλλ' αναβαλλομεθα τους πολεμους, καιρον αναμενοντες καθ' ον ανηκεστον τι διαθησομεθ' αλληλους. Id eſt: *Nunc bella non componimus, ſed in id tempus differimus, dum alios alii extremis cladibus afficiamus.*

Si mihi obtemperatum eſſet) A Pompeio, & Cæſare: nam Cicero utrique pacis auctor fuit; crebro ad Cæſarem ſcribendo, Pompeium crebro rogando, & utrumque mitigando, & placando: quod Plutarchus ſcriptum reliquit. Id in multis quoque epiſtolis legimus.

Quæ nunc nulla eſt) Nam civilitatem animam eſſe civitatis, ſcripſit Iſocrates, ea ſi non eſt, civitas nulla eſt.

Quamvis murum aries percuſſerit) Συνεκδοχικως, ſpecies pro genere: id eſt, quamvis quiddam interceſſerit hoſtile. Arietem invenere prius Carthaginienſes, cum caſtellum apud Gades captum demoliri conati ſunt: ſignum manibus ſuſtentantes, murum verberabant. Tertullianus de Toga. Carthaginienſes ſui inventi admiratores dicit, novum, & extraneum fuiſſe ratos, cum Romani adverſus ſe uterentur.

Earum patroni eſſent) Vt Siculorum Mar-

Mar-

Digitized by Google

Marcelli, Allobrogum Fabii: id eſt, eos & in ſenatu, & in judiciis defenderent, eorumque curam haberent:

Fetiali jure) Fetiales, fœderum, pacis belli, indutiarum, oratorum judices ſunt: Cic. de Leg. lib. I. A Numa Pompilio inſtitutos, ſcribit Plut. in Numa. De iis idem Plut. in Camillo, & Probl. LXII. Dionyſ lib. 2. Agell. lib. XVI. cap. 4. Serv. in Æen. X. Varro Fetialem ait dici a Fide, & Faciendo. Dionyſius ait, eos dici poſſe εἰρηνοδίκας.

Rebus repetitis) Plin. lib. XXII cap. 2.

Denunciatum & indictum) Nempe legatis violatis, quod nomen apud omnes nationes ſanctum, inviolatumque ſemper fuiſſe, ſcribit Cæſar de bello Gal. lib. III. Vnde Corinthiis bellum illatum, ob legationis jus violatum: orat. pro lege Manilia, Aſconius, Strabo lib. IX. Tarentinis eadem cauſſa bellum illatum. Valerius Max. lib. XI. cap. 2. & epit. Liv. lib. XII. ubi etiam agitur de legatis Romanorum, violatis a Gallis Senonibus. Vide & Plinium lib. XXXIV. cap. 7. de legatis Romanis interfectis. Vel aliqua alia juſta de cauſſa.

Catonis filius) Hunc militaſſe cum Paullo Æmilio, auctor eſt Plutarchus in Catone cenſorio. Itaque recte legendum hic opinabatur Pater, non *Pompilius*, ſed *Paullus Æmilius*, qui Perſen, Macedoniæ regem, devicit: cum quo militaſſe Catonis filium, infra cognoſcitur; & ex Phil. VIII. in extremo.

Dimiſit) Miſſionum cauſſæ tres: Honeſta, tempore militiæ impleto, ut hic: Cauſſaria, aliquo vel animi, vel corporis vitio: Ignominioſa, propter delictum. Vide tit. de re militari in Pandectis.

Militiæ ſacramento) Cujus formulam vide apud Agellium lib. XVI. cap. 4. & Liv. lib. XI. *Victor . . . revertar ex acie: ſi fallat, Iovem patrem, Gradivumque Martem, alioſque iratus invocat deos.*

Adeo ſumma erat obſervatio in bello movendo) Mei omnes libri cum impreſſa lectione faciunt. Octavius tamen Pantagathus legendum putabat, *adeo ſancta erat obſervatio in bello.*

Marci quidem Catonis ſenis eſt epiſtola) Exſtat apud Agellium. Plut. in Catone:

Bello Perſico) Cum Perſe Philippi filio, ultimo Macedonum rege, geſto; non cum Perſis. Itaque ſunt, qui legunt, *bello Perſeo*: contra veteres tamen libri.

Quem nunc peregrinum dicimus) Hoſtis enim, id eſt, peregrinus, antiquitus dicebatur, qui in urbe acceptus æqualis erat civibus: inde verbum *hoſtire*, pro æquare, & Hoſtimentum, apud Plautum *Aſinaria*, pro compenſatione; & Hoſtorium, inſtrumentum, quo menſura, ne quid deſit, aut ſuperſit, æquatur. Inde Ennius Achille, apud Nonium: *Servi Cives: defende hoſtes, cum potes defendere.*

CAPVT XII.

Status dies) Id eſt, conſtitutus. Sic & in legibus XII. Tabularum, apud Cic. de Legibus. Macr. lib. Satur. cap. 14. Agell. lib. XX. cap. 1.

Adverſus hoſtem) Id eſt, ut ne peregrinus civis Romani bona quantumvis diuturno uſu acquirere, & uſucapere poſſit: ſed jus dominii integrum, & inviolatum perpetuo maneat.

Æterna auctoritas) Id eſt, vindicandi poteſtas.

Iuſtas cauſſas bellorum) Vnam, pro patria: alteram, propter fines propagandos. Eas enim recenſet Demoſthenes Olynth. Ἴσασι γὰρ ὅτι νῦν οὐχ ὑπὲρ δόξης, οὐδὲ μέρους χώρας πολεμοῦσιν ἀλλ' ὑπὲρ ἀναστάσεως, καὶ ἀνδραποδισμοῦ τῆς πατρίδος. *Etenim ſciunt, quod nunc non pro gloria, nec pro parte regionis bellum gerunt, ſed pro everſione patriæ, ejuſque redactione in ſervitutem.*

Cum civiliter contendimus) Ita omnino legendum: itaque duodecim mei veteres libri, & unus Tertii: alius, Cive: aliter alius. Civibus: male. Mutationis originem videre licet in uno meo, in quo, ſupra Civiliter, adſcriptum eſt, id eſt, cum cive: ab eo, qui explanare voluit, Civiliter.

Aliter, aliter) In foro, ad judices, inimicum accuſamus: in campo Martio, populi comitiis, cum competitore.

Certamen honoris & dignitatis) Si citra injuriam fiat: quod ait Heſiodus in Ergis, ibi:

Digitized by Google

Ουκ αρα μονον εν εριδων γενος, &c. *Non quidem unum eſt contentionum genus.*

Si eſt inimicus) Hinc Iſocrates: Εξεſι τοις εχθροις επιδειξαι ταις αλληλων αμαρτιαις. *Licet inimicis invicem peccata ſibi objicere.*

Celtiberis) Quorum urbs prima Numantia: contra eos acerrima bella geſſerunt populi R. nomine Cato Cenſorius, Ti. Gracchus, C. Metellus Macedonicus, T. Didius, Fulvius Flaccus.

Cimbris) A C. Mario, V. conſule, devictis, anno DCLII. De quo elogium adſcribere placet, quod in antiquo lapide legitur:

C. Marius. Pr. Tr. pl. Q. AVGVR. τR. MIL. EXτRA Sortem. Bellum. cum. IVGVRτHA. REGE. NVMID. Geſſit. Eum. cepit. et. τRIVMPHANS. IN Iovis. Aedem. Secundo. Conſulatu. ANτE. CVRRVM. SVVM
Duci. juſſit. Tertium. CONSVL. APSENS. CREAτVS eſt. Quartum. Conſul. τeut ( ) NORVM. EXERCIτVM Delevit. Quinctum. conſul. CIMBROS. FVGAVIτ. EX. IEIS. Eτ
τeutoneis. iterum. TriumpHAVIτ. REMP. TVRBATAM Seditionibus. Tr. Pl. et. Prætor. vi. qui. armati Capitolium. occupaverant. Sextum. conſul. vindicavit poſt. LXX. annum. patria. per. arma. civilia. pulſus. armis. reſtitutus. Conſul. Septimum. factus. eſt. de. manubieis. Cimbriceis. et. Teutoniceis. Aedem. Honori. et. Virtuti. fecit. veſte. triumphali. calceis. puniceis.

Vide Plut. in Mario, & Sertorio, Florum lib. III. cap. 3. epit. Liv. lib. LXVII. & LXIIX. Appianum in Celtico, Oroſ. lib. V. cap. 16. Eutropium lib. V. cap. I.

Pœni fœdifragi) Ter fidem fregerunt Pœni. Inde Val. Max. lib. VII. cap. 4. *Terrarum orbe infamis Punica calliditas.* Livius: *Fides Punica religione.* Et: *Inhumana crudelitas, perfidia pluſquam Punica, nihil veri, nihil ſancti, nullius dei metus, nullum jusjurandum, nulla religio.* Iulius Capitolinus: *Fides Punica.* Auſonius: *Pœnam fidem*, & *Græcam* nominat, ad Paullum. Salluſtius quoque Iugurtha: *Punica fides.* Plautus: *Nemo me Pœnus Pœnior.* Et Pœnulo: *Pœnus plane eſt, quid verbis opu'ſt?*

Crudelis Hannibal) Ob conditiones Saguntinis datas

Delctitis) Tertia producta: quæ corripitur in præteritis. Virg. VI. Æn.

Egerimus noſti, &c.

Vbi Servius: Egerimus: Metri cauſſa corripuit.

Cauponantes bellum) Æſchylus Επτα επι Θηβαις, unde Cicero ſumpſit Καπηλευειν μαχην.

Vitam cernamus) Id eſt, de vita dimicemus.

Vtrique) *Vterque*, eſt in uno meo vetere libro, & in Servio, qui hunc Ennii verſum recitat Æn. XII.

Vos ne velit, an me &) Sic Virgil. Æn. XI.

Vixet, cui vitam deus, aut ſua dextra dediſſet.

Vbi Servius: *Duplici ratione conſtat victoria: aut virtute, aut voluntate fortunæ.*

Hera) Id eſt, dea. Sic Catullus de Berecynthia, & Atti:

Procul a mea tuus ſit furor omnis hera domo.

Idem ad Manlium, LXIII.

Hoſtia celeſtes pacificaſſet heros.

Id eſt, deos. Eos autem dicit Euripides τους ουρανιους μακαρας. Ex meis veteribus libris, quinque, pro *Hera*, habent, Fortuna domina: in duobus, ſupra *Hera*, adſcriptum eſt, id eſt, fortuna: in uno; ſupra, *Hera*, adſcriptum, id eſt, domina. Vt ex iis quoque interpretationem petere liceat.

Libertati parcere certum eſt) Id eſt, eorum libertati decrevi parcere.

Dono: ducite) Dono, inquit, vobis captivos: ducite eos vobiſcum. Ita hunc locum diſtinguendum eſſe, ſententia ipſa contendit.

Æacidarum genere) Quos Pindarus celebrat, Iſocrateſque ait neminem eos ſuperaſſe generis nobilitate: procreatos nempe a Iove inter ſemideos. Æacum enim Iuppiter genuit, Æacus Peleum Achillis patrem, Achilles ex Deidamia Neoptolemum, cui Pyrrho quoque nomen fuit. Tharitas deinde, longo intervallo, (nam nomina periere) Alceten, Alcetes Arymban, Arymbas Æaciden, Æacides Pyrrhum hunc, regem Epirotarum

rum. Veteres omnes libri, *Gente*.

CAPVT XIII.

F*Ides ſervanda*) Sic libri duo mei: unus, *obſervanda*: undecim, & unus Tertii, *conſervanda*.

Ad ſupplicium redire maluit). Quod graviſſimum tulit inſomnia necatus. Silius lib. VI. epit. Liv. lib. XVIII. Florus lib. II. cap. 2. de Vir. Ill. cap. 40. Val. lib. I. cap. 1. & lib. II. cap. 4. Agell. lib. VI. cap. 4. Eutrop. lib. II. cap. 3. Oroſ. lib. VIII. cap. 4. Vide & Caſt. lib. V. cap. 13. Aug. de civ. D. lib. I. cap. 15. & 24. Cic. Parad. II. & in Piſonem Horat. Carm. lib. III. od. 5. Senecam de Providentia, & Epiſt. lib. XVI. ep. 99.

Fidem hoſti datam fallere) Lib. III. *Eſt etiam jus bellicum, fideſque jurisjurandi ſæpe cum hoſte ſervanda*. Philip. XIII. *Fallere*, & *deſerere fidem*, dixit. Poſt verbum, *fallere*, in quibuſdam libris leguntur ſequentia, quæ ſunt & in duobus meis veteribus, *Secundo autem Punico bello* uſque ad illa: *interitum cum ſcelere approbavit*. Hæc ſunt, ut dixi, in duobus libris meis, & in quibuſdam impreſſis. Sequitur, *Ac de ell.* &c.

Fortuna ſervorum) De ſervis vide, quæ ſcripta ſunt apud Ariſt. VIII. Polit. Macr. Sat. lib. I. cap. 11. Senecam Epiſt. lib. VI. ep. 3. Cic. Parad. V. Vide & Adagia.

Mercenariis) Græci dicunt θητας.

Ad operam exigendam, & juſta præbenda) Id eſt, ut ab iis opera quidem exigatur, juſta tamen æque præbeantur, ut mercenariis.

Fraus quaſi vulpeculæ, vis leonis videtur) Huc ſpectat illud Lyſandri dictum: Οποι αν ἡ λεοντη μη εξικνηται, την αλωπεκην χρη μεταλαμβανειν. Id eſt: *Quo Leonina pellis penetrare nequit, vulpina aſſumenda*.

Capitalior) Vel quod caput, & vitam petat: vel pœna capitis magis digna.

Eorum, qui &c.) Peccant enim & contra juſtitiam, & contra veritatem. Plato lib. II. de Rep. Εσχατη γαρ αδικια, δοκειν δικαιον ειναι, μη οντα. *Ultima injuſtitia videri juſtum, ubi non ſis*. Contra autem dixit Salluſtius, Catilina: *Eſſe, quam videri, bonus malebat*: in quo imitatus erat Æſchylum Επτα επι Θηβαις.

Ου γαρ δοκειν αριστος, αλλ' ειναι θελει. Non enim vult videri optimus, ſed eſſe.

CAPVT XIV.

D*E Beneficentia, ac liberalitate*) Supra: Iuſtitia, &c. & huic conjuncta Beneficentia, quam eamdem vel Benignitatem, vel Liberalitatem appellare licet.

Nihil eſt naturæ hominis accommodatius) Hoc enim eſt humanitatis proprium, quam hominis eſſe, vel nomen ipſum indicat, nempe φιλανθρωπια.

Habet multas cautiones) Cicero tres enumerat; quæ tamen ſi ſubdividantur, plures emergunt.

Ne obſit benignitas) Seneca de Beneficiis lib. II. cap. 14.

Ne major benignitas ſit) Exhaurietur enim fons liberalitatis.

Id enim eſt juſtitiæ fundamentum) Supra dixit, *fidem eſſe fundamentum juſtitiæ*, hic, Liberalitatem. Vere: nam juſtitia non poteſt eſſe ſine fide, neque liberalitas ſine juſtitia.

Quod obſit illi) Hinc inimicorum dona: αδωρα δωρα, *pernicioſa dona*.

Cui prodeſſe velle videantur) Vel ob auram popularem, vel quod majorem remunerationem ſpectent. Iſocrates: Τεχνικως πωλουντες ἁ δωρουνται, και ου δοσιν, αλλ' εμποριαν ποιουμενοι. *Artificioſa verſantes, quæ donant, atque non munus, ſed negotiationem facientes*.

Pernicioſi aſſentatores) Ita ſex mei veteres libri, & unus Tertii: octo, *pernicioſi, & aſſentatores*.

Qui aliis nocent, ut in alios liberales ſint) Proverb. *De alieno liberalis*.

Vt ſi in ſuam rem aliena convertunt) Cum enim dando egere cœperunt, alienis bonis manus afferre coguntur: lib. II.

Sunt autem multi) Qualis Catilina, ſui profuſus, alieni rapax.

Abeſt ab officio) Abeſt *Ab*, a ſeptem meis veteribus libris, & uno Tertii, & vetere impreſſo. In eorum uno: Ab officio: & ſupra eſt adſcriptum, & additum, *Diſtat*, deletumque alterum Ab. Ex quo fortaſſe mendi origo patet.

L. Sub-

L. Sulla) Sullæ proſcriptionem deſignat. Plutarch. in vita. App. lib. I. Bel. ci. epit. Liv. lib. IX. de Vir. Ill. cap. 75. Valer. lib. IX. de Crudelitate, Oroſius lib. V. cap. 21. Eutrop. lib. V. De ea & Plin. lib. VII. cap. 43. Seneca lib. III. de Ira, & decl. 1. Lucanus lib. II. & D. Aug. de Civ. Dei, lib. III. cap. 28. Ipſe Cicero infra, lib. II.

C. Cæſaris) Curionem ære alieno levavit. Suetonius de ejus rapacitate plura dicit. Vide & Catullum. Seneca de Conſol. cap. 9. *C. Cæſar, quem mihi videtur natura rerum edidiſſe, ut oſtenderet, quid ſumma vitia in ſumma fortuna poſſent, centies ſeſtertium cœnavit uno die: & in hoc omnium adjutus ingenio, vix tamen invenit, quomodo trium provinciarum tributum una cœna fieret.* Summa autem efficit (incredibile dictu) trecenta ſcutatorum millia.

Juſtis dominis) Qui opes illas vel a majoribus acceperunt, vel propria induſtria ſibi peperere.

Benigniores, quam res patitur. Monemur, de ſorte, & ſumma nihil decedere oportere: de reditibus, & proventibus liberales eſſe nos poſſe.

In proximos) Parentes, liberos, uxores.

Suppeditari) Mimographus:

Avarus, niſi cum moritur, recte nihil facit.

Relinqui) Hereditario jure.

Ineſt autem &c.) Hoc pro *deinde* ſubjunxit: quia dixerat, *primum in eo peccant.*

Quæ ab oſtentatione) Ut Appius Pulcher, qui ſua ambitione Ciliciam exhauſerat. Agellius locum ex Lælio exponens: *Beneficum*, ait, *& liberalem Cicero appellat, ita ut philoſophi appellandum cenſent, non eum, qui beneficia feneratur, ſed qui benigne facit, nulla tacita ratione ad utilitates ſuas redundante.* Ariſtoteles: Ὁ ἐλευθέριος δώσει τοῦ καλοῦ ἕνεκα, καὶ ὀρθῶς, οἷς δεῖ, καὶ ὅσα, καὶ ὅτε, καὶ ἡδέως, καὶ ἀλύπως. Id eſt: *Liberalis dabit honeſti cauſſa, & recte, quibus, & quantum oportet: idque faciet libenter, & abſque moleſtia.*

Simulatio) Proprio utitur vocabulo, quod odium in ſe contineat.

Delectus dignitatis) Id eſt, ut dignior indigniori anteponatur.

CAPUT XV.

In *quo* &c.) Quatuor Cicero enumerat, Mores, Amicitiam, Cognationem, & Gratitudinem.

Omnia) Quæ ſpectanda propoſuit in liberalitate.

Pleneque ſapientibus) Quaſi dicat: cum iis agitur, in quibus ne ſimulacra quidem ſunt virtutis, nedum ipſa virtus.

In quibus, præclare agitur, ſi ſint ſimulacra virtutis) Sic tres mei veteres libri, & unus Tertii, undecim, *in quibus præclare non agitur, ſed ſunt ſimulacra virtutis.* Utro modo legas, ſenſus conſtat. *Simulacra virtutis*: εἴδωλα. ideo, iis qui præditi ſunt, non virtuoſi, ſed virtuoſorum εἴδωλα quædam ſunt.

Ferventior) Itaque tunc fortitudo non eſt virtus: accedit enim ad temeritatem. Sic Plancus ad Ciceronem, Fam. lib. X. ep. 23. *Ferventes latrones* dixit: id eſt, incitatos. Ubi tamen quidam libri veteres habent, *frementibus*. Græci θερμοὺς dicunt.

Bonum virum videntur potius attingere) Ad bonum virum videntur potius pertinere. Sic locutus de Finibus: *Cum proceſſiſſet paululum, & quatenus quodque ſe attingat, perſpicere cupit.*

Adoleſcentulorum more) Quos Terentius ait impenſe cupere, conſulere parum, eſſeque levi ſententia. Ariſtoteles Rhet. II. Οἱ νέοι εὐμετάβολοι, καὶ ἁψίκοροι πρὸς τὰς ἐπιθυμίας, καὶ σφόδρα μὲν ἐπιθυμοῦσι, ταχὺ δὲ παύονται· ὀξεῖαι γὰρ αἱ βουλήσεις, καὶ οὐ μεγάλαι, ὥσπερ αἱ τῶν καμνόντων δίψαι, καὶ πεῖναι. *Adoleſcentuli facile mutabiles, ac faſtidioſi circa cupiditates; & quod vehementer concupiſcunt, cito relinquunt; præpropere enim ſunt eorum ſententiæ, nec graves quemadmodum & ſitis, & fames fatigatorum.* Vide & in Lælio.

Ardore quodam amoris) Nam hujuſmodi ardore facile amor incenditur, & deflagrat, ut ignis e ſtipula. Atqui diligendi leviſſimæ cauſſæ ſunt adoleſcentulis, compotatio, ludus, deambulatio; leviſſimæ item offenſarum, verbum paullo aſperius dictum.

Stabilitate, & conſtantia) Quæ non poteſt eſſe, niſi in recto judicio, & judicium maturiorem ætatem requirit.

Jam-

Digitized by Google

Inenda) Conciliand a. Seneca autem referendæ, reddendæ gratiæ differentiam hanc ponit: ut referant, qui ultro, quod debent, afferunt: reddant, qui repoſcunt; qui inviti, ubilibet, vel etiam per alium reddant.

Nullum enim officium referendæ gratia magis neceſſarium eſt) Fatentur hoc omnes: pauci factis exprimunt. Iſocratis hæc ſunt: Οιμαι σε ουκ αγνοειν, ον τροπον οι θεοι τα των ανθρωπων διοικουσιν. ου γαρ αυτοχειρες, ουτε μετα των αγαθων, ουτε των κακων γινονται των συντονθων αυτοις. αλλ' εκαστοις τοιαυτην εννοιαν εμποιουσιν, ωστε δε αλληλων ημιν εκατερα παραγινεσθαι τουτων. Id eſt: *Puto te non ignorare, quomodo dei humana adminiſtrent; non enim ipſi coram, vel proſperis, vel adverſis rebus, ſe conſpiciendos hominibus prebent, aut manibus contrectandos, ſed eam mentem dant ſingulis, ut vel cladibus ultro citroque ſeſe afficiant, vel communes utilitates in medium afferant, mutatione officiorum.*

Majore menſura) Hoc idem vide expreſſum concinne in proemio libri de Claris Orat. Seneca ingratum eum dicit, qui beneficium reddit ſine uſura.

Heſiodus) In lib. Εργα, και ημεραις cujus hi ſunt verſus:

Ευ μεν μετρεισθαι παρα γειτονος ευ δε αποδουναι,
Αυτῳ τῳ μετρῳ, και λωιον αικε δυνηαι. Recta quidem menſura a vicino mutuum accipe, rectaque redde,
Eadem menſura, & amplius ſiquidem poſſis.

An imitari) Sic omnes veteres libri.

Afferunt) Sic octo libri veteres mei; quatuor, & unus Tertii, *efferunt*: non male: duo, *offerunt*, male. Gratum animum, in oratione pro Cn. Plancio, ait non ſolum virtutum maximam, ſed etiam matrem omnium reliquarum. Ingratos vero Xenophon ita perſequitur: Οι Περσαι οιονται τους αχαριστους και περι θεους αν μαλιστ' αμελως εχειν, και περι γονεας, και πατριδα, και φιλους. Επεσθαι δοκει μαλιστα τῃ αχαριστια η αναισχυντια. και γαρ αυτη μεγιστη δοκει ειναι επι παντα τα αισχρα ηγεμων. Id eſt: *Perſæ Ingratos cenſent etiam deorum immortalium, & parentum, & patriæ, & amicorum eſſe maxime negligentes; atque etiam impudentia cum primis animi ingrati comes, atque aſſecla eſſe videtur, dux, atque auctor omnis turpitudinis.*

Duo genera) Vtrumque ſolius ſapientis. Seneca.

Si modo id facere poſſit ſine injuria) Reddere enim beneficium ita debet, ne quid injuriæ committat.

Delectus habendi) Certus ſcilicet modus ſervandus.

Quo quiſque animo, ſtudio, benevolentia fecerit) Iſocrates ad Demonicum: Μη δε τας χαριτας αχαριστως χαριζομενος, ωσπερ πασχουσιν οι πολλοι ποιουντες μεν αηδως δε τοις φιλοις υπουργουντες. Quibus hæc reſpondere videntur: *Ne ipſi quidem Gratiis citra gratiam feceris gratum: id quod non parum multi ſane faciunt, injucunde amicis ſervientes.* Homerus quoque:

Χαριτων γαρ θυμος αριστος. *Gratiarum quidem animus benevolentiſſimus. Studio*: alacritate. αν προθυμως, αν αυτεπαγγελτος, και μη αηδως χαριζηται: *Alacri animo, ſponte, nec illibenter donare oportet*, ait Iſocrates.

Modo) Duo mei veteres libri, & unus Tertii, *Morbo*; ut alludatur ad illud Poetæ Græci:

Νοσον εχεις; χαιρεις διδους: *Morbo laboras: gaudes, ubi donas.*

Vel repentino quodam, quaſi vento, impetu animi incitati) Sunt, qui legant, vel diſtinguant potius: *Vel repentino, quodam quaſi vento, impetu animi incitati.*

Conſtanter) Vt non pœniteat.

Si cetera paria ſunt) *Sint*, quatuor mei veteres libri.

Si cetera paria ſunt) Inter eos ſcilicet, quibus benefaciendum eſt. *Paris*: id eſt, ſi par ſit amicitia, virtus, neceſſitudo, officia ante collata: ſi nulla ex cauſſis, concurrentibus ceteris, plus ponderis habeat.

Etiam ſi ille his non eget) Sic undecim mei veteres libri, & unus Tertii: duo, *etiam ſi ille his non egeat*; unus, *etiam ſi ille non egeat*. Vt fortaſſe illud, *his*, prius ſcriptum fuerit, *is*, & fuerit gloſſema ad *το ille*.

Inſerviunt) Quæ mercatura potius, quam liberalitas, appellanda.

CAPVT XVI.

Societas hominum, conjunctioque) Hæc eadem conjungit ſupra.

Ratio, & oratio) Vtrumque λογος. λογῳ enim omnino homo a brutis differt. Plato in Epitaphio, & Ariſtoteles Polit. I.

Docendo, diſcendo) Hominis proprium eſt docere, ac diſcere: doctrinam enim mens docentis effundit, diſciplinam mens diſcentis haurit; patres autem liberos docent, dominus familiam, magiſter diſcipulos, vir prudens imperitos.

Communicando) Impartiendo neceſſaria, vel conſilia conferendo.

Diſceptando) Accuſando, defendendo; quæ ſequitur Iudicare.

Fortitudinem) Si vires, & animum ſpectemus; quæ tamen fortitudo proprie non eſt, rationis expers, & prudentiæ.

Amicorum omnia eſſe communia) Ariſt. Pol. II. Δι' αρετην δ' εςαι προς το χρησθαι κατα την παροιμιαν. Κοινα τα φιλων. Vndecim mei libri, unus Tertii, *amicorum eſſe communia omnia.* Tres, *amicorum eſſe omnia communia.*

Generis ejuſdem) *Ejus*, emendavi, ex veteribus libris decem, & uno Tertii; in uno, *Hujus*.

Transferri per multas poteſt) Ita unus meus liber: unus, *in multas partes poteſt* unus, *in multa poteſt:* quinque, *in multas poteſt:* ſex, & unus Tertii, *in permultas poteſt.*

Vt homo, &c.) Abeſt, *ut* a ſex antiquis libris, & ſane recte abeſt, verſu etiam non ſolum permittente, ſed etiam ſuadente.

Erranti monſtrat viam) Lib. III. Quid eſt aliud, erranti viam non monſtrare, &c.

Comiter) Hoc ipſum attingit in oratione pro Balbo.

Nihilominus ut ipſi luceat) Sic quatuor libri mei: duo, & Tertii, *nihilominus ipſi luceat.*

Aqua profluente) Sic Petrus Nannius ex antiquis libris emendavit, quo ego natus ſum anno; quem alii poſtea ſunt ſecuti: melius, quam, ut antea, *aquam profluentem.* Sic & liber Tertii.

Vulgaris liberalitas) Quæ omnibus impertitur.

CAPVT XVII.

Ab illa diſcedatur infinita) Societate, qua omnibus omnes ratione, & oratione conjunguntur. Sic eſt in decem meis libris, & uno Tertii.

Linguæ, qua maxime homines conjunguntur) Nam Sermo eſt inſtrumentum ſocietatis.

Interius) Alii, *interior*; cum quibus duo mei faciunt: utrumque recte; ſed illud majorem conſenſum librorum habet.

Nam cum ſit hoc natura commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi: prima ſocietas in ipſo eſt conjugio, &c.) Ex Ariſt. I. Pol. Αναγκη δε πρωτον συν δυαζεσθαι τους ανευ αλληλων μη δυναμενους ειναι, οιον θηλυ μεν και αρρεν, της γενεσεως ενεκεν. *Neceſſitas autem, primum ut non poſſunt a ſe invicem ſeparari, quemadmodum mas & femina, cauſa generationis.* &c. Et Œcon. I. Κοινωνια γαρ φυσει τω θηλει, και τω αρρεν μαλιςα εςιν. *Communio autem inter feminam, & marem naturæ maxime intercedit.*

Communia omnia) Charondas, ομοσιπυους appellat, i.e. eadem ara utentes: vel ομοσιτους, i.e. convictores; Epimenides, ομοκαπυους, i.e. eodem præſepi communicantes: vel ομοκαπνους, i.e. eodem fumo utentes.

Id autem eſt principium urbis, & quaſi ſeminarium reip.) Vrbs enim ex domibus, reſp. e civibus conſtat.

Conſobrinorum, ſobrinorumque) Prolis propagationem intelligit.

In alias domos, tamquam in colonias, exeunt) Ariſtot. Pol. I. Μαλιςα δε κατα φυσιν εοικεν ἡ κωμη αποικια οικιας ειναι, ους καλουσι τινες ὁμογαλακτας, παιδας τε, και παιδων παιδας. *Maxime vero videtur eſſe naturæ conſentanea vicinitas, veluti domus Colonia, quos nonnulli collactaneos appellant, & filios & filiorum filios.* Et paulo infra: Ως γε και αι αποικιαι δια την συγγενειαν. *Ergo & Coloniæ propter cognationem.* Et Plato VI. de Leg. Οιον εις αποικιαν αφικνουμενους αυτους. *Quaſi eos in Coloniam profectos.*

Monumenta majorum) Dicta, quod nos alicujus rei commoneant. Græci, μνημεια appellant. Nempe, ſtatuas, tropæa, & majorum imagines, quæ poſteros virtutis avitæ admoneant. Vide,

de, quæ de imaginibus majorum diximus ad Salluſtium. Cicero in Bruto: *Ipſæ familiæ ſua quaſi ornamenta, & monumenta ſervabant, & ad uſum, ſi quis ejuſdem generis occidiſſet, & ad memoriam laudum domeſticarum, & ad illuſtrandam nobilitatem ſuam.*

Eiſdem uti ſacris) Erant enim & publica civitatis, & privata cujuſque familiæ ſacra, quæ tradebantur heredibus. Sacra enim ex Feſto, aut domeſtica ſunt, aut peregrina, aut publica, aut privata. De privatis legitur in lege XII. tabularum, apud Cic. de Leg. II. Sacrorum ſocietatem nominat & Plinius in Panegyrico. Vide & in Adagiis, *ſine ſacris hereditas.* Vel, *ſacris*: id eſt, res opulentiſſima; ſic ſæpe apud Plautum.

Sepulcra habere communia) De ſepulcris, varioque ſepeliendi ritu conſulendum cenſeo Lilium Gregorium Gyraldum, qui totam hanc materiem doctiſſime tractavit.

Sed omnium ſocietatem, &c.) Vide dialogum de Amicitia.

Copulantius) Ita legendum; itaque Pater ante plures annos in noſtris libris edi juſſit; itaque eſt in uno meo.

Id, quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit) Sic legit Nonius hunc locum, & interpretatur, Vltimus, i. primus; citatque Virgilium,

Tu ſanguinis ultimus auctor.

Livius quoque lib. I. Tarquinius, *maledicta ab ultima ſtirpe orſus*. Cornelius Nepos in Attici vita *ſtirpem ultimam* dixit. Cicero de Fin. III. *Summum bonum, quod ultimum appellant, in animo ponere.* Et V. *Homini id eſt in bonis ultimum, ſecundam naturam vivere.* Unus ex meis libris: *id, quod Pythagoras juſſit in amicitia*. Male, ſed unde tamen (ex varietate) elicitur vera lectio. Hoc autem alii tradiderunt; nam Pythagoras nihil ſcripſit.

Vt unus fiat ex pluribus) Ariſtoteles φιλον, definit, μιαν ψυχην δυο σωμασιν ενοικουσαν: id eſt, *unam animam in duobus corporibus habens.*

Mutua) Id eſt, ne alter tantummodo det, alter accipiat.

Patria una) Cujus amorem omnibus rebus præferendum eſſe, omnes fatentur; de qua Horatius:

Dulce, & decorum eſt, pro patria mori.

Sophocles quoque in Antigona navi patriam comparat, qua incolumi, fractaque, ſalvi ſunt, periclitanturque navigantes:

Τουτο γιγνωσκων, ὅτι
Ἡ δ᾽ ἐστιν ἡ σωζουσα, και ταυτης επι
Πλεοντες ορθης τους φιλους ποιουμεθα.

Hoc nempe cognoſcens (patriam) Eſſe hanc, quæ ſervat (omnes), cumque in hac Navigamus ſalva, amicos (recte) facimus.

Si ei ſit profuturus) Vt Decii, Codrus, & alii.

Qui lacerarunt omni ſcelere patriam) Cum dixit, Lacerarunt, Cæſarem jam mortuum notat: cum vero ſubjungit, In ea funditus delenda occupati & ſunt, & fuerunt, M. Antonium carpit, qui poſt obitum Cæſaris, conſul cum eſſet, omnem ſuam poteſtatem ad opprimendam rurſus libertatem contulit: quod ei denique, facta cum Octavio, & Lepido conſpiratione, ſucceſſit.

Patria, & Parentes) Vide in Lælio, & Auguſtinum de Doctrina Chriſtiana. Has autem virtutes Iſocrates in Evagora oſtendit, & Ioſephus in David. Antiquit. Iud. libro 7. circa finem.

Communis fortuna) In rebus ſecundis, adverſiſque.

Interdum objurgationes) Proverbium: *Amicorum eſt mutuo admonere*. Cujuſmodi eſt apud Terentium Demea, & Micio.

CAPVT XVIII.

QVi *& temporum*) Habendæ temporis ratio interdum major eſt, quam neceſſitudinis.

Vicinum citius adjuveris) Terentius Vicinitatem propinquam amicitiæ partem exiſtimat. Heſiodus quoque in Ergis, commoditates boni vicini enumerans, ait, ſi ipſius opera opus quis habeat, abjectis propriis negotiis, ei incunctanter eum affuturum:

Ει γαρ τοι και χρημ᾽ εγχωριον αλλο γενηται
Γειτονες αζωστοι εκιον, ζωσαντο δε πηοι.

Si enim res aliqua fortuito eveniat:
Vicini diſcincti accurrunt, cinguntur autem cognati.

Si lis in judicio ſit) Archidemides cognatum Lacheten advocatum ſibi re-

Digitized by Google

rogat, apud Terentium Eunucho.

Boni ratiocinatores) Arithmetici, qui officiorum datorum, acceptorumque inire rectam rationem poſſint.

Deducendoque) Deminuendo; ſic ad Att. *Detrahere de ſumma* dixit: & pro Rabirio: *deceſſionem de ſumma fecere.*

Sed, ut nec medici, nec imperatores, nec oratores &c.) Ariſt. Pol. lib. I. cap. 7. Παντα δε τοιαυτα την μεν θεωριαν ελευθερον εχει, την δε εμπειριαν αναγκαιαν: *Omnia autem hujuſmodi contemplationem habent liberam, peritiam vero neceſſariam.* Oratorem autem videtur imperatori anteponere in proœmio lib. I. de Oratore.

Animo magno, elatoque) Fortitudinis deſcriptio, & laus. *Magno:* magnas res appetente. *Elato:* non humili, & abjecto, ſed alte ſpectanti; nam Elatum in bonam partem accipiendum eſt.

Humanaſque res deſpiciente) Fortuitas, & externas, fortunæque ludibria.

In probris maxime in promtu eſt) Imitatus Ciceronem Plutarchus in lib. de pueris educandis: Ὀνειδη προχειρα τοις ελεγχειν, και λοιδορεισθαι βουλομενοις, &c. *Probra in promtu ſunt injuriam, atque contumeliam facere cogitantibus.*

Animum geritis muliebrem) Sic locutus Parad. I. *Gere animum laude dignum.*

Salmaci da ſpolia) Feminæ nomen viro tribuit, probri cauſſa. Strabo lib. XIV. Και η Σαλμακις κρηνη διαβεβλημενη ουκ οιδ᾽ οποθεν, ως μαλακιζουσα τους πινοντας απ᾽ αυτης. *Salmacis fons neſcio cur traductus ſit, quod ex ipſo bibentes molles efficeret.* Sunt, qui legant, *Salmacida*. Vide & Lutatium in Ovidii Metam. IV. Hos autem verſus alii putant Ennii eſſe, Ego inſculptos ſtatuæ equeſtri fuiſſe puto; quod ex Seneca mihi videor poſſe elicere; cujus hæc ſunt in libro de Conſolatione: *Equeſtri inſidens ſtatuæ in Sacra via celeberrimo loco Clœlia, exprobrat juvenibus noſtris pulvinum adſcendentibus, in ea illos urbe ſic ingredi, in qua etiam feminas equo donavimus.* De ſtatua autem Plin. lib. XXXIV. cap. 6. videndus Livius lib. II. Dionyſ. lib. V. Plutarchus in Poblicola, & de clar. mul. cap. 14. Eutrop. lib. I. Valer. lib. III. cap. 2. de vir. ill. cap. 13. Florus lib. I. cap. 10. & Virg. lib. VIII. & Silius lib. X.

Rhetorum campus) Rhetorum campi, poetarum ſylvæ.

Marathone, &c.) Victores, Miltiades, Themiſtocles, Ariſtides, Leonidas, Epaminondas. In hiſtoriis autem his deſcribendis, quæ alii collegerunt, non gravabor adſcribere *Marathone*; non tam propter Marathonium Taurum a Theſeo ibi confectum, de quo Plut. in Theſeo, Strabo lib. IX. Pauſanias in Att. Ovidius lib. VIII. quam propter inſignem Miltiadis contra Perſas in Marathonis, civitatis Atticæ, campo victoriam: in qua Herod. lib. VIII. ex Perſis ſex millia trecenta, ex Athenienſibus centum tantummodo, & nonaginta duos cecidiſſe ſcribit. Iuſtinus lib. II. vero memorat, Athenienſes decem millibus civium, & mille Platæenſibus auxiliariis adverſus ſexcenta millia hoſtium in campos Marathonios egreſſos fuiſſe. Quod quidem Miltiadis tropæum Themiſtocli, æmulationis ardore concitato, ſomnum adimebat, auctoribus Valerio libro IIX. cap. 15. Plutarcho in Themiſtocle, & Apophthegm. Græcorum. Euſebius in Chronicis hanc victoriam Olymp. LXXII. factam fuiſſe ſcribit: Agellius ab V. C. CCLX. aut non multo amplius, quæ tempora non male conveniunt: ſexto die menſis Βοηδρομιωνος, qui nobis Auguſtus eſt, Plut. in Camillo. Scribunt hoc, præter citatos, Oroſius libro II. cap. 8. Otho Phryſingenſis lib. II. cap. 16. Meminit præterea Thucyd. libro primo. Plutarchus vero in Camillo, Ariſtide, & Flaminio, & de ſero a numine vindicatis; Plato in Gorgia, Valerius de ingratis, tam hujus, quam ſequentium aliquot meminerunt. *Salamine:* Inſula objecta Atticæ continenti, ſuburbana fere, Solino: ut Cos, Ceos, Sunium olim Athenienſibus, Lacedæmoniorum ſententia, eo quod inde Ajace Telamonio duce cum Athenienſibus ad Ilium profecti ſint. Eam autem Solon velut hoſtilem arcem ex propinquo ſaluti Athenienſium imminentem recuperaverat. In ſinu Salaminico Themiſtocles, Athe-

Digitized by Google

ienſium dux, totius tum Græciæ mperator, rem feliciter contra Xerten, quem fraude in prælium navae illexerat, geſſit; ob quam victo iam Salaminenſes gratulaturi ſimulacra ooſuerunt, teſte Iſocrate. Agellius uatuor annis ante Coriolani vexaionem hæc geſta ſcribit. Hiſtoriam eferant Plutarch. in Themiſtocle, Ierod. lib. VIII. Iuſtinus lib. II. Oroſ. ib. II. cap. 9. Meminit Iſoc. tum aibi, tum in Panegyrico, & Panahenaico, Plato, & Valerius locis ſura citatis. De hoc plura inferius lib. II. Boccatius de clar. mul. cap. 55. e Artemiſia. *Plateis*: Platææ, arum: el, ut Poeta ſingulariter protulit, Πλαταια, Bœotiæ urbs, a latitudine icta, vel quod latis uſi ſint remis: el quod procul a lacubus ſita ſit, a hebis LXX. ſtadiis ad fluvium Aſoum, ea via, quæ Athenas ducit. inc celeberrima Pauſaniæ, totius ræciæ ducis, de Mardonio Perſa ictoria, quam ibi Ariſtidis auxilio icit, cognomen acquiſivit. Ibidem ovis Liberatoris templum eſt, & ymnicum certamen in cæſorum hoorem conſtitutum, & tropæa pro uiverſa Græcia contra vim Aſiæ pota. Hiſtoriam ſcribunt Herod. lib. X. Plutarchus in Ariſtide, Oroſ. lib. I. cap. 11. Iuſtinus lib. II. Memineunt Thucydides lib. II. Plutarchus in imone, & Iſocrates in Plataico: ua oratione poſt aliquot annos ab thenienſibus contra Thebanos Platænſibus auxilia petit. *Thermopylis*: hermopylæ, anguſtus (qua Oetæ ontis cacumen attollitur) viatorius ex Theſſalia, & a litore Locros etentibus tranſitus eſt, ad quem muus erat a Phocenſibus Theſſalorum etu ædificatus, & in eo *πυλαι*, id ſt, portæ tranſitum præbebant; & uia juxta in ipſis faucibus *θερμαι* eſent, vel, ut Herodotus habet, *θερα λουτρα*, Thermopylæ locus eſt apellatus. Thermæ ſacræ erant Heruli, cui ara ſupra exſtructa locum eligione complebat, ex Strabone, Ierodoto, & Livio: ubi Leonides, acedæmoniorum dux, contra Xeren innumero exercitu inſtructum, eficientibus ſociis, parva civium mau, devotione facta, fortiſſime ocubuit. Hiſtoriam ſcribunt Herodot. lib. IIX. Iuſtinus lib. II. Oroſius lib. II. cap. 9. Meminerunt Valer. lib. III. cap. de Fortitudine, Seneca lib. epiſt. X. in fine, Agellius lib. III. cap. 7. Livius l. XXXVI. Plutarchus in Pelopida, item in Parallelo VII. item in Apophthegmatis Laconicis, Iſocrates in Panegyrico, & Panathenaico. *Leuctris*: oracula, voceſque deorum Lacedæmonios ſæpe monuerant, ut ſibi a Leuctrica ira caverent. Sed (quemadmodum oracula animos ambiguos tenent) de loco cavendo nemini certo conſtabat, cum apud Megalem, Arcadiæ civitatem, eo nomine locus eſſet, & in Laconia juxta mare oppidum, ubi Epaminondas, Thebanorum dux, Lacedæmonios Græciæ imperio, quod ſemper affectaverant, ita exſuit, ut ſpem una amiſerint. Refertur hiſtoria a Iuſtino lib. VI. Oroſio lib. III. cap. 1. Othone Phryſingenſi lib. II. cap. 24. Meminerunt Valerius Max. lib. III. cap. de Fortitudine, Cic. lib. II. de Fin. & Fam. lib. V. epiſt. 12. Iſocrates in Panegyrico, & Philippico, Polybius lib. II. Plutarchus in Coriolano, Ageſilao, Pelopida, & Artaxerxe item in Apophthegm. Laconicis, & Græcis, item in Eroticis. Diodorus Siculus de geſtis Philippi, Agellius lib. XVII. cap. 21. Xenophon ſub finem 7. *Ἑλληνικων* attingit: neque enim is ad finem hiſtoriam perduxit. *Leuctris*: quibus vicere Thebani Spartanos, Epaminonda duce: unde principatum Græciæ ſunt adepti. *Stratocle*: vel Strato: vel, Stratoque, reponendum. Locus eſt, ut Maratho, & reliqua ſuperiora, Athenienſium victoria nobilitatus. Thucydides lib. II. Alii aliter, quos ut ſequar, hiſtoria non patitur, & veteres libri ab opinione noſtra parum diſſentiunt. Cum hæc ſcripſiſſem, Sabellicum jampridem idem ſenſiſſe, ex aliorum Scholiis didici. Sane tantum abeſt, ut moleſte feram, poſteriorem fuiſſe me in veritate cognoſcenda, ut etiam vehementer gaudeam, opinionem meam doctiſſimi hominis teſtimonio comprobari. Libri veteres mei, quinque habent, Stratocle: duo, Stertocle: unus, Sterthocle: unus Statrocles: unus, Stertocles: unus Stertocle: unus, Stertotecle: unus,

Sitco-

Biſcocles : unus, Terocle : Tertii, Stercocles. Ioannes Brodæus legit Cytheriſque, contra omnium librorum fidem : atque inſulam eſſe, in qua tuenda ſingularis Athenienſium virtus emicuit, ex Plutarcho, cujus hæc citat : *Και της περι Κυθηρα, και Μεγαρα, και Κορινθον ανδραγαθιας νικιον. Et apud Cytheras, & Megara, & Corinthum ſortitudinis tropæum.*

Hinc noſter Cocles) Enumerat, qui mortis diſcrimen forte animo adierint.

Hinc noſter Cocles) Abſunt hæc ab omnibus, quos umquam viderim, veteribus libris; ut ex repetitione illa, *Stratocle*, factum fortaſſe ſit, *noſter Cocles*. Quod tamen ſi retineamus, ejus hiſtoriam ſcribunt Livius lib. II. Dionyſ. Halic. lib. VI. Florus lib. I. cap. 10. Plutarchus in Publicola, de Vir. Ill. cap. 11. Eutropius l. I. cap. 11. De eo etiam mentionem facit Valer. lib. III. cap. de Fortitudine, Cicero Parad. I. Plut. Parallelo 16. Seneca Epiſt. lib. XXI. epiſt. 1. Virg. in 8. Silius in 10. Auguſt. de Civ. D. lib. II. cap. 8. Plin. lib. XXXVI. cap. 15. Agellius lib. IV. cap. 5.

Decii) Pater, & filius, alter anno ab V. C. CDXV. alter anno CDXLIIX. Livius, Florus, Valer. lib. V. cap. de Pietate erga patriam, de Vir. Ill. cap. 27. Oroſius lib. III. cap. 21. Meminit & Cicero de Div. lib. I. Tuſc. 1. & alibi, & Aug. de Civ. D. lib. V. cap. 18.

Cn. & P. Scipiones) Duo illa fulmina belli : &, Belligeri (ut Silius vocat) Mavortia pectora fratres, quorum Publius, majoris Africani pater fuit; Cnæus vero, Scipionis Naſicæ, viri totius ſenatus cenſura optimi, bello Punico II. in Hiſpaniam miſſi, in quo Publium vulneratum filius prætextatus protexit; cujus mentionem facit Seneca de Beneficiis III. cap. 32. Valerius de Pietate Filiorum erga Parentes. Cnæus, re feliciter geſta, Magonem cepit. Livius lib. XXI. Haſdrubalem vicerunt, & Hiſpaniam ſuam fecerunt, lib. XXIII. Poſt res per octo annos feliciter geſtas, prope cum totis exercitibus cæſi, triſtem exitum tulerunt, l. XXV. Hiſtoriam præterea ſcribunt Appianus in Libyco, Florus libro II. cap. 6. Oroſius lib. IV. cap. 17. Eutropius libro III. cap. 5. Otho Phryſingenſis lib. II. Scipionum in Hiſpaniam miſſorum meminit Polybius libro III. interfectorum Silius libro XIII. & XV. Interiere anno eodem, quo Syracuſæ a Marcello captæ ſunt : hoc eſt, ab V. C. DXLII.

M. Marcellus) M. Claudius Marcellus anno DXXXIX. prætor ad Nolam adverſus Hannibalem proſpere pugnavit. Anno ſequenti conſul in Sicilia, quæ prope tota ad Pœnos defecerat, Syracuſas obſedit. Anno DXLII. ingentem ſe virum gerens, expugnat. Livius lib. XXIII, XXIV. XXV. Res a Marcello geſtas leges præterea apud Plutarchum in ejus vita, apud Florum libro II. cap. 6. de Vir. Ill. cap. 45. Silium libro XII. apud Valer. libro I. cap. 1. libro II. cap. 3. libro III. cap. 2. libro IV. cap. 1. libro V. cap. 1. lib. VIII. cap. 7. de Archimede, item apud Plinium libro VII. cap. 25.

Ornatu fere militari) Raro togato. Vide Plinium libro XXXIV.

CAPVT XIX.

Pro ſuis commodis) Vt contra Philippum Demoſthenes, contra M. Antonium Cicero.

Æquitate) Quæ commune commodum, non privatum, ſpectat; hinc Ageſilaus, fortitudine non opus eſſe, ſi omnes juſti eſſemus.

Nihil enim honeſtum eſſe poteſt, quod juſtitia vacat) Ariſt. Eth. libro III. cap. 7. & Pol. libro V. cap. 10.

Platonis illud) In Epitaphio : *Πασα τε επιςημη χωριζομενη δικαιοσυνης, και της αλλης αρετης, πανουργια, ου σοφια φαινεται. Omnis ſcientia, juſtitia, atque aliis virtutibus ſejuncta, calliditas non ſapientia videtur.*

Paratus ad periculum) Quod fortitudinis principium videtur.

Sua cupiditate) Injuſta.

Simplices veritatis amicos) Antiqui libri ſex, & unus Tertii, *ſimplicis veritatis amicos*, quo modo Euripides :

Α'πλυς ό μυθος της αληθειας εφυ.
Simplex eſt oratio veritatis.

Simplicemque veritatis orationem eſſe; adagium monet.

Igne-

Innaſcitur) Sic Horatius:

Neglectis urenda filix innaſcitur agris.

Apud Platonem eſt) In Lachete, ſive περι ανδρειας. Τοις Λακεδαιμονιοις ουδεν αλλο μελει εν τῳ βιῳ, η τουτο ζητειν, και επιτηδευειν, ὁ, τι αν μαθοντες, και επιτηδευσαντες οιοι τ' ωσι πλεονεκτειν των αλλων περι τον πολεμον. *Lacedæmoniis nihil aliud curæ eſt in tota vita, quam ſe in omnibus ita comparare, ut bello omnes exſuperent.*

Omnem morem) Ita omnes veteres libri: ex quibus unus ſupra, *morem*, habet, *id eſt naturam*. Illud, μελει επιτηδευειν, curæ eſt ſtudere, Cicero vertit, Morem.

Princeps omnium eſſe) Qualis ab Agamemnone Achilles depingitur Il. α.

Αλλ' ο δ' ανηρ εθελει περι παντων εμμεναι αλλων,
Παντων μεν κρατεειν εθελει, παντεσσι δ' ανασσειν,
Πασι δε σημαινειν.

Verum hic vir vult ſupra omnes eſſe alios, In omnes dominari vult, omnibuſque imperare: Et omnibus præeſſe.

Vel potius ſolus eſſe) Homerus Οδ. μ.

Οιος πεπνυται, τοι δε σκιαι αισσουσιν.

Id eſt:

Hic ſapit unus, ut umbra fugax volat altera turba.

Æquitatem) Ita omnes libri veteres.

Opes quam maximas) Potentiam, non divitias.

Vi ſuperiores) Octavii tribunus, qui, cum peteret, ut conſulatus Octavio immatura ætate daretur, idque non impetraret, proferens gladium, dixit; *Si vos non dabitis, hic dabit.*

Quo difficilius, hoc præclarius) Græcis, δυσκολα τα καλα.

In factis poſitum) Ad illud pertinet, ὅτι το καλον δι' αυτο αιρετον, ut & illud Poetæ:

Ipſa quidem virtus pretium ſibi.

Principemque ſe eſſe mavult, quam videri) Tunc enim recte vives, cum ſtudes eſſe, quod audis. Huc facit Salluſtianum illud ex Æſchylo, ſupra a nobis notatum: *Eſſe, quam videri, bonus malebat.* Ita Ariſtoteles Polit. I. Το δυναμενον τῃ διανοιᾳ προοραν, αρχον φυσει, και δεσποζον φυσει. το δε δυναμενον τῳ σωματι ταυτα, ποιειν, αρχομενον, και φυσει δουλον. Id eſt: *Id, quod animo proſpicere poteſt princeps natura eſt, & dominus; quod vero ea poteſt corpore conſequi, ſubjectum, & natura ſervum.*

Qui ex errore imperitæ multitudinis pendet) Ex quo facile errat: itaque virtus ipſa per ſe, non vulgi laude, æſtimanda. Seneca: *Numquam tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant.*

Ut quiſque eſt altiſſimo animo, & gloriæ cupido) Tredecim antiqui libri, & unus Tertii, *cupiditate*: in eorum tamen uno, in margine, *cupido*: alius, *cupidus*. Ut vel, *cupido*, vel *cupidus*, ſit legendum proculdubio.

Deſideret gloriam) Quam ſæpe, neglecta æquitate, appetimus.

CAPUT XX.

NUlli neque homini, neque perturbationi animi, nec fortunæ ſuccumbere) Id eſt, nullius hominis metu ab honeſtate deficere, vel gratia inflecti: non ad iram proclivem eſſe: non cujuſquam opes pertimeſcere.

Tum cauſſa vitæ) Non inani aliquo ſtudio.

Dicendum eſt) Ita eſt in duodecim antiquis meis: duo, & Tertii, *ducendum eſt*: quorum unus ſupra habet adſcriptum, id eſt, *judicandum*.

Quæ videntur acerba) Re autem vera non ſunt.

Statu naturæ) Humanæ.

Non eſt autem conſentaneum) Concludit, qui fortis ſit, eumdem eſſe temperantem.

Labore) Ægritudine.

Vitanda ſunt) Duodecim mei libri, *videnda*; utrumque recte. *Sunt*, abeſt ab octo libris.

Cavenda eſt etiam gloriæ cupiditas) Quam tum maxime amittimus, cum maxime affectamus. Livius: *Nonnumquam contemtus honor loco eſt maximi honoris.*

Libertatem) Tamquam quæ ſit maxime popularis; oratio pro Cluentio.

Pro qua omnis debet eſſe contentio) Unde leges fundamentum libertatis appellantur in oratione pro Cluentio.

Aut deponenda nonnumquam) Ut Sulla dictaturam: ex quo illum poſtea C. Cæſar. litteras neſciſſe, cavillatus eſt: di-

dictator ipſe perpetuus. Tarquinius quoque Collatinus Bruti, primi conſulis, collega, ut civitatem metu exoneraret, non tantum conſulatu ſe abdicavit, ſed etiam, ſuis omnibus Lavinium translatis, civitate ceſſit.

Voluptate animi) Citatur ex vetere poeta, Fam. lib. II. ep. 9.

Ego voluptatem animi nimiam.

Conſtantiam) Perſeverantiam, hoc eſt in re cum ratione conſiderata ſtabilem permanſionem.

Dignitatem) Auctoritatem honeſtam.

In his) In his fuit Pomponius Atticus.

Quod & regibus) Vocabulo magnificentiſſimo eorum inſtitutum ornat.

Cujus proprium eſt ſic vivere, ut velis) Ariſt. Pol. V. Ελευθερον δε και ισον, το, ὁ, τι αν βουληται τις ποιειν, ὡςε ζῃν, εν ταις τοιαυταις δημοκρατιαις ἑκαςος ως βουλεται. *Liberum & æquum eſt, quidquid velis facere, itaque vivit unuſquiſque in talibus democratiis, ut vult.*

CAPUT XXI.

SI opes magnas habeant) Qui enim opes poſſidet, ſe ipſum præſidio omnia poſſe credit.

Fructuoſior autem hominum generi) Ergo præſtantior; non enim nobis tantum ipſis nati ſumus.

Remp. non capeſſentibus) Pro, ſi non capeſſant. Græco more dictum.

Valetudinis imbecillitate) Vt majoris Africani filius.

Aut aliqua graviore cauſſa) Cum, alicujus metu, libere ſententiam dicere non licet.

Quibus autem talis nulla eſt cauſſa) unde Ariſtoteles: Δει βουλομενον και μη βουλομενον αρχειν τον αξιον. Id eſt: *Imperio dignum, velit, nolit, imperare oportet.* Plato quoque de Leg. I. bonos ait ad magiſtratum ſuſcipiendum vel præmiis invitandos, vel pœna cogendos.

Gloriam contemnant) Non enim amanda gloria, ſed id, unde oritur gloria, honeſtum, & virtus.

Offenſionum) Id eſt, cum res ex animi ſententia non ſuccedit; vel, quod magiſtratum bona fide gerenti multorum ſimultates, & odia ſuſcipienda ſint.

Quaſi quandam ignominiam) Cum ignominiæ non tam ſint, quam ſolidæ gloriæ, materies; neque enim Camillus periclitanti patriæ tam præſenti auxilio eſſe poterat, niſi prius invidia in exſilium fuiſſet actus.

Parum ſibi conſtent) Medii terminos tranſilientes: nam ſtulti, dum vitia vitant, in contraria currunt.

Voluptatem ſeveriſſime contemnant, in dolore ſint molliores) Vtrumque fortitudinis eſt, nec dolore, nec voluptate vinci.

Gloriam negligant, frangantur infamia) Facilius enim rebus commodis caremus, quam incommodas ſuſtinemus.

Qui habent a natura adjumenta rerum gerendarum) Τους δυναμενους αρισταρχειν, Ariſt. Polit. lib. II. cap. 9. unde ſumpſit hanc ſententiam Cicero. *Adjumenta*; proſperam valetudinem, prudentiam, eloquentiam, dexteritatem, conſtantiam, & adeo tandem animum excelſum, patientemque laborum, & moleſtiarum, quæ ſunt a natura, mutuantur autem fortaſſe quiddam ab arte, & inſtitutione: a fortuna autem, nobilitatem, amicos, honeſtas occaſiones, & rectam voluntatem, qua fit, ut publicum privato præferatur.

Animi magnitudo) Quæ non in otioſa vita, ſed in rebus gerendis perſpicitur.

Capeſſentibus autem remp. nihilominus, quam phil. &c.) Delirare homines doctos video in hujus loci interpretatione; ajunt enim conſtructionem paulo duriorem eſſe, eſſeque dativos pro ablativis poſitos, hac ſententia: Cum ii, qui remp. capeſſunt, nihil minus ſint quam philoſophi: tamen αταραξια non minus illis neceſſaria eſt, quam philoſophis. Falluntur ipſi, quod video, legentes, *nihil minus*, pro *nihilo minus*: quod legitur in uno meo vetere libro. Hæc enim eſt ſententia: Philoſophi magnificentiam, & deſpicientiam rerum humanarum adhibent; capeſſentes vero remp. nihilominus, quam philoſophi, & fortaſſe magis etiam, adhibere debent. Quid clarius?

Si quidem nec anxii &c.) Si magnificentiam, & deſpicientiam rerum humanarum adhibebunt, nec anxii erunt

runt, & eum gravitate, conſtantiaque vivent.

Faciliora ſunt philoſophis) Vnde Plato Polit. V. eam demum felicem civitatis adminiſtrationem fore tradit, ſi aut philoſophi imperent, aut principes philoſophentur. Et in Phædone, ſoli philoſopho veram prudentiam, & fortitudinem, veriſſima reip. adminiſtrandæ adminicula tribuit.

Graviter cadere) Nam multi (
——— *tolluntur in altum*,
Vt lapſu graviore ruant.

Quocirca non ſine cauſſa &c.) Supra dixit: *Quæ cura exſuſcitat etiam animos, majoreſque ad rem gerendam facit.*

Majoraque efficienda remp. gerentibus, quam quietis) Sic eſt in quatuor meis: Gotho, & unus Tertii: *Majoraque efficiendi*: unus, *majoreque cura efficienda*; alius, *majorque cura efficiendi*. Eſt, qui reponat ex vetere libro, *majora efficiendi*, ſine copula.

Efficiendi facultatem) Cicero Fam. lib. I. Plato, inquit, jubet tantum in rep. contendere, quantum probare tuis civibus poſſis.

In omnibus autem negotiis, prius, quam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens) Hoc idem & Salluſtius dixit, in proœmio Catilinæ: *Prius, quam incipias, conſulito; & ubi conſulueris, mature facto opus eſt*: & Demoſthenes in proœmiis Demigoricis, & in oratione de Pace; & Iſocrates in oratione πρὸς Δημόνικον; & Ariſtot. Moral. Eud. V. & Nicom. 6. & Diog. Laert. in Biante. Æmilius Probus: *Neque acutius ullius imperatoris cogitatum, neque celerius factum uſquam legimus*. Turpilius Boethuntibus, apud Nonium: *Quæſo cogita, ac delibera*,

CAPUT XXII.

Tuenda eſt hæc opinio) Non tollenda. Tempus autem hoc dijudicat; modo enim bellicæ excellunt, modo urbanæ. Pro Murena bellicas urbanis præfert. Turnus, & Drances introducuntur a Virgilio lib. XI. Eſt & contentio, de Achillis armis, Vlyſſis, & Ajacis, apud Ovidium. Homerus quoque Il. I. ait, Phœnicem a Peleo patre Achilli juveni comitem eſſe datum, ut illum efficeret μυθων τε ῥητηρ ἐμεναι, πρηκτηρα τε ἐργων. *Verborumque orator ut eſſet, actorque rerum*. Vulgo bellicæ præferuntur: de quo rationem reddit Ariſt. in Probl. ſect. 27. probl. 5.

Areopagitas) Senatus Areopagitarum populo præerat, cujus auctoritatem Ephialtes, & Pericles in populi gratiam imminuerunt. Ariſt. Pol. II. Την μεν εν Αρειοπαγῳ βουλην Εφιαλτης εκολουσε, και Περικλης. τα δε δικαστηρια μισθοφορα κατεστησε Περικλης. και τουτον δη τον τροπον ἑκαστος των δημαγωγων προηγαγεν, αυξων εις την νυν δημοκρατιαν. *Et Senatum quidem Areopagiticum Ephialtes & Pericles mutilarunt; judicia autem mercenaria Pericles: atque hoc ſane modo unuſquiſque ex blandis populi ductoribus populi majeſtatem augens ad eum, qui nunc eſt, popularis potentiæ ſtatum promovit ac provexit*. Reſtituta poſtea eſt a Cimone Periclis temporibus. Plutarchus.

Semel) Perſis Græcia pulſis, ac trucidatis.

At ille adjuvit Themiſtoclem) Hoc relinquo, in magna librorum varietate: nam nec muto libenter, quod apertam ſententiam habet: & quinque antiquos libros congruere cum ſententia video. Placet tamen varietatem adſcribere. Vnus: At ille potuit vere dicere ſe ad victum Themiſtoclem. Vnus: At ille vero ſe adjuvit Themiſtoclem. Vnus: At ille verum eſſe ſe adjutum Themiſtoclem. Vnus: At ille vere a ſe ad judicium Themiſtoclem. Vnus: At ille vere a ſe adjutum Themiſtoclem. Vnus: At ille dicit vere adjutum Themiſtoclem. Vnus: At ille vere adjuvit Themiſtoclem. Vnus: At ille ſe adjutum Themiſtoclem. Tertii, & alius: At ille vere ſe adjutum Themiſtoclem. Sunt, qui impreſſæ lectionis ſe auctores falſo faciant, cum antea legeretur: At ille vere a ſe dixerit adjutum Themiſtoclem.

Conſtitutus) Ariſt. l. II. Pol. Solonem, ait, cum alia ſuſtuliſſet inſtituta Athenienſium, Areopagum, ut populare conſilium, probaſſe; quo ſpectat hoc verbum, Conſtitutus, pro confirmatus, non, Inſtitutus, ut alii.

Pauſania) Cleombroti filio.

Lyſandroque) Qui & Athenienſes vicit,

eit, & de Antiocho tropæa ſtatuit. Plutarchus, & Thucydides. *Pauſaniā, Lyſandroque*; utrique præſtitit Ageſilaus: ſed ab illis dilatatum magis imperium eſt.

Lycurgi legibus) Xenophon in Lacedæmoniorum rep. Plut. in ejus vita, & Agide, & in Apophthegm. Iuſtinus lib. III. Valerius lib. I. cap. 3. Iſocrates in Panathenaico, Lucianus de Aſtrologia, Cyrillus contra Iulianum lib. III. Dicitur Rhadamanti, & Minois in Creta legibus a Thalete muſico edoctus. Opinio eſt, eum circiter Agrippæ tempora floruiſſe, quo tempore Pharnaces Medus Sardanapalum imperio, & vita privavit, teſte Velleio. Sublatæ ſunt ejus leges, & diſciplina, poſtquam DCCC. annis ſteterunt, anno ab V. C. DLXV. Vixit ann.XXCV. Lucianus in Macrobiis. De eo Oraculum illud legitur:

Ηκεις, ω Λυκοεργε, εμον ποτι πιονα νηον,
Ζηνι φιλος και πασιν ολυμπια δωματ' εχουσι.
Διζω η σε θεον μαντευσομαι η και ανδρα.
Α'λλ' ετι και μαλλον θεον ελπομαι, ω Λυκοεργε.

Venis, o Lycurge, ad meum eximium templum
Iovi carus, & omnibus Diis, qui celeſtes domus habitant:
Dubito, an te Deum eſſe dicam, an vero hominem.
Sed eſt cur magis credam te eſſe Deum, o Lycurge.

Lacedæmoniorum) Ita legitur in ſex meis: octo, & Tertii, *Lacedæmoniis*.

Ob has ipſas cauſſas) Iſocrates in Panegyrico, majorum honeſtam diſciplinam in cauſſa fuiſſe ait, cur Athenienſes ea virtute eſſent, ut fortiter barbaros profligare poſſent.

Paratiores) Non rejicio verbum uſitatum, quod eſt in decem meis libris. Reſpicit autem ad ordinem militiæ, quo ſæpe victoriam Spartani ſunt adepti. Alii legunt, *parentiores*; cum quibus faciunt tres mei, & Tertii: non reprehendo: nec tamen mutare quidquam volui: unus, *promtiores*.

Pueris nobis) Natus Cicero anno ab V.C. DCXLVIII. M.

Scaurus) Huic Cicero ad Lentulum ſummam gravitatem, & conſtantiam tribuit. In Bruto, in ejus oratione ſapientis hominis, & recti gravitatem ſummam, & naturalem quamdam fuiſſe auctoritatem, non ut cauſſam, ſed ut teſtimonium dicere putares, cum pro reo diceret. Hujus gravitatis exemplum eſt apud Valerium lib. III. cap. de fiducia ſui. Conſul fuit cum Ser. Sulpicio Galba, anno DCXLVI. inque eo conſulatu leges de ſumtibus, & libertinorum ſuffragiis tulit. de Vir. ill. Tantumque auctoritate valuit, ut Opimium contra Gracchum, Marium contra Glauciam, & Saturninum privato conſilio armaret. Nec tamen bellica gloria caruit; ut qui de Liguribus conſul triumphavit.

C. Mario) De eo Plutarchus, de Vir. ill. cap. 67. Sall. in Iug. Oroſ. lib. V. cap. 16. Florus lib. III. cap. 3. epit. Liv. Appianus in Celtico, Velleius lib. II. Eutrop. lib. IV. cap. ult. lib. V. cap. 1. Otho Phryſingenſis lib. II. cap. 44. Vide & Plut. in Sulla, & Apophthegm. Laconicis, & Parall. cap. 37. Val. lib. II. cap. 1. & 5. & lib. III. cap. 2. & lib. VIII. cap. 16. Plin. lib. XVII. cap. 1. Quinctil. in declamatione pro milite Mariano.

Q. Catulus) Plut. in Pompeio: epit. Liv. Florus lib. III. cap. ult. Velleius lib. II. App. I. Bell. ci. Oroſ. lib. II. cap. 25. Eutropius lib. V. & VI. Valerius lib. II. cap. 3. Legitur & apud Salluſtium ex I. Hiſtoriarum Lepidi Conſulis ad Imp. R. oratio, ut arma ſumantur contra Sullam dict. atque L. Philippi in ſenatu, ut Lepido, bellum moventi reſiſtant.

Cn. Pompeio) Rerum geſtarum magnitudine præſtanti: qui, ut ait Cicero, plura bella geſſit, quam alii legerant: ad quem ſcribens Cicero, Fam. lib. V. eum Scipioni in re militari confert. De eo multa Cicero in orationibus, pro lege Manilia, & pro Murena. Eſt & ejus epiſtola apud eumdem Salluſtium, ad ſenatum, ex III. hiſtoriarum, quo ſua præclare facta commemorat.

Parva enim ſunt foris arma) Sic eſt in duodecim meis: duo, & Tertii, *parvi*: quod magis probo: *parvi enim ſunt foris arma*.

Africanus) Minor, Pauli filius.

Et vir, & imperator) Belli, domique.

In

In excindenda Numantia) Anno ab V.C.DCXXI.Epit. Liv. lib.LIX.Florus lib. II. cap.18. de Vir.ill. Oroſ. lib.V. cap. 6. Eutrop. lib. IV. cap. 7. Otho Phryſing. lib. II. cap. 43. Vide & Aug. de Civ. Dei, lib. III. cap. 21. Velleium lib. II. Val. Max. lib.II.cap. 2. lib. III. cap. 2. lib. VII. cap. 6. Plutarchum in Mario.

P. Naſica) Cn. Scipionis filius, Africani minoris patruelis, vir optimus ob hoc ipſum a ſenatu judicatus: Plut. in Gracchis, App. lib. I. Bel. civ. de Vir. ill. cap. 64. Oroſ. lib.V. cap. 7. Valerius lib. III. cap. de fortitudine. Velleius lib. II. Salluſt. in Iugurtha, in oratione C. Memmii. Aug. lib. III. cap. 24. de Civ. Dei.

Privatus) Id eſt, nullum habens publicum munus. Cicero in Rhet. *In fortuna quæritur, privatus ne, an cum poteſtate ſit.* Plautus Capt. *Hic qualis imperator nunc privatus eſt.*

Ti. Gracchum) Tribunum pl. pernicioſas reip. leges ferentem.

Improbis) M. Antonio.

Invidis) L. Piſone.

Cedant arma togæ) Hunc verſum δια το ὁμοιοπτωτον derident multi. Plutarchus Ciceronem in poetica valuiſſe dicit.

Concedat laurea linguæ) Sic recitat Quinctilianus lib. III. cap. 1. qui ait: *In carminibus utinam pepercipiſſet, quæ non deſierunt carpere maligni.* Duo mei, *laudi*. Tertii, ſupra *laudi*, habet, *linguæ*. *Togæ*: pacis ſtudio. *Laurea*: triumphus. Plin. lib. XV. cap. 30. Quinctilianus. *Supplicationes, qui maximus honor victoribus bello ducibus dabatur, in toga meruit.* Idem Plinius: *Quo te, M. Tulli, piaculo taceam? quove maxime excellentem inſigni prædicem? quo potius, quam univerſi populi, & illius gentis ampliſſimo teſtimonio, & in tota vita tua, & ad conſulatum tantis operibus electis? te dicente, legem agrariam, hoc eſt alimenta ſua, abdicaverunt tribus: te ſuadente, Roſcio theatralis ſeditionis auctori leges ignoverunt, notaſque ſedes ignominiæ diſcrimine æquo animo tulerunt: te orante, proſcriptorum liberos honores petere puduit, tuum Catilina fugit ingenium: tu M. Antonium proſcripſiſti. Salve, primus omnium Parens patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguæque lauream merite, & facundiæ litterarum Latinarum parens: atque, ut dictator Cæſar, hoſtis quondam tuus, de te ſcripſit, omnium triumphorum Lauream adepte majorem, quanto plus eſt ingenii Romani terminos in tantum promoviſſe, quam imperii.*

Nec majus otium) Conjuratione oppreſſa: antea, *odium*. Primus Pater repoſuit, *otium*, quod confirmari video a libro Tertii, & alio meo.

Hereditas hujus gloriæ) Fam. lib. II. ad M. Cœlium: *Filio meo, quem tibi carum eſſe gaudeo, ſi erit ulla reſp. ſatis amplum patrimonium relinquam, memoriam nominis mei*, &c. O hominem gloriæ nimis cupidum.

Tertium triumphum) Mithridate, & Tigrane victis. Plutarchus.

CAPUT XXIII.

Exercendum corpus) Ratione victus, & gymnaſtica.

Obedire conſilio) Salluſt. animi imperio, corporis ſervitio magis utimur.

In exſequendis negotiis) Iſocrates: Γυμναζε σεαυτον πονοις εκουσιοις, ὁπως αν δυναιο και τους ακουσιους ὑπομενειν. *Te voluntariis laboribus exerceto, ut poſſis & involuntarios ſuſtinere.*

Mortui valuit auctoritas) Cum actum eſt, Catone jam mortuo, de Carthagine evertenda.

Quare expetenda quidem magis eſt decernendi ratio, quam decertandi fortitudo) Lepide opponuntur, *decernendi ratio*, *decertandi fortitudo*, & ſententia comprobatur antiquorum omnium librorum, qui apud me ſunt, auctoritate: quo magis miror in emendato loco mutationem quæri.

Vt nihil aliud, niſi pax quæſita videatur.) In oratione ad C. Cæſarem, de rep. ordinanda: *Sapientes pacis cauſſa bellum gerunt, laborem ſpe otii ſuſtentant: niſi illam firmam efficis, vinci, an viciſſe, quid retulit?* Plato de Legib. I. Ουτ᾽ αν νομοθετης ακριβης, ει μη χαριν ειρηνης τα πολεμου νομοθετοι μαλλον, η των πολεμικων ἑνεκα τα της ειρηνης. *Nec exquiſitus legum lator, niſi gratia pacis de bello potius, quam belli gratia de pace leges conſcribat.* Pittacus monebat, incruentas victorias quærendas eſſe.

Fortis vero animi) Sic omnes veteres li-

libri. Ariſtoteles: Μεγαλοψυχιας εςι φερειν ευτυχιαν, και ατυχιαν. *Magnanimi eſt, ferre bonam, malamque fortunam.*

Tumultuantem de gradu dejici) Animo conſternari, ac veluti a ſtatu mentis dimoveri. Vide Adagia. Metaphora, ab athletis, & militibus: qua utitur & in Partitionibus: *In omnibus cauſſis tres ſunt gradus, ex quibus unus, aliquis capiendus eſt, ſi plures non queas, ad reſiſtendum: nam aut ita conſiſtendum eſt; ut, quod objicitur, factum neges* &c. *Tumultuantem*: tumultu perterritum, perturbatum, θορυβουμενον.

Præſentis animi uti conſilio) Sic ſeptem libri mei, a quibus non diſcrepat ſententia: hoc enim dicitur: Animus, qui adeſt, quemque metus, & perturbatio non abſtulit, cogitat, & conſiderat ea, quibus optatum rei exitum conſequatur. Abſentis autem animi quæ cogitatio, quod conſilium eſſe poteſt? Ad Att. *Vbi, inquies, animus ille tuus? adeſt, & idem eſt.* Quatuor mei libri, & unus Tertii: *Præſenti animo uti, & conſilio.* Vnus: *Præſentis animi eſt uti & conſilio.* Vnus: *Præſtantis animi uti conſilio.*. Vnus: *Præſtanti animo uti conſilio.* Sunt, qui reponant, *niti*, pro *uti*; contra veteres omnes libros.

Non putaram) Sic Demoſthenes oratione tertia in Philippum: Και μην εκεινο γε αισχρον ύςερον ποτ' ειπειν συμβαντος τινος. τις γαρ αν ωηθη ταυτα γενεσθαι; Id eſt: *Enimvero turpe illud eſt, ubi quid jam evenit, tum dicere, quiſnam hæc eventura putaſſet?* Valerius Max. lib. VII. cap. 2. *Scipio Africanus turpe eſſe ajebat, in re militari dicere: non putaram.* Seneca lib. II. de Ira, cap. 31. *Turpiſſimam ajebat Fabius imperatori excuſationem eſſe: non putavi.* Plutarchus tribuit Iphicrati. Iſocrates autem dixit: Προνοειν χρη, και μη μετανοειν τον ανδρα τον σοφον. Id eſt: *Viri ſapientis eſt, ante, non poſt factum ſapere.*

Bellnarum ſimile eſt) Viribus, non ratione utentium.

Mors ſervituti, turpitudinique anteponenda) Cicero Fam. lib. X. ad Plancum. Plato quoque lib. VI. de Legibus: Τελευτων δε και πολεως εαν αναςατον αναγκη φαινηται γενεσθαι, πριν εθελειν δουλειον υπομεινασα ζυγον αρχεσθαι χειρονων, η λειπειν φυγη την πολιν. *Pro Patria præterea, ſi neceſſe eſt, mori paratus ſit, antequam velit aut everſam videre Civitatem, jugoque ſervitutis a pejoribus gubernari, aut fuga ipſam deſerere.*

CAPVT XXIV.

De evertendis, &c.) Galli illud dictum in Romanos victos ſuperbum eſt: *Victis nil, niſi dolor.* Ceterum nil magis victorem decet, quam clementia. Vnde Anchiſæ umbra apud Virg. in VI. Æneam filium diſciplinam futuræ reip. docet:

Tu regere imperio populos, Romane, memento:
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Rebus agitatis) Accurate examinatis.

Calida conſilia) Temeraria, Terent. Eun. Plautus, *Calidum mendacium.* Corn. Nepos in Attici vita, *Calidam liberalitatem.* Velleius lib. II. hoc C. Octavio laudi adſcribit: *Sprevit celeſtis animus humana conſilia: & cum periculo potius ſumma, quam tuto humilia propoſuit ſequi.*

Sine cauſſa) Quo diſtinguitur a fortitudine temeritas.

Quo nihil poteſt eſſe ſtultius) Nam omni animantium generi id eſt a natura tributum, ut ſe, vitam, corpuſque tueatur: quod igitur cavere poſſes, ſtultum eſt admittere.

Periculoſas curationes) Ovidius:

Cuncta quidem tentanda: ſed immedicabile vulnus
Enſe recidendum, ne pars ſincera trahatur.

Quod fortaſſe ex Sophoclis Ajace ſumtum:

----- Οὐ προς ιατρου σοφου
Θροειν επωδας προς τομωντι πηματι.
----- *Non eſt ſapientiæ medici*
Canere carmina ferrum poſcenti malo.

Plutarchus de tranquillitate citat Sophoclis verſiculum huc congruentem:

Πικραν χολην κλυζουσι φαρμακω πικρω.
Amaram bilem eluunt amaro pharmaco.

Vide Adagia,

Te

Το κακον κακῳ θεραπευειν.

Malum malo curare.

Scipionis apud Plutarchum eſt apophthegma, Imperatorem, quemadmodum & medicum, oportere ultima uti per ferrum curatione.

Ancipites) Quæ vel ſalutem, vel interitum afferant.

Quavis ratione) Etiam periculo, & jactura.

Re explicata) Confecta, ad felicem exitum perducta.

Addubitata) In diſcrimen adducta, quæ ex animi ſententia non evenit. Euripides:

Δεινης αναγκης ουδεν ισχυει πλεον.

Dura neceſſitate nihil eſt potentius.

Et:

Τολμαν, αναγκη καν τυχω, καν μη τυχω.

Audendum eſt, ſive rem conſequar, ſive non conſequar.

Vt Callicratidas) Thucydides bellum Peloponneſiacum deſcripſit, ab eoque prætermiſſa perſecutus eſt Xenophon, qui primo Ἑλληνικων paulo aliter hoc exponit, quam Cicero: Η Σπαρτη ουδεν μη κακιον οικειται αυτου αποθανοντος φευγειν δ' αισχρον ειναι εφη. *Spartam, ſe moriente, nihilo pejus habituram, ſe autem fugere ſine dedecore non poſſe ajebat.* De hoc meminit & Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis. Geſtum eſt anno ab V.C. CCCXLIV. Libenter autem & a Græcis, & a nobiliſſimis Græciæ populis exempla ſumit.

Vertit ad extremum omnia) Et publicam felicitatem perdidit, & ſuam gloriam amiſit.

Ab Arginuſis) Sitæ ſunt in continenti ante Lesbum, in Maleæ conſpectu, contra Mitylenen. Xenophon, & Thucydides.

Atque hæc quidem) Xenophon lib. VI. Ελληνικων.

Cleombrotus) In præclara illa Leuctrica victoria. Plut. in Pelopida. Valer. lib. III. cap. de fortitudine. Geſta ab. V. C. anno CCCLXXI.

Invidiam timens) Malevolorum obtrectationes, qui eum dicebant cum hoſtibus Thebanis colludere.

Q. Maximus) Plutarchus in vita, & de Vir. ill. Vide & Livium lib. XXII. Polyb. & Florum lib. II. cap. 6.

Ennius) Lib. XII. Annalium, ex Macrobio lib. VI. cap. I.

Vnus homo nobis &c.) Hunc verſum Virg. in librum VI. tranſtulit, ut alios alibi ex veteribus poetis.

Vnus homo nobis) Sic duodecim mei, & Tertii liber; ut mirer, quoſdam dicere, in omnibus antiquis libris legi, *unus, qui nobis*; quod eſt tantum in duobus meis.

Cunctando) Vide Adagia: *Romanus ſedendo vincit.*

Non ponebat enim) Mirum eſt, veteres hic libros conſentire omnes in traſferenda voce, *enim* in ſecundum locum, hoc modo:

Non enim ponebat.

Vt videatur in dimenſione verſus abjicienda littera M., aut *enim* pro una tantum ſyllaba accipiendum.

Ergo poſtque magiſque) Sic recte, & propter conſentiens veterum librorum teſtimonium, & quia lepida fit ſententia: Ergo claret ejus viri gloria non modo poſt obitum, ſed magis etiam, quam cum viveret. *Magiſque, magiſque*, legebatur antea, quod multi confirmant illo Catulli.

Omnibus inque locis celebretur fama ſepulti,
Clareſcatque magis mortuus, atque magis.

CAPVT XXV.

VNum ut, &c.) Politic. I. Ουκουν εγωγ' ην δ' εγω, ω Θρασυμαχε, ουδ' αλλος ουδεις εν ουδεμια αρχη καθοσον αρχων εστιν, το αυτῳ ξυμφερον σκοπει ουδ' επιταττει, αλλα το τῳ αρχομενῳ, ῳ μεν αυτος δημιουργῃ, και προς εκεινο βλεπων, και το εκεινῳ ξυμφερον και πρεπον, και λεγει α λεγει, και ποιει α ποιει απαντα. *Atque hic ego, o Traſymache, inquam, neque ullus alius in aliquo principatu imperans, quatenus princeps eſt: quod ſibi conferat, cogitat, aut præcipit, ſed quod ſubjecto conducit, & quæ dicit, quæque facit, cuncta ad illius utilitatem, decoremque & dicit, & facit.* Cujus rationem reddit de Leg. IX. Γνωναι μεν γαρ πρωτον χαλεπον, οτι πολιτικη και αληθει τεχνῃ, ου το ιδιον, αλλα το κοινον αναγκη μελειν, το μεν γαρ κοινον ξυνδει, το δε ιδιον διασπα τας πολεις, &c. *Nam primum difficile eſt noſſe, quod civili, veræque ar-*

Digitized by Google

ti non proprium, ſed publicum neceſſarium eſt curandum; publicum quippe civitates connectit, atque conjungit, proprium diſſipat.

Obliti commodorum ſuorum) Quod difficile admodum eſt, propter φιλαυτιαν.

Alterum, ut &c.) Politic. IV. Νυν μεν ουν ὡς οιομεθα, την ευδαιμονα πλαττομεν, ουκ απολαβοντες ολιγους εν αυτη τοιουτους τινας θεντες., αλλ᾽ ὁλην. *Nunc ſane, ut opinamur, beatam fingimus, non ut pauci quidem in ea beati ſint, ſed ut Civitas tota.* Et de Leg. IV. Ταυτας δηπου φαμεν ἡμεις νυν, ουτ ειναι πολιτειας, ουτ᾽ ορθους νομους, ὁσοι μη ξυμπασης της πολεως ἑνεκα του κοινου ετεθησαν. οἱ δ᾽ ἑνεκα τινων στασιωτειας, αλλ᾽ ου πολιτειας τουτους φαμεν, και τα τουτων δικαια, ἁ φασιν ειναι, ματην ειρησθαι. *Has quidem nos negamus eſſe reſpublicas, neque cenſemus rectas eſſe eas leges, quæ non ſint communiter totius Civitatis gratia poſitæ. Qui autem aliquarum partium cauſſa leges condunt, eos non Cives, ſed ſeditioſos putamus, & jura ſua fruſtra ſic ab eis vocari cenſemus.* Et in Politico: Ου ὁ σοφος, και αγαθος ανηρ το των αρχομενων, ὡσπερ ὁ κυβερνητης το της νεως και ναυτων αει ξυμφερον παραφυλαττων διοικησει. *Qua ratione vir ſapiens bonuſque gubernabit ſemper ita ad ſubditorum ſalutem reſpiciens, ut ad nautarum, naviſque ſalutem reſpicit Gubernator.* Et de Leg. VI. docet, quantum magiſtratibus liceat privata curare.

Procuratio reip.) De Orat. *In procuratione civitatis egregius.* In Acad. *Reip. procuratio.*

Studioſi optimi cujuſque) Qui dicuntur optimates: de quibus multa in oratione pro Sextio. Placet autem hæc loco adſcribere diviſionem quamdam, quæ fortaſſis non ingrata erit.

Imperat in Rep. vel

- **Vnus, & dicitur μοναρχια. quod eſt vel**
  - Bonum, & ordine certo creatur, & dicitur Βασιλεια.
  - Malum, & incerto ordine creatur, τυραννις. Hujus finis eſt Cuſtodia.
- **Non unus**
  - **Multi, qui vel**
    - Boni. Δημοκρατια. In hoc ſtatu populari imperia ſorte conferuntur. Hujus finis eſt Libertas.
    - Mali. Οχλοκρατια. Quando impetu plebeio reguntur, non legitima democratia.
  - **Pauci, qui vel**
    - Boni. Αριστοκρατια. In hoc ſtatu honores diſtribuuntur jure, & diſciplina. Et finis eſt Diſciplina, & Leges.
    - Mali. Ολιγαρχια. In hoc ſtatu, imperia, & honores cenſu, & habitu pecuniarum leguntur. Et finis ſunt Divitiæ.

Apud Athenienſes) Cyloniorum, Plut. in Solone. Diacriorum popularium contra Pedicos, oligarchiæ ſtudioſos; & alia των εκτημοριων, adverſus divites, quibus obærati erant, & contra Piſiſtratum: quas omnes Solon compoſuit.

In noſtra rep.) Vt ſeceſſiones in montem Sacrum, & Gracchorum, & ſexcentæ aliæ.

Bella civilia) Sullæ, Catilinæ, Cæſaris, Triumvirorum.

Tradet ſe totum reip.) Patriam unam ſpectabit: ad eam omnia referet: unicus ei ſcopus erit, ſalus, & felicitas patriæ, quod e rep. erit, ſequetur, quod non erit, vitabit.

Quamvis graviter offendat) In rebus ſuis: id eſt, damnum patiatur, & jacturam faciat rei familiaris, & dignitatis.

Digitized by Google

tatis. Sic omnes libri veteres mei, & Tertii. Pro Cluentio: *In eodem genere, in quo ipſi offendiſſent, alios reprehendiſſent.* In Epiſt. *Quis eſt tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nuſquam incurrat?* De Orat. *Si in his paullulum modo offenſum eſt.*

Ambitio, honorumque contentio) Vide libellum Q. Ciceronis de Petitione Conſulatus. Ad Plancum lib. X. *Is denique honos mihi videri ſolet, qui non propter ſpem futuri beneficii, ſed propter magna merita claris viris defertur, & datur: quare, ſit modo aliqua reſp. in qua honos elucere poſſit, omnibus, mihi crede, ampliſſimis honoribus abundabis: is autem, qui vere appellari poteſt honos non invitamentum ad tempus, ſed perpetuæ virtutis eſt præmium.* Ariſtoteles quoque Polit. III. cap. 7. Magiſtratus Honores appellat: Τιμας γαρ λεγομεν τας αρχας. Idem Ariſtoteles Eth. IV. cap. 4. docet, quatenus conveniat bono viro honores petere.

Apud eumdem Platonem) Polit. VI. Νοησον γαρ τοιυτονι γενομενον, ειτε πολλων νεων περι, ειτε μιας ναυκληρον, μεγεθει μεν και ῥωμῃ ὑπερ τυς εν τῃ νηι ἁπαντας, ὑποκωφον δε και ὁρωντα ὡσαυτως βραχυτι, και γιγνωσκοντα περι ναυτικων ἑτερα τοιαυτα. τυς δε ναυτας ςασιαζοντας προς αλληλυς περι της κυβερνησεως, ἑκαςον οιομενον δειν κυβερναν, μητε μαθοντα πωποτε την τεχνην, μητε εχοντα αποδειξαι διδασκαλον ἑαυτυ, μηδε χρονον εν ᾧ εμανθανε. προς δε τυτοις φασκοντας μηδε διδακτον ειναι, αλλα και τον λεγοντα ὡς διδακτον, ετοιμυς κατατεμνειν αυτυς δε αυτῳ αει τῳ ναυκληρῳ περικεχυσθαι δεομενυς, και παντα ποιυντας ὁπω αν σφισι το πηδαλιον επιτρεψει. *Finge animo quemdam Navis, aut Claſſis gubernatorem hujuſmodi magnitudine & robore corporis reliquos nautas excedentem, ſurdum vero, & caligantibus oculis, & mente gubernationis inſcia; nautas autem de gubernatione inter ſe certantes, dum unuſquiſque putet ſe imperio dignum, quamquam nec artem didicerit umquam, nec præceptorem in ea re ullum poſſit oſtendere, neque quo tempore didicerit, aſſignare queat: negantes quin etiam artem illam doceri poſſe, eumque qui doceri poſſe contendat, ferro petentes. Ipſos autem cogita circa gubernatorem illum conſluere, obſecrare, obnixe contendere, qui ipſis gubernacula tradat.* Græcus etiam Poeta, Vitam ait periculoſam eſſe navigationem: in qua tempeſtatibus jactati, ſæpe miſerabilius, quam naufragi, affligimur: cum autem vitæ gubernatricem Fortunam habeamus, ambigui velut in pelago erramus, alii ſecundo curſu, alii adverſo: donec tandem omnes ad unum illum portum ſubterraneum navem appellimus. Ejus hi ſunt verſus:

Πλυς σφαλερος τε ζην. χειμαζομενοι γαρ εν αυτῳ.
Πολλακι ναυαγων πταιομεν οικτροτερα.
Την δε τυχην βιοτοιο κυβερνητειραν εχοντες,
Ὡς επι τυ πελαγευς αμφιβολοι πλεομεν.
Οἱ μεν επ' ευπλοιην, οἱ δ' εμπαλιν, αλλ' ἁμα παντες
Εις ενα τον κατα γης ὁρμον απερχομεθα.

Navigatio periculoſa Vita eſt: in ea enim cum fluctibus ſemper luctamur
Sæpe in naufragium impingimus miſeriter,
Atque Fortunam vitæ gubernatricem habentes
Ut in pelago incerti navigamus.
Alii quidem feliciter, alii vero contra,
Sed omnes tamen abimus ad unam, eamdemque ſtationem, quæ infra tellurem eſt.

Arma contra ferant) Plato de Legibus IX. docet, qui reip. hoſtes ſint cenſendi.

P. Africanum, & Q. Metellum) Eodem anno, Africanus ex Africa, Metellus ex Macedonia triumpharunt. Velleius Metelli cum inimicis contentiones, acres quidem, innocentes tamen appellat. Valerius lib. IV. cap. de Moderat. Animi, Africani, & Metelli contentionem ab æmulatione virtutum profectam, ad graves, teſtataſque inimicitias progreſſam fuiſſe ſcribit: ita tamen, ut eam præcipua veneratione deleverit moderatio. Plinius lib. VII. cap. 44. horum inimicitias inter calamitates Q. Metelli ducit. Sunt etiam, qui Metellum in ſuſpicionem rapiant, ut qui necis Africani conſcius, auctorve fuerit.

Nec

Nec vero audiendi &c.) Seneca Iram muliebre vitium eſſe ait. Verum, quis vitiorum expers? Plinius: *Qui vitia odit, homines odit*. Horatius:

---- *Vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille,*
Qui minimis urgetur.

Valens imperator ſolitus erat dicere, eum, qui ab ira facile recederet, facile etiam a juſtitia recedere.

Inimicis) Id eſt, iis, qui voluntate a nobis abhorrent, non hoſtibus.

Magnanimi, & fortis viri) Mimus Publianus,

Iratus etiam facinus conſilium putat.

Placabilitate) Quæ ad eos pertinet, qui concitati facile placantur.

Clementia) Seneca ait, Clementiam eſſe temperantiam animi in poteſtate ulciſcendi, vel lenitatem ſuperioris adverſus inferiorem in conſtituendis pœnis, eique non Severitatem opponit, quæ Iuſtitiæ proxima eſt, ut Mimus, ſed Crudelitatem, quæ puniendi cauſſam habet, modum non habet.

Iuris æquabilitate) Ισονομια.

Altitudo animi) Sic tredecim mei libri, & unus Tertii. Non diſplicet tamen, quod legitur in uno meo, *lenitudo animi*.

Intempeſtive accedentibus) Hinc Terentius. *In tempore ad eum veni: quod rerum omnium eſt primum*.

Impudenter rogantibus) Ea, quæ honeſte, ſineque ſumma noſtra fraude præſtare non poſſumus.

Moroſitatem inutilem) Ei, in quo eſt.

Odioſam) Aliis.

Reip. cauſſa) Vt tranquillitas, & honeſta diſciplina conſervetur.

Sine qua adminiſtrari civitas non poteſt) Nam licentia omnes deteriores ſunt: improbi vero magnitudine pœnæ, & ſupplicii gravitate a ſceleribus deterrentur. Lactantius in libro de Ira Dei docet, nullum imperium ſine ſeveritate poſſe conſtare.

Punit aliquem) *Punitur*, repoſui, ex Nonio Marcello; quo modo eſt & in quatuor meis libris. Sic locutus Tuſc. I. *Multi inimicos, etiam mortuos, puniuntur*. Et Phil. VIII. *Clariſſimorum hominum crudeliſſimam puniretur necem*. Et de Leg. *Vetari, queri*, dixit, pro, *vetare, querere*.

Verbis caſtigat) Male in Nonio, *fatigat*, pro *caſtigat*.

Iiſdem de cauſſis alii plectantur, alii ne appellentur quidem) Hinc Terentius: *Duo cum idem faciunt, ſæpe fit, ut poſſis dicere, hoc licet impune facere huic, illi non licet: non quod diſſimilis res ſit, ſed quod is, qui facit*. Et Iuvenalis:

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.

Et Anacharſis Solonis leges aranearum telis ſimiles eſſe putabat ut eſt apud Plutarchum in Solone. *Plectantur*, graviter puniantur; *Appellentur*: ne verbis quidem caſtigentur: quod modo dixit. Alii interpretantur, Appellare, judicium, actionem dictare, formulam intendere, λαγχανειν δικην. Hoc autem in Sulla Plutarchus notat.

Iratus qui accedet ad pœnam) Cic. Tuſc. IV. ait, Platonem ſervo, a quo offenſus fuerat, dixiſſe: *Quo te modo accepiſſem, niſi iratus eſſem?* Græca ſunt: Εκολασα αν, ει μη λιαν ωργιζομην.

Inter nimium, & parum) Vide Platonem de Rep. III. & Agellium lib. I. cap. ult.

Vtiliter) Si tantum ob egregias res iraſceremur: excitat autem animos ad ſeveritatem, & terrorem improbis incutit, qui lenitatem contemnunt: prodeſt igitur ſæpe iracundia, vel ſaltem ſimulatio iracundiæ.

Legum ſimiles) Cic. de Leg. III. *Vt magiſtratibus leges, ita populo præſunt magiſtratus: vereque dici poteſt, magiſtratum legem eſſe loquentem, legem autem mutum magiſtratum*. Plato ait magiſtratum debere legis eſſe ſervum, & famulum. Xenophon lib. VIII. de Pædia Cyri, Principem Legem videntem appellat. Pindarus quoque apud Plutarchum, Legem Reginam dicit.

CAPVT XXVI.

IN rebus proſperis) Difficilius enim res ſecundæ feruntur, quam adverſæ. Xenophon libro VIII. de Pædia Cyri. Δοκει δε μοι, ω Κυρε, χαλεπωτερον ειναι, ευρειν ανδρα ταγαθα καλως φεροντα, η τα κακα, τα μεν

γαρ

φερ ὕβριν τοις πολλοις, τα δε σωφροσυνην τοις πασιν εμποιει. Difficilius enim, o Cyre, mihi videtur, virum invenire, qui bona recte ferat, quam mala: Illa enim petulantiam multis, hæc vero omnibus temperantiam ingerunt. Hinc Horatius:

Sperat adverſis, metuit ſecundis
Alteram ſortem bene præparatum
Pectus.

Et illud,

Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis,
Nec facile eſt æqua commoda mente pati.

Ad voluntatem noſtram fluentibus) Alibi, *omnibus copiis circumfluere.*

Superbam) Hinc ille dimeter:

Αρχη τον ανδρα δεικνυσιν.
Regnum animum hominis demonſtrat.

Valerius lib. IX. cap. 6. multorum exempla enumerat, quos felicior fortuna meliores reddidit.

Faſtidium) Cum omnia, quæ videntur eſſe infra noſtram fortunam, faſtidio quodam rejicimus.

Arrogantiam) Quæ plus ſibi honoris tribui poſtulat, quam meretur: quæ ſe primam omnium eſſe vult, nec eſt.

Vt de Socrate) Qui eodem ſemper vultu fuiſſe dicitur. Cic. Tuſc. III. Seneca Epiſt. lib. XVIII. Plin. lib. VII. cap. 19. Solinus cap. 4. Agellius lib. II. cap. 1. Inconvenientem appellat, i. e. *ασκαρδαμυκτον*, ore, atque oculis eumdem in locum directis cogitabundum, tamquam quodam mentis, atque animi ſeceſſu facto a corpore. Ariſtophanes apud Laertium Socrati hoc vitio vertit: *Καφ' ἡμων σεμνοπροσωπει.* D. Hieronymus autem contra Pelagianos dialogo III. & in Eſaiam cap. 42. hoc de ipſo confingi cenſet.

A filio) Alexandro: cujus rebus geſtis Theophraſtus angebatur, Calliſthenis interitum deplorans. Cicer. Tuſc. III. Seneca lib. III. de Ira, Plutarchus, Q. Curtius, Arrianus, & Diodorus Siculus lib. XVI. Vide omnino Luciani dialogum, inter Alexandrum, & Philippum.

Quanto ſuperiores ſimus, tanto nos ſubmiſſius geramus) Chilon, unus ex ſeptem ſapientibus, apud Laertium: *Ισχυρον οντα πραον ειναι, ὁπως οι πλησιον αιδωνται μαλλον η φοβωνται. Potens ſi fueris, manſuetus eſto, ut alii te revereantur magis, quam formident.*

Panætius) Vide Velleium.

Tamquam in gyrum rationis, & doctrinæ) Quemadmodum enim equi in gyrum aguntur, nec ſuo impetu ferri ſinuntur: ſic non eſt committendum, ut homines fortunati ultra eos limites, vel dicendo, vel agendo, evagentur, quos ratio, & doctrina præſcribunt. Virgilius Georg. III. de equo:

Carpere mox gyrum incipiat, gradibuſque ſonare
Compoſitis.

Perſpicerent) Et cogitando, & diſcendo; nominavit enim rationem, & doctrinam.

Adulari) Adulatione circumveniri; paſſive dictum.

Tales enim nos eſſe putamus, ut jure laudemur) Terentius: *Hic homines ex ſtultis inſanos facit.*

Inflati opinionibus) Sic Iſocrates: *Ουκ ημειξας μετα της τυχης την φυσιν· ετι τον θυλακον εχεις δερματινον. θνητην εχεις εκ προοιμιυ την συστασιν, τι δητα το κενον τυτο δοξαριον επι τοσυτον τον πηλινον ασκον διεφυσησε· μεγαλης ανοιας ενεφορηθης, ω δυστηνε, και της φυσεως την γνωσιν αφηρηκαι.* Id eſt: *Non una cum fortuna mutaſti & naturam; adhuc pelliceo ſacco es amictus; nam tui ortus primordium mortale fuit; cur igitur inanis iſta gloriola luteum utrem ſic inflavit? Ingenti amentia repletus es, o infelix, & naturæ fragilis agnitione ſpoliatus.* Epicharmus: *Αυτα φυσις ανθρωπων ασκοι πεφυσημενοι: Hæc natura eſt hominum: utres ſunt inflati.* Anaxarchus corpus ſuum *ασκον*, id eſt, utrem appellavit: *Πτισσε*, ait tyranno, *τον Αναξαρχυ ασκον, Αναξαρχον γαρ υκ αν δυναιο. Contunde Anaxarchi utrem, Anaxarchum enim non poteris.* Ariſtophanes quoque:

Ανδρες αμαυροβιοι, φυλλων γενεη προσομοιοι·
Ολιγοδρανεες, πλασματα κηρυ, σκιοειδεα φυλαι,
Αμενηνοι, απτηνες, εφημεριοι.

Id eſt:

Viri obſcuræ vitæ; foliorum genti conſimiles,

Exi-

Exiguæ virtutis, *ſigmenta cerea*, *umbratile genus*,

Imbecilles, *involucres*, *unam dieculam viventes*.

Remp. regant) Vndecim mei, & Tertii, *Reſp. regant*.

Seſeque ſuarum rerum finibus continerent) Suum negotium agerent. Metaphora a limitibus agrorum.

Interjecti) Medii.

Re ſua familiari) Quam philoſophi non curant.

Non eam quidem omni rat. exagg.) Excludit avaritiam.

Neque excl.) Requirit benignitatem.

Quæ primum, &c.) Tria maxime præcipiuntur in re familiari.

Bene parta) Nunc

Vnde habeat nemo quærit: ſed oportet habere.

Nulloque turpi quæſtu) Quinque mei, & Tertii, *nullo neque turpi quæſtu*; unus, *neque nullo turpi quæſtu*; duo, *nullo turpi quæſtu*. *Turpi*: ſordido, inhoneſto. Natura, Lenocinium, militia mercenaria, latrocinium. Opinione qui manu ſibi victum quæritant. *Odioſo*: publicanorum, portitorum, fœneratorum.

Modo dignis) Nam non decet indignis opitulari.

Ratione) Quæ ſcilicet res uberiores fructus, & certiores reditus afferant.

Diligentia) Vt ipſe rem tuam cures, neque quidquam omittas.

Parcimonia) Magno vectigali: quod dixit in Paradoxis. Liberalitas dat, cum decet: Parcimonia ſervat, cum non dedecet: ut ſit, quod dare poſſit, cum opus eſt. Iſocrates Nicocli eam laudat. Et ſane recte nobiſcum ageretur, ſi ea uteremur. Verum ego quidem potius aliis hoc præcipio, quam ſciam ipſe uti.

Pateat) Omnes veteres libri, *pateat*; *pareat*, tamen, omnibus iis adverſantibus, magis placet.

Magnifice) Cum ſplendore, & gloria.

Graviter) Conſtanter, non leviter.

Animoſe) Abſque metu, & trepidatione.

Simpliciter) Non ſophiſtice.

Fideliter) Abſque perfidia, & negligentia.

Vitæ hominum amice) Humaniter, non tyrannice.

CAPVT XXVII.

SEquitur) Pro reliquum eſt. In prooemio lib. II. *Sequitur, ut hæc officiorum genera perſequar.*

Vna reliqua parte honeſtatis) Temperantia, de iis virtutibus, unde honeſtum, officiumque manat, quarta.

Quidam ornatus vitæ) Quem tribuit Plato temperantiæ, eſt enim Verecundia in vita humana tamquam flos quidam. Κοσμος τυτοις ἡ Σωφροσυνη εςι και ἡδονων τινων, και επιθυμιων εγκρατεια, ὡς φασι. *Ornamento his temperantia eſt, & a voluptatibus quibuſdam, & cupiditatibus abſtinentia, ut ajunt.*

Temperantia, & modeſtia) Tuſc. III. *Veriſimile illud eſt, qui ſit temperans, quem Græci σωφρονα appellant, eamque virtutem, σωφροσυνην vocant, quam ſoleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnunquam etiam modeſtiam.*

Omnis ſedatio perturbationum animi) Cic. ibidem: *Ejus videtur eſſe proprium, motus animi appetentis regere, & ſedare; ſemperque adverſantem libidini moderatam in omni re ſervare conſtantiam.*

Rerum modus) Quem ultra citraque nequit conſiſtere rectum. Horatius.

Πρεπον) Απο τȣ πρεπειν, decere: a περιπειν, ornare.

Ab honeſto) Απο τȣ καλȣ, a pulcro.

Nam &, quod decet, honeſtum eſt, &, quod honeſtum eſt, decet) Honeſtum, & Decorum, videntur inter ſe reciprocari: differunt tamen. Honeſtum enim ſemper eſt idem. Decorum vero mutatur, tempore, loco, & ætate; eſtque multiplex.

Tribus ſuperioribus) Iuſtitia, fortitudine, prudentia.

Pertinet ad omnem honeſtatem) Decorum cum omni virtute conſuſum eſt.

Secerni non poteſt) *Pulcritudo enim eſt apta figura membrorum, cum coloris quadam ſuavitate*, ut ait Cicero Tuſc. IV. D. Ambroſius hunc locum ſatis illuſtrat. Eius hæc ſunt: *Honeſtas velut bona valetudo eſt, & quædam ſalubritas corporis. Decus autem, tamquam venuſtas, aut pulcritudo ſit. Sicut ergo pulcritudo ſe-*

Digitized by Google

ſuperare ſalubritatem, ac valetudinem videtur excellere, ſine his tamen eſſe non poteſt, nec ullo ſeparari modo: quoniam, niſi bona valetudo ſit, pulcritudo eſſe, ac venuſtas non poteſt: ſic honeſtas decorum illud in ſe continet, ut ab ea profectum videatur, & ſine ea eſſe non poſſit. Velut ſalubritas igitur totius operis, actuſque noſtri honeſtas eſt. & ſicut ſpecies eſt decorum, quod cum honeſtate confuſum opinione diſtinguitur; nam, & ſi in aliquo videatur excellere, tamen in radice eſt honeſtatis, ſed flore præcipuo, ut ſine ea decidat, in ea floreat. Quid enim eſt honeſtas, niſi quæ turpitudinem, quaſi mortem, fugiat? quid vero inhoneſtum, niſi quod ariditatem, ac mortem afferat? Virente igitur ſubſtantia virtutis, decorum illud tanquam flos emicat, quia radix ſalva eſt. At vero propoſiti noſtri radice vitioſa, nihil germinat.

Moderatio) Ne vel nimium, vel parum fiat: ne quis ſibi nimium tribuat: ne in ulla re modum excedat.

Temperantia) Quæ moderatur eas voluptates, quæ tactu, & guſtu percipiuntur, nam aliorum ſenſuum voluptates minus illiberales habentur.

Specie quadam liberali) Adſpectu.

CAPUT XXVIII.

EX *eo decoro, quod poetæ ſequuntur*) Argumentum a minori; nam, ſi poetæ, multo magis philoſophi.

Æacus, aut Minos) Hi Iovis filii habiti ſunt, ac, propter ſummam juſtitiam, apud inferos judicare dicti ſunt. Vbi hi duo alii judices eſſe memorantur, Rhadamanthus, & Triptolemus.

Oderint, dum metuant) Vox tyrannica, hominum, qui populi de ſe exiſtimationem contemnant, Ciceroni, & Senecæ celebris. Lib. II. ex Ennio citatur.

Natis) Tantalo Plyſtheni, Harpagi, quos Atteus Thyeſti fratri comedendos appoſuit, ad quod facinus ſol oriens creditus fuit receſſiſſe.

Parens) Thyeſtes, cui filios epulandos frater Atreus appoſuit, ut dixi, quod ait Seneca in Thyeſte, & Horatius de Arte poet. Ennius etiam, & Maternus ſcripſere Thyeſtem; Attius Atreum. Fabula eſt apud Hyginum cap. 88. & 244. 258.

Atreo) Plato in Cratylo eum dictum quaſi ατηρον, aut ατρεσον, putat, ab immanitate naturæ: quod nullam noxam, nullum facinus reformidaret, intractabilis eſſet, nec ulla humanitatis ratione flexilis.

Nobis autem perſonam impoſuit ipſa natura) Id eſt, Deus; vita autem noſtra nihil aliud eſt, quam fabula, quæ in ampliſſimo hujus Mundi theatro agitur.

Pulcritudo corporis) Tuſc. IV. *Vt corporis eſt quædam apta figura membrorum, cum coloris quadam ſuavitate, eaque dicitur pulcritudo: ſic in anima opinionum, judiciorumque æqualitas, & conſtantia cum firmitate quadam, & ſtabilitate virtutem ſubſequens, aut virtutis vim ipſam continens, pulcritudo vocatur.*

Ordine) Vt ſuo loco, & tempore fiant omnia.

Conſtantia) Vt rationi ſemper obediat appetitus.

Moderatione) Vt ne vehementiores naturæ impetus ſequamur in dicendo, & agendo.

Adhibenda eſt igitur quædam reverentia adverſus homines, & optimi cujuſque, & reliquorum) Sic lego, cum omnibus antiquis libris; nec repugnat ſententia. Adhibenda eſt, inquit, reverentia adverſus homines. Deinde ſe ipſe interpretatur. Reverentia & optimi, & reliquorum; omnes enim revereri debemus, ſed primum optimos, deinde reliquos, ita, quod univerſe dixerat, Adverſus homines, diſtinxit, ſubjungens, Et optimi, & reliquorum. Illud autem, Adverſus homines, pendet a verbo, Adhibenda eſt; hoc, Et optimi cujuſque, & reliquorum, a verbo reverentia.

Negligere quid de ſe quiſque ſentiat, &c.) Iſocrates Philippica oratione: Μικροψυχιαν ειναι, το εω βλασφημουντων, και φλυαρουντων, και των πειθομενων τουτοις φροντιζειν αλλως τε όταν και μηδεν σαυτω συνειδης εξαμαρτανων. Id eſt: *Puſilli eſſe animi, maledicos, & nugatores, & eos, qui illis aures præbent, curare, præſertim ſi tibi ſis nullius delicti conſcius.* Idem ibidem: Χρη μη καταφρονειν του πληθους, μηδε παρα μικρον ἡγεισθαι, το παρα πασιν ευδοκιμειν. *Non contemnendus eſt populus, nec parvi æſtimandum laudari*

dari ab omnibus. Vide Ariſtot. Eth. IV. cap. 4.

Diſſoluti) Diſſolutus eſt, qui nimium indulget. Fam. lib. V. epiſt. 2. *Cognoſce nunc humanitatem ſuam: ſi humanitas appellanda eſt in acerbiſſima injuria remiſſio animi, ac diſſolutio*. In ep. ad M. Brutum: *Neque diſſolutum a te quidquam homines exſpectant, nec crudele*.

In omni ratione habenda) In quacunque re: cum aliquid agendum agimus in vita. Ita decem mei veteres libri. Unus, *Omnium*. Tres, *Hominum*. Tertii, *Hominem*.

Quod acutum, quod accommodatum, quod vehemens) Tres virtutes ſignificat, Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem; quas hoc ipſo ordine jam attingit.

Duplex eſt enim vis animorum, atque naturæ) De animis, non de natura, loquitur Cicero, ipſorumque animorum vim, naturamque deſcribit; itaque non dubito, quin legendum ſit, *vis animorum, atque naturæ*. Adjuvat conjecturam noſtram conſuetudo Latini ſermonis; quod enim Græce dicitur, φυσις, duobus verbis, *vis*, & *natura*, Cicero dixit; ut in libro de Amicitia: *Me quidem non fructus modo, ſed etiam ipſius terræ vis, atque natura delectat*. Et in Somnio Scipionis: *Hæc eſt natura propria animæ, atque vis*. Tuſc. I. *Singularis eſt quædam natura, atque vis animi*. De Div. lib. II. *Animorum eſt ea vis, atque natura, ut vigeant vigilantes*. De Leg. II. *Videamus vim, naturamque legis*. Hæc autem doctrina ſumta eſt ex Ariſtotele, qui libro I. Pol. Το ζωον, inquit, πρωτον συνεστηκεν εκ ψυχης, και σωματος. ὡν το μεν αρχον εστι φυσει, το δε αρχομενον. *Animal autem primum ex anima, & corpore conſtat, quorum alteri imperium gerit natura, alterum imperio paret*. Et paullo poſt: Ἡ μεν γαρ ψυχη του σωματος αρχει, δεσποτικην αρχην· ὁ δε νους της ορεξεως, πολιτικην, και βασιλικην. εν οις φανερον εστιν, ὁτι κατα φυσιν, και συμφερον, το αρχεσθαι τῳ σωματι ὑπο της ψυχης, και τῳ παθητικῳ μοριῳ ὑπο του νου, και του μοριου του λογον εχοντος. *Animus enim in corpus imperium herile obtinet: mens autem in appetitum, civile, & regium. In quibus perſpicuum eſt, conſentaneum eſſe naturæ, atque expedire & corpori, animo ſervire, & ei animæ particulæ, quæ ad motus ſuſcipiendos valet, mentis, ejuſque particulæ, quæ ratione prædita eſt, imperio parere*. Et infra: Τουτο ευθυς ὑφηγηται περι την ψυχην. εν ταυτῃ γαρ εστι φυσει το μεν αρχον, το δε αρχομενον. ὡν ἑτεραν φαμεν ειναι αρετην, του λογον εχοντος, και του αλογου. *Atque hoc ſtatim in anima promtum atque explicatum eſt. In ea enim alterum eſt, quod præſit naturæ; alterum, quod imperio ſubjectum; quorum virtutes diſpares inter ſe ac diſſimiles eſſe dicimus, videlicet ejus, quod rationis eſt compos, & ejus, quod rationis expers eſt*. Et lib. III. Ἐξ ανομοιων ἡ πολις ὡσπερ ζωον ευθυς εκ ψυχης, και σωματος, και ψυχη εκ λογου, και ορεξεως. *Ex diſſimilibus conſtat civitas, quemadmodum animans ex animo & corpore, animus humanus ex ratione & appetitione*. Et lib. VII. Διῃρηται δυο μερη της ψυχης, ὡν το μεν εχει λογον καθ' αυτο, το δε ουκ εχει μεν καθ' αυτο, λογῳ δε ὑπακουειν δυναμενον. *Duæ autem animi partes diſtinctæ ſunt, quarum altera ratione prædita eſt per ſe, altera non habet illa quidem rationem per ſe, ſed rationi obtemperare poteſt*. Et ibidem, infra: Ὡσπερ ψυχη, και σωμα δυ' εστιν, οὑτω και της ψυχης ὁρωμεν δυο μερη, τοτε αλογον, και το λογον εχον, και τας ἑξεις τας τουτων δυο τον αριθμον, ὡν το μεν εστιν ορεξις, ὁ δε νους. *Quemadmodum animus & corpus duo ſunt: ſic & animi duas eſſe partes videmus, unam rationis expertem, alteram rationis participem: & duos harum partium habitus quorum alter appetitus, alter mens*. Adverſantur omnes veteres libri.

ΟΡΜΗ, *Græce*) De Nat. Deor. II. *Voluntarios mundi motus* ὁρμας *appellat*.

CAPUT XXIX.

H*Æc vero agere quidquam*) Hoc durius quibuſdam videtur: Actio non debet agere quidquam; mihi non item. In ipſa enim actione includitur is, qui agit; quaſi dicat: Cum aliquid agis, temeritatem vita, nec vero quidquam agas, cujus non poſſis cauſſam probabilem reddere. Quæ poſtrema verba ſententiam meam confirmant: & cum ſententia conſentiunt ve-

Digitized by Google

veteres libri. Nam ſi, pro, *agere*, legatur, *agi*, quod aliis placet, unde pendeat, intelligere non queo; non enim eſt, ut referri poſſit ad ſuperius verbum, *debet*: ne verbum idem & perſonale ſimul, & imperſonale, quo modo Grammatici loquuntur, eodem in loco velimus eſſe.

Officii) Medii. Supra: *Medium officium id eſſe, quod cur factum ſit, ratio probabilis reddi poſſit.*

Præcurrunt) Quod equi præceleres facere ſolent.

Evagantur) Vt equi ferociores.

Exultantes) Qualis Chærea apud Terentium.

Non ſatis a ratione retinentur) Virgilius:

> *Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.*

Iſocrates: Ὅταν δ' νȣς ὑπ' οἰνȣ διαφθαρῃ, ταυτα πασχει τοις αρμασι, τοις τȣς ἡνιοχȣς αποβαλλȣσιν. *Cum enim vino mens corrupta fuerit, idem ei, quod curribus evenit, e quibus aurigæ ſunt excuſſi.*

Cui ſunt ſubjecti lege naturæ) Ariſtoteles Polit. I.

Licet ora ipſa) Vt in comœdiis, tragœdiis, poematis heroicis. Homerus initio ipſo Il. I.

> *Ἥρως Ατρειδης, ευρυκρειων Αγαμεμνων,*
> *Αχνυμενος, μενεος δε μεγα φρενες αμφιμελαιναι*
> *Πιμπλαντ' οσσε δε οι πυρι λαμπετοωντι εἰκτην.*

Id eſt:

> *Heros Atrides late imperitans Agamemnon,*
> *Concitus incenſo circum præcordia felle,*
> *Sanguinea ora tument, oculis micat acribus ignis.*

Vt ad officii formam revertamur) Attende, quæ ſit Officii forma.

Contrahendos) Vt equos ferocientes.

Sedandoſque) Vt populum ad ſeditiones ſpirantem.

Ludum, & jocum) Proverbium ſapit. Ita in Verrem: *Per ludum, & jocum evertere aliquem.* Terentius: *Hic vero eſt, qui, ſi amare occeperit, ludum jocumque dices fuiſſe illum alterum, præut hujus rabies quæ dabit.*

Et ad quædam ſtudia graviora, atque majora. Ariſtot. Polit. VIII. Ει γαρ αμφω μεν δει, μαλλον δε αἱρετον το σχολαζειν της ασχολιας, και ὁλως ζητητεον τι ποιȣντας δει σχολαζει. ȣ γαρ δη παιζοντας· τελος γαρ αναγκαιον ειναι τȣ βιȣ την παιδιαν ἡμιν. *Si enim utrumque adhibendum eſt, otium tamen negotio præponendum eſt: etiam quærendum eſt omnino, quid ſit in otio faciendum. Non enim ludendum, alioqui finis vitæ humanæ propoſitus, neceſſario ludus eſſet.*

Ludo autem, &c.) Objectioni per occupationem reſpondet.

Vti illis quidem licet) Ita ſeptem mei libri, ſeptem alii, & Tertii, *illo*.

Somno) Plutarchus in Homeri vita: Των δε καταβαρυντων το σωμα καματων ιαμα τον ὑπνον ειναι, η γαρ φυσις απαιτει το κεκμηκος σωμα αναπαυεσθαι. *Somnum autem defatigato corpori mederi. Natura namque expetit, ut corpus labore defeſſum requieſcat.* Vices quietis, & laborum prodeſſe, ipſius Homeri verbis docet: Ανιη και πολυς ὑπνος. *Moleſtus eſt & multus ſomnus.* Et alibi: Ανιη και το φυλασσειν παννυχον εγρησσοντα. *Moleſtum eſt etiam excubare tota nocte vigilantem.* Reddit cauſſam, cur ſomnus ſit remedium corporis labore fatigati.

Quietibus ceteris) Ita octo mei libri, & Tertii: duo, *quietis*: quatuor, *ceteris quietibus*.

Ingenuum, & facetum) Lib. II. de Oratore.

Vt enim pueris) Quinct. lib. I. cap. 3. Cicero pro Cœlio. Nam

> *Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem*
> *Teſta diu.*

Horatius ait Epiſt. lib. I.

Alter elegans) Cic. ad Cornelium Nepotem lib. II. apud Macrobium: *Itaque noſtri, cum omnia, quæ dixiſſemus, Dicta eſſent, quæ facete, & breviter, & acute locuti eſſemus, ea proprio nomine appellari Dicteria voluerunt.*

Plautus noſter) Contra Horatius in Arte:

> *At noſtri proavi Plautinos & numeros, &*
> *Laudavere ſales: nimium patienter utrumque.*

Sed Varro, apud Quinctilianum, Plauti ore Muſas locutas ait; Terentium

tium tamen præponit, ex Ælii Stolonis ſententia. Macrobius quoque Sat. lib. II. cap. 1. *Animadverto duos, quos eloquentiſſimos antiqua ætas tulit, comicum Plautum, & oratorem Tullium, eos ambos etiam ad jocorum venuſtatem ceteris præſtitiſſe.* Plautus quidem ea re clarus fuit, ut poſt mortem ejus comœdiæ, quæ incertæ ferebantur, Plautinæ tamen eſſe, de jocorum copia, noſcerentur, &c.

Atticorum antiqua comœdia) Quinctil. negat Latinis Atticam Venerem in comœdiis conceſſam. Antiqua autem comœdia ſumma libertate nominatim omnes reprehendit, quod Alcibiades poſtea antiquavit.

Philoſophorum Socraticorum) Hoc ſatis apparet ex Platonis dialogis.

A Sene Catone) Macrobius lib. II. cap. 1. Catonem cenſorium argute jocari ſolitum ſcribit, Plutarchuſque apophthegmata ejus inter cetera Romana multa commemorat.

Αποφθεγματα) Quinctil. lib. VI. cap. 4.

Tempore) In loco opportuno: vel, ex tempore: nam joci eſſe debent ſubjeti.

Remiſſo animo) Tum ſe quis jucunditati dedit, cum res graves & ſeriæ non tractantur: unde Iſocrates ait: *Μηδε περι τα γελοια σπουδαζειν, μηδε περι τα σπουδαια τοις γελοιοις χαιρειν· το γαρ ακαιρον, πανταχου λυπηρον. Non in ridiculis ſerias res agere, neque ſeriis in rebus nugis gaudere: intempeſtiva enim, ubique moleſta ſunt.*

Vt ne nimis omnia profundamus) Alii mutant ex ingenio, mendoſum ſuſpicantes verbum, *omnia*; ego ſequor veteres omnes libros. Eſt autem ſententia, Ne nimis omnia profundamus: ea ſcilicet, quæ profundi ſolent in luſu: ut riſus, clamor, ſermonis libertas, motus etiam carnis: quæ moderanda ſunt.

Elatique voluptate) Tum enim eſt deſinendum, cum ludus ſit optimus.

Campus noſter) Martius: qui erat, ubi nunc eſt templum D. Laurentii in Lucina. Olim Tarquiniorum ager, de quo Plut. in Poplicola, Dionyſ. lib. V. Liv. lib. II.

Studia venandi) Canes ad venandum laudat Terentius. Plato id quoque in Legibus probat: & eo maxime probat, quod hoc juventuti regionis devia explorata fiunt.

CAPVT XXX.

Beſtiis antecedat) *Belluis*, octo libri. *Antecellat*, unus: alius utrumque habet, ſic, *Beſtiis antecellat*, antecedat.

Nihil ſentiunt) Nam beſtiæ uni voluptati addictæ ſunt, nihil præterea curant: unde Horatius:

Me nitidum, & pinguem, & bene curata cute viſes,
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.

Hominis mens diſcendo alitur) Iſocrates ad Demonicum: *Τα μεν γαρ σωματα τοις συμμετροις πονοις· ἡ δε ψυχη τοις σπουδαιοις λογοις αυξεσθαι πεφυκε. Nam ut moderatis laboribus corpora, ita honeſta doctrina mentes augeri ſolent.*

Modo ne ſit ex pecudum genere) Quæ nihil boni, malive fugiunt, ſed naturam ducem ſequuntur, rationem negligentes.

Non re ſed nomine) Ab humanitate enim longiſſime abſunt.

Paulo erectior) Non humi abjectus animo, & cogitatione.

Diffluere luxuria) Omnibus libidinibus frenos laxare.

Delicate ac molliter vivere) Genio indulgere; & ut Demoſthenes loquitur, *απαντα προς ἡδονην ζητειν, omnia ad voluptatem quærere.*

Parce) Ne quis ſumtus fiat in res ſupervacaneas, quo conſervatur res familiaris, & injuriæ, ac malæ artes vitantur.

Continenter) Coercere libidinem, imperare voluptatibus.

Severe) Cogitationi rerum gravium, & utilium eſſe intentum, aut rei familiari, aut philoſophiæ dare operam.

Sobrie) Cibo, & potu ad conſervandam tantum valetudinem uti, non autem crapulæ ſe dedere.

Vt enim in corporibus magnæ diſſimilitudines ſunt) Ariſt. Polit. *Ει δ' εστι τουτο επι του σωματος αληθες, πολυ δικαιοτερον επι της ψυχης τουτο διωρισθαι. Si de corpore hoc vere dicitur, multo æquius eſt de animo hoc ipſum eſſe aſſerendum.*

Aliis

Digitized by Google

Aliis dignitatem ineſſe, aliis venuſtatem) Virile quiddam Dignitas, muliebre Venuſtas habet. Infra: *Dignitas autem ipſo vultu, & habitu corporis auctoritatem, & majeſtatem quamdam præ ſe fert; Venuſtas autem ad ſui amorem allicit.*

Sic & in animis) Salluſtius, Catilina: *Sua cuique ſatis placebant*. Quo loco vide noſtra Scholia.

L. Craſſo) Eloquentiſſimo: quem Cicero in libris de Oratore diſputantem, facit. Ei Quinctil. παῤῥησίαν, Tacitus gravitatem tribuit.

L. Philippo) Diſerto, & erudito. De Orat. II. & in Bruto.

De induſtria) Terentius: *Parum intereſſe cenſes, omnia ut fert natura faciat, an de induſtria?*

C. Cæſare L. filio) Catuli patris fratre.

M. Scauro) De quo ſupra a nobis dictum eſt.

M. Druſo) Quem gravem fuiſſe, ait in Bruto.

C. Lælio) De hoc dicemus in Dialogo de Amicitia.

Scipione) Quem Fannius in Annalibus εἴρωνα appellat. De Orat. II. in Bruto, & in Tuſc.

Simulatorem, quem εἴρωνα Græci nominaverunt) Quamquam *diſſimulare*, & *ſimulare* inter ſe differant, cum diſſimulentur vera, id eſt occultentur ea, quæ ſunt: ſimulentur falſa, id eſt fingantur eſſe, quæ non ſunt: & Ironiæ verbum Diſſimulatione verius exprimi videatur, quam Simulatione: quo modo expreſſit Cicero ipſe lib. II. de Orat. & IV. Acad. ferri tamen poteſt hoc in loco *ſimulatorem*, pro εἴρωνα: non ſolum quia veteres libri cum vulgatis conſentiunt omnes, verum etiam, quia, ſi quis aciem ingenii ad veritatem intendat, poſſe alterum pro altero accipi, fortaſſe non negabit. Diſſimulator enim, & Simulator, diverſum quaſi iter habent, eodem tamen æque tendunt; quid enim differant, ſi de doctiſſimo homine dixero: Diſſimulat, ſe quidquam ſcire, ſimulat ſe nihil ſcire: nonne utroque modo ironia utetur? Recte igitur hic & *ſimulatorem*, & *diſſimulatorem*, legi poteſt: ſed, quod antiqua probant exemplaria, id, cum tuto ſequi liceat, negligere, & improbare non debemus.

Socratem) II. de Orat. Acad. IV. In Bruto: *Ego ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuiſſe, qua ille in Platonis, Xenophontis, & Æſchinis libris utitur, facetam, & elegantem puto*. Quinctilianus lib. IX. cap. de figuris: *Vita univerſa ironiam habere videtur, qualis eſt in vita Socratis; nam ideo dictus εἴρων, hoc eſt agens imperitum, & admirator aliorum tamquam ſapientium*. Seneca lib. V. de beneficiis, cap. 6. *ejus ſermonem per figuras procedere, & omnium deriſorem, maxime potentium, fuiſſe* dicit. Timon apud Laertium hanc ironiam ei vitio vertit, hoc verſu:

> Μυκτὴρ, ῥητορομυκτος, ὑπαττικὸς εἰρωνευτής.
>
> *Deriſor, Rhetores ſubſannans, ſubatticus, ironicus.*

Pythagoram) Cujus tanta fuit auctoritas, ut in proverbium abierit, Αὐτὸς ἔφη. In Tuſc. D. Aug. lib. II. de Orig. Exiſtit ejus vita apud Laertium.

Periclem) Summæ apud Athenienſes auctoritatis: quippe qui ea ipſis perſuaderet, quæ minime volebant. Plut. in ejus vita, Plato Alcibiade priore. Thucyd. lib. II. Iſocrates pro pace, Cic. de Orat. III. Valer. lib. VIII. cap. 9. Iuſtinus lib. III.

Hannibalem) Livius, Valerius lib. VII. cap. de Stratagem.

Q. Maximum) De quo ſupra.

Præripere hoſtium conſilia) Sophocles Ajacis initio:

> Αἰεὶ μὲν, ὦ παῖ Λαρτίου, δέδορκά σε
>
> Πεῖράν τιν' ἐχθρῶν ἁρπάσαι θηρώμενον.
>
> *Semper quidem, o Fili Laertii, vidi te*
>
> *Molimen aliquod hoſtium deprehendere captantem.*

Themiſtoclem) Socrates apud Xenophontem Pericli incantantiones, huic varias artes in adminiſtranda reip. tribuit.

Pheræum Iaſonem) Qui niſi eſſet per inſidias interfectus, bellum adverſus Perſarum regem; dux electus univerſæ Græciæ conſenſu, geſſiſſet. Val. Max. lib. IX. cap. 10. & lib. I. Plut. in Apophthegm. Epaminondam Thebanum auro tentaſſe dicit.

Factum Solonis) Nam, cum inter Athe-

thenienſes, & Megarenſes de proprietate Salaminæ inſulæ prope uſque ad interitum armis dimicatum eſſet, poſt multas clades capitale eſſe apud Athenienſes cœpit, ſi quis legem de vindicanda inſula tuliſſet. Sollicitus igitur Solon, ne aut tacendo parum reip. conſuleret, aut cenſendo periculum ſibi ſtrueret, ſubitam dementiam ſimulat: cujus venia non dicturus modo prohibita, ſed facturus erat: deformis habitu, more vecordium in publicum evolat, factoque concurſu hominum, quo magis conſilium diſſimularet, inſolitis ibi verſibus ſuadere populo cœpit, quod vetabatur: omniumque animos ita cepit, ut extemplo bellum adverſus Megarenſes decerneretur, inſulaque, devictis hoſtibus, Athenienſium fieret. Iuſtinus lib. II. Plut. in ejus vita. Verſus exſtant apud Laertium:

Ιωμεν εις Σαλαμινα, μαχησομενοι περι νησου
Ιμερτης, χαλεπον τ' αισχος απωσομενοι.

Eamus Salaminem pugnaturi de inſula
Expetibili, moleſtumque dedecus amoturi.

Sullam) Vide ejus vitam apud Plutarchum.

M. Craſſum) Sordidiſſimus fuit: vide eumdem Plutarchum.

Lacedæmonium Lyſandrum) Et idem Plutarchus.

Callicratidam) Hunc Cyri moram, a quo ſtipendium petierat, ægre tuliſſe, ſcripſit Xenophon Ελληνικων lib. I. & Plut. in Apophthegm. Lacon.

Alium quidem, quamvis præp.) Veteres libri partim habent Quemque, pro Quidem; partim, Qui. Pater meus legebat, Alium quemdam, quamvis præp.

Vnus de multis) Ob ſuavitatem, ſonumque dulcem: in libro de Claris Orat. Hic ad laudem refertur alibi, Vnus de multis, ad infamiam. Græci, Εις των πολλων. Lucianus in Somnio.

Catulo, patre, filio) Cicero in Bruto.

Q. Mucio Mancia) Mancia, gentium Romanarum cognomen, ut Helviorum, apud Val. Max. lib. VI. cap. 2. & apud Cic. lib. II. de Or. mendoſe legitur *Helmius Mancia*. Ex qua poſtea gente Pertinacem fuiſſe, antiqui lapidis inſcriptio, in Capitolio Romano, perſpicue oſtendit. Quam ideo volui hic ponere, quod paucis abhinc annis eſt reperta, & nondum a quoquam divulgata. Eam autem Roma ad me miſit, quo tempore effoſſa eſt in vinea nobiliſſimi viri Io: Baptiſtæ Stallæ, Iulius Iacobonius: quem, ob miras ingenii ſuavitates, & ob veterem familiaritatem, antiquarumque rerum peritiam, unice diligo. Helvius quoque Cinna poeta nominatur ab Agellio lib. XIX. cap. 13. Ex veteribus libris, alii, *Mantiniano*; alii *Numacio*: alii, *Macia*, duo, *Mancia*. Hanc inſcriptionem vide apud Reineſium. Eſt in ejus Synagoge in capite decimo prima.

CAPUT XXXI.

QVo faciliùs) Vnde Horatius:

Naturam expellas furca, tamen uſque recurret.

Naturam univerſam) Decorum generale.

Propriam naturam) Decorum ſpeciale.

Naturæ regula metiamur) Metaphora a fabris. Sic Horatius dixit: Quemque ſe ſuo modulo, ſuoque pede metiri.

Sequi aſſequi) Παρονομασια.

Invita Minerva) Horatius:

Tu nihil, invita, dices, facieſve Minerva.

Naturarum) Ingeniorum.

M. Cato) De cujus obitu Plut. in ejus vita, & in Cæſare, & in libello, Quod eruditio in principe requiratur, Lucanus lib. IX. Appianus lib. II. Florus lib. IV. cap. 2. epit. Liv. CXIV. Oroſ. lib. VI. cap. 16. Eutropius lib. VI. cap. 5. Seneca Suaſ. VI. & epiſt. 24. Valer. lib. III. cap. 2. Agell. lib. XIII. cap. 18. Lact. de falſa Sap. cap. 15. negat Catonem tam ob id necem ſibi conſciviſſe, ut Cæſaris tyrannidem effugeret, quam ut Stoicorum mandato obtemperaret. Quam vero recte hoc fecerit, diſputat Auguſtinus lib. I. cap. 13. de Civ. Dei. Maternus olim ediderat tragœdiam Catonis nomine.

Alia ceteri) Non idem omnes decet.

Atque veteris forſitan vitio datum eſſet

ſet) Eleganter ſæpe uſurpat Cicero, *atque*, initio ſententiæ, ut lib. III. *Atque, ſi etiam hoc natura præſcribit*. Et hoc libro prope finem; *Atque illi, quorum ſtudia, vitaque omnis in rerum cognitione verſata eſt*. Quem ipſum quoque locum, ignoratione Latini ſermonis, non defuere, qui mutandum cenſuerint, reponentes, *atqui*, pro, *atque*: cum ſit diverſa utriuſque particulæ ſignificatio, & cum utraque ſuum locum obtineat ita apte, ut extrudi nullo modo debeat. Quod aliis probare exemplis, putidum fortaſſe videatur. Tres mei libri habent, *atque*. Itaque, licet, *atqui*, reliquerim, mihi tamen, *atque* magis arridere, lectorem admoneo; non enim ſimul apte cohærent; *atqui*, *forſitan*; cum in altero confirmatio ſit, in altero dubitatio.

Moriendum potius, quam tyranni vultus adſpiciendus fuit) Ergo hæc ſcripta ſunt, Cæſare mortuo. Ceterum Theocritus aliud ſenſit, cujus hæc ſunt:

Θαρσειν χρη, φιλε Βαττε, ταχ' αυριον εσσετ' αμεινον.

Αλλοκα μεν χ' ω Ζευς πελει αιθριος, αλλοκα δ' ὑει.

Ελπιδες εν ζωοισιν, ανελπιστοι δε θανοντες.

Id eſt:

Fidere oportet, amice Batte: cras forſan melius habebis,

Nunc quidem Iuppiter claro eſt æthere, nunc pluit.

Spes in viventibus: ſine ſpe autem mortui.

Circe) Homerus Odyſſ. ι. Hyginus cap. 125.

Calypſo) Homerus Odyſſ. & δ. & ε Hyginus ibidem.

Servorum) Melanthii. Odyſſ. ρ.

Ancillarum) Melanthus. Odyſſ. σ.

Quod cupiebat) Cupiebat autem occidere procos, & Penelope uxore quiete frui. Odyſſ. χ. Dict. Cret. lib. VI.

Ajax) Telamonius exſtat Sophoclis tragœdia. De eo Hom. Il. ο. Ovid. XIII. Metam. Hyginus cap. 107.

Acrem judicem) Severum, non ſui nimis amantem; φιλαυτια enim abeſſe debet.

Epigonos) Attii tragœdiam: citatur a Nonio.

Medum) Pacuvii tragœdiam. Feſtus, Cariſius, Priſcianus, Nonius,

Menalippam) Attii: Feſtus, Nonius.

Clytemneſtram) Attii. Priſcianus, Nonius.

Æſopus) Quem Cicero pronunciando imitatus eſt. Plut. in vita Cic. Macr. lib. III. cap. 4. Vide Quinctil. lib. II. cap. de pronun. concitatiorem Roſcium, hunc graviorem dicit. De ejus luxu vide Plinium lib. X. cap. 51. & lib. XXXV. cap. 12.

CAPUT XXXII.

Q. *Mucius P. filius*) Quinctil. lib. XII. cap. 3. Agellius lib. VIII. cap. 14.

Pauli filius Africanus) Pauli Æmilii, qui de Perſe Macedonum rege, triumphavit. De quo Velleius lib. II. *Eodem*, inquit, *tempore P. Scipio Æmilianus, vir avitis P. Africani, paternisque L. Pauli virtutibus ſimillimus, omnibus belli, ac togæ dotibus, ingeniique, ac ſtudiorum eminentiſſimus ſæculi ſui, qui nihil in vita, niſi laudandum aut fecit, aut dixit, aut ſenſit*.

Addunt aliquam ſuam) Contra Homerus:

Οι πλεονες κακιυς, παυροι δε' γε πατρος αρειυς.

Plerique pejores, pauci vero parentibus meliores.

Et Horatius:

Ætas parentum pejor avis tulit

Nos nequiores, mox daturos

Progeniem vitioſiorem.

Timotheus, Cononis filius) Diſcipulus Iſocratis, qui præceptori æream imaginem dicavit. Cic. de Orat. III. & Plut. in Ciceronis vita. Tam in capiendis urbibus hic felix fuit, ut eſſet pictus dormiens, rete manu tenens, in quod ipſa fortuna urbes coniiciebat: rex Athenienſium. Plut. in Apophthegm. & Suidas.

Obſcuris orti parentibus) Vide Valerium Max. lib. III. cap. 4. & Lucianum in Somnio.

Conſtituendum eſt) Vitæ genus conſiderate deligendum.

Imbecillitas conſilii) Quæ ſenum prudentia eſt regenda, ut alibi dixit.

Apud Xenophontem) Lib. II. Memorabilium. Vide & Fam. lib. V. ep. 12.

Digitized by Google

12. ad Lentulum, Quinct. lib. IX. cap. 2. Maximum Tyrium ſer. 4.

Exiſſe in ſolitudinem) Apud Ter. *Simo venit meditatus alicunde ex ſolo loco: orationem ſperat inveniſſe ſe, qua differat filium*. Quod ex Menandro ſumtum Donatus ait, cujus hæc ſunt: *Ευρετικην ειναι φησι την ερημιαν, οἱ τας οφρυς αιροντες. Solitudinem inventricem eſſe ajunt, qui ſupercilia attollunt.*

Herculi, Iovis ſatu edito) Vt in fabulis. Plautus Amphitr. Herculis fabuloſam genituram celebravit. Sapit hoc phraſim poeticam. Petrus Victorius, vir in litteris ſumma cum laude verſatus, Var. lect. l. XVII. c. 12. legit, *Herculi, Iove ſato, pot.* &c. Cujus conjecturam confirmare videntur veteres libri; nam ſeptem habent, *Herculi, Iovis ſato, pot.* Vnus, *Herculi, Jovi ſato, pot.* Vnus, *Herculi, Iovis nato, p.* Quod eſt gloſſema ad τo *Sato*. Vnus, *Herculi, Iovis ſato audito*. Vnus, *Herculi, Iovis ſatu edicto*. Tres, & Tertii faciunt cum impreſſa lectione.

Imitamur, quos cuique viſum eſt) Voluntatis libertas conceditur nobis ad imitandum.

Plerumque autem) Sic veteres omnes libri. Nonius in *Imbuere*, Plerique, legiſſe videtur.

Moremque) *Moreſque*, apud Nonium. *Morem*, id eſt, confirmatam conſuetudinem. Plutarchus parentum vitam filiis tamquam ſpeculum propoſitum vult, in libello de Educ. Puer.

Major parti) Quam vincere meliorem, ait Livius.

Sive, ſive, ſive) Recta vitæ via unde contingat. Alludit ad tria hominum genera, ab Heſiodo nobis propoſita.

CAPUT XXXIII.

QVo *modo quiſque natus eſt*) Sic naſci poeta verius dicitur, quam fieri.

Nec in ullo officio claudicare) Pro, ne in ullo officio claudicemus.

Poteſt autem accidere) Homines enim ſumus, quorum Errare eſt proprium. Terent. Adelphis:

Cenſen' me hominem eſſe? erravi.

Amicitias magis decere ſenſim diſſuere, quam repente precidere) In Lælio: *Tales amicitiæ ſunt remiſſione uſus elevandæ, & ut Catonem dicere audivi, diſſuendæ magis, quam diſcindendæ. Diluere*, eſt in decem meis, & Tertii.

Ne vitia ſint imitanda) D. Hieronymus apol. contra Rufinum ait, magiſtrorum non vitia, ſed virtutes eſſe imitandas.

Hunc) De quo ſæpe mentionem facimus: vel, propiorem ætati noſtræ.

Paulo) *Hunc*, ait Velleius, *Scipionis filium, nihil de paterna majeſtate, præter ſpeciem nominis, vigoremque eloquentiæ retinuiſſe.*

Quam ille fuerat ſui) Sui ſcilicet patris ſimilis, qui, imperator, poſt multas in Hiſpania victorias, occubuit.

Cauſſas defenſitare) Miti verbo uſus eſt, pro, *cauſſas agere*; nam accuſant etiam ſæpe oratores.

Concionibus tenere) Delectare, non tantum docere, & movere.

Bella gerere) Nam Romana reſp. & oratoria facultate, & rei militaris ſcientia plurimum valuit.

Quæ erunt in ipſius poteſtate) Hinc Plautus:

Ingenio, non ætate, adipiſcitur ſapientia.

Iuſtitiam) Quæ ſuum cuique tribuit.

Fidem) Dictorum, conventorumque conſtantiam, & veritatem.

Liberalitatem) Quæ re, opera, conſilio alios juvat.

Modeſtiam) Quæ modum ſervat cum in aliis rebus, tum in opinione de ſeſe.

Temperantiam) Quæ pravis affectibus dominatur.

Optima autem hereditas a patribus traditur liberis, omnique patrimonio præſtantior, Gloria virtutis, rerumque geſtarum) Fam. lib. II. epiſt. 16. & in oratione pro Domo. Supra etiam dixit: *Ad te* (loquitur ad filium) *hereditas hujus gloriæ, & factorum imitatio pertinet*. Iſocrates quoque: *Περι πλειονος ποιου δοξαν καλην, η πλουτον μεγαν, τοις παισι καταλειπειν. Melius exiſtima relinquere filiis bonum nomen, quam magnas divitias.*

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

ADoleſcentis) Vide Val. lib. II. cap. de Inſt. ant. & Platonem de Leg. 9.

Majores natu vereri) Sic locutus infra: *Maxime curandum eſt, ut eos, quibuſcum ſermones conſerimus, & vereri & diligere videamur*. Iſocrates: Ἡγυ μαλιϛα σοι πρεπειν κοσμον, αισχυνην, σωφροσυνην, δικαιοσυνην. *Exiſtima te maxime decere modeſtiam, verecundiam, juſtitiam, temperantiam*.

Probatiſſimos) Eos, qui magnæ civium parti probantur; quod non temere fit, niſi virtute excellant.

Ineuntis enim ætatis inſcitia) Non differre *inſcitiam* ab *inſcientia*, Ciceronis, Cæſaris, Plauti teſtantur exempla; cur igitur alterum pro altero reponam, cum præſertim omnes libri veteres habeant, *inſcitia*?

Conſtituenda) Quaſi firmanda, & ſtabilienda.

Hæc ætas a libidinibus arcenda eſt) Ratio adoleſcentiæ laudabiliter traducendæ.

Exercenda in labore) Hinc Comicus:

Nulla adeo ex re fit, atque ex nimio otio.

Patientia) Virgilius.

Quidquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.

Et:

O paſſi graviora, dabit Deus his quoque finem:
Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.

In bellicis, & civilibus officiis) Belli, domique: & in patria armis tuenda, & in pacata adminiſtratione.

Vigeat induſtria) Ut patriæ, & omnibus prodeſſe & poſſint, & velint.

Relaxare animos) Quos tamquam arcus intentos habuerunt.

Si ejuſmodi rebus majores natu intereſſe velint) Ariſt. Pol. lib. VII. cap. 12. Ἡ γαρ εν οφθαλμοις των αρχοντων παρουσια, μαλιϛα εμποιει την αληθη αιδω, και τον των ελευθερων φοβον. *Magiſtratuum enim præſentia ante oculos poſita verum pudorem, & liberalem metum in animis ingenerat*. Et Quinctilianus lib. I. cap. 3.

Senibus autem &c.) Agellius lib. II. cap. 14.

Libidinum intemperantia) Cato major ob ſenilem laſciviam male audivit: & L. Lucullus poſt bellum Mithridaticum parum honorifico Xerxis togati elogio fuit ornatus, &, ex philtro amaſii, errore mentis affectus.

Duplex malum eſt) Senex in luxuria dupliciter peccat, primum re, deinde exemplo.

De privatorum, de civium) Sunt, qui legant, *de privatorum civium*; idque in uno meo vetere reperitur. Cicero tamen mox hæc diſtinguit.

Servare leges) Quarum præſidio civitates reguntur.

Iura deſcribere) Nam recte apud eos agitur, apud quos majorum inſtituta retinentur. Hinc illud Ennii:

Moribus antiquis ſtat res Romana, viriſque.

Et Xenophon: Πασαι μεταβολαι των πολιτειων θανατοφοροι. Id eſt: *Omnes mutationes rerum publicarum ſanguinolentæ*.

Æquo, & pari jure) Nam potentiores, & tenuiores conjuncti eſſe debent in rep. gerenda. In hanc ſententiam Sophocles: Προς τον εχονθ' ο φθονος ἑρπει, και τοι σμικροι μεγαλων χωρις, σφαλερον πυργυ ῥυμα πελονται· μετα γαρ μεγαλων βαιος αριϛ' αν και μεγας ορθοιθ' ὑπο σμικροτερων. Id eſt: *Invidia divites inſectatur: quamvis tenues ſine potentibus mœnia male defendant: tenuis enim a magnis, & magnus a parvis optime ſuſtentatur.*

Neque ſummiſſum, & abjectum, neque ſe efferentem) Id eſt, qui imperare pariter, obedireque, cum opus ſit, poſſit; nam hoc eſt boni civis, ut ait Ariſtoteles.

CAPUT XXXV.

FOrmoſitate, ordine, ornatu) Ambroſius de Off. lib. I. cap. 19. *Formoſitate*: nam *gratior eſt pulcro veniens e corpore virtus*.

Ad actionem apto) Id eſt, ad eam rem, quæ agitur.

Difficilius ad eloquendum) Ob Latini ſermonis inopiam.

Satis erit intelligi) Septem libri mei, *ſatis facile erit intelligi*: ex quibus quatuor verba invertunt.

Cum quibus, & apud quos vivamus) In

Digitized by Google

In undecim eſt, *quibuſcum, apud quoſque vivamus*. Vnus, *cum quibus, apud quos vivamus*. Vnus, *a quibus, apud quoſque vivamus*. Tertii, *probemur iis, quibuſcum apud quoſque vivamus*. Alius, *cum quibus, apud quoſque vivimus*.

Principio, &c.) Corporis humani formam honeſta ſpecie natura exornavit.

Formam figuram) Vide Nonium Marcellum.

Atque turpem.) Ita duo ex meis: reliqui, & Tertii, *atque formam*. Quidam reponit, *atque fœdum*.

Qui ſans mente ſunt) Nam impudentia omnium rerum peſſima eſt. Fam. lib. V. epiſt. 12. *Qui ſemel verecundiæ fines tranſierit, eum bene, & naviter oportet eſſe impudentem*. Xenophon, Ἡ ἀναισχυντια μεγιστη ἡγεμων επι παντα τα αισχρα ειναι δοκει. Id eſt: *Nihil æque ad omnem turpitudinem videtur impellere, atque impudentia*.

Quodque facere non turpe eſt) Quia naturale, & neceſſarium.

Cynici) Ignominiæ cognomen, ἀπο τυ κυνος, quia, obvios quoſque admonendo allatrare verius, quam alloqui, ſoliti ſunt: vel quod in propatulo cum conjugibus, canum more, coire, ipſis mos fuit. Horum impudentiam accuſat D. Auguſtinus lib. XIV. cap. 20. de Civ. Dei, & ad Valerium lib. I. cap. 21. contra Iulianum Pelagianum libro IV. cap. 15. Lactantius lib. III. cap. 15. Lucianus.

Stoici pæne Cynici) Vide epiſtolam, cujus initium eſt: *Amo verecundiam*. Fam. lib. IX.

Nomine obſcenum) Cum ejus operæ nomen dicitur, epiſt. 22. libro IX. Fam.

Oculorum, auriumque) De Orat. II. & Plut. in Timæo.

Noſtro quidem more) Valerius lib. IV. cap. 1.

Puberes filii) De Orat. lib. II. & Plut. in Catone cenſorio, Capitolinus in Gordiano, Heſiodus. In Oratione pro Cluentio: *Quod ſi potuiſſet honeſte ſcribere, ſe in balneis cum id ætatis filio fuiſſe, non prætermiſiſſet*.

CAPVT XXXVI.

VEnuſtatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem.) Sall. Iugurtha: *Munditiæ mulieribus, viris labor convenit*. Cic. de Nat. Deor. II. *Venuſtatem magis a Venere, quam Venerem a Venuſtate nominatam credit: Venerem autem, quod ad eam omnia veniant*.

Viro non dignus ornatus) Hinc Diogenes Cynicus adoleſcenti compoſito, quippiam roganti, non prius ſe affirmavit reſponſurum, quam aperte exploraret, vir ne eſſet, an mulier.

Color exercitationibus corporis) Quintilianus lib. XII. *Et lacertos, exercitatione conſtringere, & augere vires, & colorem trahere, naturale eſt*. Cauſſas reddit Ariſtoteles in Probl. ſect. ult. probl. 3. 4. & 5.

Pompatum ferculis) Horatius Sat. lib. I. Sat. 3.

--- *Sæpe velut qui*
Currebat fugiens hoſtem, perſæpe velut qui
Iunonis ſacra ferret.

Vide Adagia, *Iunonium ingredi*.

Exanimationes) Pavoris comites. Pavor autem ſapientiam omnem ex animo expectorat.

Et ſi attentos animos) Euripides:
Μοχθειν αναγκη τυς θελοντας ευτυχειν.
Beatos effici qui volunt, multum laborent neceſſe eſt.

CAPVT XXXVII.

MAgna vis orationis) Euripides, Την πειθω τυραννον των φρενων. *Suadelam animorum dominatricem*, appellat. Vide Cic. in libris de Oratore, Senecam Ep. lib. V. ep. 38. & Iſocratem in Nicocle, & in Panegyrico.

Quamquam haud ſcio, an poſſint hæc quoque eſſe) Plutarchus in Sympoſiacis hoc confirmat: Ὁμιλητικος ὑδεν ἡττον η δικανικος ὁ ῥητωρ και συμβυλευτικος. αἱ γαρ ἑξεις εχυσι και ευμενειας, και συνηγοριας, και απολογιας πλειςω δε τῳ επαινειν χρωμεθα, και τῳ ψεγειν. *Non enim minus colloquia, quam cauſſas forenſes & deliberationes tractat orator: cum noſtra ars habeat rationes bene-*

benevolentiam captandi, patrocinandi, defendendi. Et: Ανθρωποις μαλλον, ως το περι τας ὁμιλιας ευαρμοςον εχωσι, πειθω και χαριν οιμαι προσηκει. *Hominibus autem magis, ut qui in colloquiis concinnitatem habeant, perſuadendi facultatem & venuſtatem arbitror convenire*.

Diſcentium ſtudiis) Quia honos alit artes.

Rhetorum turba) De horum officio Quinctilianus lib. II. cap. 1. & 5. De iis ſcripſit Suetonius Tranquillus. Eos olim urbe pulſos, ſcribit Agellius lib. XV. cap. 11.

Quæ verborum, ſententiarumque &c.) de Orat. III. *Omnis ex re, atque verbis conſtat oratio; neque verba ſedem habere poſſunt, ſi rem ſubtraxeris: neque res lumen, ſi verba ſubmoveris*. Quinctil. lib. X. cap. 1.

Orationis indicem vocem) De voce Cic. de Orat. III. ad Herennium III. Quinctilianus lib. II.

Vt clara ſit) Vt exaudiatur, & ſatis intelligatur oratio, λευκη, cui contraria *fuſca*, apud Quinctilianum.

Vt ſuavis) Quæ levet audiendi faſtidium.

In Catulis) Et patre, & filio: de Orat. III. & in Bruto.

Exquiſito judicio uti) Eſſe eruditos præ ceteris.

Nimis pudicum) Quod faſtidium pareret audienti.

L. Craſſi) De Oratore, & in Bruto.

Socratici) Ex quibus Xenophon.

Inſit in eo lepos) Lib. II. de Orat.

Tamquam in poſſeſſionem ſuam venerit) De Orat. II. In poſſeſſione judicii, ac defenſionis meæ. Et: *In ſuo regno*. Proverbium ſapit.

Si ſeriis, ſeveritatem adhibeat: ſi jocoſis, leporem) Iſocrates quoque το περι τα γελοια σπουδαζειν, και περι τα σπουδαια τοις γελοιοις χαιρειν, *in ridiculis ſerius res agere, & ſeriis in rebus nugis gaudere*, improbat.

Ne ſermo vitium aliquod indicet ineſſe moribus) Euripides queritur, quod

Ουδεις χαρακτηρ εμπεφυκε σωματι,
Ω χρη τον εσθλον τε κακα διειδεναι.
Nulla innaſcatur nota corpori, qua oporteat probum ab improbo diſcernere.

Plutarchus Sympoſiacon lib. III. narrat, Simonidem poetam hoſpiti cuidam in convivio accumbenti, & cum nemine colloquenti, dixiſſe: *Si ſtultus es, ſapienter facis: ſi ſapiens, ſtulte; nam inſcitiam celare præſtat*.

Studioſe) Dedita opera.

De abſentibus) Nam inter præſentes linguæ mutuo metu continentur, ut ait Tacitus. Terentius: *Qui, quæ vo luerit, dixerit, ea quæ non volet, audiet*. Iſocrates quoque: Οἱ απαιδευτοι κε αν τοις λογοις λυπησωσι, τουτοις πολλακις αυτοις εργοις μεγαλας τας τιμωριας εδωκαν. *Inſipientes ſæpe factis magnas dant pœnas iis, quos dictis offendunt*.

Detrahendi cauſſa) Ad imminuendam alterius exiſtimationem, aut gratiam.

Perridiculum, aut ſevere) Sive joco, ſive ſerio.

Domeſticis negotiis) De quibus Xenophon in Œconomico.

De rep.) De qua Plato, & Cicero.

De artium ſtudiis) Vt Ciceronis libri de Oratore, & Gorgias Platonis.

Aberrare) Minus caute.

Vtcumque aderunt res) Aut ego hebes plane ſum, aut hic locus mendo vacat; quod ſatis oſtendunt ea, quæ ſequuntur. *Habenda eſt*, inquit, *rerum ratio*; non enim ii, qui audiunt, iiſdem rebus delectantur, aut, ſi delectantur, non omni tempore: aut, ſi omni tempore, non ſimiliter; hujuſmodi igitur ſi res aderunt, ut res ſe dabunt, opera danda non erit, ut ad eas, aberrare ſi cœperit, oratio revocetur. Nam, quod alii, veterum librorum teſtimonio, verbum, *res*, delent, ego, omnium meorum, & Tertii teſtimonio, idem verbum, comprobante ſententia, retineo.

Iiſdem de rebus) Septem *iiſdem rebus*.

Nec omni tempore) Nam alias aliter affecti ſumus. Homerus, quem Cicero vertens:

Tales ſunt hominum mentes, quali pater ipſe
Iuppiter auctiferas luſtravit lampade terras.

Nec ſimiliter) Alii *magis*, alii *minus*.

Animadvertendum &c.) Modus in ſermone.

Deſinendi modus) Ne audias, *Manum de tabula*.

Digitized by Google

CAPVT XXXVIII.

SED, *quomodo*) Sic emendavi, ex vet. undecim, & Tertii: antea. *Quoniam*.

Ira exiſtat) Emineat, appareat, animadvertatur.

Cupiditas aliqua) Prava ſcilicet & injuſta.

Pigritia) Fuga honeſti, & neceſſarii laboris.

Ignavia) Timidus, & degener animus, honeſta pericula reformidans.

Vereri) Ne ſuperbi, & impudentes.

Diligere) Ne barbari, & inhumani exiſtimemur.

Objurgationes) Plautus Trinummo: *Ne amicum caſtigare ob meritam noxiam, immane eſt facinus, verum in ætate neceſſarium.* Vide Plut. de Diſcrimine adulatoris, & amici. Homerus quoque Il. λ.

Ἀγαθὴ δὲ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρου.

Bona admonitio eſt amici.

Neceſſaria) Ob hominum injuriam, & petulantiam.

Vt ea facere ne videantur irati) Male alii negantem particulam tollunt, quæ eſt in omnibus meis. Notant autem illud Iſocratis in Nicoclem: *Ποίει μηδὲν μὲν μετ' ὀργῆς. δόκει δὲ τοῖς ἄλλοις, ὅταν σοι καιρὸς ᾖ. Nihil per iracundiam agito: ſed iram, cum tempus poſtulat, ſimulato.* Et Quinctilianum ajunt dicere, Oratorem iraſci, non decere, ſimulare non dedecere.

Vt ad urendum, & ſecandum) Ovidius Metam. 1.

Cuncta prius tentanda: ſed immedicabile vulnus

Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Raro) Si licebat: nam crebro peccantes crebro etiam puniendi. Euripides Hippolyto:

Ὀλοισθε. μισῶν δ' οὔποτ' ἐμπλησθήσομαι

Γυναῖκας. οὐδ' εἴ φησί τίς μ' ἀεὶ λέγειν.

Ἀεὶ γὰρ οὖν πως εἰσὶ κἀκεῖναι κακαί.

Pereatis male, numquam me odium ſatiaverit

Mulierum, neque ſi quis me dicat illis ſemper male loqui;

Semper enim & illæ mire ſunt malæ & improbæ.

Invitique) Nobis enim ipſis, & aliis moleſti ſumus.

Sed tamen) *Tamen*, dicit, quia repetit idem, quod dixerat, *ea facere ne videamur irati.*

Ira procul abſit) Virg.

---- *Furor, iraque mentem*

Præcipitant.

Vide Cic. ad Q. Fr. lib. I. epiſt. 3.

Magna autem parte) Ita veteres omnes libri, & Tertii: duobus exceptis, in quibus, *magna ex parte*; quod minus probo; potius legi poſſet, ſi mutationi locus detur, cum aliis, *magnam partem*; de quo loquendi genere alibi diximus.

Severitas adhibeatur) Contra Horatius:

---- *Ridentem dicere verum*

Quid vetat? ----

Et Perſius:

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico

Tangit, & admiſſus circum præcordia ludit.

Contumelia repellatur) Convitia indigna homine ingenuo; nam, qui quid geſſit, quod minus deceat, ſi reprehendatur, non ægre ferre debet. Sophocles:

Οὐκ ἔστ' ἀπ' ἔργων μὴ καλῶν ἔπη καλά.

Turpia qui facit, non honeſta loquitur.

Et Euripides:

Ἐπεὶ ἐτόλμας οὐ μὴ δίκαια, τλῆθι καὶ τὰ μὴ φίλα.

Quoniam injuſta facere auſus es, perfer & moleſta.

Gravitatem retinere) In quo maximo nobis adjumento ſunt litterarum ſtudia. Euripides

Τὰς ἐμφύτους ὀρθῶς τε πηγνύσας φρένας

Οὐδεὶς ἐπαίρει καιρὸς ἐξαμαρτάνειν.

Id eſt: *Natura inſitam, & probe firmatam prudentiam, nullum tempus impellit ad delinquendum: improbitati autem nihil deeſt præter occaſionem.*

Ab iis, qui adſunt, approbari) *Ab*, non eſt in decem meis, & Tertii; in uno ſuperadditum. *Probari*, in ſex, & Tertii.

Falſa præſertim) Quid autem magis va-

Digitized by Google

vanum? Plutarchus in libro *περι τυ ἑαυτον επαινειν εν επιφθονως*, ait, ſuarum laudum comitem eſſe aliorum reprehenſionem, & inanis jactantiæ finem ignominiam.

Militem glorioſum) Thraſonem Terentianum, & Pyrgopolinicem Plautinum.

CAPUT XXXIX.

OMnia) Quæ ad officiorum rationem pertinent.

Volumus quidem certe) Arrogantiam vitat., in quam incidit, qui profitetur, ut ait Iſocrates, *το μηδεν παραλειπειν των ενοντων εν τοις πραγμασιν*, *nihil omittere eorum, quæ rebus inſunt.*

Cn. Octavio) Conſuli cum Torquato; anno ab V. C. DXXCIIX.

In Palatio) Quo loco nunc ſunt horti Farneſiani, Palatini quoque dicti. Dictum autem a Palanto, urbe Arcadiæ, unde Evander venit.

Novo homini) Novum dicit, cujus familia fuerat a Numa civitate donata: ſed ideo nova, quod ante id tempus nullum magiſtratum populi ſuffragio datum geſſerat.

Scaurus) Cujus domus in Palatio quoque fuit. De ejus magnificentia vide Plinium lib. XXXVI. cap. 15.

Acceſſionem adjunxit ædibus) Ædes ſuas, domum Cn. Octavii demoliendo, majores effecit.

Primus attulit) Ita emendavimus, ex omnibus antiquis libris; antea, *intulit*.

Repulſam) In petitione conſulatus; atque etiam de ambitu damnatus eſt. Vide epiſt. ad Q. fratrem.

Ignominiam) Nam L. Sullæ in Sicilia quæſtor repetundarum damnatus.

Calamitatem) Quia ſuapte ſponte exſulavit.

Dignitas domo) Dignitas, id eſt, ornamentum.

Ex domo dignitas tota) Id eſt, nominis exiſtimatio.

Habenda ratio non ſui ſolum, ſed etiam aliorum) Euripides:

Ω'ς ὁ δικαιος τοις πελας πεφυκ' ανηρ.

Id eſt:

Vir bonus aliis eſt natus.

---- ---- O domus

Antiqua, quam domino dominaris diſpari) Ex vetere poeta. Eſt autem, O domus, ſenarii finis; integer vero ſenarius, id, quod ſequitur. Quod autem verborum ordinem mutavimus, fecimus id auctoritate adducti veteris libri Cardinalis optimi, liberaliumque omnium diſciplinarum intelligentia ornatiſſimi, litteratorumque Mæcenatis, GULIELMI SIRLETTI, & alterius Iulii Galli, Romani, ipſa præſertim comprobante ratione metri. In decem meis ante, *quam*, legitur, *heu*: in duobus eſt, *& heu, quam* &c. in Tertii, *& quam* &c. *Dominare*, in quinque, & Tertii: In tribus, & Tertii. *Quam diſp. dominare domino.* Cic. Phil. 2. *O tecta ipſa miſera, quam diſpari domino; quamquam, quo modo iſte dominus? ſed tamen quam a diſpari tenebantur.*

In multis licet dicere) In multis Cæſarianis, Pompeianas ædes, nullo alio, quam victoriæ jure habitantibus; occupavit autem ipſius Pompeii Magni domum M. Antonius, qui poſtea IIIvir fuit. Phil. 2. Eas voces, *in multis*, alii ſine cauſſa delent; ſunt quidem in omnibus meis libris, & Tertii: in tribus, *in multos.*

Multum mali etiam in exemplo eſt) Hinc diſtichon illud Græcum:

Σωματα πολλα τρεφειν, και δωματα πολλ' ανεγειρειν,
Ατραπος εις πενιην εστιν ετοιμοτατη,

Id eſt:

Multas ædificare domos, & paſcere multos,
Eſt ad pauperiem ſemita certa quidem.

Ædificiorum frugalitatem in Miltiade, & Ariſtide laudat Demoſth. Olinth. III.

L. Luculli, ſummi viri virtutem) Vide Plutarchum in ejus vita, Cic. in Acad. & pro lege Manilia, Velleium Paterculum lib. II. epit. Liv. XCIV. & XCV. Florum lib. III. cap. 5. Appianum in Mithridatico, Oroſium lib. VI.

Quam multi) Tertii liber: *Ad quam multi*: Quod ſi recipiatur, mutandum erit in *At*.

Villarum magnificentiam) De Luculli hortis ſumtuoſiſſimis Plutarchus. Ejus in ædificando profuſionem vide apud Varr. de Re Ruſt. III.

Imitati ſunt) Sunt, abeſt a duobus vete-

Digitized by Google

veteribus libris, & Tertii.

Præſtantiſſimum) Nam eſt veluti cauſſa efficiens eorum, quæ ſequuntur.

CAPVT XL.

VT *eamdem nos modeſtiam appellemus*) Scientiæ definitio.

Poteſt eadem eſſe prudentiæ definitio) Non prorſus; prudentiæ enim definitio latius, quam ad locum, tempuſve ſe extendit, ut quæ in univerſum de rebus bonis, & malis judicat.

Apta) Connexa, cohærentia, colligata. Virgilius:

---- Vbi maximus Atlas
Axem humeris torquet, ſtellis ardentibus aptum.

Turpe eſt enim) Contra, ait Cicero, II. de Orat. *peccare, ſi quis tragœdias in nugis agat.*

Pericles) Anaxagoræ phyſici auditor. Hoc autem dictum non Pericli, ſed Iſocrati Plutarchus tribuit in ipſius Iſocratis vita. Vide & Plut. in Pericle, & Valer. lib. IV. cap. de Continentia.

O puerum pulcrum) Agellius lib. XV. cap. 12. ſcribit, Gracchum, ex Sardinia reverſum, cum pudicitiam ſuam cenſoribus commendaret, pueros eximia facie ante ſe ſtetiſſe negaſſe.

Si in athletarum approbatione dixiſſet) Nudis enim corporibus athletæ certabant, ut, ſi viderentur robuſti, a prætoribus probarentur. Antiqui libri ſex, & Tertii, *probatione.*

Iuſta reprehenſione caruiſſet) Nam oratio actioni fuiſſet conſentanea.

Tanta vis eſt & loci, & temporis) Vt nec omnia, nec paſſim, nec ab omnibus.

In convivio) Vnde lex illa, Ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι, *Aut bibe, aut abi.*

Si quis in foro cantet) Quo modo Solon furorem ſimulavit.

CAPVT XLI.

VT *in fidibus*) Aptiſſima comparatio; nam vita hominum *ἁρμονία* eſt.

Oculorum obtutu) Nam oculi ſunt in amore duces, & vultus tacitus eſt animi ſermo, vide Cic. in Piſonem, & Agellium lib. XIII. cap. 24.

Superciliorum aut &c.) Vide Plin. lib. XI. cap. 36.

Quid apte eorum fiat) Martialis:

Crine ruber: niger ore: brevis pede: lumine læſus:
Rem facis egregiam, Zoile, ſi bonus es.

Ex aliis judicare) Terent Heaut. act. I. ſc. 2.

Scitum eſt, periculum ex aliis facere, tibi quod ex uſu ſiet.

Plautus:

Feliciter is ſapit, qui periculo alieno ſapit

Horatius:

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Tibullus lib. III.

---- Felix, quicumque, dolore
Alterius, diſces poſſe carere tuo.

Magis in aliis cernamus, quam in nobimetipſis, ſi quid delinquitur) Horatius:

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

Vt enim pictores) Maxime Apelles. vide Plinium lib. XXXV. cap. 10. Hinc illud, *ne ſutor ultra crepidam.*

Signa fabricantur) Ita eſt in veteribus ſeptem, & Tertii.

Et vero etiam poetæ) Omnes veteres. *& veri etiam poetæ*, Tertii excepto.

A pluribus) Euripides:

Ὥσπερ μιᾶς χειρὸς ἀσθενὴς μάχη οὕτως εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ.

Id eſt:

Vt unius manus infirma pugna eſt, ſic unus vir non omnia videt.

Sic aliorum judicio) Modo iis probari velimus; &, quid alii de nobis exiſtiment, non contemnamus.

Socrates, aut Ariſtippus) Hoc eſt incorruptiſſimus quiſque.

Magnis & divinis bonis) Virtutibus excellentibus, eruditione eximia.

Cynicorum) Quorum princeps Diogenes.

Tribuere etiam multum ſenectuti) Propter uſum rerum, ætate partum: & quod junioribus parentum loco ſint.

Cedere iis, qui magiſtratum habebunt) Et propter poteſtatem, & propter publicam auctoritatem, qua eſt inferior privata cujuſque dignitas.

Habere delectum civis, & peregrini)

Nam

Digitized by Google

Nam erga cives officioſi eſſe debemus, peregrini autem ſunt honore afficiendi.

Privatim ne, an publice venerit) Nam, ſi legatus, maior ei tribuendus eſt honor; legati enim jure gentium ſacroſancti; de quibus ſupra a nobis eſt dictum.

CAPVT XLII.

LIberales) Libero homine non indigni.

Sordidi) Serviles.

In odia hominum incurrunt) Ariſtoteles την οβολοςατικην dignam odio dixit, lib. I. Pol. cap. 10. Ευλογωτατα μισειται ἡ οβολοςατικη, &c. *Optima ratione omnibus in odio eſt ratio fœneratrix.*

Portitorum) Charontem Portitorem Tibullus appellat:

Tendimus huc omnes: omnes exſpectat avarus
Portitor, & Stygiæ navita puppis aquæ.

Et fœneratorum) Sic quinque veteres libri. Tres, *Aut.* Quinque, & Tertii, *Vt,* Vnus non habet.

Sordidi quæſtus mercenariorum) Ar. lib. Pol. I. cap. 11. Τριτον δε, μισθαρνια, &c. *Tertia, operæ locatio, ſive opera mercenaria.*

Turpius vanitate) Mendacio. Homerus: *Turpe inania loqui* Κακον δ' ανεμωλια βαζειν.

Turpius vanitate: opificeſque omnes) Antiquus liber, *Turpius vanitate opificum, qui omnes.*

Nec vero) *Nec enim*, octo libri, & Tertii.

Quidquam ingenuum) Vnus, *ingenui.*

Officina) Vnus, *opificina*: quo verbo uſus eſt & Plautus Mil. glorioſo: *Si in ea opificina neſciam aut mala eſſe, aut fraudulenta.*

Cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores) In Terentio ita legitur:

Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores.

Cetarii: Cetarii ſunt, ait Donatus, qui cete, id eſt magnos piſces venditant, & bolonas exercent. Nonius vero ſic: *Cetarii, genus eſt piſcatorum, quod majores piſces capit: dictum ab eo quod Cete in mari majora ſunt piſcium genera.* Hinc Virgilius, *immania cete.* Varro Γνωθι σεαυτον: *Non animadvertis cetarios, cum videre volunt in mari thunnos, adſcendere in malum alte, ut penitus per aquam perſpiciant piſces. Lanii* Donato, qui laniant pecora: unde & Laniſtæ dicti, qui laniandis præſunt gladiatoribus. Sic & Macellum a mactandis pecoribus dictum. Ex quo Seneca lib. X. epiſt. *Lignum, quod ad emundanda obſcena, adhærente ſpongia, poſitum eſt, totum in gulam farſit, & præcluſis faucibus, ſpiritum emiſit.* Feſtus: Fartores, nomenclatores, qui clam velut infarcirent nomina ſalutatorum in aurem candidati. *Fartores* Donato, qui inſitia, & farcimina faciunt. *Piſcatores* eidem, qui recentem piſcem præbent. *Cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores*: Plautum videtur imitatus Terentius: ejus hæc ſunt, Trinummo:

Le. *quid factum eſt eo?*
St. *Comeſum, expotum, exſuctum, elotum in balneis,*
Piſcator, piſtor abſtulit: lanii, coqui,
Olitores, myropolæ, aucupes: confit cito,
Quaſi tu objicias formicis papaverem.

Vt ait Terentius) Eunucho, act. 1. ſc. 2.

Vnguentarios) Hos urbe expulſos a Lacedæmoniis, ſcribit Seneca Nat. Quæſt. lib. IV. Nominantur & unguentarii in veteribus lapidibus.

Romæ, apud Atilium Delphinium

FAVSTVS. PO.....
I
INSTITOR. VNGVEN

Venuſii, Apuliæ oppidi in Templo Annunciatæ.

. . . .
CL PHI
LARGYRO. VN
GENTAR IO
ISQ. FAMILIAM
SVAM. MANVMISIT
PECVNIAMQ.
LEGAVIT

Saltatores) Scenicos.

Totumque ludum talarium) De talorum

rum jactu quædam dixit Pater Fam. lib. I. ep. 7. Sed plura Thomas Leonicus in dialogo, quem hac de re ſcripſit.

Doctrina rerum honeſtarum) Id eſt, munus docendi honeſtas artes. Ita in lib. de Sen.

Satiata quæſtu) Nam cupiditatis ſitis inexplebilis.

Vel contenta potius) Correctio opportuna. Hinc Lucanus:

Semper inops, quicumque cupit.

Nihil eſt agricultura &c.) Hinc Horatius:

Beatus ille, qui procul negotiis,
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore.

Et Virgilius:

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas.

Nihil homine libero dignius) Tertii liber, *nihil homine, nihil libero dignius.*

CAPVT XLIII.

VNa) Prudentia.

Altera) Iuſtitia.

Tertia) Fortitudo.

Quarta) Temperantia.

Princepſque omnium virtutum eſt illa ſapientia, quam σοφιαν Græci vocant) Plato: Ἡ σοφια πασης αρετης το μεγιϛον μερος. *Sapientia omnis virtutis maxima pars.*

Prudentiam) In Rhetoricis: *Prudentia eſt rerum bonarum, & malarum, & utrarumque ſcientia.* Et apud Platonem inducitur ἡγεμων του ορθως πραττειν, *dux recte agendi.*

Rerum eſt divinarum, atque humanarum ſcientia) Tuſc. IV.

Etenim cognitio) Plato Prudentiam juſtitiæ expertem Calliditatem eſſe dicit. Vide & Senecam lib. II. de Beata vita.

Si nulla actio rerum conſequatur) Virtus enim in actione conſiſtit.

Dinumerare ſtellas) Vt Eudoxus Cnidius.

Metiri mundi magnitudinem) Vt Archimedes, qui, in communi periculo ſuis pulveribus fuit intentus.

CAPVT XLIV.

THebanum Epaminondam) Plutarchus in Pelopida.

Lyſis Pythagoreus) Lyſim Pythagoræ ipſius diſcipulum fuiſſe oſtendunt Cicero lib. III. de Orat. Æmilius Probus, aut quiſquis eſt in Epaminonda, Pauſanias, Plut. de Muſica, Dio Chryſoſtomus in oratione inſcripta, Recuſatio magiſtratus, Laertius, D. Hieronymus apologia 2. in Rufinum.

Syracuſium Dionem) Plut. in Dione, Laertius in Platone.

Multique multos) Vt Periclem Anaxagoras, Alcibiadem Socrates, Timotheum, & alios principes viros Iſocrates, Africanum Panætius, Auguſtum Athenodorus.

Ab iis) A Platone: hunc enim, non *Lyſim*, ſignificat.

Eloqui copioſe) Eloquentia copioſa, vel egregiis cogitationibus præſtat.

Modo prudenter) Vide præfationem Tuſc. I.

Cogitatio in ſe ipſa vertitur) De Finibus III. Sola ſapientia in ſe tota converſa eſt.

Apum examina) *Apium*, eſt in uno meo, & Tertii libro. Sic, *civitatium*, in vetere inſcriptione Firmi in Piceno, quam in Orthographia mea poſui ad, *Accius*, & apud Annæum Cornutum ad Italicum de Virgilio lib. X. ut eſt apud Cariſium. Iamque *exemplo tuo etiam principes civitatium*, & poetæ incipient ſimilia fingere. Et, *hereditatium*, in antiqua inſcriptione Romæ in ædibus Atilii Delphinii, in Orthographia, ad, *Britannia*. *Cervicium*, *Radicium*, apud Cariſium. De Apibus Ariſt. de Hiſt. Anim. lib. I. cap. 1. & lib. IX. cap. 40. Plin. lib. II. cap. 5. & 6. Virg. lib. IV. Georg. Varro de Re Ruſt. lib. III. cap. 16. Columella lib. X. Palladius lib. I. cap. 37. lib. V. cap. 8. Didymus apud Conſtantinum Cæſarem lib. XV. cap. 3.

Agendi, cogitandique ſollertiam) Dubium non eſt, quin hæc tota corrigendi ratio, quæque in ea collocatur induſtria, ad ſententiam referatur; propterea inſpiciuntur, examinanturque veteres libri, qui ſi quando accidit, ut omnes eum ſententia pugnent, utri me parti adjungam, non equidem ambigam: illa enim dominatur, hi quodammodo ſerviunt. Comparat Cicero cum apibus homines; ipſa comparatio, niſi fallor, legendum oſtendit, *agendi, cogitandique*, non, *agendi, congregandique*. *Apes*, inquit, *non ideo congregantur*, ut

Digitized by Google

ut fingant favos, ſed, cum illis natura dederit, ut ſponte congregarentur, jam congregatæ favos fingunt; eadem natura tribuit hominibus, ut, nulla adhibita ſollertia, congregarentur; qui deinde, jam congregati, eam ſollertiam, qua uſi antea non ſunt, adhibent ad agendum, & cogitandum. Quæ duæ res ad vitam recte inſtituendam neceſſariæ ſunt. Et hoc ipſum ſpectat ad illud, quod ſupra dictum eſt, de eloquentia, & cogitatione. Vt enim cogitatio ſine actione inanis eſt, ſic actio, quæ cogitatione careat, ad temeritatem plerumque delabitur. Ergo homines, natura congregati, & agunt & cogitant; ut apes, natura congregatæ, in fingendis favis operam, induſtriamque ſuam ponunt. Quo ſpectat illud ſupra: *Virtutis laus omnis in actione conſiſtit: a qua tamen ſæpe fit intermiſſio, multique dantur ad ſtudia reditus: tum agitatio mentis, quæ numquam acquieſcit, poteſt nos in ſtudiis cogitationis, & ſine opera noſtra, continere*. Fructus igitur congregatarum apum ſunt favi; hominum congregatorum eſt actio, & cogitatio. Nam, ſi Congregationem, putes eſſe congregationis fructum, inanis erit ſermo, & abſurdus: aliud enim certe præter ſeipſum congregatio ſpectat. Locus ex Ariſt. ſumitus videtur. Nam Polit. I. *Διοτι δε*, inquit, *πολιτικον ὁ ανθρωπος ζωον πασης μελιττης και παντος αγελαιου ζωου μαλλον δηλον· ουθεν γαρ, ως φαμεν, ματην ἡ φυσις ποιει*. *Quapropter hominem eſſe animal civile magis quam quamvis apem, & quodvis animal congregabile, perſpicuum eſt. Nihil enim fruſtra facit natura, ut dicimus*.

Attingat rerum cognitionem) Id eſt, niſi ſtudium ſocietatis cum rerum cognitione conjungatur.

Remota communitate) Duo mei, & Tertii, *comitate*: novem, *coitate*.

Quaſi virgula divina) Satyram hac inſcriptione Varro compoſuit: *Virgula divina*: citra noſtram operam.

Ergo, &c.) Duobus propoſitis honeſtis, concludit hic, utrum honeſtius.

CAPVT XLV.

ILlud forſitan &c.) Platonis remp. notat, quæ laxior eſt multo, quam deceat.

Sunt enim quædam ita fœda, partim ita flagitioſa) *Partim* modo pro adverbio, modo pro nomine: id eſt *alia*, vel *alii*, nominandi, aut accuſandi caſu, ex vi, naturaque propinqui verbi, uſurpari ſolere, vel pueri ſciunt. Nec vero, alterum interdum omitti, ignorare multos arbitror. Si omittatur ſecundo loco, damni ſententia nihil facit: pendet enim a primo, aut habet aliquod nomen, ut Salluſtius Iugurtha: *Vrbes partim vi, alias voluntate, imperio ſuo adjungit*. Et: *Centuriones, duceſque turmarum partim, uti transfugerent, corrumpere; alii, ſigno dato, locum uti desererent*. Et: *Partim conſcii ſibi, alii ex partium invidia pericula metuentes*. Et: *Ille probare partim, alia abnuere*. Et: *Partim vi, alia metu, aut præmia oſtentando, avertere ab hoſtibus*. Si omittitur primo neceſſe eſt, ut ejus loco nomen aliquod ſententiæ ſerviat, ut, *alia*, *quædam*, denique quodlibet nomen. Vt lib. de Leg. *Quorum ſcelere religiones tum proſtratæ, afflictæque ſunt, partim ex illis diſtracti ac diſſipati jacent*. Et Salluſtius in oratione C. Cottæ. *Quorum alia toleravi, partim repuli, deorum auxiliis, & virtute mea*. Et hoc loco. Hæc jam ſcripſeram, admonitus a viri docti annotatione; ſed, inſpectis libris veteribus, ſententiam mutare ſum coactus: nam duodecim ex eis, & Tertii habent, *ſunt enim quædam partim ita fœda, partim ita flag.* Vnus, *ſunt enim quædam partim ita fœda, quædam partim ita flag.* Vnus, *ſunt enim partim ita fœda, partim flag. Fœda*, crudelia. Lib. II. *Victoriam fœdiorem* dixit.

Quiſquam) Septem libri, *quis*. Vnus, *quis ſapiens*. Duo, *quiſque*. Duo, *quiſquam*. Vnus, & Tertii non habet.

Nec reſp. quidem) Tertii liber, *ne reſp. quidem*. Vnus, *nec res quidem publica*.

Pro ſe) Vnus, *propter ſe*.

Sed hæc commodius ſe res habet) *Hoc*, ſex libri. Sed & *hæc*, quatuor.

Non poteſt accidere tempus) Alii delent, *tempus*: nec tamen ſententia lucri quidquam facit; ego conſervo, nec de ſententia quidquam detraho; nitor etiam auctoritate veterum omnium librorum; quorum auctoritatem tam parvi pendi a doctis viris

mi-

Digitized by Google

miror: nitor conſuetudine Latini ſermonis; eſt enim illud ſimile, ut omittantur alia multa, ad Appium: *Nollem accidiſſet tempus, in quo perſpicere poſſes, quanti te, quanti Cn. Pompeium, quanti Brutum facerem.*

Sapientem) Quaſi dicat, in puerilem ætatem, aut muliebrem ſexum fortaſſis injuriæ iſtæ caderent.

Quod cuique ſit præponendum) Quid, in uno, & Tertii.

Gradus officiorum) De gradibus officiorum Agellius lib. V. cap. 13.

Prima, diis immortalibus; ſecunda, patriæ; tertia, parentibus) Cicero lib. I. de Rep. apud Nonium, *antiquus*: *Sed quoniam plurima beneficia continet patria, & eſt antiquior parens, quam ſi quis, ut ajunt, creaverit: major ei profecto, quam parenti, debetur gratia.* De Fin. *Decet cariorem eſſe patriam nobis, quam noſmetipſos.* Et I. in Catil. *Patria mihi vita mea multo eſt carior.* Salluſtius Jugurtha: *Nam vi quidem regere patriam, aut parentes, quamquam & poſſis, & delicta corrigas, tamen importunum eſt.* Cui ſimile illud apud Cic. Fam. lib. I. ep. 9. *Id jubet idem ille Plato, quem ego auctorem vehementer ſequor. Tantum contendere in rep. quantum probare tuis civibus poſſis; vim neque parenti, neque patriæ afferre oportere.* Platonis autem loci duo ſunt alter V. de Legibus: Πατρίδος δε ουσης της χωρας θεραπευειν αυτην δει μειζονως, η μητερα παιδας· Alter in Critone: Η ουτως ει σοφος, ωστε λεληθε σε, οτι μητρος τε, και πατρος, και των αλλων προγονων απαντων τιμιωτερον εστιν πατρις, και σεμνοτερον, και αγιωτερον, και εν μειζονι μοιρα και παρα θεοις, και παρα ανθρωποις τοις νουν εχουσι. και σεβεσθαι δει, και μαλλον υπεικειν, και θωπευειν πατριδα χαλεπαινουσαν, και η πατερα, και η πειθειν, η ποιειν αν κελευοι, και πασχειν εαν τι προστατῃ παθειν, ησυχιαν αγοντα, εαν τε τυπτεσθαι, εαντε δεισθαι, εαντε εις πολεμον αγῃ τρωθησομενον, η αποθανουμενον, ποιητεα ταυτα· και το δικαιον ουτως εχει. και ουχ υπεικτεον ουδ' αναχωρητεον, ουδε λειπτεον την ταξιν, αλλα και εν πολεμῳ, εν δικαστηριῳ, και πανταχου ποιητεον, ὁ αν κελευῃ ἡ πολις τε, και ἡ πατρις, η πειθειν αυτην, ᾗ το δικαιον πεφυκε· βιαζεσθαι ουχ οσιον ουτε μητερα, ουτε πατερα, πολυ δε τουτων ετι ηττον την πατριδα. *An ſic es ſapiens, ut te latuerit & Patri, & Matri progenitoribus omnibus Patriam eſſe anteponendam? atque eſſe venerabilius quiddam ſanctiuſque? & ſuperiore loco tum apud Deos, tum apud homines mentis compotes eſſe Patriam collocandam, colereque oportere eam magis, eique obedire, tum autem aſperius, duriuſque ſe gerenti obſequentiorem eſſe quam patri; & ſi quid jubeat, vel diſſuadere illi, vel facere, & patientiſſime tolerare quidquid juſſerit patiendum? ac ſive mandaverit verberari te, ſive in vincula conjici, ſive in prælium miſerit ad vulnera excipienda, mortemque ſubeundam, obediendum eſt omnino. Jus enim ita dictat, & neque tergiverſandum, neque fugiendum, neque ordinem deſerendum, ſed & in bello, & in judicio, & prorſus ubique ea ſunt, quæ reſpublica, patriaque juſſerit, facienda: aut certe illi perſuadere ac monſtrare, quatenus id, quod imperat, juſtum ſit: vi autem uti nefas eſt, vel contra Matrem, vel contra Patrem, maxime vero omnium contra Patriam.* Et in ep. ad Dionis propinquos: Πατερα δε, ἡ μητερα, ουχ οσιον ηγουμαι προσβιαζεσθαι, μη νοσῳ παραφροσυνης εχομενους. εαν δε τινα καθεστωτα ζωσι βιον εαυτοις αρεσκοντα, εμοι δε μη, μητε απεχθανεσθαι, ματην νουθετουντα, μητε δη κολακευοντα γε, υπηρετειν αυτοις, πληρωσεις επιθυμιων εκποριζοντα, ας αυτος ασπαζομενος, ουκ αν εθελοιμι ζην . . . . βιαν δε πατριδι πολιτειας μεταβολης μη προσφερειν, οταν ανευ φυγων, και σφαγης ανδρων, μη δυνατον ῃ γινεσθαι την αριστην. *At Patrem, vel Matrem per vim cogere nefas eſſe arbitror, niſi propter morbum mente alienatos. Quod ſi ſuo quodam more vivant, qui mihi nequaquam probetur, neque infenſus adverſarer fruſtra monendo, neque rurſus blandiendo eorum cupiditatibus aſſentarer ea porrigens, quibus ego ſi indulgerem vivere nolim . . . . . Vim autem patriæ per reipublicæ mutationem afferet numquam, quando abſque expulſione & cæde civium emendari non poſſit.*

Prima, ſecunda, tertia) Officia.

A Panætio eſt, ut ſupra dixi, prætermiſſus) Nimis tu quoque gloriam amas, Cicero noſter: ſæpe hoc adverſus Panætium iterans.

AR-

ARGVMENTVM
LIBRI SECVNDI.

ORtum officii primus liber oſtendit: ſunt enim quatuor virtutes, unde, quidquid honeſte agitur, aut cogitatur, emanat. Ortu invento, diſtributum eſt officium in duas partes: quarum altera decus, honeſtatemque ſpectat, altera vitæ commoda, copias, opes, facultates. Earum partium quæritur in prima, non modo honeſtum in quo differat a turpi, verum etiam, duobus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius: in altera ſimiliter, non modo quid utile, quid inutile, ſed etiam, duobus propoſitis utilibus, utrum utilius; quam quidem duorum honeſtorum, duorumque utilium comparationem Panætius omiſit. De honeſtatis parte dictum eſt ſuperiore libro; de vitæ commodis eoque, quod utile vocatur, hoc altero libro diſputatur. Poſtremo tertii libri quæſtio eſt, de eligendi judicio, cum honeſtum, & utile ita pugnant inter ſe, ut quaſi laboret animus, ancipiti diſtractus cura cogitandi: de quo Panætius cum ſe ſcripturum eſſe promiſiſſet, nihil tamen ſcriptum reliquit. Sed utilium duo genera cum ſint, multitudinis unum, quæ ſenſu ſæpe movetur, alterum paucorum, qui cum ratione deliberant: ſecundus liber non, ut multitudo, ſecernit utile ab honeſto, ſed, ut pauci, totum in virtute conſtituit: virtutis autem hoc docet eſſe proprium, ea ſequi, quibus hominum ſtudia hominibus adjungantur; quidquid enim vel in privatis rebus, vel in rep. expetimus, id conſequi, ſi diligamur, facillimum eſt: at ipſum diligi propterea non contingit omnibus, quia non omnes juſti, fidi, liberales, manſueti, faciles exiſtimantur, quibus virtutibus fortitudo, temperantia, earumque verum, quibus excellunt pauci, ſi adjungitur præſtantia, tum, præter privatam benevolentiam, exoritur gloria: qui publicus amor eſt cum fide & honore conjunctus. Ea naſcitur ex multis rebus: in quibus cum nonnullæ ſint, pro quibus curas, labores, pericula ſuſcipimus, & in iis cum ſit nihil ipſa patria carius, aut amabilius, ideo bellica virtus, quæ publica commoda tuetur, & auget, primum aperit aditum ad eam gloriam, quæ non anguſtis continetur finibus, ſed per omnes gentes pro beneficii magnitudine diſſeminatur; quæ ſi occaſio non adeſt, non enim ſemper bella geruntur, illa quidem numquam deeſt, ut cum omnibus modeſte, cum parentibus pie, cum noſtris ita vivamus, ut eos diligere videamur. Et quoniam virtutem parit imitatio, non minimam laudem affert adoleſcenibtus conſuetudo clarorum virorum: quorum ſimiles fore putantur, ſi cum iis ſæpe ſint, eorumque ſermonibus, omiſſa rerum inanium, turpiumque cura, præcipue gaudeant. Valet autem vel maxime ad conciliandos animos comitas, affabilitaſque ſermonis: ſed nihil admirabilius eloquentia, præſertim ſi ſit in oratione miſta modeſtiæ gravitas. Atque hæc adoleſcentibus, illa præcipiuntur viris, ut beneficentiam, & liberalitatem delectu perſonarum habito, exerceant, vel pecunia, vel, ſi res non ſuppetat, opera, & induſtria; quæ ratio laudabilior eſt; quod enim ſumitur ex arca, cum eo, quod accipitur a virtute, conferendum non eſt. Sed, quod pecunia ſit, in eo modum, qui referatur ad facultates, adhiberi oportet: ne, nimio largiendi ſtudio, fons liberalitatis exhauriatur; & quæ virtus eſt, diu virtus eſſe non poſſit.

Quo

Digitized by Google

Quo ex genere largitio quædam, quam parit ambitio, pro ratione temporum non reprehenditur: cum in populum ideo munera conferuntur, ut ab eo magiſtratus impetrentur; illa vero melior exiſtimatur impenſa, quæ ad uſum reip. pertinet, ut in muris, navalibus, portubus, aquæductibus. Maxime vero laudatur hoſpitalitas: eſt enim decori, & ornamento non iis modo, quorum domus hoſpitibus patet, verum etiam reip. Iam illud valde cavendum, nequid in beneficiis dandis contra æquitatem, remque pub. contendatur: neve, dum alios juvare volumus, offendamus aut eos, quos non debemus, aut eos, quos non expedit: nam & laudis fundamentum juſtitia eſt, & in aliis decet conſulere, ne nos ipſos negligamus. Et, quoniam patriæ potiſſimum naſcimur: copia quæratur earum rerum, quas illa deſiderat: idque dum fit, opera detur, ut omnis pellatur avaritiæ ſuſpicio, & privata laus cum reip. commodo conjungatur. Extrema eſt in iis, quæ ad utilitatem pertinent, valetudinis, & pecuniæ curatio; quorum illa ſuſtentatur primum notitia ſui corporis: deinde obſervatione earum rerum, quæ aut proſint, aut obſint: tertio loco, continentia in victu omni, atque cultu: quarto, prætermittendis voluptatibus: poſtremo, ſcientia, conſilioque medicorum. Pecunia vero quæri debet iis rebus, unde abeſt turpitudo; conſervari diligentia, & parcimonia. Atque hæc de utilitatibus; quæ ſi concurrant, ut vel externa commoda cum corporis, vel corporis cum externis, vel ipſa inter ſe corporis, aut externa cum externis comparentur, non dubium eſt, quin major utilitas minori ſit anteponenda, cum eo tamen, ut ab honeſto numquam declinetur; quæ ratio ſenem Catonem adduxit, ut fœnerationem, licet quæſtuoſiſſimam damnaret. Hæ ſunt quaſi viæ quædam, quibus ad id, quod ita utile eſt, ut honeſtum idem ſit, pervenire licet: nam, qui ab honeſto utile ſecernunt, primum res a natura copulatas opinionis amore divellunt: deinde, contra quam opinantur, nec ipſi ſibi conſulunt, nec bene de humano genere merentur.

SE-

Digitized by Google

SECUNDUS CICERONIS OFFICIORUM LIBER

AD CHRISTIANÆ VITÆ NORMAM EXAMINATUS.

HOneſtas, de qua libro primo diſputatum eſt, quem fructum parit? beatam vitam, id eſt, eam, quæ caſibus non ſubjacet humanis, nec ulla terminatur die, ſed æterna cæli præmia conſequitur: eaque dum ſpectat hominum judicia, mercedemque contemnit: nec tamen ea, quam ſequuntur homines, quam ipſa non deſiderat, gloria, & laude caret; ea ſervit bonorum commodis, miſeretur egentium, in exercenda caritate teſtem non quærit: tribuere ſe quæ tribuat aliis, non ſua putat, ſed quæ acceperit a Deo.

Honeſtas in quo ſita? in contemplando, & agendo, id eſt, in ſcientia, & juſtitia: ſcire oportet, quid agas, & agere, quod ſcias: cujus enim ſtultitiæ eſt, id agere quod neſcias? cujus deſidiæ, id ſcire quod non agas? vitium in utroque, ſed eo majus in poſteriore, quod inſcientiæ culpa excuſatione aliqua non caret: ſcientia ſi peccat, id eſt, ſi a juſtitia disjungitur, quo ſe tueatur, non habet. O præclaram, ſalutaremque vocem ſummi Creatoris noſtri, ſapientiſſimi magiſtri! quid ait de ſcientia? *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Jeſum Chriſtum*. De juſtitia vero: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*. Dicet aliquis: Hæc quoque Stoici viderunt, nec Peripatetici prorſus ignorarunt. Cæca prorſus videri philoſophia poteſt, quæ viderit in umbra imaginem aliquam honeſtatis; at prophetæ, multo ante philoſophorum ætatem, alii obſcurius, alii clariſſime, quænam eſſet honeſti vera forma, patefecerunt. Davidis quidem teſtimonio nihil illuſtrius: *Beatus homo*, inquit, *quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum*. De juſtitia, quæ in agendo conſiſtit, clamat idem, & præcipit: *Beatus vir, qui miſeretur, & commodat*, Et infra: *Diſperſit, dedit pauperibus: juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi*.

Honeſtas in omni vitæ ſtatu, omnique re pariter elucet. Secunda ſunt omnia, non extollitur: adverſa, non affligitur; voluptatem, divitias, honorem contemnit: dolorem, egeſtatem, exilium non extimeſcit; in ſe enim ipſa ſua ponit omnia, & illud ſæpe reminiſcitur: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Et illud: *Beati eſtis, cum vobis maledicent, & perſequentur*. Cum quibus concinit Evangelium: *Beati, qui nunc fletis; quia ride-*

bitis. Quæ ſi attendamus, nec caritatem Iſaac, nec exſilium Iacob, nec ſervitutem Ioſeph malum putabimus.

Sed virtutes aut a natura proficiſcuntur, vel ſi abſit diſciplina, quod paucis admodum contigit: aut ab imitatione, ſapientiumque virorum conſuetudine ſumuntur: exemplis abundant ſacræ literæ; ex quibus ut pauca delibentur, Ieſus Nave ille, ille vir, quem rerum geſtarum gloria ad cælum extulit, qui cum in pugna ſtare ſolem juſſiſſet, mortalis hominis juſſu ſtetit ſol, num a Moyſis latere juvenis umquam diſceſſit? Abraham Loth proficiſcentem non deſeruit. Heliæ comes fuit Heliſeus, Paullo Silan, Timotheus, Titus; quibus alii addi poſſunt: nam exemplis divites ſumus, ſpiritu pauperes.

Quæritur in officiis, quibus rebus comparetur, augeaturque pecunia; quorſum? nam beata vita divitiis non eget. Regnum Dei, pauperum eſſe, docet Evangelium. Et Apoſtolus: *Quæ mihi lucra fuerunt, hæc duxi propter Chriſtum detrimenta*. Opponuntur enim ut contraria, divitem ſibi eſſe, pauperem Deo; divitem Deo, pauperem ſibi. Quæ ſi quis recte diſtinguit, vivet in æternum.

Et, quoniam de utili diſputatio eſt, ſcire oportet, utilium duo eſſe genera, unum ex multitudinis opinione, alterum e ſapientum ſententia. Vulgo quæ ad victum, & cultum, quæ ad copias, facultates, opeſque pertinent, ea ſi lucrentur, bene ſecum agi putant; at ſapientibus, qui de honeſtate tantum laborant, maximum lucrum eſt pietas; corpori enim, & Deo ſervire, non idem ſunt: &, ſi quæritur utilitas, ea ſumitur a Deo, cum qua conferri nulla poſſit.

Ex multis autem utilibus id videtur eſſe primum, ut amemur; quandoquidem odio nihil exitioſius. Quid igitur eſt, quod amorem maxime concilier? Chriſtiana caritas: non modo quia libenter ſua communicat, verum etiam quia mitis eſt, non excandeſcit in aliena culpa, patienter injurias fert, admonet, corrigit, opem fert. Inde fides naſcitur, cognita præſertim ejus, quem diligimus, bonitate, & prudentia: velle enim, bonitatis eſt; poſſe, prudentiæ. Itaque libenter nos ei committimus, de cujus aut voluntate, aut prudentia dubitari non poſſe, perſuaſum jam nobis eſt: bonitatem autem qui dicit, idem juſtitiam dicit: prudentiam, virtutem, quæ per ſe quidem valet, ſed, niſi cum juſtitia ſocietur, nomen mutat, & calliditas eſt, id eſt ex virtute vitium; itaque verſuti, callidique hominis, ad quæſtum omnia referentis, vitanda conſuetudo, repudiandum conſilium: boni ab eo nihil exſpectandum, qui bonus ipſe non eſt; malitia enim fictam, inanemque ſpeciem utilitatis oſtendit: juſtitia, id eſt bonitas, veram, ac ſolidam utilitatem parit.

Vt igitur, qui ſuam rem curat, ſibique potius conſulit, quam aliis, rectum ignorat iter gloriæ, nec eum homines amant, nec ei fidem habent: ſic, qui propenſus ad liberalitatem eſt, eaque & pro facultatibus, & erga indigentes utitur, cum in oculis multitudo fert, & fidem haber, ſeque & ſua recte tradi & commendari putat. Hæc virtus pecuniæ fructus eſt: ideo pecunia,

cunia, quod ad nos ipſos attinet, diligenter quærenda; ſed, ut idoneis opitulemur, paulo etiam attentiores eſſe nos decet; quo enim eſt virtus amabilior, eo magis, ne deficiat, neve ejus exercendæ conſuetudo intermittatur, elaborandum.

Nec vero ſimplex, ejuſdemque generis liberalitas a bono viro poſtulatur; ſunt ejus quidam quaſi gradus, & pro meritorum magnitudine fit ſpecioſior, & illuſtrior; in meritis autem excellunt illa, redimere captivos ab hoſte barbaro, alere parvulos, pupillos tueri, virgines collocare: eademque laus, fortaſſe etiam aliquanto major, acquiritur, cum, in tenui re, conſilio tamen, operaque ſubvenitur; quod genus beneficentiæ numquam exhauritur: manat enim a perenni fonte; cum pecuniæ diverſa conditio ſit; quo enim erogatur magis, eo minor ad virtutis uſum materia relinquitur: & ſæpe, qui alienam inopiam ſublevat, ad eamdem ipſe, dum largitur inconſulte, recidit inopiam.

Et, quoniam veritatem amat virtus, tenendum in primis illud eſt, ut, quales haberi volumus, tales ſimus, quam Socrates olim proximam ad gloriam viam, & quaſi compendiariam, eſſe dicebat. Sed nos, in hac admodum dubia, & multis implicata erroribus humanæ vitæ via, multo quidem Socrate meliorem, & ſapientiorem, & certiorem ducem, rectoremque nacti, nullum errorem, ſi ejus expreſſa veſtigia perſequimur, timemus. Deus enim ipſe ſumma veritas eſt, & in veritate colitur Deus; itaque parvi refert, hæc ſi virtus, cujus in cælo præmia ſunt, humana mercede caret: verum non caret; allicitur verbis, capitur beneficiis multitudo: cujus autem ad verba, beneficiaque probitas accedit, eum vehementer amplectitur, ei ſe dedit, pro ejus honore, ac dignitate, nullum laborem vitat, nullum diſcrimen extimeſcit; beneficio enim ducitur, amore impellitur; ita ſequitur probitatem utilitas, licet utilitatem probitas contemnat.

Injuſte vexatis opem ferre non mediocrem laudem habet: quique hoc genere præſtat officii, dum paucos vindicat ab injuria, a multis gratiam acquirit; ſuam enim quiſque conditionem reminiſcitur: & homo hominis miſeriam non libenter videt. Decora vero in primis, & interdum ſalutaris, hoſpitalitas eſt: decora, cum accipiuntur ii, qui non egent: ſalutaris in pauperibus, in quibus Chriſtus eſt, qui minima dantibus maxima retribuit in cælo.

Pecunia, & aſſentatio homines ad benevolentiam allicit: ſed exiguum utraque fructum fert; corruptis nulla fides: blanditiis deliniti non modo juſta imperia non ferunt, ſed admonitiones quoque reſpuunt. Nec tamen correctione vitium caret; licet largiri pecuniam ſine ambitione, comiter agere ſine mendacio; actionem utramque vitæ integritas, & ſapientia, & directa ad Deum cogitatio moderetur: non ſolum, ut placeat, ac probitet id, quod agis, verum etiam, ut bona de te ipſo exiſtimatio ſit; ita fidelis erit benevolentia vel ad perpetuitatem.

Beneficii fructus ex paupere certior, atque uberior eſt, quam ex divite; pauper ſe ſpectatum eſſe putat, non fortunam ſuam, cum remunerandi facultа-

Digitized by Google

cultate careat: & quod non remunerat, debet: quoad debet, obſervat, amatque eum, a quo accepit; ita beneficii memoria vel perpetua eſt, vel diuturna. At dives ideo ſibi tributam eſſe gratiam judicat, quia referre parem, aut majorem etiam poſſit; quo fit, ut eum, qui benè meritus eſt, pene contemnat. Præterea dives humana dat, quia homo eſt: eaque remuneratio finibus includitur anguſtis; at pro paupere remunerator eſt Deus, qui nec munera ſæpe negat humana, & divina nullis circumſcripta finibus perpetuo reddit.

Vix autem verbis exprimi poteſt, atque adeo nullò modo poteſt, quam Deo grata liberalitas ea ſit, quæ confertur in pauperes. Minuere ſacros theſauros, ſacrilegium eſt: ſi vero minuantur ob eam cauſſam, ut minuantur ſimul pauperum incommoda, probat Deus, & ita locat inter benefacta, ut nullum pietatis officium pluris æſtimet; nam, quis pecuniæ præſtantior uſus eſt, quam ſi erogetur in eos, in quibus ipſe Chriſtus eſt? Latet in perſona pauperum: petit, & rogat: eſurire ſe, ſitire, hoſpitio indigere ſignificat; quis ita durus, ac ferreus, ut pauca neget ei, cui debet omnia? quis ita mentis inops, ita de ſe ipſo negligenter cogitans, atque adeo ſeipſum contemnens, ut exigua mercede ſuam ſalutem emendam non putet? theſauros, & humana omnia corrumpit dies: at eam, quæ de theſauris manat, gratiam nulla dies aufert; veri autem theſauri ſunt officia miſericordiæ: verus theſaurus ipſe Deus eſt, ſine quo, qui divites, & beati inter homines putantur, egent, miſerique ſunt: contra, qui egere videntur, eum ſi poſſident, bonis omnibus circumfluunt. Vidit hoc, & ſenſit, & nos docuit Beatus Laurentius, cum, de theſauris Eccleſiæ, quorum cuſtos erat, interrogatus, Pauperes oſtendit. Quid ceteri Martyres? quid alii prope innumerabiles, qui in humana vita divina ſtudia coluerunt? diſpares fortaſſe meritis, ut cujuſque facultas, aut occaſio tulit, omnes tamen Laurentio mente ſimillimi, pii, miſericordes, de aliis ſolliciti, de ſe ne in craſtinum quidem cogitantes. Ergo illi vivunt, viventque ſemper cum immortali viventium Deo: nobis, ſi præclaram conſuetudinem imitemur, eadem propoſita vita eſt: ſi negligamus, æterna mors impendet.

M T.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS DE OFFICIIS AD MARCVM FILIVM

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Qvemadmodum officia ducerentur ab honeſtate, Marce fili) Tres partes Cicero complectitur hoc proœmio. Proponit primum, quæ ſecundi libri futura diſputatio ſit. Deinde reſpondet iis, qui ſuum conſilium de colenda, Latiniſque litteris illuſtranda philoſophia ideo fortaſſe non probarent, quod homo reip. deditus, & in ea adminiſtranda diu cum laude verſatus, omiſſa rerum actione, Romanæ gentis propria, ad bonarum artium, quæ Græcos magis decere viderentur, libenter amplecteretur; in qua parte, cum eas cauſſas expoſuit, quibus excuſari jure poſſet, ornat philoſophiam divinis laudibus. Tertio loco nihil a ſe oſtendit inconſtanter fieri, quod Academicus cum eſſet, id eſt, ex eo philoſophorum genere, qui percipi nihil poſſe putant, officiorum tamen præcepta perſequatur. Dicit autem: *Officia ducerentur ab honeſtate*, quia ex quatuor virtutibus honeſtum, ex honeſto autem oritur officium, de quo lib. I. Atque, ab iis rebus, quæ ſunt in jure ſocietatis humanæ, quemadmodum duceretur honeſtum, ex quo aptum eſt officium, ſatis fere diximus.

Ab omni genere virtutis) A prudentia, a juſtitia, cui conjuncta beneficentia eſt, a fortitudine, a temperantia. Attingit eum locum, quem libro primo deſcripſit his verbis: *Omne, quod honeſtum eſt, id quatuor partium oritur ex aliqua; aut enim in perſpicientia veri, ſollertiaque verſatur: aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique, & rerum contractarum fide: aut in animi excelſi, atque invicti magnitudine, ac robore: aut in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine, & modo, in quo ineſt modeſtia, & temperantia.* Ibidem infra: *Intelligendum eſt autem, cum propoſita ſint genera quatuor, e quibus honeſtas, officiumque manaret, ſplendidiſſimum videri, quod animo magno, elatoque, humanaſque res deſpiciente, factum ſit.* Et in eodem extremo libro: *Cum omnis honeſtas manet a partibus quatuor, quarum una ſit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis: hæ in deligendo officio ſæpe inter ſe comparentur neceſſe eſt.* *Virtutis*: Virtutem vocat & prudentiam: quod Ariſtoteles non ſentit, tres tantum hoc nomine dignatus.

Sequitur) Quod nos, Supereſt, Remanet. Sic lib. I. *Sequitur, ut de una reliqua parte honeſtatis dicendum ſit.*

Vt hæc officiorum genera perſequar, quæ pertinent ad vitæ cultum) Vt diſputem de utili. Infra: *Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipſum eſt, quod utile appellatur.* *Perſequamur*, legebat Vbaldinus, quo modo eſt in veteribus duobus.

Ad earum rerum &c.) Græci, χρήσιμα.

Facultatem, opes, copias) Lib. I. *Ad vitæ commoditatem, jucunditatemque, ad facultates rerum, atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus & ſe poſſint juvare, & ſuos, conducat id, nec ne, de quo deliberant.*

Dixi) Libro ſuperiore.

Tum, ex utilibus quid utilius, aut quid maxime utile) Abſunt hæc a ſex antiquis libris, & Tertii. Et ſane recte abeſſe, docti viri judicant.

De inſtituto) Quod me ad ſcribendum contulerim, ut philoſophiam Latinis litteris illuſtrarem.

De judicio meo) Quod hæc mihi ſtudia, cum illæ, rep. oppreſſa, conti-

ticuiſſent litteræ forenſes, ac ſenatoriæ, colenda maxime judicaverim.

Libri noſtri) De Philoſophia ſcripti; nam de Officiis poſtremi fuere, Cæſare interfecto.

Complures) Vt Brutum, Varronem, alios.

Legendi) Scripta ab aliis.

Scribendi) De Philoſophia.

Bonis viris) Id eſt, fatuis, quod Græci εὐήθεις.

Inviſum) Quia nos avocet a rebus gerendis, boni autem viri actionem plus prodeſſe reip. putant, quam contemplationem. De iiſdem libro II. Acad. *Sunt enim multi, qui omnino non ament Græcas litteras: plures, qui philoſophiam: reliqui, qui etiam ſi hæc non improbent, tamen earum rerum diſputationem principibus civitatis non ita decoram putent.* Philoſophos S. C. urbe ejectos, ſcribit Agellius lib. XV. cap. 11. Et Cicero Tuſcul. I. *Philoſophiam ad ſuam uſque ætatem latuiſſe* ait, *nec ullum habuiſſe lumen litterarum Latinarum, quam illuſtrandam, & excitandam ſibi otioſo conſtituit.*

Mirenturque in ea tantum me operæ, & temporis ponere) Lib I. de Fin. quatuor hominum genera commemorat, qui ſtudium Philoſophiæ Latinis litteris explicandæ non probarent; ac de ſecundo quidem genere ſic: *Quidam autem id non totum reprehendunt, ſi remiſſius agatur: ſed tantum ſtudium, tam multam operam ponendam in eo non arbitrantur.* Et paullo poſt: *Qui autem, ſi maxime hoc placeat, moderatius tamen id volunt fieri, difficilem quamdam temperantiam poſtulant in eo, quod ſemel admiſſum coerceri, reprimique non poteſt.*

Ego autem) Defenſionis initium, ut in epiſtola ad Lentulum: *Ego autem cum illa ſequor, quæ paullo ante propoſui, tum hoc non in poſtremis, de quo cœperam exponere: non offendes eumdem bonorum ſenſum, Lentule, quem reliquiſti.* Videndus Plutarchus in Cicerone, & præfatio Tuſc. I. & ep. 8. lib. IX. Fam. ad Varronem, de Academicis.

Regebatur) Duo veteres libri, *gerebatur*. Recte. Idem mendum irrepſerat in Ovid. Metam. XV. *Exemploque ſuo mores reget*; quo loco in veteribus quibuſdam exemplaribus, *geret*, legi, obſervavit & probitatis, & litterarum laude inſignis, mihique ſumma amicitia conjunctus, Hercules Ciofanus in iis Obſervationibus, quas in ipſum Poetam edidit.

Quibus ſe ipſa commiſerat) Commiſerat ſe ſenatui, populoque Romano: nunc omnis ad unum arnuis translata poteſtas eſt.

Curas, cogitationeſque) Hinc Auguſtus ad nepotem ſuum, magna horum librorum parte lecta, dixit: *Eloquens, eloquens, fili, fuit hic vir, & amans patriæ.*

Cum autem dominatu unius omnia tenerentur) Cæſaris μοναρχίαν deſignat: quam numquam Tyrannidis nomine appellavit. Dicit idem lib. II. de Divin. *At mihi quidem explicandæ philoſophiæ cauſſam attulit gravis caſus civitatis: cum, in armis civilibus, nec tueri meo more remp. nec nihil agere poteram: nec, quid potius, quod quidem me dignum eſſet, agerem, reperiebam.*

Conſilio) Liberæ enim ſententiæ dici non poterant.

Auctoritati) Senatus enim auctoritas jacebat.

Dedidi) Sic octo veteres libri, & Tertii. Elegantius verbum, & ad rem ſignificandam aptius.

Quo cœperat) Statim poſt Cæſaris necem; videbatur enim reſtituta reſp. ideo dixit lib. II. de Divin. *Nunc, quoniam de rep. conſuli cœpti ſumus, tribuenda eſt opera reip. vel omnis potius in ea cogitatio, & cura ponenda: tantumque huic ſtudio relinquendum, quantum vacabit a publico officio, & munere.*

Tam commutandarum rerum) Hoc loco hujuſmodi commutationes minime mirandas, vel novas eſſe dicit. Et lib. II. de Divin. eas Platonis auctoritate probat his verbis: *Id ipſum a Platone, philoſophiaque didiceram, naturales eſſe converſiones quaſdam rerum publicarum, ut eæ tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a ſingulis.*

Quam evertendarum) Vt eſſet non aliqua, ſed nulla penitus reſp. Antonium conſulem notat, longe improbiorem Cæſare dominum.

In agendo plus, quam in ſcribendo) Pleraque enim ſcripſit everſa rep.

Actiones noſtris) Quæ ageremus vel in foro defendendis amicis, vel in ſenatu pro rep. Ad hanc ſententiam per-

pertinet id, quod ſequitur: *Illæ ſcilicet litteræ conticuerunt forenſes, & ſenatoriæ*. Quinctilianus ait commentarios orationum Ciceronianarum ita eſſe exactos, ut ab ipſo ſibi in memoriam poſteritatis videantur compoſiti. Et ipſe in Bruto ſcribit, ſe orationes ſuas non minus diligenter elaboratas etiam, quam elucubratas attuliſſe.

Vt ſæpe fecimus) Multas enim ſcripſit orationes in foro habitas, aliquot in ſenatu, unam in Rullum, duas in Catilinam, eam, qua ſenatui gratias egit in patriam reſtitutus, de haruſp. reſp. de provinciis conſ. & de conſulatu ſuo, & de temporibus ſuis. Orationes autem ſignificat, cum inſert, *litteræ forenſes*.

Nulla eſſet omnino) Exſtincta, oppreſſa impio dominatu.

Conticuerunt) Ita conticuerunt litteræ illæ forenſes, & ſenatoriæ, ut conticuit mea vox in foro, & in ſenatu; quæ enim vel in foro, vel in ſenatu ugerem, ea litteris mandabam: ſublatis autem & forenſibus actionibus, & ſenatoriis, quod ſcriberem non erat.

Nihil autem agere cum animus non poſſet) Eo Cicero natus erat ingenio; ut inani tempus otio conſumere non poſſet; propterea ſcripſit ad fratrem: *Scribebam illa, quæ dixeram, πολιτικα, ſpiſſum ſane opus, & operoſum: ſed, ſi ex ſententia ſucceſſerit, bene erit opera poſita: ſin minus, in illud ipſum mare dejiciemus, quod ſcribentes ſpectabamus: aggrediemur alia, quoniam quieſcere non poſſumus*. Loquitur igitur non communiter de quocumque animo, ut nonnulli exiſtimant, ſed de ſuo, ſubjecta cauſſa, cur ſe ad philoſophiam retulerit, quia reguſtare animus eadem ſtudia cupierit, in quibus ab initio verſatus eſſet.

In iis ſtudiis) Forenſibus & ſenatoriis, quæ mihi vis temporum eripuit.

Ab initio verſatus ætatis) A prima adoleſcentia; quam ætatis ſuæ partem copioſe narrat in Bruto. Vide & Plutarchum in ejus vita.

Exiſtimavi honeſtiſſime poſſe deponi) Deponi curam, cogitationem, operam: quæ ſupra dicta ſunt; ut, *deponi*, accipiatur pro *poni*; quod Nonii teſtimonio probatur, cujus hæc ſunt verba: *Deponere*, eſt *ponere*. Virg. Buc. *De grege non auſim quidquam deponere tecum*. M. Tull. Offic. lib. II. *Exiſtimavi, honeſtiſſime moleſtias poſſe deponi, ubi me ad philoſophiam retuliſſem*. Sed, *moleſtias*, delendum, recte docti, ac diligentes viri ante nos admonuerunt; abeſt autem a ſex meis libris & Tertii; nec requiritur a ſententia: cum, *deponi*, referatur, ut dixi, ad illa ſuperiora, *cura*, *cogitatio*, *opera*. Et ipſe Nonius, cum *deponere*, interpretatur *ponere*, oſtendit, verbum, *moleſtias*, locum non habere; quamquam ex vulgatis libris additum in omnibus Nonii exemplaribus legatur. *Honeſtiſſime*, propter ipſius philoſophiæ præſtantiam, de qua proxime ſubjicitur. *Deponi*: abducit enim ab angoribus animum philoſophia, recreatque, ac reficit languentem ſalutaris doctrinæ remediis; unde illa ad Sulpicium: *Tantum dicam, me, poſteaquam illi arti, cui ſtudueram, nihil eſſe loci neque in curia, neque in foro viderim, omnem meam curam, atque operam ad philoſophiam contuliſſe: quare non equidem te moneo, ſed mihi ita perſuaſi, te quoque in iiſdem verſari rebus, quæ etiam ſi minus prodeſſent, animum tamen a ſollicitudine abducerent*. Et ad Varronem: *Stet nobis illud, una vivere in ſtudiis noſtris, a quibus antea delectationem modo petebamus, nunc vero etiam ſalutem*.

Si me ad philoſophiam retuliſſem) Cultam antea; ut in Tuſc. I. *Cum defenſionum laboribus, ſenatoriiſque muneribus aut omnino, aut magna ex parte eſſem aliquando liberatus, retuli me, Brute, te hortante maxime, ad ea ſtudia, quæ retenta animo, remiſſa temporibus, longo intervallo intermiſſa revocavi: & cum omnium artium, quæ ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio, & diſciplina ſtudio ſapientiæ, quæ philoſophia dicitur, contineretur, hoc mihi Latinis litteris illuſtrandum putavi*.

Diſcendi cauſſa) Vt eloquentiam graviorum artium inſtrumento, & quaſi dote, locupletarem.

Honoribus inſervire) More ambitioſorum. Plutarchus ait, Ciceronem, laudis cupiditate, diligentius ad remp. animum adjeciſſe.

Quantum ſuperfuerat amicorum, & reip. tem-

temporis) Quantum ab amicis, & a rep. concedebatur; quantum ſuperfuerat temporis agendis in foro cauſſis amicorum, capiendis in ſenatu de rep. conſiliis: tantum erat philoſophiæ loci. Imitabatur Cenſorii Catonis induſtriam, qui, ſi quando otium nactus eſſet, ad ſtudia ſe litterarum referebat. *Ἀναπαύσεσιν*, inquit Plutarchus, *ἐχρῆτο καὶ παιδιαῖς, ὁπότε σχολάζοι τῷ συντάττεσθαι τὰ βιβλία, καὶ τῷ γεωργεῖν. Remiſſionibus, & oblectationibus per otium utebatur libros componendo, & rus colendo*. Nam & ruſticam rem exercebat, de qua etiam libros compoſuit. Præceptum Platonis eſt ἐν τῷ τῶν Πολιτειῶν II. ut plurimum temporis in philoſophia ponatur; deinde, cum res poſcet, reſp. adminiſtretur. Mendoſe in aliis libris, *temporibus*, contra veteres meos omnes, & Tertii.

In legendo) In legendis philoſophorum libris. Legendi autem maxime cupidum fuiſſe Ciceronem, ſcribunt Plutarchus, & Tertullianus.

Scribendi) De Philoſophia. Nam ſuas actiones a ſe ſcriptis mandatas eſſe dixit.

Otium non erat) Plus enim curæ, operæque requiritur in ſcribendo, quam in legendo.

CAPVT II.

Maximis igitur in malis) Heſiodus, *οὔποτε παγκακὸν ἦμαρ. Namquam infauſtiſſimus dies*.

Quæ nec ſatis erant nota noſtris) Philoſophiam Romani homines, præter paucos admodum, poſtremis quoque reip. temporibus ignorabant. Tuſc. I. *Philoſophia jacuit uſque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum*. Scripſit autem Cicero poſt interitum reip. libros de Finibus, Tuſculanas quæſtiones, & alios. *Noſtris*: Romanis, Latinis. Sic initio lib. I. *Magnum attulimus adjumentum hominibus noſtris*. Et Ovidius Faſtis:

Leucothee Graiis, Matuta vocabere noſtris.

Præſtantius) In Nonio locum hunc recitante in, *Præſtare*, legitur, *Præſtabilius*; mendoſe fortaſſe; nam veteres libri omnes, *Præſtantius*.

Si interpretari velis) Interpretatus eſt ex Platonis ſententia; dixit enim ἐν τῷ τῶν Πολ. ε. Οὐκοῦν καὶ τὸν φιλόσοφον σοφίας φήσομεν ἐπιθυμητὴν εἶναι. *Igitur & philoſophum ſapientiæ ſtudioſum eſſe dicemus*. Ariſtoteles autem ἐν τῷ Μετα. α. ἐλάττονι· Ὀρθῶς δ' ἔχει τὸ καλεῖσθαι τὴν φιλοσοφίαν, ἐπιστήμην τῆς ἀληθείας θεωρητικήν· θεωρητικῆς μὲν γὰρ τέλος ἀλήθεια. *Recte igitur ſe habet, appellare philoſophiam ſcientiam veritatis theoreticam; theoreticæ enimvero finis eſt veritas*.

Studium ſapientiæ) Studium alibi ſic declarat: Studium eſt, animi aſſidua, & vehemens, ad aliquam rem applicata, magna cum voluntate occupatio: ut philoſophiæ, poeticæ, geometriæ, litterarum.

Sapientia) Seneca Epiſt. lib. XIV. *Primum itaque, ſicut videtur tibi, dicam, inter Sapientiam, & Philoſophiam, quid interſit. Sapientia perfectum bonum eſt mentis humanæ. Philoſophia ſapientiæ amor eſt, & affectatio: hæc oſtendit, quo illa pervenit. Philoſophia unde dicta ſit, apparet: ipſo enim nomine fatetur. Quidam enim ſapientiam ita finierunt, ut dicerent, eam divinorum, & humanorum ſcientiam: quidam ita: Sapientiæ eſt noſſe divina, & humana, & horum cauſſas. Supervacua mihi videtur hæc adjectio, quia cauſſæ divinorum, humanorumque partes ſunt. Philoſophiam quoque, fuerunt, qui aliter, atque aliter definirent. Alii ſtudium illam virtutis eſſe dixerunt, alii ſtudium corrigendæ mentis: a quibuſdam dicta appetitio rectæ rationis. Illud, quaſi conſtet aliquid inter philoſophiam, & ſapientiam intereſſe; neque enim fieri poteſt, ut idem ſit, quod affectatur, & quod affectat; quo modo multum inter avaritiam, & pecuniam intereſt, cum illa cupiat, hæc concupiſcatur: ſic inter philoſophiam, & ſapientiam; hæc enim illius effectus, & præmium eſt: illa venit, ad hanc itur. Sapientia eſt, quam Græci σοφίαν vocant; hoc verbo quoque Romani utebantur, ſicut Philoſophia nunc quoque utuntur*.

A veteribus philoſophis) Sic omnes libri veteres.

Sive oblectatio quæritur animi, requieſque curarum) Sententia Platonis, ἐν τῷ τῶν Πολ. θ. Τριῶν ἄρα τούτων τῶν ἡδονῶν, ἡ τούτου τοῦ μέρους τῆς ψυχῆς, ᾧ μανθάνομεν, ἡδίστη ἂν εἴη, καὶ ἐν ᾧ ἡμῶν τοῦτο ἄρχει, ὁ τούτου βίος ἥδιστος. Quare

cum

um tres ſint voluptates, voluptas partis jus, qua diximus; erit utique ſuaviſſi... ejuſque dulciſſima vita, in quo hæc ars dominatur. Ariſtoteles autem Ηθι... κι δοκει ἡ σοφια θαυμαςας ἡδονας χειν, καθαριοτητι, και τῳ βεβαιῳ. *Videtur ſapientia admirabiles habere voluptates, munditie ac fortitudine.*

Semper aliquid anquirunt) Sic Tertii liber: alii omnes quatuordecim, quibus utor, *inquirunt*; ad veram lectionem proxime accedentes. Antea in vulgatis, male, *acquirunt*. Hanc lectionem videtur confirmare Ariſtoteles ... β. cum ait: Ειτινες βυλοιντο δι' αυτων χαιρειν, ουκ αν επιζητειν, ει μη παρα φιλοσοφιας ακος. *Si quis per ſe audere velint, non eſt quod aliunde, quam philoſophiæ remedium requirant.*

Spectet) Pertineat, referatur. Refertur hoc verbum ad Philoſophum.

Valeat) Eam vim habeat, ut ad bene, beateque vivendum perducat. Refertur ad Philoſophiæ facultatem.

Ad bene, beateque vivendum) Significat genus illud vitæ, quod in contemplatione poſitum eſt: cum vero ſubjungit, *ſive ratio conſtantiæ, virtutiſque quæritur*: eam, quæ de moribus agit, Philoſophiæ partem ſignificat; nam lib. III. *Cum tota*, inquit, *philoſophia frugifera, & fructuoſa, nec ulla pars ejus inculta, ac deſerta ſit: tum nullus feracior in ea locus eſt, nec uberior, quam de officiis: a quibus conſtanter, honeſteque vivendi præcepta ducuntur.*

Quæritur) *Ducitur*, habent ſeptem libri veteres, & Tertii.

Aut hæc ars eſt, aut nulla omnino) De Fin. *Artem vitæ* appellat: de Oratore, *diſciplinam*: ibidem, *laudatarum artium omnium procreatricem, & quaſi parentem*: in Tuſculanis, *artium bonum, & inventum*, in orationibus, eam continere ait virtutis, officii, & bene vivendi diſciplinam.

Maximarum rerum) Quid autem iis majus, quas proxime, ut bene, beateque vivatur, quod naturalis philoſophia præſtat: deinde, ut cum virtute, atque conſtantia: quod ea docet, quæ moralis appellatur.

In maximis rebus errantium) *Nam propterea plerique*, ait Seneca, *neceſſaria ignoramus, quod ſupervacanea dicimus.*

Si autem eſt aliqua diſciplina virtutis) Virtutem proxime collocavit in moribus, id eſt in actione rerum, cum dixit, *ſive ratio conſtantiæ, virtutiſque quæritur*: at hic utramque Philoſophiæ partem Virtutis nomine comprehendi, ſatis conſtat. Plato in Protagora, & in Menone diſputat; utrum virtus doceri poſſit, & utrum ſit ſcientia.

Quod alio quodam libro fecimus) In Hortenſio, qui non exſtat: quo libro Philoſophiam, Hortenſio vituperante, ſummis extulit laudibus, lib. II. de Div. Tuſc. III. & lib. I. de Fin. Vide Lactantium lib. III. cap. 2. & lib. VI. cap. 2. Auguſtinum de Vita Beata: qui, in libris Confeſſionum, confitetur ſe ex Ciceronis Hortenſio, quem anno undeviceſimo in rhetorum ſcholis audierit, tanto philoſophiæ amore flagrare cœpiſſe, ut ſe totum ad eam transferre meditatus ſit, ſeque prorſus mutaſſe inde affectus, & mutaſſe ad Deum. *Quodam* (quomodo imprimi curavimus) eſt in omnibus libris, quibus utor.

A doctis & eruditis) A Peripateticis maxime.

Cum percipi nihil poſſe dicamus) Ex Academicorum ſententia; nam in ea hæreſi Cicero fuit: percipi autem nihil poſſe, dixit in quatuor Academicis libris, in quibus cum Varrone diſputavit, cum illi partes Antiochi tribuiſſet, Philonis ipſe ſumſiſſet.

Aliis de rebus). De quibus diſſeruit in iis libris, quos antea de Philoſophia compoſuit.

Præcepta officii) Quæ tradi ab iis non debent, qui percipi nihil poſſe dicunt.

Non enim ſumus ii) Sceptici.

Quorum vagetur animus errore) Plato in Axiocho: Ων εκαιει γαρ ὁ νες αποπλανωμενος. *Quorum vagetur animus errore*: qui nihil probemus, nulla in ſententia conſiſtamus. Ejus auctorem philoſophiæ Pyrrhonem fuiſſe tradunt, cujus exploſam ſententiam eſſe dixit lib. I. Vide Agellium lib. XI. cap. 5. Senecam lib. XIII. Epiſt. prope finem, Laertium in Pyrrhone.

Mens) Cui propoſita eſt inveſtigatio veritatis.

Vita potius) Non modo mens; nam mens, paucorum: vita, omnium.

Diſputandi) Diſputandi, ad ſcientiam; Vivendi, ad mores pertinet.

Ratione ſublata) Quæ enim poteſt eſſe

eſſe diſputatio, quæ vita, ſi nihil certum putemus, nihil, quod ſequamur, habeamus?

Vt ceteri, qui alia certa, alia incerta eſſe dicunt) Vt ceteri philoſophi, ab Academicis diſſentientes; qui non alia certa, alia incerta eſſe dicunt, ſed ambigunt de omnibus: id enim eſt proprium Academicorum. Qui, non eſt in antiquis ſex, & Tertii.

Ab his diſſentientes) Qui alia certa, alia incerta eſſe dicunt.

Alia probabilia, contra alia improbabilia eſſe dicimus) Nihil affirmantes, ſed probabilia ſequentes. Sunt ergo tres philoſophorum ſectæ, una eorum, qui percipi quidquam poſſe negant: altera, qui alia certa, alia incerta eſſe dicunt: tertia, qui, ab utriſque diſſentientes, neque negant, neque affirmant, ſed alia probabilia eſſe dicunt, alia improbabilia. Veteres novem libri, & Tertii, *alia probabilia, contra alia dicimus*.

Quid eſt ergo, quod me impediat) Nulla me ratio deterreret: non video, cur mihi non liceat.

Vitare) Non diſplicet, quod eſt in vetere Tertii, *vitantem*: duo alii, *evitare*.

A noſtris) Ab eo genere Academicorum, qui non, percipi nihil poſſe, dicunt, ut Pyrrhonii, ſed alia probabilia eſſe, alia improbabilia: cum nihil tamen affirment, & ideo contra omnia diſputant, ut illud ipſum probabile, quod ſequuntur, appareat.

Ex utraque parte) Diſputant de eo, quod quæritur, in utramque partem; non ut affirment quidquam, ſed ut probabilia, & improbabilia diſtinguant.

Sed hæc explanata ſunt in Academicis noſtris) Non duobus prioribus libris, Catulo, & Lucullo, ſed quatuor poſterioribus ad Varronem ſcriptis. Lib. II. de Divin. *Quod genus*, inquit, *philoſophandi minime arrogans maximeque & conſtans, & elegans arbitraremur, quatuor Academicis libris oſtendimus*.

Tibi autem, &c.) Filium alloquitur in concluſione προσφωνήσει parænetica.

Antiquiſſima) Peripatetica, vetuſtiore, quam Stoica, ab ipſo Ariſtotele, omnium principe, nobilitata.

Nobiliſſimaque philoſophia) Nobilitarunt enim eam ſcriptis, ut modo dixi, Ariſtoteles, & Theophraſtus, & alii deinceps.

Cratippo auctore) Quaſi duce, & magiſtro.

Iſta præclara) Quæ tu nunc, doctore Cratippo, tractas. Intelligit autem Socratem, Platonem, Xenocratem, Speuſippum, Ariſtotelem, Theophraſtum, & ſimiles Academiæ veteris, & ſectæ Peripateticæ auctores, atque principes.

Hæc noſtra) Quæ in his libris perſequimur e Stoicorum ſententia.

Finitima veſtris) De quo dixit in procemio libri primi, *noſtra legens non multum a Peripateticis diſſidentia*. Quia Stoici, quos in his libris Cicero ſecutus eſt, idem fere, quod Peripatetici, de officio ſentiebant.

CAPUT III.

Q*Vinque igitur rationibus propoſitis officii perſequendi*) Duabus de honeſto, duabus de utili: de honeſto, utrum aliquid honeſtum ſit, an turpe, &, duobus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius: de utili, utrum aliquid utile, an inutile, & duobus propoſitis utilibus, utrum utilius: quinta, de judicio deligendi, ſi quando id, quod ad honeſtatem pertinet, cum eo, quod ad vitæ commoda, pugnare videretur. In hac diviſione diſſentire ſe a Panætio fatetur his verbis, lib. I. *Triplex eſt, ut Panætio videtur, conſilii capiendi deliberatio: nam, honeſtum ne factu ſit, an turpe, dubitant, id quod in deliberationem cadit: in quo conſiderando ſæpe animi in contrarias partes diſtrahuntur. Tum autem inquirunt, aut conſultant, ad vitæ commoditatem, jucunditatemque, ad facultates rerum, atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus & ſe poſſint juvare, & ſuos, conducat id, necne, de quo deliberant: quæ deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus eſt, cum pugnare videtur cum honeſto id, quod videtur eſſe utile, cum enim utilitas ad ſe rapere, honeſtas contra revocare ad ſe videtur, fit, ut diſtrahatur in deliberando animus, afferatque ancipitem curam cogitandi. Hac in diviſione, cum, præterire aliquid, maximum vitium in dividendo ſit, duo prætermiſſa*

ſunt

Digitized by Google

ſunt: nec enim ſolum, utrum honeſtum, an turpe ſit, deliberari ſolet, ſed etiam, duobus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius, itemque, duobus propoſitis utilibus, utrum utilius: ita, quam ille triplicem putavit eſſe rationem, in quinque partes diſtribui debere reperitur. Primum igitur eſt de honeſto, ſed dupliciter, tum pari ratione de utili, poſt de comparatione eorum diſſerendum. Officii perſequendi: Officii inveniendi: ut agatur id, quod ſi omittatur, contra officium eſt.

Quarum duæ ad decus, honeſtatemque pertinent) De quibus libro ſuperiore dictum eſt.

Duæ ad commoda vitæ) De quibus hoc libro dicetur; ideo ſubjungitur: *Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipſum eſt, quod utile appellatur.*

Quinta ad eligendi judicium) De qua nihil ſcripſit Panætius, cum tamen ſe eſſe ſcripturum promiſiſſet. Cicero autem hac de ratione lib. III. copioſe diſputat.

Ea, quæ dixi) Ea, quæ ad honeſtatem, & ea, quæ ad commoda vitæ pertinent.

Pugnare inter ſe) Aliquid eſſe utile, quod & honeſtum, & contra.

Honeſtatis perfecta eſt) Abſoluta a nobis libro ſuperiore: in quo, quemadmodum ab honeſtate officia ducerentur, oſtendimus.

Quam quidem tibi cupio eſſe notiſſimam) Quam cupio diligenter legas, ut actiones, & ſtudia tua ad decus, honeſtatemque dirigas.

In quo verbo lapſa conſuetudo) Salluſtius in oratione Catonis: *Jampridem equidem nos vera rerum vocabula amiſimus: quia, bona aliena largiri, liberalitas: malarum rerum audacia, fortitudo vocatur.* Plato VIII. de Rep. ejuſmodi vocum inverſiones corruptis per pravam educationem animis acceptas refert. Ὕβριν, ait, παιδευσιν καλοῦντες, ἀναρχίαν δὲ ἐλευθερίαν, ἀσωτίαν μεγαλοπρέπειαν, ἀναίδειαν δὲ ἀνδρείαν. *Petulantiam quidem ingenuam educationem; licentiam vero libertatem & prodigalitatem magnificentiam; impudentiam fortitudinem vocantes.* Plutarchus Alcibiadem hujus perverſitatis auctorem ſcribit. Et idem Plut. de Diſcrimine adulatoris, & amici Thucydidem auctorem citat, hoc in ſeditionibus maxime, ac bellis fieri, ut ſolita vocabulorum dignitas non his tribuatur factis, quibus oportebat, ſed accommodetur his, quæ fiebant: ſiquidem audacia temeraria, fortitudo contentioſa judicetur; cunctatio provida, timiditas decora: contra modeſtiæ nomine prætexetur ignavia, & diligens in omni re prudentia ſegnities habeatur.

Deflexit de via) *Naves decedere ſuo curſu*, dixit Cæſar extremo lib. III. de Bello Ci. Quo loco, *deflectere*, libentius legerem.

Senſimque eo deducta eſt) *Senſim*: quia non ſtatim homines improbi ſunt; verum, ubi ſemel de virtutis via deflectere cœperunt, ſenſim in turpiſſima vitia deducuntur, unde illud Satyrici poetæ:

Nemo repente fuit turpiſſimus.

Nulla pernicies major) Omittitur enim ſæpe honeſtum propter vitæ commoda: & utile putatur, quod re vera non eſt.

Summa quidem auctoritate philoſophi) Socrates apud Platonem l. VIII. de Rep.

Severe ſane, atque honeſte) Non leviter, neque temere.

Hæc tria) Juſtum, utile, honeſtum: quæ ſua natura cohæreant, nec divelli poſſint.

Genera confuſa) Vnum enim omnium genus eſt, nec diſtingui poſſunt, quod ad genus attinet: nam juſtum, utile, honeſtum ſimul ſunt; &, qui juſtum dicit, idem utile; qui utile, idem juſtum; qui honeſtum, idem utile.

Cogitatione diſtinguunt) Vt ſpecies, quo modo philoſophi loquuntur, uni ſubjectæ generi diſtinguuntur: nam equus, & homo ſpecie differunt, genere idem ſunt.

Idem eſſe juſtum) *Id*, eſt in ſeptem veteribus. *Eſſe*, abeſt a Tertii libro, & duobus aliis veteribus.

Quod qui parum proſpiciunt) Qui non intelligunt, quidquid honeſtum ſit, utile idem eſſe. *Parum proſpiciunt*: qui id modo, quod ante pedes eſt, vident, nec in longitudinem conſulunt: ut ait Terentius.

Verſutos homines, & callidos) Qui ab honeſto utile ſecernunt: & quia copias, opes, facultates fraude, & malitia

litia adipiſcuntur, vulgo ſapientes exiſtimantur. *Verſutos*: πολυτροπους, και πανουργους: qualem Philippum Demoſthenes, Vlyſſem Poetæ deſcribunt, qui in omnem partem verſant animum, nihilque intentatum relinquunt, quo ſuis rationibus conſulturi eſſe videantur. *Callidos*: diuturno rerum uſu ita eruditos; ex aliorum incommodis ſua uti parent commoda, ut loquitur Comicus, nec a malis artibus abhorreant. Cicero de Nat. Deor. Verſutos dicit, quorum celeriter mens verſatur: Callidos, quorum tamquam manus opere, ſic animus uſu concalluit.

Honeſtis conſiliis) Quod eſt prudentiæ:

Iuſtis factis) Quod eſt juſtitiæ: cui fortitudo, & temperantia ſe comites adjungunt.

Quæ ergo &c.) Nunc ingreditur diſputare de iis, quæ utilia hominibus ſunt, quæ duo ſunt: quædam animalia, ut homines: quædam inanima, ut argentum, aurum, arbores, ex quibus duo alia naſcuntur, quæ proſunt hominibus, & quæ nocent: ex iis, quæ proſunt, duo etiam naſcuntur: quædam rationis expertia, ut equi: quædam, quæ ratione utuntur, ut homo. Ex iis vero, quæ nocent, duo etiam naſcuntur: quædam inanima, ut gladii: quædam vero animalia, ut ſcorpiones, ſed omnia mala ex homine naſcuntur, teſte Plin. Hæc Ciofanus.

Partim ſunt inanima) Non, *inanimata*; ex antiquis libris quinque, & Tertii; & ex Nonio, cujus hæc ſunt; *Inanima, ſine anima*. Cic. de Offic. lib. II. &c. Et Hortenſio: *Nam, cum omnis ſollertia admiranda eſt, tum ea, quæ efficit, ut inanima quæ ſunt, vivere, & ſpirare videantur*. Cicero autem *animal* pro *animatum*, *inanimum*, pro *inanimatum*, dixit.

Aurum, argentum) Quæ ipſa per ſe nec bona, nec mala ſunt, ſed pro eorum, qui utuntur, mente vel prodeſſe ſolent hominibus, vel obeſſe; Cicero nervos reip. Pecuniam dicit ſine qua Demoſthenes nihil decenter fieri poſſe, nec utiliter, in Olynthiacis dixit.

Quæ gignuntur e terra) Fruges, fructus, ligna, herbæ, tam pabulo, quam medicinæ ſervientes.

Quæ habent ſuos impetus, & rerum appetitus) Sive ratione prædita ſint, ſive rationis expertia: ſed ex ratione præditis excipit omnino deos, ſic enim eſt putandum: quamquam ſubjungit, *Vnum deorum; alterum hominum*; nam, quis eum tribuiſſe deis impetus, & rerum appetitus exiſtimet? Et tamen fuerunt, qui hoc ſentire hoc loco Ciceronem crederent.

Boves) Plinius lib. VIII. cap. 45. *Socium laboris, agrique culturæ habemus hoc animal, tantæ apud priores curæ, ut ſit inter exempla damnatus a populo R. qui concubino procaci rure omaſum ediſſe ſe negante, occiderit bovem, actusque in exilium, tamquam colono ſuo interempto*. Et Cic. de Nat. Deor. ſcelus eſſe habitum ſcribit, *veſci hujus animalis viſceribus*. Baues unde etiam Boves, Latina vox, ἀπὸ τοῦ βόσκειν, id eſt paſcendo, dicti ſunt.

Reliquæ pecudes, apes, quarum opere efficitur aliquid ad hominum uſum, atque vitam) Sic malo, quam, *opera*, ſuffragantibus meis tredecim antiquis libris, & Tertii; brutis enim, ratione carentibus, *opus* tribuo libentius, quam *operam*; nam, quod objicitur, *opere* perfectam rem ſignificari, hoc non moveor: poteſt enim Cicero dicere, his rebus, quas equi, boves, reliquæ pecudes, apeſque perficiant, adjuvari vitam hominum. Sed, quid, ſi *opus* interdum non id, quod effectum jam eſt, ſed id, quod efficitur, accipiamus? Ego Latine dici poſſe credam, & de ruſticis hominibus, & de equis, bobus, reliquiſque pecudibus: *In opere verſantur*, id eſt, ut opus faciant: cum eorum labor nondum ad rei exitum pervenerit. Lambino magis placuit, *opera*, quam *opere*: cum quo facit unus ex meis veteribus libris: mihi, ut dixi, *opere*, magis, quam *opera*. Sequor autem, præter ea, quæ dixi, Ciceronem ipſum, qui paullo poſt: *Adde*, inquit, *ductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum irrigationes, moles oppoſitas fluctibus, portus manu factos, quæ non ſine hominum opere habere poſſemus*. Et: *Secundæ res, honores, imperia, victoriæ, quamquam fortuita ſunt, tamen ſine hominum operibus, & ſtudiis neutram in partem effici poſſunt*. Quibus ex locis, *opus*, non id tantum eſſe, quod factum eſt,

ut

uit Lambinus putat, unde mutandi conſilium cepit, verum etiam id, quod ſit, non obſcure intelligitur; atque etiam, ut ſenſus meus eſt, plus quiddam ineſſe videtur in *opere*, quam in *opera*. *Apes*: Quarum remp. cum deſcripſiſſet Virgilius, ſubdit:

His quidam ſignis, atque hæc exempla ſecuti,
Eſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus
Ætherios dixere.

Aliquid) Quanti ſunt
Aerii mellis cœleſtia dona?

Aliquid: cuncta enim hominum gratia creata. Ariſtot. Polit. I. Cicero de Nat. De. II. Socrates apud Xenophontem, lib. IV. των απομνημονευματων. *Hominum*: non dixit, Hominis, ſed, Hominum, ut hominum avaritiam magis notaret.

Duo genera ponuntur) *Ponunt*, eſt in undecim meis, & Tertii.

Deos placatos) Id eſt, propitios, vitæque hominum utiles, nam hic agitur de utilitate, quæ ex animalibus ratione utentibus percipitur.

Pietas) Iuſtitia adverſus deos.

Sanctitas) Scientia colendorum deorum. Vide Euthyphronem Platonis.

Proxime autem, & ſecundum deos) *Et*, abeſt ab uno vetere libro.

Item) *Iterum*, veteres decem.

Deos nocere non putant) Quos non tantum non nocere, ſed neque prodeſſe affirmarunt Epicurei. Lucretii verſus ſunt:

Omnis enim per ſe divum natura neceſſe eſt
Immortali ævo ſumma cum pace fruatur,
Semota a noſtris rebus, ſejunctaque longe.
Nam privata dolo re omni, privata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nil indiga noſtri,
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Deos non nocere, ait Socrates apud Platonem in Theæteto: Πορρω οντες συ ειδεναι, ὁτι ουδεις θεος δυσνους ανθρωποις. *Cum eos lateret, quod nullus Deus ſit hominibus malevolus.*

His exceptis) Has duas voces quidam delent, contra veterum omnium librorum fidem, ſententiaque eas non reſpuit: quodque me in primis movet, eas retinet Servius Æn. lib. XII.

Homines hominibus) Hinc, *homo homini deus, homo homini lupus.*

Obeſſe) Si oderint, & contemnant.

Vel prodeſſe) Si ament, & admirentur. *Vel prodeſſe*: abſunt hæ duæ voces a ſex meis libris veteribus, & Tertii: nec eas agnoſcit idem Servius.

Quæ inanima diximus) Aurum, argentum, & ea, quæ gignuntur ex terra, ſic octo veteres, & Tertii.

Pleraque ſunt hominum operis effecta) Sic antiqui lib. ſeptem, & Tertii. Ab homine omnis manat utilitas.

Frugum, fructuumque reliquorum perceptio) In dialogo de Senect. *Frugum*: de frumento, & leguminibus. *Fructuumque*: de arborum fetibus.

Conſervatio) De qua Columella, & alii.

Iam vero, & earum) Plato l. VIII. De Leg. ejuſmodi rerum vectigalia damnat. Τελος δε εν τῃ πολει μηδενα μηδεν τελειν, μητε εξαγομενων χρηματων, μητε εισαγομενων. λιβανωτον δε, και όσα περι θεους, τα τοιαυτα εςι ξενικα, θυμιαματα, και πορφυραν, και όσα βαπτα χρωματα μη φερουσης της χωρας, η περι τινα αλλην τεχνην δεομενην, ξενικων τινων εισαγωγιμων, μηδενος αναγκαιου χαριν, μητετις αγετω, μητε αυ των εν τῃ χωρᾳ αναγκαιων εμμενειν εξαγετω. *Vectigal autem importandarum, exportandarumque rerum nullum penitus ſit. Thus vero, ceteraque hujuſmodi, quæ Diis incenduntur, peregrinaque ſunt, purpuram, & colores alios, qui a regione non producuntur, omnia denique peregrina, niſi neceſſaria ſint, nemo adducat; nec rurſus, quod neceſſarium regioni ſit, exportet.*

Earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, & earum, quibus egeremus, invectio) Quarum rerum munera Cicero his hominibus tribuit, earum cauſſa nummi uſum inventum eſſe dixit Ariſtoteles lib. I. Pol. Ξενικωτερας, inquit, γινομενης της βοηθειας, τῳ εισαγεσθαι, ὧν ενδεεις, και εκπεμπειν ὧν επλεοναζον, εξ αναγκης ἡ του νομισματος επορισθη χρησις. *Cum ſubſidium illud fieret magis externum ac longinquum, partim ſupportandis iis, quibus egebant, partim exportandis, quibus abundabant; neceſſario nummi uſus compara*

Digitized by Google

paratus eſt. Cujus ſententiæ primam partem, de exportatione, & inveſtione rerum Cicero in hunc locum tranſtulit: ſecundam, de nummi uſu, cum ipſe de hominibus loqueretur, omiſit.

Aurum, æs, argentum) Hæc non uſui, aut neceſſitati, ſed luxui tribuit Plinius in præfatione libri XXXIII. Et Ovid. Metam. I.

Nec tantum ſegetes, alimentaque debita dives
Poſcebatur humus, ſed itum eſt in viſcera terræ:
Quaſque recondiderat, Stygiiſque admoverat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum.

CAPVT IV.

AVt poſtea ſubveniri) *Potuiſſet* ſubaudiri neceſſe eſt. Subvenire tamen, veteres undecim, & Tertii. In uno, *Neque ſubvenire*.

Harum rerum auxilia) Vertit Græcum verbum Ariſtotelis: nam Pol. I. Ἡ γὰρ, inquit, πρὸς τ' ἀναγκαῖα τῷ σώματι βοήθεια γίνεται παρ' ἀμφοῖν, παρά τε τῶν δούλων, καὶ παρὰ τῶν ἡμέρων ζώων. *Ab utriuſque enim, a ſervis, & a beſtiis cicuribus, ad res neceſſarias adjumenta corpori afferuntur*.

Ductus aquarum) De quibus extant Sex. Julii Frontini libri duo, quos, propediem a me emendatos, Scholiiſque illuſtratos, edendos curabo.

Derivationes fluminum) Cum unus alveus in plures diducitur, ad urbium, agrorum, navigationumque commoditatem.

Moles oppoſitas fluctibus) Aggeres, ad maris, fluminum, ſtagnorum exundationes prohibendas. Virg. Georg. II.

An memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra?
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor?

Et Horatius lib. III. Od. 2.

Contracta piſces æquora ſentiunt,
Jactis in altum molibus: huc frequens
Cœmenta demittit redemtor
Cum famulis, dominuſque terræ
Faſtidioſus.

Quæ unde ſine hominum opere habere poſſemus) Sic decem veteres libri, & Tertii; unus, *poſſimus*: unus, *quæ ſine labore habere non poſſumus*. Antea pro *unde*, *non*, legebatur. Melior autem lectio eſt, quam in libro meo imprimi curavi.

Ex quibus omnibus) Hactenus inanimata nominavit.

Sunt) *Sint*, quatuor libri, & Tertii.

Inanimata) Duo, & Tertii, *inanima*: tres, *inanime*.

Qui denique) Nunc de animatis, quæ ipſa ſine hominis induſtria nullum fructum ferrent, aggreditur dicere.

Qui denique ex beſtiis fructus, aut quæ commoditas, niſi homines adjuvarent, percipi poſſet) Quod Ariſtoteles dixit lib. I. Politicorum: Βοήθεια γίνεται παρὰ τῶν ἡμέρων ζώων. *Adjumenta afferuntur a beſtiis cicuribus*.

Qui principes inveniendi fuerunt) Qui primi invenerunt.

Homines certe fuerunt) Ut Saturnus, Pallas, Ceres, Bacchus, opinione, & fama hominum dii facti.

Paſcere eas) Male alii, *equas*: nam ad bellua refertur hoc totum, Paſcere, domare, tueri, tempeſtivos fructus ex his capere; quod comprobatur quatuor veterum librorum, & Tertii teſtimonio.

Quid enumerem artium multitudinem) Ovidius:

Scilicet ingenium placida mollitur ab arte,
Et ſtudio mores convenienter eunt.

Quid enim ægris ſubveniret) Ita eſt in ſex vet. lib. Vnus: *quis enim ægris ſubveniſſet?* Tres: *quis enim ægris ſubveniretur?* Tertii: *qui enim ægris ſubveniſſet?* Cioſano placet: *qui enim ægris ſubveniretur?*

Tantum deſtitit a victu, & cultu beſtiarum) Sic novem veteres libri, & Tertii; pro, *tantum diſceſſit*, unus, *deſiſtit*, alius *deficit*. Lambinus mutat, & reponit, *diſtitit*, cum quo faciunt tres libri: mihi, cur mutatio fiat, cauſſa non videtur; &, *diſtint*, inuſitatum eſt; quod etiamſi uſitatum eſſet, legerem libentius, *diſtat*, cur enim dicat, iis rebus excultam hominum vitam, a victu, & cultu beſtiarum tam diverſam fuiſſe, potius quam, tam diverſam eſſe? *Deſciſcit*, legit Cioſanus.

Vt-

Digitized by Google

Vrbes vero ſine hominum cœtu) De Somnio Scipionis: *Nihil eſt illi principi deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quam concilia, cœtuſque hominum jure ſociati, quæ Civitates appellantur.*

Iuris æqua deſcriptio) Lib. I. dixit, *jura deſcribere, magiſtratus officium eſſe.* *Diſcriptio* Tertii liber.

Per quas bene, beateque vivitur; quas res &c.) *Per quas bene, beateque vivitur*, non legitur in ullo vetere libro.

Effectumque eſt) Abeſt, *eſt*, a duobus veteribus.

Vt eſſet vita munitior) Legibus intra urbem, mœnibus adverſus exteram vim. *Munitior*: minus obnoxia injuriis tempeſtatum, graſſationibus ferarum, & eorum violentiæ, qui robore ſunt ſuperiores.

Permutandiſque facultatibus) Quod veteres facere ſolitos eſſe; ait Salluſtius, Iugurtha: *Vino advectitio mutare* &c.

CAPVT V.

IN *bello*) Omnes veteres, *bello*; unus, *belli*; fortaſſe non male.

Cyrus) Cambyſis filius, Perſarum rex, qui, magnis rebus geſtis, poſtremo a Themiri Scytharum regina, cum ducentis Perſarum millibus cæſus eſt. Nominari debuit, ſi ratio temporum habeatur, ante reliquos quatuor.

Alexander) Ætate ultimus, rerum geſtarum gloria omnium præſtantiſſimus.

Vtitur in re non dubia teſtibus non neceſſariis) Hoc eſt, exemplis: *argumenta*, teſte Quinctiliano, *confeſſa ob id eſſe debent, quia dubiis adhibentur*. Quid ergo opus eſt, in rebus confeſſis, & minime ambiguis, inanem operam ſumere? Alibi: *Vbi rerum teſtimonia adſunt, quid opus eſt verbis?*

Conſpiratione hominum, atque conſenſu) In Rullum: *Conſpirate nobiſcum, conſentite cum bonis.* De Fin. *Aliqui magna amoris conſpiratione conſentientes.* In Epiſt. *Mirabiliter, omnium gentium, atque ordinum conſenſus ad liberandam remp. conſpiravit.* In iiſdem vero Epiſt. Conſpirationis nomine uſus eſt. *Hæc conſpiratio, & concordia omnium ordinum ad defendendam libertatem.* In Catil. *Tanta conſpiratio bonorum.* Pro domo. *Hæc noſtra conſpiratio in rep. bene gerenda.*

Nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur) Homini enim ab homine peſſima quæque naſcuntur; & homo homini plus, quam res aliæ omnes, ſive animatæ, ſive inanimatæ, nocet.

Dicæarchi) Suidas: *Dicæarchus, Phidiæ F. Siculus, Meſſenius, Ariſtotelis auditor philoſophus, orator, geometra. Scripſit dimenſiones montium Peloponneſi. Græciæ vitam libris III. Rempublicam Spartiatarum: qui liber ut quotannis in Ephororum prætorio puberibus auſcultantibus recitaretur, lege ſancitum fuit apud Lacedæmonios, & longo tempore obſervatum.* Cicero Tuſc. I. Ariſtoxeni condiſcipulum, & æqualem facit, deliciaſque ſuas appellat, eumque tres libros ſcripſiſſe ait, quibus Lesbiaci titulus, in quibus animam nihil eſſe docuerit. Laertius ait, eum Platonis ſcribendi genus improbaſſe.

Peripatetici magni, & copioſi) Celebris tam doctrina rerum, quam dicendi facultate inſtructi.

Collectis ceteris cauſſis) Alii legunt, *exteris*; ut illæ ſignificentur, quæ non oriuntur ab ipſis hominibus, ſed extrinſecus quodam modo ſunt. Tres ex meis non habent verbum *ceteris*. Alii omnes, & Tertii, *ceteris*.

Eluvionis) Κατακλυσμὸς, inundationis.

Vaſtitatis) Vide Proverb. *Optimum non naſci*.

Belluarum etiam repentina multitudinis) Vt ranarum, & murium.

Deinde comparat) Vide Proverb. *Dulce bellum inexpertis*.

Conciliare ſibi animos hominum) Octo ex meis, & Tertii, non habent particulam *Sibi*.

Ad uſus ſuos adjungere) Efficere, ut re, opera, conſilio nos juvent.

In uſu, & tractatione) *Vſu, &*, non legitur in undecim meis, & Tertii.

Artibus operoſis) Quæ in opere conſiſtunt, non a ſapientia, & virtute proficiſcuntur: quæ manum, laboremque poſtulant, βαναυσικαῖς.

Hominum autem ſtudia virorum præſtantium ſapientia, & virtute excitantur) Homines conciliantur ſapientia, & virtute.

Al

Ad amplificationem noſtrarum rerum) Ad utilitatem noſtram; ut conſerventur, augeanturque res noſtræ: nam in amplificatione conſervatio includitur.

Virtus fere omnis) Quæ in hominem cadere poſſit, & quæ nobis animos hominum conciliet, ad uſuſque noſtros adjungat. *Virtus fere omnis*: Virtutem dividit in Logicen, Ethicen, & Politicen. Virtutem autem pro Philoſophia dixit. Vnde Seneca Epiſt. lib. XIV. *Philoſophia ſine virtute non eſt, nec ſine philoſophia virtus.*

Vertitur) Conſiſtit, tribus rebus continetur.

Quarum una eſt in perſpiciendo, quid in quaque re verum, ſincerumque ſit) Hæc prudentia eſt, de qua lib. I. *Omne, quod honeſtum eſt, aut in perſpicientia veri, ſollertiaque verſatur.*

Sit cauſſa) Vndecim mei, & Tertii, ordine præpoſtero, *cauſſa ſit*.

Alterum) Dixit: Omnis fere virtus in tribus rebus vertitur, quarum una eſt: nunc ſubjungit, *alterum*; pro *altera res*.

Cohibere motus animi turbatos) Hæc, temperantia.

Vti moderate) Hæc, induſtria.

Per eos denique) Rectius, ut in antiquis libris, *per eoſdemque*.

Tantaque pœna afficiamus) Pergit in deſcribenda juſtitia. Fortitudinem omitti miror; propterea dixit: *Virtus fere omnis in tribus rebus vertitur*, non in quatuor; infra tamen perſpicue fortitudinem deſcribit, cum ait: *Hæc animi deſpicientia admirabilitatem magnam facit*. Et lib. I. *Omne, quod honeſtum eſt, id quatuor partium oritur ex aliqua*: non, ex tribus.

Tanta, &c. quantam) In puniendo modus eſt ab humanitate præſcriptus.

Æquitas, humanitaſque) Ne & iræ indulgeatur, & crudelitas in victos exerceatur.

Humanitaſque) Hominem enim clementiam magis decet, quam crudelitas.

CAPVT VI.

MAgnam vim eſſe in fortuna in utramque partem) Hæc interponit, ut occurrat objectioni; dicet enim aliquis: A fortuna proficiſcuntur omnia: quid ego de ſtudiis hominum laborem? Reſpondet: fortuitæ quidem ſecundæ res, honores, imperia, victoriæ, tamen ſine hominum operibus, & ſtudiis neutram in partem effici poſſunt. *Magnam vim eſſe in fortuna*: Demoſthenes Olynth. II. *Μεγαλη ῥοπη, μαλλον δε, ὁλον ἡ τυχη παρα παντ' εϛι τα των ανθρωπων πραγματα. Multum in fortuna momenti eſt, ac ea potius ſola in omnibus mortalium rebus dominatur.* Iuvenalis vero fortunam irridet:

> *Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia. Sed nos*
> *Te facimus, fortuna, deam, cœloque locamus.*

Vide Lact. Firm. lib. III. cap. 29.

Ad exitus pervehimur optatos) Vt in portum.

Affligimur) Vt in ſcopulis.

Vt proxime trium) In Pharſalia, in Africa, in Hiſpania: ducibus, in Pharſalia, Pompeio Magno: in Africa, Scipione Pompeii ſocero, & Iuba Mauritaniæ rege: in Hiſpania, Pompeii liberis.

Summi, ac ſingularis viri) Pompeii Magni.

Bene meritorum civium expulſiones) Exempla ſunt apud Valerium lib. V. cap. de Ingratis.

Neutram in partem effici poſſunt) Neque adverſæ res, ut interitus exercituum, neque ſecundæ, ut honores.

Hoc igitur cognito) Benevolentiam conciliat ab utilitate. *Hoc igitur cognito*: ex quo intelligitur, alliciendæ eſſe hominum ſtudia ad utilitates noſtras. Narrat ſex præcipuas eſſe cauſſas, quæ homines ſæpe commovere ſolent, ut aliis faveant; quidam moventur benevolentiæ gratia. II. quidam opinione virtutis. III. fide. IV. quia rebus ſuis bene conſulere arbitrantur. V. metu. VI. mercede conducti, quia ab illis aliquid exſpectant, ut fecit Cæſar diviſiones agrorum; ut etiam Claudius adduxit multos mercede, ut ſibi faverent. Hæc Ciofanus.

Quæcumque igitur &c.) Cauſſæ, cur quidque fiat ab hominibus erga homines. Sunt autem ſex.

Ad eum augendum) Id eſt, ad augendum ejus divitias, potentiam, & eam au-

auctoritatem, quæ ex iis oritur. Et eſt Græca phraſis, αυξανειν τινα. Demoſthenes Olynth. I. Νυν δε το μεν παρον, αει προϊεμενοι, τα δε μελλοντα, αυτοματα οιομενοι σχησειν καλως, ηυξησαμεν, ω ανδρες Αθηναιοι, Φιλιππον ἡμεις, και κατεστησαμεν τηλικουτον, ἡλικος ουδεις πω βασιλευς γεγονε Μακεδονιας. *Nunc dum præſentia ſemper amittimus, & futura ſua ſponte recte habitura opinamur: & auximus, Athenienſes, Philippum nos, & tantum effecimus, quantus nemo umquam fuit Rex Macedoniæ.*

Honeſtandum) Honoribus cumulandum.

Honoris, ſi cujus virtutem ſuſpiciunt) Plautus Amphitruone:

Virtute ambire oportet, non fautoribus.

Cicero ad Appium ep. ult. lib. III. *Inſignia virtutis multi etiam ſine virtute aſſecuti ſunt: talium virorum tanta ſtudia aſſequi ſola virtus poteſt*. Et ad Plancum lib. X. ep. 3. *Omnia ſumma conſecutus es, virtute duce, comite fortuna.*

Et ſi quem fortuna dignum quam ampliſſ.) *Quemque fort. d. q.* habent ſex mei, & Tertii.

Cui fidem habent) Expulſis regibus, primis conſulibus.

Cujus opes metuunt) Quas periculoſas in rep. eſſe, ſi magnæ ſint, ait Plato: quod, eas qui poſſident, niſi eis magiſtratus pro eorum libidine deferantur, libertati publicæ inſidias ſtruunt.

Qui ea tenentur) Qui mercede ducuntur.

Ad eum confugere) Ut pecunia corrumpant eos, a quibus aliquid expetunt: cum id, quod cupiunt, virtute potius conſequi debeant.

Male enim ſe res habet) Videtur Ariſtotelem imitatus lib. II. Pol. cap. II. Φαυλον το τας μεγιστας ωνητας ειναι των αρχων, την τε βασιλειαν, και την στρατηγιαν. *Summos magiſtratus eſſe venales, regnum, & imperium bellicum, malum eſt*. Propterea Macedonum rex Philippus Alexandrum filium, quod largitione Macedonum animos conſectaretur, in epiſtola quadam accuſavit his verbis: *Quid te, malum, rationis in iſtam ſpem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupiſſes? An tu id agis, ut Macedones non te regem ſuum, ſed miniſtrum, & præbitorem putent? quo quid regi ſordidius?*

Subſidium hoc neceſſarium eſt) Vel cum cetera ſubſidia deſunt, vel cum infirma ſunt.

Quemadmodum ſit utendum eo) Id infra docet his verbis: *Nonnumquam eſt largiendum: & ſæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum, ſed diligenter, atque moderate; multi enim patrimonia effuderunt, inconſulte largiendo.*

Quæ virtuti propiores ſunt) Cum hæc a virtute longe abſit; non enim a virtute, & induſtria ſumitur.

Atque etiam ſubjiciunt ſe homines imperio alterius, & poteſtati pluribus de cauſſis) Has cauſſas expoſuit paullo ante in eo loco: *Quæcumque igitur homines homini tribuunt ad eum augendum, atque honeſtandum, aut benevolentiæ gratia faciunt*, &c. Sed illud animadvertendum, cauſſas quidem eaſdem commemorari, quæ ſupra dictæ ſunt, diverſarum tamen rerum; aliud enim eſt, homines homini tribuere, quæ poſſunt ad eum augendum, atque honeſtandum: aliud, ſubjicere ſe homines imperio alterius, & poteſtati; & ipſa verba, atque etiam diverſæ rei narrationem ſignificant.

Aut beneficiorum magnitudine) Non hæc ſecunda cauſſa eſt, ſed ea, quæ ſequitur, *aut dignitatis præſtantia*: quantum ex earumdem cauſſarum ordine ſupradicto licet intelligere: itaque pro, *aut*, vel ſacramento contenderem legendum, *&*, adverſantibus omnibus antiquis libris. Ita beneficiorum magnitudo ad benevolentiam adderur, tamquam ipſius benevolentiæ cauſſa, quod ſupra dixit, *cum aliquem de cauſſa quempiam diligunt.*

Aut dignitatis præſtantia) Supra; *Aut honoris, ſi cujus virtutem ſuſpiciunt, & ſi quem dignum fortuna quam ampliſſima putant.*

Aut ſpe, ſibi id utile futurum) Supra: *Aut cui fidem habent, & bene rebus ſuis conſulere arbitrantur*. Hæc autem ſpes ab ea differt, quæ capitur ex largitione propoſita, de qua ſupra: *Aut contra, a quibus aliquid exſpectant, ut cum reges, populareſve homines largitiones aliquas proponunt.*

Aut metu, ne vi parere cogantur) Supra: *Aut cujus opes metuunt*.

Aut ſpe largitionis, promiſſioniſque capti) Supra: *Aut contra, a quibus aliquid exſpectant*. Vnus ex meis, *promiſſionibuſque*, utroque modo recte.

Aut poſtremo) Sexta cauſſa & hic, & ſupra: hic, cur ſe homines alterius imperio ſponte ſubjiciant: ſupra, cur ad aliquem augendum, atque honeſtandum adducantur.

Mercede conducti) Cum pecunia per tribus dividebatur; qua de re lata lex de ambitu, de qua in oratione pro Murena.

CAPVT VII.

Rerum autem omnium) Paullo ſuavius, quod eſt in veteribus ſeptem, & Tertii, *Omnium autem rerum*.

Ad opes tuendas, ac tenendas, quam diligi) Sic eſt in quatuordecim, & Tertii.

Nec aptius, quam diligi: nec alienius, quam timeri) Securitatem ex manſuetudine tutiorem ait eſſe Seneca. Vide librum ejus de Clementia. Terentius Adelph. act. I. ſc. I.

Et errat longe mea quidem ſententia,
Qui imperium credat gravius eſſe, aut ſtabilius,
Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur.

Salluſtius Iugurtha, in oratione Micipſæ regis Numidarum: *Non exercitus, neque theſauri præſidia regni ſunt, verum amici; quos neque armis cogere, neque parare queas; officio, & fide parantur*. Imitatus autem eſt Salluſtius Xenophontem in Cyro, qui moriens Cambyſen filium ſic alloquitur: *Οισθα μεν ουν και συ, ω Καμβυση, ότι ου τοδε το χρυσουν σκηπτρον, το την βασιλειαν διασωζον εστιν, αλλ' οἱ πολλοι φιλοι σκηπτρον βασιλευσιν αληθεστατον, και ασφαλεστατον. πιστους δε μη νομιζε φυεσθαι ανθρωπους. πασι γαρ αν οἱ αυτοι πιστοι φαινοιντο, ὥσπερ και τ' αλλα τα πεφυκοτα πασι τα αυτα φαινεσθαι, αλλα τους πιστους τιθεσθαι δει ἑκαστον ἑαυτῳ. ἡ δε κτησις αυτων εστιν ουδαμως συν τῃ βιᾳ, αλλα μαλλον συν τῃ ευεργεσια. Te quoque, mi Cambyſe, ſcire volo, non aureum hoc ſceptrum eſſe, quod regnum tibi conſervet; ſed multi amici Regibus & veriſſimum, & tutiſſimum ſceptrum ſunt. At vero non naſci homines fidos exiſtimabis, quod iidem omnibus fidos ſe declararent, ſicuti naturalia cetera conſpiciuntur eſſe omnibus eadem, ſed fidi qui ſint, eos ab quovis homine tales effici neceſſe eſt. Parantur autem non vi, ſed potius beneficentia.* Apud Herodianum quoque Marcus Imperator, filium amicis, & propinquis commendans, hæc ait: *Ουτε γαρ χρηματων πληθος ουδεν αυταρκες προς τυραννιδος ακρατιαν ουτε δορυφορων φρουρα ἱκανη ρυεσθαι τον αρχοντα, ει μη προϋπαρχῃ ἡ των ὑπηκοων ευνοια. μαλιστα δε εκεινοι εις αρχης μηκος ακινδυνως ηλασαν, ὅσοι μη φοβον εξ ωμοτητος, ποθον δε της αυτων χρηστοτητος ταις των αρχομενων ψυχαις ενεσταξαν. ου γαρ οἱ εξ αναγκης δουλευοντες, αλλ' οἱ μετα πειθους ὑπακουοντες ανυποπτοι, και εξω κολακειας προσποιητου δρωντες τε και πασχοντες διατελουσιν, ουδε ποτε αφηνιαζουσιν, ην μη βιᾳ και ὕβρει επι τουτο αχθωσι. Neque enim aut pecuniæ vis tyrannidis luxuriam explere, aut ſtipantia ſatellitum agmina tueri principem poſſunt, niſi illi ipſi quos regas, animum imperanti, benevolentiamque accommodent. Quippe ii demum diu, tutoque imperant, qui non metum ex crudelitate, ſed amorem ex bonitate Civium ſuorum animis inſtillant. Neque enim quos ſervire neceſſitas coegit, ſed quos obtemperare ſua quemque voluntas adegit, ii ſunt in agendo, patiendoque a ſuſpicione omni, aſſentationeque vacui: & numquam imperia detrectant, niſi violenter, contumelioſeque ſint habiti.*

Quem quiſque odit, periiſſe expetit) Ariſt. II. Rhet. Iram tempore mitigari ait, odium minime.

Hujus tyranni, quem armis oppreſſa pertulit civitas) Non tamen diu, quod Brutus ad M. Antonium ſcripſit Fam. lib. II. ep. 3. *Non quamdiu, ait, vixerit Cæſar, ſed quam non diu regnarit, fac cogites*.

Valet ad peſtem) Ad hominem perdendum.

Interitum ſimilem effugit) *Talem*, eſt in octo, & Tertii. Langius vero, qui duo verba, *Interitum ſimilem*, omittit, diſcedens ab omnibus antiquis libris, errare mihi videtur.

Malus enim eſt cuſtos diuturnitatis metus) Neminem diu cuſtodit metus: qui

qui ſe metui potius, quam diligi vult, non diu tutus eſt: malum ſuæ ſalutis cuſtodem habet is, qui metuitur: putat enim eo ſe tutum eſſe, quo diu tutus non eſt: atque hoc tyrannorum exitus docet. Demoſthenes Olynth. II. Οταν υπ' ευνοιας τα πραγματα συςῃ, και πασι ταυτα συμφερῃ τοις μετεχȣσι τȣ πολεμȣ και συμπονειν, και φερειν τας συμφορας, και μενειν εθελȣσιν οι ανθρωποι· όταν δ' εκ πλεονεξιας, και πονηριας τις, ώσπερ ȣ̔τος, ισχυσῃ, ἡ πρωτη φροφασις, και μικρον πταισμα άπαντα ανεχαιτισε και διελυσε. *Cum enim benevolentia res componuntur, & omnibus belli ſociis eadem expediunt; & conferre operam, & ferre ærumnas, & perſeverare volunt homines. Si quis autem per avaritiam, & improbitatem, ut ille, fit potens, prima quæque occaſio, & parvum erratum omnia retrahit, atque diſſolvit.* Hinc illud Simonis de Pamphilo filio cum Soſia colloquentis, Andr. act. I. ſc. I.

---- ---- Nam antea
Qui ſcire poſſes, aut ingenium noſcere,
Dum ætas, metus, magiſter prohibebant?

Benevolentia fidelis vel ad perpetuitatem) Perpetua fides oritur ex benevolentia; qui diligit, vel perpetuo, non modo diu, fidus eſt. Quia dixerat, *diuturnitatis*, ſubjungit, vel ad *perpetuitatem*; plus enim eſt, *perpetuo*, quam, *diu*; ſed metus nec diu bonus cuſtos eſt: at benevolentia vel perpetuo fidem ſervat, quod Iſocrates ad Nicoclem ſcripſit. Seneca:

Ferrum tuetur principem, melius Fides.

Sit ſane adhibenda ſævitia) *Sane*, permittentis eſt potius, quam probantis, habita ratione eorum, de quibus loquimur; nam tyrannos non probat, ſed, ſi qui ſunt, iis permittit tamquam tyrannis, ut ad ſuas opes conſervandas in eos, qui ſine vi teneri non poſſunt, ſævitia utantur. Ariſtoteles quoque tyrannis præcepta dat, licet eos non probet, in Politicis libris.

Ita ſe inſtruunt) Sic antiqui libri duodecim, & Tertii: duo, *inſtituunt*.

Timefacta libertas) Ita eſt in uno Tertii libro; tredecim, *tremefacta*; unus, *labefactata*; ex quo licet conjicere, illud, *tremefacta*, eſſe gloſſema ad, *timefacta*; quod cum duriuſcule dictum videretur, immutatum eſt. Lucretius eo verbo uſus eſt lib. II.

Hi tibi tum rebus timefactæ religiones
Effugiant animo pavidæ, mortiſque timores.

Pacuvius Peribœa, apud Nonium Marcellum, de contrariis generibus verborum, in, *vagas*, pro *vagaris*:

In triplici pertimefactus mærore animi,
incerte errans vagat.

Et D. Brutus ad Ciceronem Fam. lib. II. epiſt. 20. *Denunciatione periculi ſperare eos, te pertimefacto, adoleſcente impulſo, poſſe magna conſequi præmia.*

Emergunt) Hoc ad illud ſpectat. Quamvis demerſæ ſint leges; quod translatum eſt ab agrorum inundatione.

Iudiciis tacitis) Cum de reis per tabellam, non voce, ſententia fertur, nulla eorum, qui dominantur, ratione habita.

Occultis de honore ſuffragiis) Cum populus bonis civibus honores mandat, & ſuam in eo libertatem retinet. Sic Demoſth. Philip. IV. Ετεραν ειναι την κρυβδην ψηφον τȣ φανερως θορυβȣ. *Atque aliud eſſe occultum ſuffragium a manifeſto plauſu.*

Acriores autem morſus) Libertas intermiſſa mordet acrius, quam retenta. Translatio ab animantibus, quæ, cum læſa ſunt, mordent acrius, ad ultionem doloris, & injuriæ, quam quæ læſa non ſunt. In eam ſententiam dictum eſt illud a Plauto:

Tum denique homines noſtra intelligimus bona,
Cum, quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.

Vt metus abſit, caritas retineatur) Quod & paullo ante expreſſit his verbis: *Omnium rerum nec aptius eſt quidquam ad opes tuendas, ac tenendas, quam diligi, nec alienius, quam timeri.*

Qui ſe metui volent, a quibus metuuntur, eoſdem metuant ipſi, neceſſe eſt) Iſocrates ad Nicoclem: Οπως αν τȣς αλλȣς προς σεαυτον διαθῃς, ȣ̔τως και συ προς εκεινȣς εξεις. *Nam quo tu eos eſſe in te animo conſuefeceris, eodem & ipſe in illos eris.* *Metuentur*, eſt in uno, & Tertii. In alio, *metuantur*.

Quid enim cenſemus , &c. quo &c.) Sic locutus pro Roſcio Amerino: *Quid cenſes hunc ipſum Sex. Roſcium , quo ſtudio , & qua intelligentia eſſe in ruſticis rebus?* Et Agr. II. *Quid cenſetis , cum iſti Xviri cum imperio , cum faſcibus , cum illa delecta finitorum juventute , per orbem terrarum vagabantur , quo tandem animo , quo metu , quo periculo miſeras nationes futuras?* Et lib. I. de Orat. *Quid cenſes, ſi ad alicujus ingenium, vel par , vel majus illa , quam ego non attigi , acceſſerit , quantum illum , & quantum oratorem futurum?*

Superiorem illum Dionyſium) Syracuſium tyrannum , Hermocratis filium , qui tyrannidem in Sicilia invaſit anno III. Olymp. XCIII. hoc eſt anno ab V. C. CCCXLVII. Ariſtot. Polit. lib. V. cap. 5. Xenophon lib. II. Dionyſ. lib. VII. Plut. in Dione , Cic. Tuſc. V. Valer. lib. IX. cap. 15. Agell. lib. XVII. cap. 21. Macrob. lib. I. de Somn. Scip. c. 10. Dicebat , ſe filio imperium relicturum adamantinis vinculis , metum , & violentiam intelligens . Ejus filius , regno pulſus , Corinthi ludum aperuit, ut, cum re ipſa non poſſet, ſpecie ſaltem quadam regnare videretur.

Cultros metuens tonſorios) Nam tonſor gloriatus erat , in ſua poteſtate eſſe tyranni vitam , de quo pœnas dedit.

Alexandrum Pheræum) Val. lib. IX. cap. 15. Cicero autem Tuſc. V. ait Dionyſium Syracuſanum ad Ariſtomacham , & Doridem conjuges ſic noctu ingredi ſolitum.

Theben) Pheræi Iaſonis filiam , ejus, quem calliditate, ſcientiaque militari comparat Cicero ſuperiore libro tribus maximis trium gentium ducibus , Hannibali Pœno , Q. Fabio Maximo Romano, Themiſtocli Athenienſi. Mirum autem non fuit , ſi reſcivit ipſam cum Pelopida , Thebanorum imperatore , hoſte ſuo, ipſius propinquo , & familiari paterno, colloquium habuiſſe : nec fefellit ipſum præſagium : nam conjux, mulier cordata , & animo præſente , tum vitæ tyranni pertæſa , tum quia fratre juniore fœde abutebatur , adjunctis ſibi tribus fratribus , Tiſiphono , Pitholao , Lycophrone , tyrannum in lecto decumbentem oppreſſit. Ovidius in Ibin:

Inque tuo thalamo jugulatus more Pheræi ,
Qui datus eſt leto conjugis ipſe ſuo .

Vide Plut. in Pelopida , & Cic. de Inv. II.

Barbarum) Nam ii naturali odio Græcos perſequuntur. Iſocrates in Panegyrico.

Compunctum notis Threiciis) Signatum , ſtigmate notatum : nam , ut Herodotus lib. V. ait , apud Thraces punctas eſſe frontes, nobile judicabatur : non eſſe notatas punctis , ignobile . Hæc Marſus . Quibus addo Sexti Empirici philoſophi teſtimonium , qui lib. III. Pyrrhoniarum hypotheſeon , cap. 24. *Compunctum notis eſſe , apud nos* , ait , *turpe , & infame videri at multi Ægyptii , & Sarmatæ ſuos fetus compungunt* .

Diſtricto gladio) Tres , & Tertii , *deſtricto* .

Stipatoribus) Sic omnes libri : quo magis miror eſſe , qui *ſpiculatoribus* , legant .

Perſcrutarentur) Sic tres libri ; unus, *preſcrutarentur* , decem , & Tertii , *ſcrutarentur* .

Stigmatiam) Proxime dixit , Compunctum notis Threiciis: quod ſervitutis erat ſignum. Quid ſibi velit Nonius, qui hoc loco Stigmatias dictos a veteribus punctos in notis , non aſſequor : nam erraſſe eum exiſtimo . Græcum autem nomen Latine pronunciavit, ut alia multa. Caligulam ait Suetonius multos honeſti ordinis deformatos prius ſtigmatum notis , ad metalla , & munitiones viarum , aut ad beſtias condemnaſſe .

Nec eum fefellit opinio) Tertii liber, & alius , non habent eo *opinio* . In alio eſt additum . Quo modo illud a Cicerone dictum Fam. lib. XIV. *Sed nos , ni me fallit , jacebimus*. Et in Oratore. Varro lib. II. de Re Ruſt. & Tacitus .

Ab ea) A tribus ejus fratribus, ipſa cohortante . Plutarchus in Pelopida.

Premente metu) Ita Pheræus, interfectus : Cæſar , tribus & viginti vulneribus confoſſus : Phalaris , lapidibus obrutus .

Phalaris) Aſtyalenſis tyrannus Siculus. Cic. Tuſc. II. Plin. lib. XXXVIII. cap. 8. Ovid. I. de Arte , Perſius Sat. 3. Plut. Parall. cap. 74. Seneca de Ira & de

Digitized by Google

& de Clementia, Oroſ. lib. I. cap. 20. Pindarus Od. 1. Pyth. Auguſt. ad Macedonium, de Vera Felicitate.

Cujus eſt præter ceteros nobilitata crudelitas) Ex illo præſertim æneo tauro, quo homines incluſos, ut gemitu mugitum referrent, igni ſubjecto necabat.

Hic noſter) Cæſar.

In quem) Ita duodecim, & Tertii. Duo, *in eum*.

Impetum fecit) In foro enim lapidibus eſt obrutus.

Demetrium reliquerunt) Superbiſſimum: Plut. in Pyrrho, & Demetrio.

Ad Phyrrum) Humaniſſimum, Epirotarum regem.

Lacedæmonios) Quibus juſtitia numquam curæ fuit. Iſoc. in Panathenaico; nec a confœderatis, nec a benefactoribus ſibi temperarunt. Iſocr. pro Pace, & in Panathen. teſtatur, Lacedæmonios plures indicta cauſſa necaſſe, quam Athenienſes convictos judicio, quo factum eſt, ut, cum Epaminondas, Thebanorum dux, libertatis ſpem faceret, ſocii omnes ad ipſum deficerent, nec Lacedæmoniis opem ferrent. Imperarunt in Græcia Lacedæmonii, Athenienſes, Thebani: principatum Lacedæmoniis, ut dixi, ademit injuſtitia.

Leuctricæ calamitatis) Superiorum temporum injurias, non Leuctricam cladem, ipſis exitio fuiſſe, ſcripſit Iſocrates in oratione Sociali. Leuctra, Bœotiæ urbs, ad quam ab Epaminonda profligati ſunt.

CAPUT VIII.

EXterna libentius in tali re, quam domeſtica, recordor) Oratorie hoc dictum; nam a malorum noſtrorum commemoratione natura abhorremus. Sic apud Ovidium Achelous Metam. IX.

---- Quis enim ſua prælia victus
Commemorare velit?

Pro ſociis) Defendendis contra externam vim.

De imperio) Conſervando, vel propagando. Hinc illud Salluſtii de Romanis, in Conjuratione Catilinæ: *Ubi pericula virtute propulerant, ſociis, atque amicis auxilia portabant: magiſque dandis, quam accipiendis beneficiis, amicitias parabant*.

Exitus bellorum aut mites, aut neceſſarii) Virgilius lib. VI.

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Mites: victos aut in civitatem, aut in fidem, & clientelam recipiendo, modico tributo impoſito. *Neceſſarii*: cum excinduntur urbes, captivique ſub corona veneunt, quales Campani, Fregellani, Numantini, Carthaginienſes, Corinthii.

Regum, populorum) Conjungit hæc duo verba Salluſtius, Catilina: *Reges, populique finitimi bello tentare*. Et Iugurtha: *Auxilia a populis, & regibus, ſociiſque arceſſere*.

Portus, & refugium) Machabæi, a Syriæ regibus cum urgerentur, Romanorum opem implorarunt. Sic & Hieron, Ptolemæus, Ariobarzanes, Deiotarus, Macedones, Græci Romanorum auxiliis uſi ſunt.

Patrocinium orbis terræ) Clientium enim utilitatem patroni ſpectant. Plutarchus illud T. Flaminii dictum refert, quod Romani Græcos abſolvunt judicio incuſtoditos, liberos, & expertes tributi, legibuſque utentes patriis.

Poſt vero Sullæ victoriam) Is, hoſtibus devictis, multa civium millia partim occidit in villa publica, partim proſcripſit. Salluſtius, Catilina: *Poſtquam L. Sulla, armis recepta rep. bonis initiis malos eventus habuit: rapere omnes, trahere: domum alius, alius agros cupere: neque modum, neque modeſtiam victores habere: fœda, crudeliaque in cives facinora facere*.

Etiam in cives) To *etiam* non eſt in ſex meis, & Tertii. Et natum puto ex extremis litteris verbi *extitiſſet*, quæ repetitæ librariis occaſionem dederunt addendi novam vocem, *etiam*.

Honeſtam cauſſam non honeſta victoria) Pugnavit enim Sulla pro optimatibus contra plebem, victorque leges, & judicia reip. reſtituit.

Et certe civium) Correctio quædam, quaſi dicat, ſi minus erat boni viri, nec locupletes, (locupletes autem, ut rerum novarum haudquaquam cupidi, inter bonos viros referuntur) cives tamen erant.

Prædam ſuam ſe vendere) Quaſi hoſtes eſſent, non cives; idem fere repetit

petit in Verrem, act. 2. lib. III. *Tantum animi habuit ad audaciam, ut dicere in concione non dubitaret, bona civium R. cum venderet, ſe prædam ſuam vendere*. Largitus eſt autem ſupra modum venuſtis mulieribus, fidicinis, hiſtrionibus, teſte Plutarcho.

Secutus eſt) C. Cæſar.

In cauſſa impia) Contra optimates, & communem libertatem: cum Sulla optimates, libertatemque defenderit.

Victoria etiam fœdiore) Ob ea, quæ ſtatim ſequuntur. *Fœdiore*: crudeliore. Lib. I. *Sunt quædam partim ita fœda, partim ita flagitioſa, ut ea ne conſervandæ quidem patriæ cauſſa ſapiens facturus ſit*. Salluſtius *fœdos* Catilinæ *oculos* vocat, id eſt, ſævitiam, & immanitatem præ ſe ferentes. Ter. Eun. Act. V. ſc. 5. *Facinus fœdum*, i.e. crudele, Donato. Cicero pro Sextio *fœdum vulnus* P. Clodii dicit. Virgilius, Æn. II.

Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras.

Vbi Servius: *Fœdare, lacerare; nam fœdum tam apud hunc, quam apud Salluſtium, non turpe, ſed crudele ſignificat*, ut:

Sanguine fœdantem, quos ille ſacraverat, ignes.

Salluſtius, *fœdi oculi*. Sic & ingenioſiſſimum Poetarum Ovidium, Metam. I. locutum eſſe, obſervavit ante quinquennium Hercules Cioſanus:

Fœda Lycaoniæ referens convivia menſæ.

Quem verſum prope repetit in Ibin.

Sed univerſas quoque provincias) Quæ pro Pompeio ſteterant.

Vno calamitatis jure) Sic antiqui libri ſeptem, & Tertii, Lambinus *genere* legit, & ſine cauſſa mutat, quaſi, *jure*, ſuum ſenſum non habeat; nam, quæ conditio ſingulorum civium, eadem fuit omnium provinciarum, & regionum, ut pari ſcilicet calamitate vexarentur.

Exteris nationibus) Græcia primum, deinde Africa, poſtremo Hiſpania.

Ad exemplum amiſſi imperii) Terentius præpoſitionem omittit,

Enim vero ſpectatum ſatis putabam, & magnum exemplum continentiæ.

Amiſſi imperii: everſæ reip. cum de hoſtibus, non de ſociis, triumphari ſoleret.

Portari in triumpho) Portabantur in triumpho imagines oppidorum, quæ quis bello ceperat; portatam autem Maſſiliam arbitror in Gallico triumpho: nam quinquies Cæſar triumphavit, de Gallia, de Ægypto, de Ponto, de Africa, de Hiſpania: Maſſilia vero belli civilis initio portas Cæſari clauſerat, ex quo diu obſeſſa, capta denique per vim eſt.

Maſſiliam) Maſſiliæ ſimulacrum ex ebore. Quinctilianus. *Eam fide meliorem, quam conſilio prudentiorem*, dicit Velleius. Lucanus lib. III. Florus lib. IV. Epit. Liv. CX. Oroſ. lib. VI. cap. 15. Eutrop. lib. VI. cap. ult.

Et ex ea urbe triumphari, ſine qua numquam noſtri imperatores ex tranſalpinis bellis triumpharunt) Eadem res Phil. VIII. narratur his verbis: *Quouſque Maſſiliam oppugnabis? ne triumphus quidem finem facit belli? per quem lata eſt urbs ea, ſine qua numquam ex tranſalpinis gentibus majores noſtri triumpharunt, quo quidem tempore populus R. ingemuit*. Ejus laudes perſequitur Cicero pro Flacco: *Maſſilia diſciplinam, atque gravitatem non ſolum Græciæ, ſed haud ſcio, an cunctis gentibus anteponendam jure dicam*. *Maſſilienſes* ait Livius *in eo honore, in ea dignitate apud Romanos fuiſſe, ac ſi mediæ Græciæ umbilicum incolerent*.

Si hoc uno Sol quidquam vidiſſet indignius) Fortaſſe a Plauto ſumſit, qui Sticho ſic ait:

Meliorem nec tu reperies, nec Sol videt.

Haſtam illam cruentam) Venditionem bonorum; nam & Sulla, & Cæſar bona proſcriptorum civium, haſta poſita, ut prædam ſuam vendiderunt.

Et meminerint, & ſperabunt) Antonium ſignificat. Phil. VIII. *Invitus dico: ſed dicendum eſt: Haſta Cæſaris, P. C. multis improbis & ſpem affert, & audaciam; viderunt enim ex mendicis repente divites; itaque haſtam ſemper cupiunt videre ii, qui noſtris bonis imminent, quibus omnia pollicetur Antonius*. *Cruentam*: translatum a re militari: nam, cum haſta ante oppidum ponebatur, ſignum erat diripiendæ urbis, & crudelitatis in cives exercendæ.

Quam P. Sulla cum vibraſſet, dictatore propinquo ſuo) Hic, L. Sulla dictatore, proſcriptorum civium bona emit ad haſtam, id eſt in auctione pu-

publica, quæ, haſta prope fixa, fieri ſolebat; propterea dicitur haſtam vibraſſe, μεταφορικῶς. Quod autem infert Cicero: ſexto & triceſimo anno poſt (tot enim numerantur, a DCLXXIV. ad DCCIX.) a ſceleratiore haſta eadem non receſſit; ſignificat, eumdem P. Sullam, ut emerat bona proſcriptorum Marianorum, L. Sulla dictatore, itidem emiſſe proſcriptorum Pompeianorum, Cæſare dictatore. De hoc P. Sulla ita jocatus eſt Cicero in epiſtola ad Dolabellam 10. lib. IX. *Te tamen hoc ſcire volo, vehementer populum ſollicitum fuiſſe de P. Sullæ morte ante quam certum ſcierit; nunc quærere deſierunt, quo modo perierit; ſatis putant ſe ſcire, quod ſciunt. Ego cetera qui animo æquo fero, unum vereor, ne haſta Cæſaris refrixerit.* Et, ad Caſſium lib. XV. ep. 17. *Nos hic P. Sullam patrem mortuum habeamus; alii, a latronibus; alii, cruditate, dicebant; populus non curabat: combuſtum enim eſſe conſtabat. Cæſarem putabant moleſte laturum, verentem, ne haſta refrixiſſet.* Cui Caſſius feſtive reſpondit, ep. 19. *Sulla, cujus judicium probare debemus, cum diſſentire philoſophos videret, non quæſivit, quid bonum eſſet, & omnia bona coemit; cujus ego mortem forti mehercule animo tuli; nec tamen Cæſar nos eum deſiderare patietur; nam habet damnatos, quos pro illo nobis reſtituat: nec ipſe ſectorem deſiderabit, cum filium viderit.*

Sceleratiore haſta) Phil. II. *Auctionis vero miſerabilis adſpectus? veſtis Pompeii, non multa, eaque maculoſa: ejuſdem quædam argentea vaſa colliſa, ſordidata mancipia.*

Eadem) Non legitur hoc verbum in ſeptem libris, & Tertii.

Scriba) Vide Salluſtium in concione Lepidi.

Iam extrema ſcelera metuentes) Dat ſenſum inanimis rebus, quo magis publica calamitas exprimatur. *Extrema ſcelera*: utrum, quæ reip. impendent? non puto; jam enim amiſſam penitus eſſe remp. ſtatim dicit. Quæ igitur ſcelera? everſionem ipſorum parietum.

Rem vero publicam penitus amiſimus) Quod alibi dicit, προδότην πόλεως.

Injuſte imperanti) Quia leges pro Cæſaris potentia tulit: & metui maluit, quam diligi.

Accidere potuerunt) Quæ non videbantur accidere poſſe.

Quid debent putare ſinguli) Argumentum a majori.

Imbecillem) *Imbecillam*, ſeptem, & Tertii.

Sequitur, ut differamus) Hactenus de privata amicitia dixit: nunc de gloria dicturus eſt, in qua ipſa publicus amor includitur.

Cum honore, & fide caritatem) Gloriæ deſcriptio; nam, ſi diligimur a multitudine, ſi fides ab ea nobis habetur, ſi honore digni putamur: tunc adepti gloriam ſumus; id perſpicue narratur infra.

Sed ea) Ea, quæ cum honore, & fide conjuncta ſit, nam privata quidem amicitia pariter omnes egent.

Ad cujuſque vitam inſtituendam) *Vitam inſtitutam*, undecim, & Tertii.

Certum igitur hoc ſit) Concludit hoc præcepto diſputationem de privata amicitia: nec addit plura propter librum ea de re copioſe ſcriptum, qui inſcribitur Lælius.

Id quod & primum) Vndecim, & Tertii, *idque primum*. Vnus, *quod & pr.* Vnus, *Idque pr.*

Familiaritates habere fidas amantium nos amicorum) De fide ſupra dixit, *Cum honore, & fide caritatem*. Sed ibi agit ea de fide, quæ publice habetur a civibus, hic de ea, quæ privatim ab amicis.

Noſtra mirantium) Vt apud eos in honore ſimus.

Vt non differat multum inter ſummos, & mediocres viros) Vt ea pariter omnes egeant: nam ſine amicitia vita nulla eſt: ſine honore tamen, & gloria, & benevolentia civium licet vivere. Hoc ad illa ſuperiora pertinet: Ad cujuſque vitam inſtituendam accommodandum eſt, a multis ne opus ſit, an ſatis ſit a paucis diligi.

Vtriſque) Ex æquo.

Si cui hæc ſuppetunt) Si quis habet hæc tria, honorem, fidem, benevolentiam civium.

Tum ad cetera) *Cum*, Tertii liber

Ad amicitias) Privatas.

Digitized by Google

CAPVT IX.

NVnc dicamus de gloria; quamquam ea quoque de re duo ſunt noſtri libri) De quibus ad Att. lib. XV. ep. 27, & lib. XVI. ep. 3. Eos autem libros furto avertit Petrus Alcyonius, is, qui de Exſilio ſcripſit, qua de re vide Paulli patris Commentarium in ep. ad Att. lib. XV. ep. 27. *Duo ſunt noſtri libri*: ſupra: *Sed hæc, cum ad philoſophiam cohortamur, accuratius ſolent diſputari: quod alio quidem libro fecimus.*

Attingamus) Pauca dicamus; cum plura dixerimus in iis libris.

Summa igitur &c.) Cauſſæ gloriam gignentes.

Honore nos dignos putat) *Nos*, abeſt a tredecim meis, & Tertii.

Alius quoque quidam aditus ad multitudinem) Qui non eſt ad ſingulos. Vnus: *ſed eſt quoque aliis quidam aditus*. Vnus: *ſed eſt alius quidam aditus*. Tres: *ſed eſt alius quoque aditus*. Novem, & Tertii faciunt cum impreſſa lectione.

Quæ ante dixi, benevolentiæ præcepta videamus) Sic undecim, & Tertii. Vnus non habet το, *benevolentiæ*. Vnus: *quæ ante dixi, benevolentiæ præceptis*.

Quæ quidem capitur beneficiis maxime) Capitur, eſt, Acquiritur; ſed leporis quiddam plus habet, ad exprimendam beneficiorum vim, quibus capiuntur, atque obſtringuntur animi; propterea, *aucupari gratiam*, dixit in epiſtola ad Lucceium. Et, *venari viduas cruſtis, ac pomis*, Horatius. Quod utrumque verbum ad *capiendi* voluntatem ſpectat. Capitur igitur ex multitudine: pro, ſumitur, obtinetur. Sic, *capere fructum, capere laudem*. Præterea, ſi, *benevolentiam aucupari*, Latinum eſt; cur, *benevolentiam capere*, Latinum non eſſe videatur? Quid laboras, Lambine? cur ad mutandum tam proclivis es? nihil hic pro te faciunt antiqui libri: ſermo Latinus eſt: mutationem ſententia non poſtulat. *Maximis*, eſt in ſex meis, *capitur beneficiis maxime*. Hinc illud: *Gratia gratiam parit.*

Beneficæ voluntate benevolentia movetur) Legendum, mutato verborum ordine, ut eſt in meis octo veteribus libris, & Tertii: *Voluntate benefica benevolentia movetur*. Ovid. de Ponto:

Vt deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.

Quod decorum, honeſtumque diximus) *Dicimus*, eſt in ſeptem, & Tertii.

Per ſe) Vel ſi nullum ex eo fructum capiamus.

Natura, & ſpecie ſua) Vi, & forma ſua.

Perlucet) Sic veteres omnes libri. Langius, Prolucet; cur mutetur, cauſſam non video.

Cauſſæ diligendi) Sic illud Virgilii:

--- *Vtrique videndo*
Femina.

Quod & active, & paſſive intelligi poteſt.

Prudentiam) Intelligentiam.

Et futura proſpicere) Definitio prudentiæ.

Cum res agitur, in diſcrimenque ventum ſit) Iſocrates: Και μαλιςα επι των καιρων θεωρειν τους συμβουλευοντας ειδε μη τους καθολου των πραγματων λεγοντας και μηδεν γιγνωσκοντας των δεοντων, αποδοκιμαζειν. *Ac conſiliarii tum maxime, quid res conſilium præſens poſtulat, ſpectandi ſunt, repudiatis iis, qui in univerſum de rebus dicunt, quique nihil eorum, quæ fieri debent, intelligunt.*

Expedire rem) Explicare.

Hanc enim omnes exiſtimant utilem, veramque prudentiam) *Homines*, novem, & Tertii, Septem, *hanc enim utilem homines exiſtimant, veramque prudentiam*.

Id eſt bonis) *Bonis viris*, octo, & Tertii. Infra quoque pro juſtis Bonos appellat.

Iuſtitia ſine prudentia multum poterit: ſine juſtitia nihil valebit prudentia) Libro primo, eaſdem comparans virtutes: *Placet*, inquit, *aptiora eſſe natura ea officia, quæ ex communitate, quam ea, quæ ex cognitione ducantur.*

CAPVT X.

NE *quis ſit admiratus*) Ne qua ſit admiratio.

Cum inter omnes philoſophos conſtet) Non eos quidem, quorum libri exſtant; nam Ariſtoteles id non docet. Plato autem ex aliorum ſententia diſputat, ut in Euthydemo: Εἰπερ και ἓν επιςασαι, παντα επιςασαι. *Si unum ſcis, omnia ſcis.* In Protagora autem:

Περι-

Digitized by Google

Ποτερον και μεταλαμβανουσιν οἱ ανθρωποι τουτων των της αρετης μοριων οἱ μεν αλλο, οἱ δε αλλο, ἠ αναγκη, εαν περ τις ἑν λαβῃ, ἁπαντα εχειν. *Vtrum alii homines aliam virtutis partem accipiunt, an neceſſe eſt, eum, qui unam habet, omnes habere?*

Cum veritas ipſa limatur) Cum veritas ipſa diligentiſſime quæritur.

Ad opinionem, &c.) O vocalis viceſies a Cicerone hic duabus lineis uſurpatur.

Alios bonos) Pro, juſtos: & Ariſtoteles lib. VI. Et hic αγαθον pro juſto poſuit ipſe Cicero infra: *Ex qua una virtute*, inquit de juſtitia, *viri boni appellantur.*

Cum loquamur de opinione populari) Opinatur enim populus diverſas eſſe virtutes.

Pertinerent) Sic tres mei, & Tertii: undecim, *pertinent.*

Admirantur igitur communiter illi) Indocti ſcilicet, & parvo animo præditi. Horatius:

Nil admirari, prope res eſt una, Numici,
Solaque, quæ poſſit facere, & ſervare beatum.

Præter opinionem ſuam) Παραδοξα: vel, παρα προσδοκιαν.

Non enim omnes eos contemnunt, de quibus male exiſtimant) *Contemnere*, & *male exiſtimare*, non idem ſunt. *De quibus male exiſtimant*: nam ii nocere poſſunt. Ariſtoteles hoc diſputat Rhet. lib. II.

Eos haud contemnunt quidem) Tres, & Tertii, *eos contemnunt quidem neutiquam*; quod, ut magis antiquum, magis probo; & ex eo impreſſam lectionem natam exiſtimo.

Nec ſibi, nec alteri proſunt: ut dicitur) *Proſunt*, Abeſt ab uno Tertii libro; & recte abeſſe arbitror; brevitas enim proverbii ſimilitudinem facit. Et, *ut dicitur*, multorum ſermone tritum eſſe, & intelligi poſſe per ſe oſtendit. Horatius hos ait fruges conſumere natos; & Græcus poeta, ετωσιον αχθος αρουρης, *Telluris inutile pondus.* Heſiodus:

Ουτος μεν πανάριστος, ὁς αυτῳ παντα νοησει,
Φρασσαμενος τα κ' επειτα, και ες τελος ῃσιν αμεινω.
Εσθλος δ' αυ κακεινος, ὁς ευ ειποντι πιθηται.
Ὁς δε κε μηθ' αυτῳ νοεῃ, μητ' αλλου ακουων
Εν θυμῳ βαλληται, ὁδ' αυτ' αχρηιος ανηρ.
Ille quidem optimus eſt, qui ſibi ipſe per omnia ſapit,
Cogitans quæcumque dein, & ad finem uſque ſint meliora:
Sed & ille bonus eſt, qui bene monenti paruerit;
Qui vero nec ſibi ſapit, neque alium audiens
Id in animum admittit, ille contra homo inutilis eſt.

Admiratione quadam afficiuntur ii, qui anteire ceteros virtute putantur) Quemadmodum Latine dicitur, *laude afficitur*, *honoribus afficitur*, pro Laudem conſequitur, Honores conſequitur: ſic hoc in loco Cicero dixit, *admiratione quadam afficiuntur ii*, pro, Admirationem quandam hominum conſequuntur. Itaque non video, cur quidquam mutetur; cum præſertim libri omnes antiqui, *efficiuntur*, habeant, non, *afficiunt*, ut ex ingenio Lambinus reponit: meo quidem judicio, non ſatis recte, ut leviter dicam. Vnus: *admiratione quadam vero afficiuntur.* Duo: *admiratione autem quadam afficiuntur*. Vnus: *admiratione quadam autem afficiuntur.* Sex, & Tertii: *admiratione autem afficiuntur.* Quatuor cum impreſſa lectione faciunt. *Ceteros*: Vnus, & Tertii, *ceteris*.

Iis vitiis) Fraude, dolo, violentia.

Voluptates, blandiſſimæ dominæ) Propterea δελεαρ κακων Voluptatem appellavit Plato εν τῳ των Νομων Η. quod, *eſcam malorum*, Cicero convertit in Catone.

Sæpe majores partes animi a virtute detorquent) To *Sæpe*, non legitur in ullo vetere libro.

In utramque partem) Tam voluptates, quam dolores; vel, Sive cum adſunt, ſive cum abſunt.

Excelſo animo, magnoque) Qui virtutem rebus omnibus anteponat.

Tum quis non admiretur ſplendorem, pulcritudinemque virtutis) Hoc non videtur eum eo conjungi poſſe, quod dictum eſt: Quæ in utramque partem excelſo animo, magnoque deſpiciunt. Potius enim ſententia requirebat, *tum quis non eos admiretur?* aut: *Quis non admiretur ſplendorem in iis, pulcritu-*

dinem-

Digitized by Google

dinemque virtutis ? Modo ſubjungatur aliquid, quod ad, *qui*, referatur.

CAPVT XI.

HÆc *animi deſpicientia*) Cum & voluptates, & dolores deſpiciuntur. Sic eſt in omnibus vet. libris. Male in vulgatis, *perſpicientia*.

Et maxime juſtitia) Plato Politic. I. O' μεν αρα δικαιος ἡμιν αναπεφανται, ων αγαθος τε και σοφος, ὁ δε αδικος, αμαθης τε και κακος. *Iuſtus itaque nobis bonus eſſe ſapienſque apparuit; injuſtus autem indoctus, & malus.*

Qui mortem, qui dolorem) Stoici contra Peripateticos; nam Ariſtoteles naturales effectus eſſe dicit.

Quæ his ſunt contraria) Novem, & Tertii: *Quæ ſunt his contr.*

Maximeque admirantur) Valerius Max. lib. IV. cap. 3.

Hunc dignum ſpectatu arbitrantur) Sic quatuordecim mei; unus Tertii, *hunc igni ſpectatum*; id eſt, probe cognitum, ut ego interpretor; ut aurum ſpectatur igni. Similiter ad Pætum, Fam. lib. IX. ep. 16. *Non facile dijudicatur amor verus, & fictus, niſi aliquod incidat ejuſmodi tempus, ut quaſi aurum igne, ſic benevolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit.* Quod ex Iſocrate ſumtum, Pater annotavit, ex oratione ad Demonicum: Το μεν χρυσιον εν τῳ πυρι δοκιμαζομεν. *Aurum in igne probamus.* Sic & Ovidius Triſt.

Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus
aurum &c.

Huc facit illud Chilonis: E'ν λιθιναις ακοναις ὁ χρυσος εξεταζεται, διδως βασανον φανεραν· εν δε χρυσῳ ανδρων αγαθων τε κακων τε νους ἐδωκ' ελεγχον. *In lapideis Cotibus aurum examinatur, ut manifeſtam faciat fidem; in auro vero bonorum, atque malorum hominum animus edidit ſui argumentum.* Lambinus, *tamquam*, addit. Alii, *hunc virum ſpectatum.* Alii, *hunc dignum adſpectu.* Mollius omnino erat, *ut igni*: ſed, ut abſit *Vt*, quid incommodi? præſertim in communi, tritaque ſententia, quam uſus ipſe jam ſatis emolliverat.

Ob eamdem cauſſam) Quia prodeſſe vult plurimis; nam ideo ſpernit, & negligit eas res, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur.

Ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur) Plus eſt, quam, *cupiditate*. Vnus meus, *avide*.

Niſi ſpeciem præ te boni viri feras) Niſi juſtus videare. *Boni viri*: juſti; ſubjungit enim: *Etiam ſolitario homini opinio juſtitiæ neceſſaria eſt.* Et paulo ante dixit de juſtitia: *Ex qua una virtute viri boni appellantur.*

Injuſti habebuntur) Mihi hoc videtur abundare: cum dixerit, *ſi eam non habebunt.* Cum hoc jam ſcripûſſem, animadverti conjecturam meam unius libri veteris teſtimonio confirmari.

Nullis præſidiis ſepti) Quibus maximum opinio juſtitiæ præſidium eſſet.

Ad rem gerendam) Dum eas res gerunt. Male Lambinus, contra veteres omnes libros, *ad rem*; cum ſit ſermo de privatis rebus.

Qui maleficio, & ſcelere paſcuntur) Vt Terentianus Sannio:

Leno ego ſum: at ita, ut uſquam fuit
fide quiſquam optima.

Nam, qui &c.) Iuſtitia etiam apud latrones neceſſaria. Plutarchus in Pompeio narrat de latronibus ſacra facientibus. Argumentum a minori ad majus.

Furatur aliquid, aut clam eripit) Docti viri legunt, *clam furatur aliquid, aut eripit.* Ego ſic, *furatur aliquid, aut eripit.* Nam in verbo, *furari*, occulta, & inſidioſa includitur actio: *eripere*, aperta, & violenta. Sequor autem in hoc, præter morem Latini ſermonis, omnes, quibus utor, veteres libros.

In latrocinio) Inter latrones: argute. Ne inter latrones quidem latroni furari licet.

Aut occidetur a ſociis, aut relinquetur) Quinque lib. vet. *Occidatur, relinquatur*; duo alii, *interficietur, relinquetur.* Septem alii, & Tertii, *interficiatur, relinquatur*; magis probo; quam lectionem merito probatam fuiſſe clariſſimo, diſertiſſimoque viro M. Ant. Mureto affirmavit Ciofanus meus: eamque & Lambinus in vet. codicibus reperit.

Leges latronum eſſe dicuntur) Thucydides ſcribit, ante bellum Trojanum latrocinium non fuiſſe infame, ſed periculoſum potius. Hinc apud Homerum hoſpites rogantur, an prædones ſint; Παρθεμενοι κεφαλας, και τον αλλο-

Digitized by Google

ἀλλοδαποῖσι φέροντας. Objicientes periculo capita, damnum alienigenis afferentes.

Prædæ partitionem) Sic Tertii liber, & novem alii mei. Reliqui vero, *portionem*; libentius ſequor ſuperiorem lectionem; dixit enim paullo ſupra: *Æquabiliter prædam diſpertiit*

Bargulus) Dictus a Bargo, Illyrico flu. De bello Illyrico, geſto anno V. C. DXXV. Polyb. lib. II. & alii.

Quidem exercitus noſtri) Decem, & Tertii, *Quidem etiam ex. n.*

Imperatoreſque) M. Vetillius, & C. Plautius prætores, & Q. Fabius proconſul pacem cum eo fecit; tandem a proditoribus, Cæpionis conſilio, interemtus eſt.

Is, qui Sapiens uſurpatur) Appellari ſolitus eſt; conſuetudinem enim hoc verbum ſignificat. In libro de Amicitia: *Non ab iſto officio, quod ſemper uſurpavi, cum valerem, abduci incommodo meo debui*. De Oratore: *Aut non eo nomine uſurpandum, quo arguatur*. De Vniverſitate: *Iupiter, Iuno, & reliqui, quos fratres inter ſe, agnatoſque uſurpare, atque appellare ſolemus*. Phil. I. *Græcum verbum uſurpavi*. *Is, qui Sapiens uſurpatur*: cujus nomine liber de Amicitia inſcriptus eſt. Duo C. Lælii fuere duorum Africanorum amiciſſimi; poſterior Sapientis cognomen eſt adeptus.

Reliquis) Primum Q. Fabio Maximo, deinde Q. Servilio Cæpioni, qui eum per inſidias occidit.

Quantam ejus vim inter leges, & judicia, & inſtituta reip. fore putamus) Lib. Tertii, & tres mei, *& judicia, & conſtituta reip.* Vnus, *& conſtituta reip.* Duo alii, *& in conſtituta reip.* Alius, *& in conſtituta rep.* Alius *& judicia inſtituta r. p.* Ceteri vero vulgatam habent lectionem.

CAPVT XII.

M*Edos*) Qui primi reges habuerunt. Diod. Sic. lib. III. Strabo lib. II.

Vt ait Herodotus) Lib. I. qui Clio inſcribitur, quo loco ait, quibus artibus Deioces ad regnum adſpirarit.

Fruendæ juſtitiæ) Sic liber Tertii, & decem mei. Duo alii ord. præp. Duo alii, *ſervandæ juſt.* Nihil muto.

Bene morati reges) Hoc Ariſtoteles lib. V. Pol. tradit de tyrannis: *Ὁ δὲ τύραννος ἐκ τοῦ δήμου καὶ τοῦ πλήθους ἐπὶ τοὺς γνωρίμους, ὅπως ὁ δῆμος ἀδικῆται μηθὲν ὑπ' αὐτῶν. φανερὸν δ' ἐκ τῶν συμβεβηκότων, σχεδὸν γὰρ οἱ πλεῖστοι τῶν τυράννων γεγόνασιν ἐκ δημαγωγῶν, ὡς εἰπεῖν, πιστευθέντες ἐκ τοῦ διαβάλλειν τοὺς γνωρίμους. αἱ μὲν γὰρ τοῦτον τὸν τρόπον κατέστησαν τῶν τυραννίδων. Tyrannus vero ex populo, & multitudine ſumitur adverſus nobiles atque illuſtres viros, ne quam populus ab iis injuriam accipiat, atque hoc ex eventis intelligere licet. Nam plerique omnes fere Tyranni ex levibus populi cuſtodibus ac ductoribus facti ſunt (ſi dicere fas eſt) fidem apud populum conſecuti, claris, & illuſtribus viris falſo criminandis, & calumniandis. Aliæ enim Tyrannides hoc modo conſtitutæ ſunt.*

Nam, cum premeretur initio multitudo) *In otio*, Tertii liber, & novem mei. Sunt, qui legant, *inops multitudo*: ut eſt in duobus meis. Alii omittunt & *inops*, & *initio*, & *in otio*; quos non ſequor.

Summos cum infimis pari jure retinebat) Octo mei, & Tertii, *pertinebat*: quam lectionem probo; nam *pertinebat*, eſt perfecte continebat. Pertinacia enim dicta eſt a Pertinendo, id eſt, obſtinate tenendo. Vel lego, *continebat*: ut eſt in uno; quæ lectio arridet & Ciofano.

Eademque conſtituendarum legum fuit cauſſa, quæ regum) Παρονομασία; reges primum, deinde leges fuere; reges autem pro legibus, leges pro regibus. Omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt. Et Ariſtoteles lib. I. Pol. *Καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν τὰ ἔθνη. Primum regibus parebant civitates, & nunc nationes.* Idem & Polybius initio lib. VI. graviter, & ingenioſe, ut ſolet, omnia litteris mandavit.

Ius enim ſemper quæſitum eſt æquabile) Ariſt. Polit. lib. II. *Τὸ μὲν γὰρ δίκαιον, ἴσον δοκεῖ εἶναι. Ius enim æquabile videtur eſſe.*

Si ab uno juſto) Lib. I.

Cum omnibus ſemper) Plato de Leg. IV. eas non ait veras leges, quæ non univerſæ civitati ex æquo ſervi unt: juris ſingularis conditores ſeditioſos verius, quam cives, eſſe.

Eo erant contenti) *Erant eo cont.* Liber

ber Tertii, & undecim mei.

Vna, atque eadem voce) Non ut alio modo tenuiores, alio locupletes viverent, ſed ut ſummi cum infimis æquo jure tenerentur; quod regibus quoque bene moratis propoſitum fuit.

Adjuncto vero hoc) In libro Tertii, atque in duodecim meis τὸ *hoc* deſideratur.

Non poſſe conſequi) Ideo ſe libenter iis, fortunaſque ſuas commiſerunt.

Tum ipſa propter ſeſe) Liber Tertii, & tres mei, *per ſeſe*. Sex alii, *per ſe*.

Nam aliter juſtitia non eſſet) Si pecuniam, ſi honores, ſi opes quæreret, ſupra dictum eſt: *Spernit, & negligit eas res, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur*. Quid igitur potiſſimum ſpectat? ſeipſam, ut juſte agat: in quo præmium ponit maximum: & ex eo tamen ipſo ſequitur amplificatio honoris, & gloriæ.

Sed, ut pecuniæ &c.) Nam *non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri*.

Nec ſolum neceſſarios) Ad tuendam vitam, & frugaliter alendam familiam.

Liberales) Ut & ipſi vivamus lautius, & benignitate in alios uti poſſimus.

Ratione) Non malis artibus; in quo lapſi ſunt præſtanti homines ingenio, duo Gracchi fratres.

Sed, ut pecuniæ quærendæ non ſolum ratio eſt) Quatuor ex meis libris, *Pecuniæ non ſolum quærendæ*. Septem alii, & Tertii, *Pecuniæ non quærendæ ſolum*.

Sic gloria & quærenda, & collocanda, &c.) Septem mei non habent primam conjunctionem, *Et*.

Præclare Socrates) Xenophon: *Απομνημονευματων α* prope finem: quo loco probat eum diſcipulos a ſimulationis ſtudio dehortari ſolitum: *Αει γαρ ελεγεν ὡς ϰκ ειη καλλιων ὁδος επ' ευδοξιαν, ἠ δι' ἡς αν τις αγαθος δε γενοιτο, και, μη δοκειν βϰλοιτο. Semper enim ajebat (Socrates) viam ad gloriam nullam meliorem eſſe, quam qua bonus aliquis eſſet, ac non videri vellet*. Et, ut hoc verum eſſe oſtendat, ſimilitudinem a tibicine addit: Ενθυμωμεθα γαρ, εφη, ει τις μη ων αγαθος αυλητης δοκειν βϰλοιτο, τι αν αυτω ποιητεον ειη. αρ' ϰ τα εξω της τεχνης μιμητεον τϰς αγαθϰς αυλητας &c. *Cogitemus enim, ajebat, ſi quiſpiam, cum bonus tibicen non ſit, videri tamen velit, quid ei faciendum ſit. An non imitari bonos tibicines debet in iis, quæ extra artem poſita ſunt?* Et lib. II. *Αλλα συντομωτατη, και ασφαλεϛατη, και καλλιϛη ὁδος, ω Κριτοβϰλε, ὁτι αν βϰλη δοκειν αγαθος ειναι τϰτο και γενεσθαι αγαθον πειρασθαι. ὁσαι δ' εν ανθρωποις αρεται λεγονται, σκοπϰμενος εὑρησεις πασας μαθησει τε και μελετη αυξανομενας. Nimirum via maxime compendiaria, tutiſſima, & rectiſſima eſt, mi Critobule, ut in quo bonus eſſe videri velis, operam des, ut bonus ſis. Quæcumque autem in vita mortalium virtutes appellantur, eas omnes ſi conſideres, doctrina, & ſtudiis poſſe augeri animadvertes*. Plato Dionii: Φανερον ϰν δει ἡμας γενεσθαι, ὁτι εσμεν τοιϰτοι, οἱοι περ φαμεν. *Conſtare igitur omnibus debet, tales nos eſſe, quales videri volumus*.

Ficto non modo ſermone) Omnes veteres libri, *& ficto non modo ſermone*.

Radices agit) Ideo permanet; nam ficto ſermone, & vultu quæſita ſtabilis non eſt.

Propagatur) Pergit in translatione: nam dixerat, *radices agit*.

Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur) Perſpicue ita eſt in antiquis omnibus libris.

Ficta omnia celeriter, tamquam floſculi, decidunt) Demoſthenes: Οταν εκ πλεονεξιας, και πονηριας τις, ὡσπερ ϰτος, ισχυση, ἡ πρωτη προφασις και μικρον πταισμα ἁπαντα ανεχαιτισε και διελυσεν. ϰ γαρ εϛιν, ϰκ εϛιν, αδικϰντα, και επιορκϰντα και ψευδομενον δυναμιν βεβαιαν κτησασθαι. αλλα τα τοιαυτα εις μεν ἁπαξ και βραχυν χρονον αντεχει, και σφοδρα γε ηνθησεν επι ταις ελπισιν, αν τυχη· τω χρονω δε φωραται, και περι αυτα καταρρει. *Si quis autem per avaritiam, & improbitatem, ut ille, potens fit: prima quæque occaſio, & parvum erratum omnia retrahit, atque diſſolvit. Non enim fieri, non fieri poteſt, Athenienſes, ut per injurias, & perjuria, & mendacia ſtabilis potentia comparetur. Nam talia ſemel, & ad breve tempus conſiſtunt, & ſpem de ſe fortaſſe magnam præbent; ſed tandem patefiunt, & ultro collabuntur*.

Nec ſimulatum poteſt quidquam eſſe diu-

tur-

quorum) Quia naturæ adverſatur.

In utramque partem) Diuturna eſſe non ſimulata, non diuturna ſimulata; illud Ti. Gracchi P. F. hoc illius filiorum exemplo comprobatur.

Familia erimus contenti una) Vox *una* abeſt a duobus veteribus libris. In Tertii vero libro, & novem meis, *familia contenti erimus una*.

T. Gracchus) Qui bis conſul fuit, bis triumphavit, cenſorque fuit.

Tiberius enim Gracchus). Duo mei, *Tiberius igitur Gracchus*. Vnus, *Tiberius Gracchus enim*.

At ejus filii nec vivi probantur a bonis) Liber Tertii, & unus meus, *probabuntur bonis*: Septem alii, *boni*; in quorum uno, non *&*; ſed *ſ3* ſcriptum eſt, divulſo S a verbo *boni*, & ſequenti conjunctioni fruſtra addito.

Numerum obtinent jure cæſorum) Quia leges ferre conati ſunt pernicioſas reip. vel teſtimonio minoris Africani: qui, de Ti. Gracchi nece quid ſentiret, a C. Carbone tribuno pl. ſeditioſe interrogatus, reſpondit, jure cæſum videri. Langius, *nomen*.

Et mortui numerum obtinent jure cæſorum) Vnus meus, *obtinent locum*. Tertii, *& mortui numerum obtinent* &c. Alius, *numerum retinent*. Sex alii habent item *numerum*: reliqui vero, *nomen* &c.

CAPUT XIII.

Qui igitur adipiſci veram juſtitiæ gloriam volet, juſtitiæ fungatur officiis) Tredecim mei, *Volent*, *Fungantur*.

Dictum eſt in ſuperiore libro) His verbis: *Juſtitiæ primum munus eſt, ut ne cui quis noceat; niſi laceſſitus injuria: deinde, ut communibus pro communibus utatur, privatis autem ut ſuis*, &c.

Etſi in eo vis maxima eſt) Iſocrates: Ὥσπερ οικιας οιμαι και πλοιων και των αλλων των τοιουτων, τα κατωθεν ισχυροτατα ειναι δει. ουτω και των πραξεων τας αρχας και τας ὑποθεσεις και δικαιας ειναι προσηκει. *Quemadmodum domus nimirum, & navis, & aliorum operum hujuſmodi, fundamenta firmiſſima eſſe oportet, ita & actionum principia, & argumenta vera, & recta eſſe decet*.

Vt ſimus ii, qui haberi velimus) Quam Socrates viam ad gloriam proximam, & quaſi compendiariam dicebat eſſe. Plato: εν ιβ. νομων ιβ. Το μεν γαρ ορθοτατον, και μεγιστον οντα αγαθον αληθως, ουτω τον ευδοξον βιον θηρευειν. *Maximum autem atque rectiſſimum, ut cum ſis probus, ita gloriam quæras; aliter minime ſi modò perfectus vir futurus es*. Iſocrates contra, ne idem diceret, paulo deterius, & dilutius: Ουτως αν μαλιστ' ευδοκιμοιης ει ταυτα φαινοιο μη πραττων, ἅπερ αν πραττουσι τοις αλλοις επιτιμωης. *Hoc pacto viri boni gloriam maxime conſequeris, ſi ea non facies, quæ, ſi alii faciant, reprehenderes*. Huc facit illud Salluſtii, Catilina. *Eſſe, quam videri, bonus malebat*, ex Æſchylo ſumtum:

Ου γαρ δοκειν αριστος, αλλ' ειναι θελει.

Non enim videri optimus, ſed eſſe vult.

Nam, ſi quis ab ineunte ætate) Dixit ſe quædam præcepta daturum, quæ ad juſtitiæ gloriam adipiſcendam valeant; ſed, antequam præcipiat, filio gratulatur, quod celebritatis, nominiſque cauſſam a patre acceperit. Præcipere autem incipit in iis verbis: *Prima igitur eſt adoleſcenti commendatio ad gloriam, ſi qua ex bellicis rebus comparari poteſt*.

Cauſſam celebritatis) Materiam.

A patre) Vel nobili, vel aliqua ingenii laude præſtanti.

Quod tibi, mi Cicero) Lib. I. *Liceat mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem & hereditas hujus gloriæ, & factorum imitatio pertinet*.

Quod tibi, mi Cicero, arbitror contigiſſe) Sic omnes libri ſcripti.

Atque in eo, quid agat) Liber Tertii, & ſeptem mei, *eum*.

In hunc oculi omnium conjiciuntur) Iſocrates: Τοις σπουδαιοις ουχ οιον τε την αρετης αμελειν, η πολλους εχειν αναγκη τους επιπληττοντας. *Honeſtis viris non eſt permiſſum virtutem negligere, niſi velint multos reprehenſores neceſſario habere*. Et Iuvenalis:

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto, qui peccat, major habetur.

Inquiritur) Non modo enim exſpectatur,

ſtatur, ſed quaſi exigitur ab eo virtus.

Quorum autem prima ætas, propter humilitatem, & obſcuritatem in hominum ignoratione verſatur) Nam, ut ait ille:

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Simul ac juvenes eſſe cœperunt) Confirmato judicio, & animi, corporiſque viribus auctis.

Magna ſpectare) Gloriam. Virgilius:

---- Tentanda via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.

Et:

---- Breve, & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ: ſed, famam extendere factis,
Hoc virtutis opus.

Non invidetur) Contra Ariſtoteles Rhet. lib. II. cap. de Invidia.

Quia non modo non invidetur illi ætati) Vnus ex meis libris, *quia non modo invidetur*. De quo dicendi genere plura Pater in Comment. Ep. Fam.

Verum etiam favetur) Propterea P. Scipioni, qui primus Africanus appellatus eſt, admodum juveni, bellum Hiſpanienſe, alteri vero Africano conſulatus ante ætatem cum adminiſtratione Punici belli mandatus eſt. Athenienſes quoque, cum gravi Lacedæmoniorum bello premerentur, Iphicratem, XXIV. annos natum, ducem delegerunt.

Extiterunt) Clari evaſerunt.

Altera vis) Cæſariana: Plena ſceleris, quia remp. oppreſſit.

Altera) Pompeiana, nec ea
Integra vitæ, ſceleriſque pura.

Felicitatis parum) Quæ maxime in imperatore requiritur.

Alæ alteri) Turmarum equeſtrium auxiliarium: nam de auxiliaribus equitibus Ala dicitur. Alteri, dicit, quia duæ legiones exercitus erat conſularis, quas equites, tamquam alæ, a lateribus muniebant. Agell. lib. XVI. cap. 4. & Serv. Æn. lib. IV. ad illud: *Dum trepidant alæ*. Ciceronem filium & Brutus apud Plutarchum a re bellica laudat.

Summo viro) Ad Appium, omnium & ſæculorum, & gentium principem dicit.

Equitando, jaculando) Sall. Iugurtha: *Non ſe luxu, neque inertiæ, corrumpendum dedit, ſed, ut mos gentis illius eſt, equitare, jaculari, curſu cum æqualibus certare.*

Omnia militari labore tolerando) Sic novem libri mei; quatuor alii: Omnem militarem laborem tolerando. Tertii vero, & alius meus, Omni militari &c. quæ lectio Gioſano non improbatur.

Cum rep. cecidit) Ergo tibi ferenda fortuna communis æquo animo.

Non de te eſt) Cui nullum fructum propter interitum reip. bellica virtus attulit.

Ad ea, quæ reſtant, pergamus) Tertii liber, & tredecim mei: Pergamus ad ea, quæ reſtant.

Multo majora ſunt opera animi, quam corporis) Salluſtius Catilin. proœmio: *Noſtra omnis vis in animo, & corpore ſita eſt; animi imperio, corporis ſervitio magis utimur.* Et II. de Rep. ord. *Corpus animo obedit*. Ideo Plato in Clitophonte vocat το μεν αρχον, το δε αρχομενον. *Illud quidem quod imperat, hoc autem quod obedit.*

Ingenio, ac ratione perſequimur) *Vivitur ingenio, cetera mortis erunt.*

Prima igitur commendatio) In ſecundo præcepto dicit, Prima; quod mirari aliquis poſſit; ſed in primo, quod ad res bellicas pertinet, habuit rationem temporis, in ſecundo utilitatis; recte igitur utrobique.

A modeſtia) Qua foris utimur, cum omni hominum genere; nam, quæ ſubjunguntur; Tum pietate in parentes, tum in ſuos benevolentia, domeſtica ſunt. Hanc laudem filio tribuit Simo ille Terentianus in iis verſibus:

Sic vita erat: facile omnes perferre, ac pati:
Cum quibus erat cumque una, iis ſeſe dedere,
Eorum obſequi ſtudiis, adverſus nemini,
Numquam præponens ſe aliis; ita facillime
Sine invidia invenias laudem, & amicos pares.

Tum in ſuos benevolentia) Tum, non eſt in ſeptem, & Tertii.

Ip

Digitized by Google

In optimam partem cognoſcuntur adoleſcentes) Sic ad Att. lib. X. *Cæſar mihi ignoſcit per litteras, quod non venerim, ſeſeque in optimam partem accipere dicit*.

Qui ſe ad claros, & ſapientes viros, bene conſulentes reip. contulerunt) Quod ipſe fecit adoleſcens; nam initio libri de Amicitia: *A patre*, inquit, *ita eram deductus ad Scævolam, ſumta virili toga, ut, quoad poſſem, & liceret, a ſenis latere numquam diſcederem; itaque multa, ab eo prudenter diſputata, multa breviter, & commode dicta, memoriæ mandabam, fierique ſtudebam ejus prudentia doctior; quo mortuo, me ad pontificem Scævolam contuli, quem unum noſtræ civitatis & ingenio, & juſtitia præſtantiſſimum audeo dicere*. Id autem apud veteres uſitatum fuiſſe, ex Tacito, & Valerio intelligitur.

Quibuſcum ſi frequentes ſunt) Si eorum conſuetudine crebro utuntur.

P. Rutilii) Qui cum Cn. Mallio conſul fuit, & juris civilis laude præſtitit; de hoc in Bruto: Hunc alibi, *exemplum, & ſpecimen innocentiæ* appellat.

P. Mucii) Iuriſconſulti, optimi viri: qui, cum eſſet conſul, Ti. Graccho remp. perturbante, armis abſtinuit, ne civilis cædis auctor eſſet. Hujus filius fuit Q. Mucius pont. max. collega L. Craſſi in conſulatu, juriſconſultus, & idem orator egregius.

Cum eſſet admodum adoleſcens) Annos natus XIX. auctore Tacito in dialogo de Oratoribus.

Ex illa accuſatione nobili, & glorioſa) Cum accuſavit, & damnavit conſularem, eloquentia clarum, C. Carbonem: qui cantharidas ſumſit. Fam. lib. IX. epiſt. 21. nam ex ea ſummam ingenii non laudem modo, ſed etiam admirationem eſt conſecutus. Cic. in Bruto, & Tacitus de Oratoribus.

Qui exercentur) Domi.

Demoſthene) Qui puer pupillares actiones habuit. Quinctilianus lib. XII. cap. 6. Hic induſtria naturam emendavit. Nam in ſubterraneo conclavi ſemiraſo capite meditatus, & geſtum ad ſpeculum ingens formavit, & ſtrictum gladium de lacunari ſupra humerum ſuſpendit; Satyro hiſtrioni ſe erudiendum tradidit: lapillis linguæ ſubjectis balbutiem emendare ſtuduit: imbecillitatem ſpiritus arduo adſcenſu ingrediendo, & recitando aliquid, correxit: ad fluctuum murmur, ventorumque turbines declamitans, concionis procellas, hoc eſt tumultuantem, & obſtrepentem populum, atque exſibilantem contemnere didicit.

De Demoſthene) Sic undecim mei, & Tertii.

Id ſe in foro optime jam præmeditatum facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari) Septem, & Tertii, nec *præmeditatum*, nec *impræmeditatum* habent; ſex, *jam impræmeditatum*; unus habet, *in ore*. Placet; ut reſpondeat verbo *meditari*; quod interpretor, meditando exerceri; quod erat adoleſcentium, antequam cauſſas agere inciperent. *Qua ætate*, inquit, *alii domi cum laude meditantur ea, quæ ad agendas cauſſas pertinent: ea ætate L. Craſſus impræmeditatus, cauſſas ipſas agebat*.

CAPUT XIV.

CUm duplex ſit ratio orationis) De hoc ſupra lib. I. ubi de decore orationis.

Non id dubium, quin contentio orationis majorem vim habeat ad gloriam) Cum duo ſint orationis genera, Sermo, & Contentio, quid utrumque pariat, Cicero demonſtrat. Parit autem contentio gloriam; eſt enim in ea perfecta vis eloquentiæ: Sermo autem gratiam ſine gloria. Hæc eſt germana ſententia Ciceronis. Et, cum loquitur de Contentione: *Majorem*, inquit, *vim habet ad gloriam*: cum de Sermone: *Difficile dictu eſt*, inquit, *quantopere conciliet animos comitas, affabilitasque ſermonis*. Eſt igitur Contentionis gloria: gratia Sermonis. Quæ ſententia elicitur ex veterum librorum conſenſu, quos ſecuti ſumus. Antea: *quin contentio orationis plurimum poſſit, & mei*. contra veteres undecim meos, & Tertii.

Ea eſt enim, quam eloquentiam dicimus) Nam, qui excellit in ſermone, diſertus potius, quam eloquens, dicitur; non ſequitur autem, ut, qui diſer-

diſertus eſt, idem ſit eloquens: qui vero eloquens, facile diſertus eſſe poteſt; itaque præſtat eloquens diſerto. Antonius apud Ciceronem I. de Oratore, eum ſtatuit diſertum, qui poteſt ſatis acute, atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam opinione dicere: eloquentem vero, qui mirabilius & magnificentius augere poſſet, atque ornare, quæ vellet. Vide Quinctilianum in proœmio libri VIII.

Animos hominum) Abeſt, Hominum, a tredecim meis, & Tertii; neque requiritur a ſententia.

Comitas, affabilitaſque ſermonis) Apud Euripidem Capanei laudatur αψευδες ηθος, απροσηγορον στομα. I.e. *animi candor, & affabilitas*.

Antipatri ad Caſſandrum) Ejus filium, de quo vide Iuſtinum. Antipater, Iolai filius, Philippi miles, inter Alexandri duces, & regni ſucceſſor, Caſſandri illius pater, qui Alexandri matrem Olympiadem interfecit. Reliquit autem duos libros epiſtolarum, qui a Suida citantur.

Antigoni ad Philippum filius) Sic duodecim mei, & Tertii. Antigonus Macedoniæ rex fuit. Plutarchus.

Militeſque blande appellando, ſermone deleniant) *Blando*, eſt in tredecim meis: in uno, *militeſque, blando ſermone appellando, delen.* Sunt, qui τὸ *ſermone* delent contra veteres omnes libros.

Vniverſam excitat gloriam) Sic tredecim mei, & Tertii: unus tantum, *univerſorum*, quod non probo, gloſſema enim eſt. Vniverſam autem, explano, omnium, univerſorum, non paucorum hominum: ut ſermo, qui habetur inter paucos, ſed eorum omnium, qui audiunt, qui plurimi ſunt. Vniverſam, igitur, ſummam, perfectam, ad quam nihil poſſit accedere.

Copioſe, ſapienterque dicentis) Cicero in Oratore: *Res ſic ſe habet. Copioſe, & ornate dicere, ſine ſententia, inſania eſt: ſententioſe autem ſine verborum & modo, & ordine, infantia eſt.* Hæc eſt Oratoris deſcriptio: quem copia a dialectico, ſapientia ab inani garrulitate ſeparat.

In oratione) Quæ cum contentione habetur.

Mixta modeſtiæ gravitas) Dixit jam: Magna eſt admiratio copioſe, ſapienterque dicentis: nunc, ſi ad copiam, & ſapientiam accedat modeſtia, nihil admirabilius dicit eſſe, præſertim in adoleſcente: quia pudor ætatem ornat, orationi autem non modo non obeſt, verum etiam prodeſt plurimum, quod exemplo L. Craſſi lib. I. de Orat. perſpicuum eſt.

Plurima cauſſarum genera) *Plura*, ſeptem mei, & Tertii.

Deſiderant) *Deſiderent*, ſex mei, & Tertii.

Aſſecuti ſint) Sic omnes, uno tantum excepto, in quo, *conſecuti*, quod non probo.

Maxima eſt admiratio) Non modo laus.

Laudabilior eſt defenſio) Vide Quinctil. lib. XII. cap. 7.

De Craſſo) Qui accuſavit de majeſtate C. Carbonem reip. cauſſa.

Adoleſcens M. Antonius) Robuſtior tamen annis aliquot, quam Craſſus, accuſavit autem Cn. Papirium Carbonem, qui cum Metello Caprario conſulatum geſſerat, patrem ejus Carbonis, qui ter conſul fuit, & a Pompeio Lilybæi eſt interemtus, ut in ep. ad Pætum. Hic M. Antonius, M. Aquillium defendens, diloricata rei tunica, cicatrices judicibus oſtendit.

P. Sulpicii) Qui loquitur in libris de Orat. Defendit autem C. Norbanum idem Antonius, & ſeditiones exornavit, dicens multas interdum ſeditiones e rep. fuiſſe; ut, cum reges exacti, cum tribunicia poteſtas conſtituta.

Niſi aut reip. cauſſa, ut duo Luculli) Sic omnes libri veteres, & recte. Intelligit autem Lucium, qui Mithridatem, Tigranemque devicit, & Marcum: qui quamquam Servilium augurem, Lucii patris accuſatorem, injuriæ referendæ gratia, accuſaverint, tamen, quia de peculatu, quod eſt furtum pecuniæ publicæ, accuſarunt, reip. cauſſa id facere viſi ſunt: hoc & Plutarchus oſtendit, & Cicero in Lucullo his verbis: *Vt enim admodum adoleſcens cum fratre, pari pietate, & induſtria prædito, paternas inimicitias magna cum gloria eſt perſecutus, in Aſiam quæſtor profectus, ibi per multos annos admirabili quadam laude*

pro-

Digitized by Google

provinciæ præfuit.

Patrocinii) *Patrocinio*, octo mei, ſex, & Tertii cum impreſſa faciunt.

Pro Sardis contra Albucium Iulius Cæſar) Pater ante multos annos emendavit, & impreſſit, *contra Albucium*, cum in omnibus, & recentioribus, & antiquis libris, *pro Albucio*, ſcriptum ſit. Conjecturam autem ejus hiſtoria primum, deinde ratio peperit; nam Sardos a Iulio Cæſare Strabone, eo, qui facetiis, & dicendi lepore excelluit, eſſe defenſos, docet Suetonius in Cæſare dictatore, *Genus*, inquit, *eloquentiæ dumtaxat adoleſcens adhuc Strabonis Cæſaris ſecutus videtur: cujus etiam ex oratione, quæ inſcribitur, Pro Sardis, ad verbum nonnulla tranſtulit in Divinationem ſuam*. Cum igitur ſingulorum ſingulas perſequitur accuſationes, Lucullorum contra Servilium reip. cauſſa, ſuam pro Siculis, Iulii pro Sardis, Fufii pro ea, quam Aquillius adminiſtravit, provincia; cur, ceteris unicam tribuens accuſationem, duas Fufio tribuat? Nam, ſi legatur, Pro Sardis, Pro Albucio; quæ duæ defenſiones ſunt, duas ſimul accuſationes eſſe, quis non videt? Omnino quemadmodum C. Verris nomen omiſit Cicero, quem pro Siculis accuſaverat, Siciliæ defenſæ mentione contentus: ſic omittere potuit Albucii, Sardiniæ jam mentione facta. Sed, quando veteres omnes libri, *pro M. Albucio*, habent, modeſtius ſe facere Pater eſt arbitratus, ſi, *contra Albucium*, reponeret, quam ſi totum illud, *pro M. Albucio*, tolleret. Fortaſſe autem, *contra Albucium*, addidit Cicero: nam accuſatio Lucullorum, & ipſius Ciceronis recentior erat, ipſaque ſatis nota res hominibus ejus ætatis: at Cæſaris accuſatio remotior, ideoque minus nota: quod ſi mentio fieret de Albucio reo, tollebatur obſcuritas, & patefiebat hiſtoria. Ideo non probo eorum opinionem, qui hoc totum, *contra Albucium*, delendum cenſent. Neque correctores iſtos audio, qui ſibi nimium quantum in conjectura placent, inferuntque maculas interdum, quas eluere ſe putant. Hanc ejus emendationem, ut alias non paucas, a viris doctis, qui poſt editionem ſuam in Ciceronem ſcripſerunt, eſſe diſſimulatam, non moleſte ipſum tuliſſe, ſum ipſe teſtis: non enim induſtriæ ſuæ fructum ex aliena laudatione petebat; verum id tantum ſpectabat, ut opem ſtudioſis ferret; tantumque aberat, ut invideret, ſi quos in hoc genere videret excellere, ut iis etiam & gratularetur, & ſummam laudem tribueret. Albucius autem is eſt, qui cum in Sardinia, victis latrunculis, ſine ſenatus decreto quaſi triumphaſſet, Romæ poſtea accuſatus in exilium miſſus eſt. Vide in Bruto, de Fin. lib. I. Tuſc. V. *Cæſar*: *Cæſar*, non eſt in decem meis, & Tertii: & certe gloſſema eſt.

In accuſando etiam M' Aquillio L. Fufii cognita induſtria eſt) Pro, *Manlio*, (quod erat in vulgatis, & in uno meo vetere) ſive, *Manilio*, (quo modo eſt in undecim meis, & Tertii) ſive, *Manilium*, (quo modo in duobus item meis) primus repoſuit Pater, *M. Aquillio*, ante multos annos: id quod editi libri teſtantur. Sed, quia gloriolam non occupans, ipſe correctione contentus, neque Scholia ſcripſit, neque locum a ſe reſtitutum ullo modo indicavit: & hic ejus fructum induſtriæ intervertere, ad ſeque transferre alii poſtea conati ſunt. Hiſtoriam M. Aquillii a L. Fufio accuſati breviter attingit Cicero in libro de Claris Orat. Provinciæ tamen, pro qua Fufius Aquillium accuſavit, mentionem ibi quoque prætermiſit. Aquilliorum autem prænomen fuiſſe M', id eſt, Manius, ut Curiorum, antiquitatum Romanarum periti non ignorant; ſed, ob inſcitiam notæ veteris, pro M' factum erat M. in omnibus vulgatis libris.

Sin erit, cui faciendum ſit ſæpius) *Sin erit, cur f.* unus; *Sin cauſſa erit, cur f.* unus. *Sin cui f.* unus; alii omnes cum impreſſa lectione ſunt.

Reip. tribuat hoc muneris) Sic ſeptem, & Tertii, ſeptem, *tribuatur*.

Ulciſci ſæpe) *Sæpius*, ſeptem, & Tertii.

Duri enim hominis, vel potius vix hominis videtur)

Χαρίεις γὰρ ἐσθ' ἄνθρωπος, ἂν ἄνθρωπος ᾖ.

Blandus quidem atque urbanus homo eſt, ſi revera homo eſt.

Id enim tum periculoſum ipſi eſt) Cum,

quinque, & Tertii.

Nominetur) *Nominere*, octo, & Tertii.

M. Bruto) Qui ſe ad accuſandum potius, quam ad defendendum, dedit, ut in libro de Claris Orat. Hunc facete in primis in quodam judicio L. Craſſus exagitavit, ut in oratione pro Cluentio.

Summo genere nato) Nam Iunia familia Ilio oriunda cum Æneа in Italiam venit, affinitatemque cum Romanis regibus contraxit.

Illius filio, &c.) Quod tanto majorem infamiam ei afferebat.

Qui juris civilis in primis peritus fuit) De veteribus juriſconſultis diligenter ſcripſit probatæ vir induſtriæ Bernardinus Rutilius Vicetinus. Eum lege.

Iudicio capitis) Sic omnes libri veteres, non, *in judicium capitis*.

Ita eſt habendum religioni) Sic duodecim mei, & Tertii, non, *religioni contrarium*: quo modo antea legebatur. *Item*, non *ita*, eſt in Tertii libro: pro, Similiter; quomodo Salluſtius, Iugurtha: *Ipſe armatus, intentuſque item milites cogebat*. Et alii. *Habere religioni*, eſt, cavere. Terentius.

Fert etiam humanitas) Vt homo hominem ſervatum velit.

Panætio) A quo & hoc ipſum, & alia multa in hos libros Cicero transtulit.

Adoleſcentes) Annos natus 27. Cicero pro Sex. Roſcio Amerino dixit. Vide Agellium lib. XV. cap. 28.

CAPVT XV.

Qvamquam in utroque inest gratificandi liberalis voluntas) Vlpianus lib. LXXVI. ad edictum, lib. XXXIX. Digeſtorum, tit. 5. de Donationibus, l. XIX. *Hoc jure utimur, ut in rebus publicis, cum de donatione quæritur, illud ſolum ſpectetur, utrum ob cauſſam aliquam juſtam reip. promittat quis, vel polliceatur, an non; ut ſi ob honorem aliquem promittat, teneatur: ſi minus, non. Labeo ſcribit, extra cauſſam donationum eſſe talium officiorum mercedes, ut puta ſi tibi adfuero: ſi ſatis pro te dedero: ſi qualibet in re opera, vel gratia mea uſus fueris. Non poteſt liberalitas nolenti adquiri*. Hæc Vlpianus.

Tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur) Lepida ſententia: non enim, quod ex arca, cum eo, quod ex virtute depromitur, conferendum videtur; alterum enim altero longe nobilius: & largitio pecuniæ, cum minuat rem domeſticam, ſimul minuit benigne faciendi facultatem, quod non accidit, cum non pecunia, ſed opera benigne fit indigentibus. Veterem igitur lectionem retineo, quam antiqua quoque confirmant exemplaria.

Largitio, quæ fit ex re familiari, fontem ipſum benignitatis exhaurit) Placet hoc loco adſcribere, quod ſcriptum eſt a Lactantio Firmiano. Is autem ſic lib. VI. cap. 12. *Quid M. Tullius in ſuis Officialibus libris? nonne hoc idem ſuadet, non eſſe omnino largiendum? ſic enim dixit: Largitio, quæ fit ex re familiari, fontem ipſum benignitatis exhaurit: ita benignitate benignitas tollitur, qua quo in plures uſus ſis, eo minus in multos uti poſſis. Et idem paullo poſt: Quid autem eſt ſtultius, quam, quod libenter facias, curare, ut id diutius facere non poſſis? Videlicet profeſſor ſapientiæ refrenat homines ab humanitate: monetque, ut rem familiarem diligenter cuſtodiant, malintque arcam, quam juſtitiam conſervare. Quod cum intelligeret inhumanum eſſe, ac nefarium, mox ex alio capite, quaſi actus pœnitentia, ſic ait: Nonnumquam tamen eſt largiendum: nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum; & ſæpe idoneis hominibus egentibus de re familiari impertiendum. Quid eſt, Idoneis? nempe iis, qui reſtituere, ac referre gratiam poſſint. Si nunc Cicero viveret, exclamarem profecto: Hic, hic, M. Tulli, aberraſti a vera juſtitia, eamque uno verbo ſuſtuliſti: cum pietatis, & humanitatis officia utilitate metitus es. Non enim idoneis hominibus largiendum eſt, ſed quantum poteſt non idoneis; id enim juſte, id pie, id humane fit, quod ſine ſpe recipiendi feceris. Hæc eſt vera illa, & germana juſtitia, cujus ſolidam & expreſſam effigiem nullam tenere vos dicitis. Ipſe pluribus locis clamas, mercenariam non eſſe virtutem, fateriſque in libris Legum tuarum, Liberalitatem gratuitam eſſe, his verbis: Nec eſt dubium, quin is, qui liberalis, benignuſque dicitur, officium,*

non

non fructum ſequatur. Cur ergo idoneis potius largiris, niſi ut poſtea mercedem recipias? Te igitur auctore, ac præceptore juſtitiæ, quiſquis idoneus non erit, nuditate, ſiti, fame conficietur, nec homines copioſi, & uſque ad delicias abundantes, ſubvenient ultimæ neceſſitati. Si virtus mercedem non exigit; ſi propter ſe, ut dicitis, expetenda eſt: ergo juſtitiæ matrem, principemque virtutum ſuo pretio, non tuo commodo, æſtima: eique potiſſimum tribue, a quo nihil ſperes. Quid perſonas eligis? quid membra inſpicis? Pro homine tibi habendus eſt, quiſquis ideo precatur, quia te hominem putat. Abjice umbras illas, imagineſque juſtitiæ, atque ipſam veram, & expreſſam tene: largire cæcis, debilibus, claudis, deſtitutis; quibus niſi largiare, moriendum eſt. Inutiles ſunt hominibus, ſed utiles Deo, qui eos retinet in vita, qui ſpiritu donat, qui luce dignatur. Fove, quantum in te eſt, & animas hominum, ne extinguantur, humanitate ſuſtenta. Qui ſuccurrere perituro poteſt, ſi non ſuccurrerit, occidit. Verum iſti, quia neque naturam retinent: neque, præmium in eo quod ſit, ſciunt, dum perdere timent, perdunt, & in id, quod maxime cavent, incidunt: ut, quidquid largiuntur, aut pereat omnino, aut ad tempus breviſſimum proſit. Nam, qui exiguam ſtipem miſeris negant: qui conſervare humanitatem ſine damno ſuo volunt, patrimonia ſua effundunt: ut aut peritura, & fragilia ſibi comparent: aut certe maximis ſuis damnis nihil conſequantur. Hæc Lactantius, qui vera non ſentire videtur, nam, quantum aberraverit, facile eſt judicare iis, qui rationis non prorſus expertes ſunt. Idonei enim qui intelligi deberent, non aſſecutus eſt; non enim eos, qui reſtituere, ac referre gratiam poſſunt, ſed dignos auxilio Idoneos interpretari debemus. *Fontem ipſum*: rem familiarem, cujus rivuli ſunt Largitiones.

Deinde, conſuetudine beneficentiæ paratiores erunt, & tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum) Hæc igitur beneficentiæ ratio, quæ ex virtute ſumitur, non minuitur augendo, ſed augetur: illa altera, quæ ſumitur ex arca, quo magis exercetur, eo minor fit: ita, ſi virtus eſt, perpetua eſſe non poteſt.

Præclare in epiſtola quadam Alexandrum filium Philippus accuſat, quod largitione benevolentiam Macedonum conſectetur) Hæc epiſtola non exſtat. Verum legimus apud Plutarchum in Politicis, Philippum Alexandrum admonere ſolitum, ut ſe ſuperſtite ac regnante, amicos ſibi conſuetudine, comitate, gratificatione, quoad liceat, comparare ſtudeat. Et in Apophthegmatibus, ut blande, & manſuete cum Macedonibus converſetur.

Quid te (malum) inquit) *Malum* adverbium indignantis. Ad Att. *Quid (malum) iſti Pindentiſſæ?*

Sed miniſtrum & præbitorem putent) Præbitorem, eſt in omnibus libris: Recte. Demoſthenes enim ταμιαν, hoc eſt præbitorem, fuiſſe ſcribit. Alii legunt, *diribitorem*, id eſt, eum, qui dividit. *Diribere* enim, veteri lingua Latina, Dividere erat. Sed veteres omnes libri adverſantur.

Quo quid ſordidius regi) *Quo*, non legitur in undecim meis. Vnus, *quam ſordidum regi*. Tertii, *ſordidum regi*.

Melius etiam, &c.) Quam quod accuſat de largitione.

Idoneis hominibus) Probis, ut infra: *In deligendis idoneis judicium, & diligentiam adhibere debemus*.

Diligenter) Cum delectu. Sic in Pandectis. Vide Ariſt. Eth. lib.IV.

Moderate) Nam immoderatam largitionem duo vitia ſequuntur, inopia, & rapinæ, quæ Catilinæ conjurationis origo fuit.

Patrimonia effuderunt) Vt Milo, is, qui Clodium interfecit. Pedianus.

Sequuntur largitionem rapinæ) Hinc Salluſt, Catilina: *Catilinæ ab adoleſcentia bella inteſtina, cædes, rapinæ, diſcordia civilis grata fuere*.

Claudenda eſt res) *Clauenda res eſt*, quatuor mei, & Tertii.

Iamque in proverbii conſuetudinem venit) *Que*, conjunctio, abeſt a decem meis, & Tertii, & elegantius abeſt:

Largitionem fundum non habere) Finem non invenire, inane eſſe eorum ſtudium, qui benevolentiam hominum, qui dando expleri nequeant, largitione conſectentur, id eſt: Largitionibus facilius effunduntur patrimonia, quam hominum benevolentia comparantur. A pertuſo Danaidum a-

 pud

Digitized by Google

pud inferos dolio. Vide Adagia.

Illud idem) Septem mei, & Tertii, ordine præpoſtero, *idem illud*.

Caput XVI.

Prodigi, *qui epulis*, & *viſcerationibus*) Hi ſunt, qui populi gratiam, honorum ſpe, aucupabantur. *Epulis*: publico convivio, de quo ſæpe in veteribus Inſcriptionibus. *Viſcerationibus*: cum carnes, ſive crudæ, ſive coctæ, interdum panis, vinumque cum illis donum perferentibus ſingulis præbebantur.

Gladiatorum muneribus) Quæ potiſſimum in funeribus edebantur. Contra gladiatores invehitur Auguſtinus lib. VI. Confeſſ. & Lactantius in Epit.

Ludorum) Theatralium. *Venationumque*, elephantorum, & leonum pugnas. Saturno conſecrata. Tertullianus.

Aut nullam ſint relicturi omnino) Sex, & Tertii: *Aut nullam omnino ſint relicturi*. Unus; *Nullam omnino vel. ſint*. Tres; *ſunt*.

Æs alienum ſuſcipiunt amicorum cauſſa) *Cruſſi*, non eſt in duobus, & Tertii. *Suſcipere æs alienum amicorum*, eſt, pro amicis debitum diſſolvere. Contra, *æs alienum exonerare*, Vlpianus Dig. de jure dotium, l. Profecticia; *Non pro hereditate patris æs alienum ſolvit, ſed ſuum æs alienum ſuſceptum, dum filius familias eſſet, paterfamilias factus exoneravit*.

Collocatione) Pro, elocatione. *Olim creditum eſt expedire reip. uxores eſſe dotatas*. Dig. de jure dotium.

Vel in re quærenda, vel augenda) Prius, *vel* non eſt in duobus meis.

In eo libro quem de divitiis ſcripſit) Qui non extat; a Laertio citatur, περὶ πλούτου.

Cujus exempla pauca poſui) Septem, & Tertii, ord. præp. *Cujus pauca exempla poſui*.

Et major) Quia virtuti propior.

Et certior) Propter grati animi memoriam, eorum, quibus bene feceris.

Nos reprehendit) Hoc in Ariſt. Eth. non reperitur. Unde Muretus, *Ariſto*, reponit, pro, *Ariſtoteles*; intelligitque Ariſtonem Stoicum, cujus mentio eſt apud Senecam, & apud Lact. libro de Ira, cap. 22. Quam Mureti conjecturam confirmare videtur antiquus meus liber, in quo eſt. A R. O. Sunt qui deleant hæc verba, *Nos reprehendit*, contra omnes libros veteres.

Non admiremur) Pro, non reprehendendas putemus. *Non admirentur*, unus meus, & Tertii. Fulvius Urſinus delendum putat τὸ *non*; vel pro *admiremur*, legendum *improbemus*.

Ab hoſtibus) *Hoſte*, ſeptem, & Tertii.

Sextarium) Uncias XX, ſextam congii partem.

Mina) Centum drachmis, ſcutatis duodecim.

Hoc primo incredibile nobis videri, omneſque mirari: ſed, cum attenderint) Hunc locum ſuæ integritati reſtituimus, non ex conjectura, ſed veterum librorum ope, in quibus omnibus eſt, *attenderint*, non *attenderimus*, ut in omnibus vulgatis, quod verbum refertur ad illud, *Omneſque mirari*. Qui vero pendere ab eo putabant *incredibile nobis videri*, primam verbi perſonam maluerunt, quam tertiam: & accipiebant, *omnes mirari*, pro, *nos omnes mirari*; cum ſit, *omnes*, pro; *omnes homines*; unde naſcitur, *attenderint*. Nec vero neceſſe fuit, *nobis*, delere; cum ab eo, ut oſtendit, verbum non pendeat, & ſit in omnibus libris, & Tertii, uno excepto: eoque magis miror deletum eſſe, quod nullam rationem, cur deleretur, quiſquam attulit, quaſi liceat, ex vulgatis libris voces tollere, nulla facta veterum exemplarium mentione.

Delenitio) Delectatio, quinque, & Tertii; *Deliratio*, unus.

Ad breve tempus, exiguumque ſit) Duo, & Tertii, *ad breve, exiguumque tempus*: quinque, *ad breve, exiguumque ſit tempus*: unus, *ad breve tempus, exiguumque, Eſt*, pro *ſit*, duo. Antea, male, in vulgatis, *ad breve tempus; exiguumque duratura ſit*, quod tamen eſt in duobus; alius, *ad breve tempus, exiguumque durat*. Male.

Eaque a leviſſimo quoque) Sic novem mei, & Tertii. *A leviſſimo quoque*: non ab omni populo, ſed a leviſſimis.

In quo tamen ipſo) Leviſſimo.

Satietate) Quæ etiam in rebus jucun-

cundiſſimis voluptatem tollit.

Bene etiam colligitur) Argumentum a ſpectatorum ſenſu contra ludos, & munera, quæ populo dantur. Hinc apud Homerum Minerva Telemachum objurgat:

Οὐδ' ἔτι σε χρὴ
Νηπιάας ὀχέειν. ἐπεὶ οὐκ ἔτι τηλίκος ἐσσί.

Id eſt:

Non puer es, nec te puerilibus omnia nugis
Metiri fas eſt.

Probari poſſe nullo modo) Sunt enim copiarum, non virtutis, ut ipſe ſcribit in epiſtola ad Curionem.

Iam bonis temporibus) Moribus integris; cum honeſta diſciplina floreret.

Splendor ædilitatum) In ludis, qui dantur populo.

Et P. Craſſus cum cognomine Dives, tum copiis) Hic ex Mucia gente tranſiit in Licinam: inde Craſſi cognomen accepit, & Mucianus dictus eſt. Conſul fuit anno V. DCXXII. quinque rebus excelluit, auctore Agellio lib. I. cap. 13. fuit enim ditiſſimus, nobiliſſimus, eloquentiſſimus, juriſconſultiſſimus, pontifex max. nominatur in libris de Orat. in Bruto, a Velleio lib. II. a Plinio lib. VIII. cap. 7. qui ejus ædilitate elephantos primum pugnaviſſe tradit.

Ædilicio maximo munere) Primus enim argento, auroque folia imitatus, ludis ſuis coronas dedit.

Paullo poſt) Poſt XX. annos.

L. Craſſus cum Q. Mucio) Qui fuere collegæ & in prætura.

Omnium hominum moderatiſſimo) Qui tamen ædilitate magnificentiſſime fungi voluit, ut quaſi exemplum ceteris ædilibus daret.

C. Claudius Ap. filius) Operæ pretium videtur, quæ Valerius Max. lib. II. narrat, ſubſcribere: *Claudius Pulcher ſcenam varietate colorum adumbravit, vacuis ante pictura tabulis extentam: quam totam argento C. Antonius, auro Petreius, ebore Q. Catulus prætexuit. Verſatilem fecerunt Luculli, argentatis choragiis P. Lentulus Spinther adornavit.* Vide orationem pro Plancio, & Plinium lib. VIII. cap. 7.

Luculli) Luculli fratres ædiles ſimul fuerunt, ut ex Plinio lib. VIII. cap. 7. & Plutarcho liquet. Legendum igitur, Luculli.

Hortenſius) Hic pavonem in augurali adjiciali cœna primus poſuit. Varro de Re ruſt. lib. III. cap. 6. Plinius lib. X. cap. 20. Macrob. Sat. lib. III. cap. 13.

Silanus) D. Iunius Silanus, qui poſt Ciceronem conſul fuit.

P. Lentulus) Cognomine Spinther; de cujus ædilitate Plin. lib. IX. c. 39.

Scaurus) Ejus filius, qui princeps ſenatus fuit. De hujus munere ædilicio Plinius lib. VIII. cap. 17. & XXXIV. cap. 7. & XXXVI. cap. 2. & 6. & 15. & Aſconius.

Noſtri Pompeii) Qui, teſte Plutarcho, theatrum ædificavit, DC. leones jubatos dedit. Plinius lib. VIII. cap. 16. item CCCCX. pantheras, lib. VIII. cap. 17.

Secundo conſulatu) In quo leones DC. pantheras CDX. elephantos XX. dedit Plinius lib. VIII. cap. 7. 16. 17. & in epiſtola ad Marium, lib. VII. Fam.

Quid mihi placeat) Significat ſibi non placere.

CAPUT XVII.

M*Amerco*) Æmiliæ gentis, patricii generis.

Homini ditiſſimo) Ut excuſari non poſſet. *Diviniſſimo*, antiqui libri tres, & Tertii.

Prætermiſſio ædilitatis) Propter impenſas. Hinc lib. III. de Legibus: *Sunto ædiles curatores urbis, annonæ, ludorumque ſollemnium: Hiſque ad honoris amplioris gradum is primus adſcenſus eſto.* Hinc Cicero Fam. lib. X. C. Furnium, Planci conſulis deſignati legatum, qui tribunus modo, ædilis nondum fuerat, arguit, quod in petenda prætura nimium feſtinaret.

Nos ipſi ut fecimus) Plutarchus. Et or. I. in Verrem.

Aut utilior) Atque, quinque, & Tertii.

Oreſti) Cognomen Aureliæ gentis. Duos enim Aurelios Oreſtas nominat Cicero in Bruto. Hic eſt forte Cn. Aufidius Oreſtes, qui, ſine tribunicia dignitatis gradu, ad conſulatum adſcendit, anno DCLXXXII.

Digitized by Google

Prandia) Populo data.

In ſemitis) Per univerſam urbem.

Decumæ nomine) Veteres Romani, ut in exoptata re bonum exitum conſequerentur, decumam fructuum, vel prædæ alicui deo vovebant: ut Herculi vovit Sulla, & M. Craſſus ad Parthicum bellum iturus, de ſuis bonis: Iunoni vovit Camillus, ſi Veios expugnaret, ut ait Plutarchus, Apollini, ſi Livium ſequi malumus. Feſtus oſtendit, non id fieri ſolitum in certæ cujuſdam rei cupiditate, ſed more; vel ut omnia proſpere ſuccederent, vel ut quiſque aliquem deum privatim coleret; ait enim: *Decima quoque veteres diis ſuis offerebant*. Macrobius lib. III. cap. 12. ex Varronis ſatyra *περι κεραυνου*, refert, Romanos Herculi quidem decumam vovere ſolitos eſſe, ſed populum decimo quoque die pollucere, (i. viritim aliquid largiri) ut *ἀσυμβολος* nemo veſpere domum rediret. Hunc morem ab Evandro, Aboriginum rege, fluxiſſe, qui decumam boum, interfecto Caco latrone, Herculi vovere inſtituerit, auctor eſt Diodorus Siculus lib. IV. Nec tamen hanc unam, ſed alias quoque cauſſas votæ Herculis decumæ, Plutarchus refert in Problematibus. Plautus decumam hanc, *Herculaneam partem* in Trinummo vocat. Et Sticho: *Decimam*, inquit, *partem ex voto Herculi polluceam*. De ea & Varro de Lingua Latina lib. V. & antiqua Reatini marmoris inſcriptio.

SANCTE

DE . DECVMA . VICTOR . TI-
BEI . LVCIVS . MVNIVS . DO-
NVM . DAT . MORIBVS . AN-
TIQVEIS . PRO . VSVRA . HOC .
DARE . SESE . VISVM . ANI-
MO . SVO . PERFECIT . TVA .
PACE . ROGANS . TE . COGEN-
DEI . DISSOLVENDEI . TV . VT .
FACILIA . . FAXSEIS . PERFI-
CIAS . DECVMAM . VT . FA-
CIAT . VERAE . RATIONIS . PRO-
QVE . HOC . ACQVE . ALIEIS .
DONIS . DES . DIGNA . ME-
RENTI .

Huc ſpectavit Oreſtes cum prandia populo dedit in ſemitis, ut eum ſibi conciliaret, in petitione magiſtratus, decumæ nomine, ut decumas alii diis offerebant: non quod ipſe decumam populo daret, alicujus dei nomine, ſed ad ſimilitudinem ejus decumæ, quæ diis dari ſolebat.

M. Seio) Oratio pro Plancio, & Varro de Re ruſt.

Caritate annonæ) To *annonæ* abeſt a novem libris, & Tertii; & recte abeſt.

Aſſe) Viliſſimo pretio, quarta ſeſtertii parte.

Modium) Libras fere XXX. de quo vide Plinium lib. XVIII. cap. 7.

Invidia) Propter opes.

Quando erat ædilis) Non turpis jactura fuit, quia ſplendorem poſtulabat ædilitas.

Miloni) Iam mortuo.

Salute noſtra) Hinc pater patriæ Cicero.

Cauſſa igitur largitionis eſt) Largitionis cauſſæ probantur, neceſſitas, & utilitas.

Mediocritatis regulæ) Sic tredecim mei, & Tertii; unus, *mediocritas*.

L. Philippus) Conſul factus ſine tribunatu militari, an. DCXCVII. tertius in oratoria laude poſt Craſſum, & Antonium, pater ejus, qui Atiam, Auguſti matrem, conjugem habuit: vide orationem pro Quinctio.

Quæ haberentur ampliſſima) Præturam, Cenſuram, Conſulatum.

Cotta, Curio) Curio, non eſt in Tertii libro: *C. Curio*, legit Langius. *Cotta*: C. Cotta orator, qui loquitur in libris de Orat. *Tres Cottæ fratres* fuere, C. M. L. omnes conſulatum adepti ſunt. *Curio*: pater ejus, qui, pro Cæſare contra Pompeium dimicans, in Africa periit.

Noſtro quidem anno) Quo primum anno per leges licuit; id alibi quoque gloriatur, & auget eam laudem, quod eſſet homo novus, multa commendatione majorum.

Quæ ad uſum reip. pertinent) Has impenſas, & Ariſtoteles probat lib. IV. Eth.

In manu datur) *In manum*, octo mei, & Tertii liber. Terentius: *Pre manu dare*.

Propter Pompeium) Qui theatrum magnificentiſſimum exſtruxerat.

Digitized by Google

Vituperabat) *Vituperat*, quinque, & Tertii.

Propylæa) Vide Plutarchum in Periclis vita. Hic, accepta pecunia, ut Palladis templum reficeret, in atrio omnem conſumſit.

Conjecit) *Conjecerit*, ſeptem, & Tertii. *Projecerit*, ſex. *Projecerat*, unus.

Et tamen ipſa) Pronomen, *ipſa*, ſi ſententia perpenditur, magis requirere videtur, *tamen*, quam *tum*. Acceſſere quatuor veteres libri, & unus, qui Romæ eſt, apud heredes Iulii Galli, qui, *Tamen*, perſpicue ſcriptum habent, quod probavi. Et tum ipſum, & ad fac. Tertii liber.

CAPVT XVIII.

RES *meliores quærit*) Iſocrates, ζητεῖν τὰ βελτίω: Columella, *meliorescere*. *Res meliores*: incrementa divitiarum, vel dignitatis.

Propenſior benignitas) Recte; nam hæc vera cauſſa eſt largiendi, ut ſubveniatur neceſſitati.

Vt altiorem gradum adſcendant) Sic tredecim mei, & Tertii. Antea: *Vt ad altiorem gradum adſcendant*.

Reſtricti omnino) To *omnino* non eſt in decem meis.

Benefacta male locata, malefacta arbitror) Senarius jambicus. Hinc Plautus:

Male meretur, qui mendico dat, quod edat:
Nam, & illud, quod dat, perit:
Et illi producit vitam ad miſeriam.

Vide Adagia: Beneficus trucidator.

Temeritate enim remota) Si non temere cuivis datur, ſed idoneis tantum.

Gratiſſima) Iis etiam, qui nihil acceperunt.

Studioſius laudant) Tum ex officio, (nam recte facta incorruptus animus laudare non poteſt) tum ad excitandam, & augendam divitum liberalitatem, in qua ſibi quoque præſidii aliquid repoſitum eſſe ſperant.

Summi cujuſque bonitas) Ovidius:

Regia (crede mihi) res eſt, ſuccurrere lapſis.

Vt hos beneficiis quamplurimis afficiamus) Quatuordecim mei, & Tertii: *ut his beneficiis quam plurimos afficiamus*.

Quorum liberis, poſteriſque prodatur memoria) Iidem libri, *quorum memoria liberis, poſteriſque prodatur*. Publii Mimus:

Is beneficium dando accepit, qui dedit digno.

Omnes enim immemorem beneficii oderunt) Quod eſt naturæ proprium.

In deterrenda liberalitate) In deterrendis liberalibus, ne liberalitate utantur. Eſt autem minus uſitata loquendi forma. Sunt qui reponunt, *deterenda*, contra omnes veteres libros. i. e. imminuenda, ut apud Horatium Od. 6. lib. I. Carm. *Culpa ingenii laudes alicujus deterere*.

Hoſtem tenuiorum) Publii Mimus:

Ingratus unus miſeris omnibus nocet.

Redimi e ſervitute) Ne uxores, & liberi egeant: ne deſint, qui pugnent pro patria.

Captos) *Captivos*, duo mei.

Largitioni munerum antepono) Lambinus, *Longe*, addit: *Largitioni munerum longe antepono*, contra veteres omnes libros.

Quaſi titillantium) Ita commoventium, ut pruritus commoveri ſolet, in quo voluptas quædam eſt.

In dando munificum) Cum, quantum, & quibus dare decet.

In vicinitatibus) *In*, abeſt a tredecim meis, & Tertii. Quinque, *vicinatibus*. Quatuor, & Tertii, *vicinantibus*, unus, *civitatibus*.

Confiniis) Prædiorum.

De jure ſuo concedentem) *Cedentem*, decem mei, & Tertii.

Quantum liceat) Quantum rei domeſticæ ratio patiatur.

Et neſcio, an paullo plus etiam, quam liceat) Et fortaſſe paullo plus etiam quam liceat: id eſt, vel cum aliqua rei familiaris jactura.

Nonnumquam de jure ſuo decedere) Quod noſtrum eſt, atque ad nos proprie pertinet, de eo partem aliquam temporis cauſſa alteri concedere. Quod autem Cicero, Nonnumquam, Terentius, *in loco*, dixit in Adelph. act. 2. ſc. 2. ad quem proculdubio Cicero reſpexit:

—— SY. *Pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſt lucrum.* SA. *hui.*
SY. *Metuiſti, ſi nunc de tuo jure conceſſiſſes paullulum,*

Digitized by Google

Atque adoleſcenti eſſes morigeratus, hominum homo ſtultiſſime,
Ne non tibi iſtuc feneraret? SA. ego ſpem pretio non emo.
SY. Numquam rem facies: abi: neſcis inescare homines, Sannio.
SA. Credo iſtuc melius eſſe: verum ego numquam adeo aſtutus fui;
Quin, quidquid poſſem, mallem auferre potius in præſentia.

Dilabi ſinere) Conſumi, diſſipari.

A Theophraſto) In libro de Divitiis.

Illuſtribus hoſpitibus) Ord. præp. novem mei, & Tertii.

Poſſe multa volunt) *Multum*, quinque, & Tertii.

Cimonem) De cujus liberalitate Xenophon, Athenæus, Plutarchus, qui Ariſtotelem, non Theophraſtum, citat.

Curiales) Quos Græci φρατορας, tribules autem φυλετας dicunt, ex Dionyſii, Plutarchique ſententia.

Laciadas) A Curia ita dictos.

Hoſpitalem) Cratinus comicus:
Καγω γαρ' ηυχιν μητροβιος ὁ γραμματευς,
Συν ανδρι θειῳ και φιλοξενωτατῳ,
Και παντ' αριςῳ των πανελληνων πρωτῳ,
Κιμωνι λιπαρον γηρας ευωχημενος
Αιωνα παντα συνδιατριψειν.

Ego quidem votis omnibus exoptabam Metrobius ſcriba dulcem ſenectam uſque ad extremum ſpiritum tranſigere ſuaviter vivendo cum Cimone viro divino, & hoſpitum amantiſſimo, perquam optimo, atque inter Græcos omnes primo.

CAPVT XIX.

QVæ *autem opera, non largitione beneficia dantur*) Operam largitioni jam antepoſuit. Vide Ariſtotelem lib. IV. Ethic.

In jure cavere) Ne quid contra jus committatur: ne actionem male inſtituat, & cauſſa cadat: ne adverſarii calliditate circumveniatur.

Ad opes augendas) Non, ad divitias, ſed ad gloriam. Supra: Maxime autem, & gloria paritur, & gratia defenſionibus.

Tum quamoptime conſtituti juris civilis) *Tum quod optime*, liber Tertii. *Tum quidem optime*, tres. *Tum quod tres optimi*, unus: decem. *Tum quod tres optime.*

Principes) Civitatis.

Omnis dignitatis gradus) *Omnes*, octo, & Tertii. *Dignitates*, unus, & Tertii.

Splendor deletus eſt) Quod ſilent leges inter arma: &, ut Iſocrates ait, ισχυροτατος νομος εστ ἡ τραννος τε ευρανες. *Firmiſſima lex Tyranni voluntas.*

Cum eſſet) Ser. Sulpicium laudat.

Omnes ſuperiores) Etiam Scævolam pont. max. ut in Bruto, & Phil. IX.

Finitima eſt) Simillima: quia prodeſt utraque quamplurimis.

Dicendi gravior facultas, & gratior, & ornatior) Et gravior, & gratior, & ornatior facultate juris civilis: gravior, quia plus ingenii poſtulat: gratior, quia civibus ſalutem dat: ornatior, quia Latini ſermonis elegantia, copia, ſplendore delectat: in oratione quoque pro Murena eloquentiam anteponit juriſprudentiæ.

Laudabilius, & præſtabilius) Quinque, & Tertii, non habent, *laudabilius*, & Vndecim, *laudabilius*, *præſtabilius*.

In toga dignitatis principatus datus) Nam in ſago, hoc eſt bellicis temporibus,

Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.

Et pro Murena primæ rei militari, ſecundæ eloquentiæ, tertiæ vix juriſprudentiæ tribuuntur. *In tota dignitatis pr. d.* Tertii liber. Quatuordecim, *in tota dignitate pr. d.* Vt ſit: Cum multa ſint, quæ dignitatem pariant, inter ea tamen tenere principatum eloquentiam, majoribus noſtris placuit.

Diſerti igitur hominis) Diſertum hic uſurpat pro eloquente; alibi diſtinguuntur, ut in Oratore, dicente M. Antonio, diſertos ſe vidiſſe multos, eloquentem vero neminem.

Facile laborantis) Φιλοπονυ, laborum tolerantiſſimi: qui labores, & moleſtias non reformidet, ſed otio, & quieti anteponat. *Facile*: pro libenter, ut ad Cælium: *Quod in maritimis facillime ſum.*

Non gravate) Ne multis, & ambitioſis precibus, & pollicitationibus ſit opus: quod ait Iſocrates, τας χαριτας αχαριςως χαριζεσθαι. *Rem gratam ingratiſſime facere.*

Gra-

Gratuito) Gratis. Plutarchus in Cic. & in Parad. objicit Craſſo, quod in patrociniis paciſceretur. *Gratuito*: quod ſervatum ab omnibus non eſt; ideo C. Cincius legem tulit de donis, & muneribus, de qua lib. II. de Orat. & Tacitus lib. XII. I. Ejus, inquit, opprimendi gratia repetitum videbatur S. C. pœnaque Cinciæ legis adverſus eos, qui pretio cauſſas oraviſſent.

Late patent) Vnde oritur, multis defenſis, multorum amor: quia plurimi ſunt, quibus patrocinio, & defenſione ſit opus.

Intermiſſionem eloquentiæ) Propter bella civilia, de quibus ſubjungit, *quibus exſtinctis oratoribus*.

De me ipſo) Qui ſtante rep. regnare videbar in cauſſis.

Quibus exſtinctis oratoribus) Ex partibus Pompeii.

Quam in paucis ſpes) De adoleſcentibus loquitur: cum vero ſubjungit: *quam in paucioribus facultas*, de viris.

Quam in paucioribus facultas) *Quanto*, eſt in undecim meis, & Tertii.

Commendantem) *Commendare* quatuor mei.

Vigilantem) *Vigilare*, tres. *Vigilantibus*, unus.

Rogantem) *Rogare*, unus.

Qui aut conſulunt, aut defendunt) Cum juriſconſultos, & oratores perſpicue deſignet: (jam enim dixit, *cum omnes non poſſunt juriſperiti eſſe, aut diſerti*) libentius legerem, *conſuluntur*, quo modo eſt in uno meo, & Tertii; conſulunt enim ii, qui de re controverſa formulam, normamque, & viam litigandi a juriſconſultis petunt: conſuluntur vero juriſconſulti, qui dicuntur de jure conſulentibus reſpondere.

Non ſunt admonendi) Artificioſe; quod enim omittere ſe velle ſignificat, id tamen facit.

Eſt enim in promtu)) Patet per ſe, eſt apertum, ſatis notum; nam, quis ignorat, alios ita juvari oportere, ne quem offendamus, & in alieno beneficio nobis ipſi damnum comparemus?

Alios juvare) Ord. præp. novem mei, & Tertii.

Certiſque operis) Cum aliquid eo præcipue nomine faciendum tibi ſtatuas, ut compenſetur quod violatum eſt.

Quod violatum eſt) *Id, quod violatum eſt*, octo, & Tertii.

Quod violatum eſt) Dum alterum defenderes contra eum, quem invitus offenderes.

CAPUT XX.

Illu quidem eſt proclive) Facile: ut facile de procliviore loco deſcenditur.

Seſe) *Se*, ſeptem, & Tertii.

Honeſta oratio eſt) Recte loquuntur: ſed, quis eſt, qui, quod loquitur, id præſtet? Sumtum ex Andria Terentii, act. I. ſc. 3.

Nimirum) Inops poteſt eſſe gratus, animo, non re.

Commode autem) Vide Agellium lib. I. cap. 4.

Pecuniam qui habent non reddidiſſe) Iocus, & feſtivitas eſt in verbis *habere*, & *reddere*: quæ non ſimiliter in pecunia, & gratia accipiuntur. Idem dixit in oratione poſt red. ad Quir. *In officio perſolvendo diſſimilis eſt ratio, & pecuniæ debita: propterea quod pecuniam qui retinet, non diſſolvit: qui reddidit, non habet; gratiam &, qui retulit, habet, &, qui habet, diſſolvit*. Et pro Plancio: *Diſſimilis eſt pecuniæ debito, & gratiæ; nam, qui pecuniam diſſolvit, ſtatim non habet id, quod reddidit: qui autem debet, is retinet alienum: gratiam autem &, qui refert, habet, &, qui habet, in eo ipſo, quod habet, refert*.

Beatos) Omnium rerum copia circumfluentes; nam beatus eſt is, qui nulla re eget.

Hi ne obligari quidem beneficio volunt) Tantum abeſt, ut gratiam referre velint. Mimographus:

Beneficium accipere, libertatem vendere eſt.

Beneficium ſe dediſſe arbitrantur) Hoc idem ſcribit ad Leptam, Fam. lib. VI. ep. 19. *Præſertim qui nihil afferat præter operam, in qua ille ſe dediſſe beneficium putabit, ſi modo ipſum ſciet non accepiſſe*. Et ad Att. lib. XIV. ad M. Antonium: *Litteræ tuæ ſic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, ſed accipere a te ita petente*.

Quamvis aliquod magnum) Quamvis ali-

aliquid magnum, duo. Quamvis magnum aliquid, tres. Quamvis magnum aliquod, quatuor, & Tertii. Aliquid quamvis magnum, duo. Magnum quamvis aliquid, duo. Quamvis magnum aliquid, unus.

Atque) *Atque*, ſex mei, & Tertii.

Mortis inſtar) Sic Fam. lib. VI. ep. 9. *Hos tuos Tuſculanenſes dies inſtar eſſe vitæ puto*. In Piſonem: *Vnus ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit, quo in patriam redii*. Et Virg. lib. Æn. II. *Inſtar montis equum*.

Cum quid factum ſit) *Quidquid*, ſeptem, & Tertii.

Putans) *Putat*, eſt in quatuordecim meis, & Tertii.

Neque vero) *Enim*, pro, *vero* eſt in quatuor meis.

Si quo forte fungitur) Erga eum, qui meritus eſt.

Extenuat) Quo majorem gratiæ referendæ voluntatem oſtendit.

Videndumque illud item, quod ſi opul.) Duodecim mei, & Tertii: *Videndumque illud eſt, quod, ſi opul.* Vnus, pro *illud*, *id*. Alius, ord. præp. *Vid. q. eſt illud*. *Quod*: ſic locutus ep. ult. lib. IX. ad Att. & epiſt. 28. lib. VII. Fam. Quibus locis vide Paulli patris Commentaria.

In illo uno, aut forte in liberis, ejus maneat gratia) Septem mei, & Tertii, ord. præp. *In uno illo*. Quatuor, *Aut in liberis forte*. Vndecim, & Tertii, *manet*. Duo, *Remanet*.

Si res in contentionem veniet) Si quæramus, divitiæ ne ſint probitati præferendæ, an contra. Vel: ſi forte uſuveniat, ut vel diviti, vel inopi, viro tamen bono, ſit inſerviendum.

Themiſtocles) Hoc idem Val. Max. lib. VII. cap. 2. de ſapienter dictis, & factis. Plutarchus autem in Vita, & Apophthegm. hoc Themiſtoclem reſpondiſſe ait filiæ ſuæ petitoribus.

An minus probato) *Aut*, ſeptem mei.

Ego, inquit, malo virum) Ego vero, inquit, malo virum, tredecim mei, & Tertii. Induſtriam, & virtutem ſine divitiis malo, quam divitias ſine virtute, & induſtria. Plutarchus.

Qui pecunia egeat) Iſocrates: Τοῖς ἀγαθοῖς οἷς ἔχομεν ἐν τῇ ψυχῇ, τούτοις κτώμεθα καὶ τὰς ὠφελείας, ὧν δεόμενοι τυγχάνομεν. Hoc eſt: *Virtute, atque induſtria, neceſſaria vitæ comparantur*.

Pecuniam, quæ viro) Cui, ut ait Horatius, divitias quidem dederint, artem fruendi non dederint.

Corrupti mores, depravatique ſunt admiratione divitiarum) Nam, ut ait Demoſthenes, δεῖ χρημάτων ad vitæ ſuſtentationem.

Ne id quidem ſemper) Obeſt enim interdum: nec poſſunt ſemper omnia, quæ volunt, divites conſequi.

Honeſtior vero quo modo) Dignitatem enim divitiarum magnitudo non parit.

Ne impediant) Ne beneficium in illum ideo non conferamus, quia divitiis abundet, ſi modo vir bonus eſt: ſed rurſus eædem divitiæ ne adjuvent, id eſt, ne nos ad beneficium tribuendum magis, quam convenit, adducant.

Modo ne adjuvent) Nihil afferant divitiæ, quo vir bonus juvetur magis.

Qualis) Probitate, & moribus.

Fundamentum enim perpetuæ commendationis, & famæ eſt juſtitia) Novem mei, & Tertii, *fundamentum enim eſt perp. comm. & fam. juſt.* Tres, ord. præp. *Fund. eſt enim* &c. Vnus, *fundamentum eſt perp. comm. & fam. juſt.* Vnus pro *enim*, habet *vero*.

Sine qua nihil poteſt eſſe laudabile) Nam juſtitia omnes virtutes complectitur.

CAPVT XXI.

QVæ *ad ſingulos ſpectant*) Id eſt, quæ depromuntur e cujuſque re familiari: non, quæ in privatos homines conferuntur.

Quæ ad univerſos) Cum magiſtratus, qui totius populi perſonam ſuſtinent, aliquid ex ærario depromunt.

Eorum autem ipſorum partim ejuſmodi ſunt) Pro, Alia eiuſmodi ſunt: uſitato genere loquendi.

Vt ad univerſos cives pertineant) Vt cum augetur reſp. imperio, agris, vectigalibus.

Singulos ut attingant) Vt ſingulos privatim juvent: quo ex genere frumentaria largitio eſt.

C. Grac-

Digitized by Google

C. Gracchi) Tribuni pl. qui legem frumentariam tulit. Plutarchus, & in oratione pro Sextio, his verbis: *Frumentariam legem C. Gracchus ferebat: jucunda res plebi Romanæ: victus enim ſuppeditabantur large ſine labore: repugnabant boni, quod & ab induſtria plebem ad deſidiam avocari putabant, & ærarium exhauriri videbatur*. Vnus meus, *Ti. Gracchi*.

Largitio fuit) *Fuit*, non eſt in novem meis, & Tertii.

Exhauriebat igitur) *Igitur*, non eſt in duobus meis.

Ærarium) Ad uſum reip. neceſſario conſtitutum, ſine quo reip. ſtare non poteſt. Octavii autem modica largitio, quia non exhauriebat ærarium, reip. ſalutaris.

M. Octavii) Collegæ Ti. Gracchi in tribunatu. Plutarchus, epitome Liviana, & alii.

Reip. ſalutaris) Non exitioſa, ut illa C. Gracchi, quæ exhauriebat ærarium.

Neque de bonis privatorum publice deminutio fiat) *Publice*: lege, quod Ti. Gracchus, agraria lege promulgata, conatus eſt: æquari autem poſſeſſiones ſine magna multorum injuria non poſſunt: inde ſeditio, inde cædes, inde ſummum reip. diſcrimen; propterea ſubjungitur: Capitalis omnino oratio eſt ad æquationem bonorum pertinens. *Neque*: *Ne*, unus. *Non* unus. *Nec*, tres.

Legem agrariam) De publicis agris populo dividendis.

Antiquari) Suffragiis improbari, antiquatur enim lex, cum a populo rejicitur, ne feratur: abrogatur autem jam lata, ne in poſterum valeat. De Legibus: *Vos legem antiquaſtis ſine tabula*. Ad Att. *Populum, ut rogationem antiquaret, rogabant*.

Multa populariter) Dixit Philippus, quæ plebi grata eſſent, optimatibus, & locupletibus inviſa.

Qui rem haberent) Qui de ſuo viverent: quibus ad victum neceſſaria ſuppeterent. Sic Terentius: *ad rem attentiorem* eſſe, *rem facere*: Cicero, *rem augere*.

Capitalis omnino oratio eſt ad æqu.) To *Omnino*, non eſt in quatuordecim meis, & Tertii.

Tenerentur) *Tuerentur*, quatuor mei.

Quod apud majores noſtros ſæpe fiebat) Ante Paulli Æmilii Macedonicam victoriam; nam is, ut ait Plinius lib XXXIII. cap. 3. & hic Cicero ſubjungit, tantum intulit in ærarium, ut finem attulerit tributorum, nec tributum poſtea collatum eſt ante Panſæ, & Hirtii conſulatum: quo anno, rep. oppreſſa, Cicero eſt interemtus.

Sin qua neceſſitas) Acerrimum telum, *ſin quæ nec.*, tres, & Tertii.

Malo enim, quam noſtræ, ominari) Inviti enim ea dicimus, quæ ſunt mali ominis. Sic ex ſeptem meis, & Tertii libro emendavi, & eſt elegantius, cum dixerit: Sin qua neceſſitas hujus muneris alicui reip. obvenerit: ſubjungere: Malo enim, quam noſtræ, ominari. Quid enim attinet dicere, Malo enim alteri, (quod eſt in quatuor) quam noſtræ: aut, Alii, (quod eſt in duobus) aut, Alienæ, (quod eſt in uno) quam noſtræ: cum dixerit, Alicui reip.?

Neque tamen de noſtra, ſed de omni rep. diſputo) Neque tantum, quatuor mei. N3 tantum, duo, *to tantum*, non eſt in uno, & Tertii. To, ſeptem. *Tam*, reponit Fulvius Vrſinus ex antiquo libro. *Neque tamen de noſtra, ſed de omni rep. diſputo*: talis eſt omnis diſputatio; non enim hoc, aut illud examinat, ſed in toto genere verſatur, ſupra: *Mihi autem hæc oratio ſuſcepta non de re eſt, ſed de genere toto*.

Neceſſitati eſſe parendum) Solvendum tributum, neceſſario impoſitum.

Quæ ſunt neceſſaria) Quæ ad victum, ad habitationem, ad veſtitum pertinent: vide Platonem de Rep. lib. II.

Eſt enim in promtu) Satis patet.

Tamen locus attingendus fuit) *Tantum*, decem, & Tertii.

C. Pontius Samnis) Samnitium adverſus Romanos tum imperator, cum turpiſſimas Caudinæ pacis conditiones acceperunt, a quibus tandem & ipſe ſub jugum miſſus ad Luceriam, anno ab V. C. CDXXXIII. Vide Livium lib. IX.

Ad illa tempora fortuna me ſervaſſet) *Me fortuna reſervaviſſet*, unus, & Tertii. *Reſervaſſet*, ſeptem. *Me fortuna ſervaſſet*, quinque. Vnus, *ad illa tempora fortuna reſervaſſet*.

. *Tunc eſſem natus*) *Tum*, duodecim, & Tertii.

. *Dona accipere*) Hinc Iugurthæ vox, apud Salluſtium : *O urbem venalem, ſi emptorem invenerit*.

Multa ſecula) Faciundum mihi puto, ut hoc Antonii Mureti integrum caput deſcribam, quod ad hujus loci intelligentiam præclare admodum facit : eſt autem in Variarum Lectionum libris, octavum libri X. Dubitant eruditi homines, quo modo accipiendum ſit, quod ait Cicero lib. II. de Officiis, multa ſecula exſpectanda fuiſſe C. Pontio Samniti, ſi a fortuna reſervatus eſſet ad id tempus, quo Romani dona accipere cœperunt : bellavit enim cum Romanis Pontius ab V. C. CDXXXII. lex autem Calpurnia de pecuniis repetundis, lata eſt anno DCIV. ut, ſi ſeculum ſit centum annorum, quo modo accipiendum & Grammatici veteres docent, & ludorum ſecularium appellatio confirmat, non tota duo ſecula ei exſpectanda fuerint. Sed certe ſeculum interdum eſt *γενεα*: ut oſtendit & Nævius, qui Neſtorem, ut eſt apud Agellium, triſeclisſenem vocavit, ex illis videlicet Homeri verſibus :

Τῳ δ' ηδη δυο μεν γενεαι μεροπων
ανθρωπων
Εφθιαθ', οἱ οἱ προσθεν ἁμα τραφεν
ηδ' εγενοντο
Εν Πυλῳ ηγαθεῃ, μετα δε τριτατοι-
σιν ανασσεν.
Illi jam duæ quidem ætates articulata
voce loquentium hominum
Defecerant, qui cum ipſo antea ſimul
nutriti ſunt, & vixerunt
In Pylo admodum divina, inter tertios
autem regnabat.

Γενεα autem triginta annorum eſt. Itaque illi Homerici verſus oſtendunt tantum, Neſtorem, cum illa loqueretur, ſexagenario majorem fuiſſe : quamvis illic quoque *γενεαν* pro centum annis accepiſſe etiam veteres Latini poetæ videntur. Hæc Muretus.

Tantum fuit roboris) Vt efficere poſſet, ne Romani diutius imperarent, ut poſſet Romanum imperium pecunia largienda evertere.

Nondum centum, & decem anni) Fulvius Vrſinus ex antiquo libro, *enim*, addidit, ſic : *Nondum enim cent.* &c. Vnus meus, *nondum vero cent.* Alius, *nondum X. & C. anni*.

. *A L. Piſone*) Tribuno pl. qui primus Frugi dictus eſt.

Lata eſt lex) Cenſorino, & Manilio Coſſ.

At vero poſtea tot leges) Cæcilia Servilia, Atilia, Cornelia, Iulia.

Italicum bellum) Sociale a ſcriptoribus dictum. Vide Florum.

Excitatum) Eorum opera, qui, ne repetundarum accuſarentur, metuebant, ab iis, qui ſibi conſcii ſuorum ſcelerum, quieta rep. judicia metuebant.

Vt imbecillitate aliorum, non noſtra virtute valeamus) Si adhuc imperamus, cum tamen illud malum, quod Pontius optabat, in remp. invaſerit, non virtuti noſtræ, ſed aliorum imbecillitati, acceptum referre debemus : hoſtes enim eos non habemus, in quibus tantum ſit roboris, quantum ſibi Pontius habere videbatur. Simile illud Iſocratis in Symmachico : *Χρη τους και μικρα λογιζεσθαι δυναμενους ουκ εν τοις των εχθρων ἁμαρτημασι τας ελπιδας εχειν της σωτηριας, αλλ' εν τοις αυτων πραγμασι, και ταις αυτων διανοιαις. το γαρ δια την εκεινων αμαθιαν συμβαινον ἡμιν αγαθον· τυχον αν παυσαιτο, και λαβοι μεταβολην. το δε δι' ἡμας αυτους γιγνομενον, βεβαιως αν εχοι, και μαλλον παραμειναιεν ἡμιν*. *Decet autem eos, qui vel mediocri ſunt ingenio, ſpem ſalutis non in hoſtium erratis, ſed in recte factis, conſiliiſque ſuis collocare. Nam quæ commoda ex adverſariorum inſcitia capimus, ea fortaſſe neque diu duratura, neque uniuſmodi ſemper futura ſunt. Quod autem a nobis ipſis proficiſcitur, ſolidi aliquid habet, & plus conſtantiæ*.

CAPUT XXII.

Gaza) Perſæ Gazam, regiam pecuniam vocant. Q. Curtius. Virgilius pro omni pretioſa ſupellectile dixit,

Troia gaza per undas.

Quæ fuit maxima) *Bis millies centies HS*, ut ait Velleius, id eſt ſexagies ter centena ſcutatorum millia : ut vulgo dicitur, milliones ſex, & ſcutatorum trecenta millia. Valerius Antias, *millies ducenties*, ſcripſit, quod Livius parum putat. In Plinio lib. XXXIII. cap. 3. legitur, *prodi-*
tum

Digitized by Google

trium millium, quod mendoſum eſſe conſtat. Vide Livium lib. XLV. Plut. in Vita, & Apophth. gm. Valer. lib. IV. Appianum in Mithridatico, Oroſium lib. IV. cap. 0. Eutropium lib. IV. c. 3. Juſtinum lib. XXXIII. Florum lib. II. cap. 12. Quod autem fecit Paulus, idem antea fecerat Q. Tremulus, Anagnia capta. Plinius lib. XXXIV. cap. 6. ceſſabat enim tributum, cum eſſet in ærario pecunia; renovabatur, ærario exhauſto.

Paullus) Pater naturalis Africani minoris.

Tributorum) Ubi novum bellum erat exortum, pecunia, qua gerendum eſſet, colligebatur; tributo cunctis civibus impoſito. Livius lib. V.

Nihil in domum ſuam intulit) Penates ſuos nulla ex parte locupletiores fecit. Valerius; qui nec adſpicere Macedonicam gazam voluerit, totumque negotium ejus adminiſtrandæ, & in ærarium referendæ, quæſtoribus commiſerit. Signum autem ejus abſtinentiæ vel maximum fuit, quod moriens patrimonium vix XXXVII millium myriadum, ut ait Plutarchus, reliquit; quæ ſumma paullo major eſt undecim ſcutatorum millibus. *Nihil in domum ſuam intulit*: τὸ *in*, abeſt a ſeptem meis, & Tertii. Unus pro, *intulit*, habet *attulit*.

Præter memoriam) Præclare ſecum actum exiſtimans, quod ex illa victoria alii pecuniam, ipſe gloriam reportaſſet. Valerius.

Africanus) Qui nihil in vita, niſi laudandum, aut fecit, aut dixit, ac ſenſit. Velleius.

L. Mummius) Qui Corinthum delevit, caput Achææ gentis; unde Achaici cognomen eſt adeptus.

Italiam ornare) Nihil enim ex iis opibus, ornamentiſque, quæ prædives Corinthus habuit, in domum ejus pervenit. Signa namque ærea, marmoreaque, & tabulas pictas, quibus Corinthum ſpoliavit, in triumpho tulit, totamque iis Italiam replevit. Tamque rudis ingenio fuit, (quod ait Velleius) ut, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac ſtatuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, ſi eas perdidiſſent, novas eos reddituros.

Nullum igitur vitium eſt tetrius) Septem, & Tertii, ord. præp. *Tetrius eſt*. τὸ, *eſt*, non eſt in tribus. *Deterius eſt*, unus.

Remp. gubernantibus) *Reip. gubernatoribus*, Fulvius Urſinus ex antiquo libro. *Remp. adminiſtrantibus*, unus meus.

Habere enim quæſtui remp.) Ex reip. muneribus quæſtum facere. In Verrem: *Qui non intelligis iſtum ſibi quæſtui, prædæque habuiſſe, bona fortunas, poſſeſſiones oratorum*. Plautus, Pœnulo:

Iſtic eſt theſaurus ſtultis in lingua ſitus,
Ut quæſtui habeant male loqui melioribus.

Turpe) Sordidum.

Sceleratum) Facinus publice contra jus in remp. admiſſum.

Oraculo) *Oraculum*, quatuordecim mei. *Oraclum*, unus. Hoc autem Oraculum exſtat in Ariſtophanis Scholiis: Οτι αισχροκερδεις και σμικρολογοι οι Λακωνές, δηλον εκ τȣ χρησμȣ, αφιλοχρηματια Σπαρταν ελει, αλλο δε ȣδεν. *Lacedæmones avaros, ac ſordidos manifeſtum ex oraculo: nulla res alia, niſi avaritia Spartam diruet*. Vide & Plutarchum.

Nulla re alia, niſi avaritia, eſſe periturum) Sic duodecim mei. Duo, & Tertii, non habent τὸ *alia*.

Is videtur) *Idque videtur*, unus. *Id videtur*, ſex, & Tertii. τὸ *is*, abeſt a ſeptem.

Agrariam rem) Diviſionem agrorum, ut duo Gracchi fratres, infra.

Aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant) Lege de tabulis novis.

Concordiam primum tollunt) *Tollunt*, non eſt in tredecim meis, & Tertii.

Ut ſupra dixi) In eo loco: Hanc ob cauſſam maxime, ut ſua tenerentur, reſpublicæ, civitateſque conſtitutæ ſunt.

Civitatis, atque urbis) Civitatis multitudinis civium; Urbis, quæ civitati præſidium eſt: ſupra: *Etſi duce natura congregabantur homines: tamen, ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, urbium præſidia quærebant*.

Cujuſque) *Cuique*, duo mei.

Cui res erepta eſt, inimicus) *Cui res erepta eſt, eſt inimicus*, quinque, & Tertii. Duo, *Inimicus eſt*.

In

In pecuniis creditis) Condonatis.

Occultat ſuum gaudium) In ſinu gaudet.

Ne videatur non fuiſſe ſolvendo) Obærati enim cultus ſplendorem in fraudem creditorum ſimulantes, hominum de ſe opinioni offundunt.

CAPVT XXIII.

AT *propter hoc injuriæ genus*) *Ac*, duo mei. Cioſanus teſtatur, ſe a Mureto accepiſſe, delendam eſſe particulam *at*, quæ ſententiam corrumperet.

Lyſandrum.) Præclarum ducem, optimeque de rep. meritum.

Agim regem) De quo Plutarchus.

Ex quo eo tempore) *Ex eo tempore*, unus. *At eoque tempore*, unus. *Exque eo tempore*, Tertii liber; quod placet.

Vt tyranni exſiſterent) *Vt & tyranni exſ.* ſex, & Tertii.

Præclariſſime conſtituta) Lycurgi legibus.

Malorum) Quæ nata ſunt propter avaritiam: ſupra: Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nulla re alia, niſi avaritia, eſſe perituram.

Profecta) Sic duo mei, recte. *Profecte*, decem. *Profecte*, Tertii. *Profecto*, duo.

Manarunt latius) Sic Fam. lib. XII. ep. 1. *Manabat illud malum urbanum*.

Africani) Majoris, cujus ex filia Cornelia Ti. Gracchus duos filios ſuſcepit, Tiberium, & Caium.

Aratus Sicyonius) Cujus vitam Plutarchus literis mandavit.

A tyrannis) Abantide Paſei filio, Paſeo patre, Nicocle.

Vrbe eſt potitus) Sic omnes mei, & Tertii. Sunt, qui, *urbem*, reponant: veteres libri adverſantur.

Nicoclem) Plut. in Arabo. Alii, *methodeum*, ex antiquis libris, & ex Polybio. Impreſſi, *Metoclem*. Duo ſcripti, *Modoclem*, quorum unus, in ora, Vel *Methodem*, Vnus, *Methoclem*. Vnus, *Modocheni*. Vnus, *Michoclem*. Vnus, *Methodem*. Vnus, *Metrodem*. Vnus, *Midoclem*. Vnus, *Modoclem*. Vnus *Nicodem*. Vnus, *ſitoez*. Vnus, *Metendem*. Duo, *Nicoclem*. Tertii, *Niecoclem*.

Improviſo oppreſſiſſet) Sine civili ſanguine.

Sexcentos exſules) Octoginta a Nicocle, haud pauciores quingentis a ſuperioribus.

Quos & ipſe reſt.) *Et*, non eſt in ſeptem, & Tertii.

Detinebantur) *Tenebantur*, ſeptem, & Tertii.

Rem integram) Plinius ad Trajanum: *Rem integram diſtuli*. *Integram reſervare*, Cic. Fam. lib. I. *In integro res*, *vel cauſſa*, Terentius. *In integrum reſtituere*, Iuriſconſulti. *In integro res eſt*, in Verrem, & ad Att.

Ptolemæum) Philadelphum. Ptolemæi, Ægypti reges, omnes dicti, ut Cæſares, & Auguſti, Imperatores: Græcorum *αὐτοκράτορες*, Cecropidæ, Athenienſium: Tigranes, Aſſyriorum. Phraartes, Medorum: Sennacherib, Philiſtinorum.

Suum hoſpitem) Quem ſignis, & tabulis ex Græcia ſibi devinxit. Plutarchus.

Qui tum regnabat alter poſt Alexandriam conditam) Ejus filius, qui, cum Alexandro militavit.

Cui cum expoſuiſſet) *Qui*, ſeptem, & Tertii.

Grandi pecunia) Centum quinquaginta talentis. Plutarchus.

Cum in Sicyonem) *To in* non eſt in tribus, & Tertii.

Quindecim principes) Sic Plutarchus.

Detinebant) *Tenebant*, octo.

Præfecitque) *Perfecitque*, Tertii liber.

Et uti perſuaderent aliis) *To &*, non eſt in ſeptem. *Vt*, pro, *uti*, eſt in tredecim & Tertii.

Vt bis jam vidimus) Primum Sulla, deinde Cæſare dominantibus.

Sapientia ſummi civis) *Boni*, eſt in novem, & Tertii.

Defendere) Abeſt ab uno meo, & Tertii.

Quid eſt aliud, aliis &c.) Sic octo mei, & Tertii. *Quid eſt aliud*, *niſi aliis*, unus. *Quid eſt aliud*, *quam aliis*, quinque.

Tabulæ novæ) Debitam pecuniam largientes.

Vt emam mea pecunia fundum) Vel cum fenore ſumta, vel, ut, interdum amicitiæ gratia fit, ſine fenore.

Et cum tu habeas) *Et*, non eſt in decem, & Tertii.

Ego non habeam pecuniam) Quia licet

eet tibi non ſolvere per tabulas novas.

CAPUT XXIV.

Æs alienum) Privatorum civium. *Reip. noceat.*) Ob eorum ſeditiones, qui obærati ſunt, & novas tabulas, leges agrarias, proſcriptiones, conjurationes expetunt.

Non, ſi fuerit) Sic quatuor mei, & Tertii. *Si non fuerit*, tres. *Si non hoc fuerit*, duo.

Fides) Quam Iuſtitiæ fundamentum dixit lib. I.

Numquam enim vehementius) To *enim*, non eſt in undecim, & Tertii.

Tentata res eſt) Catilina duce.

Ordine) Ne videretur de humilibus tantum loqui, addidit, *ordine*, quia nobilius eſt *ordo*, quam Genus, ep. 9. lib. I. Fam. *Cunctis hominibus, ordinibuſque incumbentibus.* Et ep. 10. lib. III. & Cœlius ep. 17. lib. VIII. & oratione I. pro Cornelio.

Vt hoc tantum malum de rep. tolleretur) *Totum*, pro, *tantum*, eſt in tribus, & Tertii.

Fraudandi enim ſpe ſublata) Speraverant debitores, ſi reſp. mutaretur, ſe nihil ſoluturos, eam ſpem ſuſtulit virtus, & vigilantia Ciceronis.

Hic noſter victor) Cæſar.

Tunc quidem victus) Interfectus a Bruto, Caſſio, aliis. Sic quinque. *Tum*, ſex, & Tertii. *Nunc*, tres; quod etiam erat in impreſſis. *Tunc quidem victus*: me ſcilicet conſule; quia Catilina propter æris alieni magnitudinem conſentiens, perficere non potuit, obſiſtente me, quod cogitabat, debitores ut creditoribus nihil ſolverent: & cum ea ſimul victus Cæſar, omneſque idem cogitantes videntur. Suet. & Plut. de Cæſaris ære alieno. Hæc ſententia confirmari videtur ſequentibus verbis.

Cum ejus jam nihil intereſſet) Cum ære jam non premeretur alieno, rerum omnium armis potitus. Perfecit igitur ea, quæ multa ante cogitaverat, ut leges, & judicia nihil valerent, non ſua cauſſa, quia nihil jam debebat, ſed ſuorum, qui gravi alieno ære laborabant, nec ſine civili bello incolumes ullo modo eſſe poterant, qua de re ſic ad Att. lib. VII. *Verumtamen hæc video, cum homine audaciſſimo, paratiſſimoque negotium eſſe: omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione, ignominiaque dignos illac facere, omnes, qui ære alieno premantur: quos plures eſſe intelligo quam putaram.* Eorum ex numero noti ſunt, quibus ad conſumendum nihil ſatis eſſe videretur, C. Curio, M. Antonius, P. Dolabella.

Peccare) *Peccandi*, unus meus.

Etiam ſi cauſſa non eſſet) Etiam ſi peccare quidem in eo, id eſt æris alieni ſolutionem tollere, ſua cauſſa non cogeretur: cum ipſe jam nihil deberet.

Et neque tenuiores propter imbecillitatem circum veniantur) Sic octo mei, ſex, & Tertii, *humilitatem*, quod non placet, & gloſſema videtur fuiſſe ad, *imbecillitatem*, & ita ſcriptum eſt in margine unius mei veteris libri, recenti manu, nec *humilitas* pro gloſſemate videtur requirere *imbecillitas*, ſed aliquis potius *humilitatem*, pro, *imbecillitatem*, ſubſtituit.

Obſit invidia) Hinc Comicus:

Iudices ſæpe propter invidiam adimunt diviti:
Aut propter miſericordiam addunt pauperi.

Belli) Pro, in bello, antique, & uſitate dictum, paullo tamen durius. *Domi militiæ*, dixit lib. de Senectute. *Bellis*, novem, & Tertii.

Hæc genera officiorum) Quæ ad univerſos, quæque ad remp. pertinent.

Qui perſequuntur) *Qui perſequentur*, unus. *Qui proſequuntur*, tres. *Qui ſequuntur*, duo.

Adipiſcentur) Duo, *adipiſcuntur*.

Et gratiam, & gloriam) Vt amentur, & in admiratione ſint. Vtrumque & ſupra conjungit: *Maxime autem & gloria paritur; & gratia defenſionibus*. Et, cum dixit: *Hoc ſcientiæ genere prodeſſe quam plurimis, vehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam*. Lib. III. *Huic nec laus magna adhibenda eſt, nec gratia*. Et, eodem libro: *Qui illam eripuerit, in maxima gratia futurus, & gloria*. Ad Plancum ep. 5. lib. X. *Mi Plance, incumbe, ut belli extrema perficias, in hoc erit ſumma & gratia, & gloria.*

Antipater Tyrius) Catonis Vticenſis fami-

familiaris. Plutarchus.

Duo præcepta cenſet eſſe a Panætio prætermiſſa) Quatuordecim, & Tertii, *duo præterita cenſet eſſe a Panætio.*

A ſummo philoſopho) Vindicat eum ab ignorantia, contra objectionem Antipatri.

Quod eſſent faciles) Non quod eas ipſe non viderit.

Sunt certe utiles) Cauſſa, cur ipſe præcepta ſubjungat, quæ Panætius, quem jam excuſavit, omittenda duxit.

Suſtentatur) Ne in morbos cadat, inde ductum, *firma, & imbecilla valetudo.*

Notitia ſui corporis) Sui: quia non iiſdem rebus omnes, ſed alius alia re indiget ad valetudinem. Ex notitia vero ſui corporis naſcitur obſervatio earum rerum, quæ res aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe; aliter enim obſervari non poſſunt, &, quia ſola ſui corporis notitia non ſufficit, adjungitur tamquam neceſſaria rerum earum, quæ proſint, aut obſint, obſervatio, ita ſecundum præceptum naſcitur ex primo, ſine quo locum non haberet: ſicuti nec primum ſine ſecundo fructum ferret.

Obſervatione earum rerum quæ &c.) *Earum rerum*, non eſt in duobus meis, & Tertii.

In victu omni atque cultu) Cultus a Victu differt, multa enim præter cibum, potionemque ſunt, quæ ad valetudinem pertineant.

Corporis tuendi cauſſa) Victu enim, atque cultu corpus tuemur.

Prætermittendis voluptatibus) Iis, quæ obſunt. Hoc quartum præceptum videtur incluſum in primo, quod eſt, *obſervatione earum rerum, quæ res aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe*, in iis enim, quæ obſunt, vitandæ voluptates, verum, quia voluptate plerique homines tamquam eſca capiuntur, ideo nominatim ea de re præcipiendum Cicero putavit: *Quæ cum maxime delectaret, maxime tamen obeſt &c. Et prætermittendis voluptatibus*; τὸ & non eſt in uno meo, & Tertii.

Arte eorum) Medicorum. Artem medicinam vocat. Virg. lib. XII.

Iamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis

Iaſides, acri quondam cui captus amore

Ipſe ſuas artes, ſua munera lætus Apollo,

Augurium, citharamque dabat, celereſque ſagittas.

Ille, ut depoſiti proferret fata parentis,

Scire poteſtates herbarum, uſumque medendi

Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Paullo inferius Iapis ipſe loquitur:

Non hæc humanis opibus, non arte magiſtra

Proveniunt, neque te, Ænea, mea dextera ſervat.

Et, apud Ovidium, Apollo artem ſuum inventum vocat:

Inventum medicina meum eſt, opiferque per orbem

Dicor: & herbarum ſubjecta potentia nobis.

Heu mihi, quod nullis amor eſt medicabilis herbis,

Nec proſunt domino, quæ proſunt omnibus artes.

Conſervari) Non enim ſatis eſt quærere, niſi conſervemus.

Commodiſſime) Sic, ut nihil deſideres, & in diſcendo voluptatem capias, nam, *commode*, laudem habet, unde illud ſupra: *Commode autem, quicumque dixit, Pecuniam qui habeat, non reddidiſſe.* Et in extremo libro: *Toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda commodius a quibuſdam optimis viris, ad medium Ianum ſedentibus, quam ab ullis philoſophis, ulla in ſchola, diſputatur.*

Œconomicus) De quo D. Hieronymus, Quinctilianus lib. X. cap. 5. Plinius lib. XVIII. cap. 25. & Servius Georg. I.

Iſta fere ætate cum eſſemus) *Cum eſſemus*, abſunt ab uno meo.

CAPUT XXV.

SEd utilitatum comparatio) Nam de comparatione eorum, quæ honeſta ſunt, differuit libro primo.

Quoniam his locus erat quartus a Panætio prætermiſſus) Primus locus eſt, Honeſtum ne factu ſit an turpe: ſecundus, conducat, nec ne: tertius, duobus propoſitis honeſtis utrum honeſtius: quartus, duobus propoſitis utilibus, utrum utilius: de quo nunc loquitur Cicero.

zo. Quintus, de comparatione honeſti, & utilis, eſt libro III. *A Panætio prætermiſſus*: non modo quartum, qui de duobus utilibus eſt, ſed tertium quoque de duobus honeſtis, Panætius prætermiſit, ut Cicero docet libro primo.

Cum externis corporis hoc modo comparantur) *Comparantur*, non eſt in uno meo.

Ipſæ inter ſe corporis comparantur ſic) *Comparantur*, non eſt in tredecim meis, & Tertii.

Bona valetudo) *Vt bona valetudo*, undecim mei, & Tertii. Duo, *ſi bona valetudo*.

Ex quo genere comparationis illud eſt Catonis ſenis) Hoc addit, ut e Catonis quoque ſententia diſtinguendas eſſe utilitates oſtendat: cum ſint aliis aliæ majores, ut, *bene paſcere*, *quam ſatis bene paſcere*: *ſatis autem bene paſcere*, *quam vitire*: &, *vitire*, quam *arare*: aliæ vero aliis honeſtiores; nam fenerari ſummam utilitatem eſſe nemo negat; nec tamen quærenda, quia non honeſta.

Expediret) Male in uno meo, *expediretur*.

Bene paſcere) Paſcua veteres pluris æſtimabant, quam vineas, & arva, unde illud in Paradoxo ultimo: *Si iſti callidi rerum æſtimatores prata, & areas quaſdam magni æſtimant, quod ei generi poſſeſſionum minime quaſi noceri poteſt: quanti eſt æſtimanda virtus, quæ nec ſurripi poteſt?* Et Columella lib. II. cap. 17. *Atque hæc*, inquit, *orator exſequi poterit, ſi non ſolum, quæ retuli, genera pabulorum providerit, verum etiam copiam ferri, quo melius armenta tueatur, ſine quibus terram commode moliri difficile eſt, & ideo neceſſarius ei cultus eſt etiam prati, cui veteres Romani primas in agricolatione tribuerunt; nomen quoque indiderunt ab eo, quod protinus eſſet paratum, nec magnum laborem deſideraret. M. quidem Porcius & illa commemoravit, quod nec tempeſtatibus affligeretur, ut aliæ partes ruris, minimique ſumtus egens, per omnes annos præberet reditum, neque eum ſimplicem, cum etiam in pabulo non minus redderet, quam in feno.*

Bene vitire) Cur malim, *vitire*, (quod in quatuor eſſe antiquis libris, ſcribunt Nannius in Miſcellaneis, Langius, Balduinus, Giſanius) quam *veſtire*, quod ipſum reperi in omnibus meis, (nam a Tertii libro hoc totum abeſt) tribus cauſſis adducor: primum, quod, cum hæc ſint Catonis præcepta, particulari eum verbo, in certa re deſignanda, quam generali uſum eſſe, veriſimilius eſt; deinde, quod Plinius lib. XVIII. cap. 5. hæc ipſa referens Catonis præcepta, quæſtuoſiſſimam in agro Vitem eſſe dixit, Veſtiendi mentionem nullam fecit; poſtremo, quod ex *veſtire* certe non tam facilis fuit lapſus ad *vitire* quam ex *vitire* ad *veſtire*: cum ita ſcriberent veteres, *veitire*, pro *vitire*, ut *veiam*, pro *viam*, & ſimilia. Quod peritis antiquitatum ita notum eſt, ut exemplis probare non oporteat. Hæc autem Catonis præcepta ne quis miretur in ejus libris non exſtare: circumferuntur enim ſermonibus, ut ab illo dicta, non ut ſcripta. Itaque & Cicero, & Plinius ajunt, *Cato, interrogatus*, &c. Nam, quod ſcriptum eſt, apud Catonem cap. 16. ſimile illud quidem eſt ex aliqua parte, ex aliqua tamen diſſimile. *Veſtire*, tamen, ſi legas, interpretandum, arboribus maxime fructum ferentibus: verum hæc utilitas non videtur arationi præferenda; itaque magis placet, *vitire*.

Quid hominem, inquit, occidere) Vt oſtenderet, non omnem utilitatem quærendam eſſe, quaſi fenerari non liceret.

Solere fieri) Sex, & Tertii, ord. præp. *fieri ſolere*.

Toto hoc de genere) Cujus partes ſunt tres, quo modo quærenda, collocanda, utenda pecunia ſit.

De collocanda) Vt conſervetur, atque etiam augeatur, ubi quæſita jam eſt.

Etiam de utenda) Sic omnes mei, & Tertii. *Vtenda*: parce videlicet, ac frugaliter, qui enim, ut pecuniam quæreret, ne fenerationis quidem quæſtum turpem putavit, is, ut eam pecuniam temere diſſipet, ac diſperdat, non facile adducetur. Itaque ſupervacaneum pæne videtur ei præcipere; cui tamen præcipiunt feneratores, nihil omnino, quod ad pecuniam pertineat, omittentes: ſupervacaneum autem præceptum, vel parum certe neceſſarium ſignificat hic lo-

Digitized by Google

quendi modus: *Etenim de utenda*.

Commodius) Melius, & utilius.

A quibuſdam optimis viris) A feneratoribus, ironia, jam enim de feneratione dixit, Quid hominem occidere? & verbum *quibuſdam*, ironiam magis indicat. *Commodius a quibuſdam optimis viris*, a contrario ſenſu; nam nec decenter, & honeſte, nec ab optimis viris de quærenda, & collocanda pecunia ab iis, qui ſedent ad medium Ianum, id eſt, a feneratoribus diſputatur: non enim in quærenda collocandave pecunia, ſed in utenda potius, laus poſita bonitatis eſt. Itaque recte ſubjungit Cicero: *Etiam de utenda*; uſus enim pecuniæ is eſt, qui pecuniæ quærendæ, & collocandæ ſcientiam excuſare poſſet, nam illa per ſe, id eſt, quærere, & collocare, laudem non habet.

Ad medium Ianum) Vicus hoc nomine Romæ fuit, ubi pecunia fenori dabatur: prima vici pars, ſummus Ianus: media, medius: ultima, imus vocabatur, unde Horatius ep. 1. lib. I.

O cives, cives, quærenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt nummos, hæc Ianus ſummus ab imo
Perdocet.

Maxime vero ad medium Ianum, id eſt, medio vico, ſedebant feneratores. Itaque Phil. V. *Itane? Ianus medius in L. Antonii clientela ſit? quis unquam in illo Iano inventus eſt, qui L. Antonio mille nummum ferret expenſum*. Et Horatius ſat. 3. lib. II.

---- *Poſtquam omnis res mea Ianum*
Ad medium fracta eſt, aliena negotia curo,
Excuſſus propriis.

De Iano præterea Phil. VI. & VII. Octo, & Tertii, *ad januæ medium*. ſex. ord. præp. *ad medium januæ*. Male.

Quam ab ullis philoſophis) Itaque mihi hoc de genere pluribus diſputandum non eſt.

Sunt tamen ea cognoſcenda) Quæ diſputantur ab iis, qui ad medium Ianum ſedent: quæ ſcilicet philoſophi de utilitatibus diſputant, quamquam haud ita commode, ut ii, qui ad medium Ianum ſedent, id eſt feneratores.

Pertinent enim ad utilitatem) Licet ea ratio quærendæ, collocandæ, utendæ pecuniæ, de qua feneratores commodius, quam philoſophi, diſputant, haud ſatis honeſta videatur.

Diſputatum eſt) Sic tredecim mei, & Tertii, recte. Vnus, *diſputandum eſt*.

Reliqua) A Panætio prætermiſſa: ſi id, quod ſpeciem habet honeſti, pugnet cum eo, quod utile videtur, quo modo ea diſcerni oporteat.

VA-

Digitized by Google

VARIÆ LECTIONES IN CIC. DE OFFICIIS.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

DE officiis; al. *officiorum*.

Abundare oportet. Mſſ. *abundare oporteat*.

Propter ſummam & doctoris; v. c. *& propter ſummam doctoris*.

Quorum alter; v. c. *quorum alterum*.

Idem tibi cenſeo; al. codd. *item tibi cenſeo*; al. *itidem tibi cenſeo*; al. *identidem tibi cenſeo*.

Faciendum; v. c. *faciundum*.

Ad dicendum. Mſſ. Pall. Guilielmii ſex, Pithœi, Græv. *ad diſcendum*.

Quoniam utrique; al. *quoniam utique*.

Qui ſe jam illis fere æquarunt; al. *qui jam illis fere æquarunt*; al. *qui jam illis fere æquarunt*.

Apte, diſtincte, ornate dicere. Sic Mſſ. Græv. & aliorum, nec non edd. Lang. Fabric. Vulgo: *apte, diſtincte ornateque dicere*.

Vis enim dicendi major eſt in illis; al. *vis enim major in illis dicendi*.

Orationis genus. Mſ. P. *orationum genus*.

In utroque genere laboraret. Mſ. P. *in utroque genere laboraſſet*.

Sequereturque & illud. Mſ. Græv. *ſequereturque illud*.

Phalereus. Mſ. P. & G. *Phalerius*.

Dulcis tamen ut Theophraſti. Mſ. P. *dulcis tamen tantum, ut Theophraſti*.

Si genus forenſe dicendi. Sic Mſſ. & edd. meliores; al. *ſi genus id forenſe*.

CAPVT II.

ALiquid hoc tempore ad te ſcribere. Mſ. P. *aliquid ad te ſcribere hoc tempore*.

Ab eo ordiri volui maxime. Sic Mſſ. Vulg. *ab eo exordiri maxime volui*.

Et auctoritati meæ. Nam. Sic Mſſ. Pall. Græv. aliique, nec non Pith. Vict. edd. Vulgo: *auctoritati meæ graviſſimum. Nam*.

Tradita ab illis & præcepta. edd. vett. *tradita ab illis præcepta*.

In eoque colendo. Mſſ. & edd. *in eoque excolendo*. al. *in eoque & colendo*.

Sita vitæ eſt honeſtas. Mſ. P. *Sita eſt vitæ honeſtas*.

Et in negligendo turpitudo. Mſ. G. *& in negligendo turpitudo omnis*.

Officium omne pervertunt. Mſſ. *officium omne pervertant*.

Vincatur, neque amicitiam colere. Fulv. Vrſin. & edd. vulgg. *vincatur, ſit ut neque amicitiam colere*. Sed hæc verba *ſit ut* deſunt in Mſſ. Pall. Guilielm. Græv. Pith. aliiſque codd. melioribus. In Pith. pro *amicitiam* legitur *amicitias*.

Hæ quamquam ita ſunt. Mſſ. P. & G. *hæ quamquam ita ſint*.

Hæ diſciplinæ igitur. Pith. *hæ igitur diſciplinæ*.

Stoicorum, & Peripateticorum, & Academicorum; copula deeſt in Pith.

Herilli P. *Erilli* Pyrrhonis & Herilli. in v. c. deeſt &.

Si rerum aliquem dilectum. al. *ſi rerum aliquem delectum*.

Exploſa ſententia eſt; deeſt in P. *eſt*.

Sequemur igitur. al. *ſequimur igitur*.

Quantum quoquo modo videbitur. al. *quantumcumque videbitur*. Mſ. *quantum quoque modo videbitur*; al. *quantum quoquo modo videbitur*.

CAPVT III.

IN omnis partes. al *in omnes partes*.

Vſus vitæ conformari. edd. *uſus vitæ confirmari*.

 Quam-

Digitized by Google

Quamquam pertinent. Gr. *quamquam pertineant*.

Perfectum officium rectum. edd. *perfectum autem officium*.

Hoc autem commune καθηκον vocant. al. *hoc autem commune, quod ii καθηκον vocant*. al. *hoc autem commune quod καθηκον vocant*. Mſ. *hoc autem commune officium vocant*.

Sic definiunt. Mſ. *ſic diffiniunt*.

Nam honeſtumne factu ſit an turpe dubitant. Gr. *nam aut honeſtumve factu ſit, aut turpe dubitatur*. ed. Lang. *nam, aut honeſtumne ſit, an turpe, dubitant*.

Tum autem inquirunt. al. *tum autem inquirunt*.

Tertium dubitandi genus eſt. Wolf. *tertium diſputandi genus eſt*.

Hac diviſione. Sic Mſſ. & edd. al. *hac in diviſione*.

Ita quam ille triplicem. Mſ. *itaque quam*. al. *itaque ille triplicem*.

Rationem in quinque. al. *rationem, quæ in quinque*.

CAPUT IV.

EſT a natura tributum. al. *eſt a natura attributum*.

Declinetque ea quæ nocitura. Mſ. P. *declinetque, quæ ei nocitura*. al. *declinet ea quæ*.

Omniaque quæcumque. al. Mſ. P. *omnia quæque*.

Ad vivendum neceſſaria. In Pal. prim. non legitur, *ad vivendum*.

Anquirat & paret. al. *acquirat & paret*. al. *inquirat & paret*.

Alia generis ejuſdem. Sic Pith. vulg. *alia ejuſdem generis*.

Commune autem animantium. al. *commune item animantium*.

Inter hominem & belluam. al. *inter homines & belluam*.

Hæc tantum quantum ſenſu movetur. al. *hæc tantum ſenſu movetur*. Pith. *hæc quantum ſenſu movetur*.

Homo autem quod rationis eſt particeps. Sic Mſſ. al. *homo autem quoniam rationis eſt particeps*. Lang. ed. & prim. Pal. *homo autem qui rationis eſt particeps*. ed. Fr. Fabr. *homo autem qui rationis eſt particeps*.

Et cauſſas rerum videt. Sic Mſſ. vulgg. *principia & cauſſas rerum videt*.

Earumque progreſſus & anteceſſiones. edd. Lamb. & Fr. Fabr. & nonnulli Mſſ. *earumque progreſſus & anteceſſiones*.

Similitudines comparat. Mſſ. *ſed ſimilitudines comparat*. al. *& ſimilitudines comparat*.

Ad eamque degendam. Mſ. Pith. *ad eamque regendam*.

Præparat res neceſſarias. v. c. *præparat res neceſſarius*.

Eademque natura. al. *eadem natura*.

Impellitque ut hominum cœtus & celebrationes eſſe, & a ſe obiri. al. *impellitque ut hominum cœtus celebrari inter ſe, & a ſe obedire*. alii aliter vid. notas.

Audire, addiſcere. al. *audire ac diſcere*.

Ad beate vivendum. Sic Mſſ. ſed edd. *ad bene beateque vivendum*.

Veri inquiſitio. Lang. ed. *veri anquiſitio*.

Niſi præcipienti aut docenti. al. *niſi aut præcipienti & docenti*.

Humanarumque contemtio. al. *humanarumque rerum contemtio*.

Vnum hoc animal ſentit. Mſ. Pith. *unum hoc animal ſenſit*.

Quid ſit ordo, quod ſit quod deceat, in factis dictiſque qui ſit modus. Lang. ed. *qui ſit ordo, quid ſit quod deceat in factis dictiſque, qui ſit modus*. al. *quid ſit ordo, quid deceat in factis, dictiſque qui ſit modus*. Pal. ſec omittit *quid ſit ordo, quid ſit*. In Mſ. legitur etiam *qui modus*, omiſſo *ſit*.

In conſiliis factiſque conſervandum. Mſ. Pith. *in conſiliis factiſque obſervandum*. al. Mſſ. *in conſiliis factiſque conſervandam*.

CAPUT V.

FOrmam quidem ipſam. Mſ. Pith. *formam quidem ipſe*.

Et tamquam faciem. Vet. ed. *etiam tamquam faciem*, quod male probant Guilielm. & Gruterus.

Perſpicientia veri. Mſ. Pith. *inſpicientia veri*.

Tribuendoque ſuum cuique. Mſ. Pith. & edd. *tribuendoque quod ſuum eſt cuique*.

In quo ineſt modeſtia & temperantia. Pal. prim. *in quo vis eſt modeſtiæ & temperantiæ*.

Et

Digitized by Google

Et videre & explicare rationem. Pal. pr. *& videre & explicare ratione*. Mſ. Erfurt. *& videre & explicare oratione*. Pith. *& explicare rationem*, omiſſis *& videre*.

CAPVT VI.

C. Sulpitium audivimus. al. *Caium Sulpitium audimus*.

In veri inveſtigatione. ed. prim. Lang. & Mſſ. *in veri veſtigatione*.

A rebus gerundis. Sic Mſſ. & edd. prim. Lang. Bald. al. *a rebus agendis*.

A qua tamen fit intermiſſio ſæpe. Mſ. *a qua tamen fit intermiſſione ſæpe*.

Cognitioneſque verſatur. Pith. *cognitioniſque verſabitur*.

Officii fonte diximus. Mſ. *officii fonte ſatis diximus*.

CAPVT VII.

BEneficientia. Sic Mſſ. & edd. al. *beneficentia*.

Aut victoria, ut qui bello potiti ſunt. Mſ. & Lamb. & Fr. Fabr. edd. *aut bello, ut qui victoria potiti ſunt*.

Aut lege, pactione, conditione, forte. al. *aut lege, aut pactione, conditione, ſorte*. Mſ. *aut lege, aut conſuetudine, aut pactione, conditione, ſorte*.

E quo ſi quis ſibi appetet. al. *eo ſi quis ſibi plus appetit*. Sed *plus* aberat in Mſſ. Lang. Lamb. Pall. & alii. In iis etiam *ex quo*.

Partem patria vindicat, partem amici. al. *partem patria vindicat, partem parentes, partem amici*.

Atque ut placet Stoicis. edd. aliq. *atque placet Stoicis*.

Mutatione officiorum. al. *mutuatione officiorum*.

Manus afferre videtur ſocio. Vulg. *manus violenter afferre videtur ſocio*. Sed *violenter* non extat in Mſſ. Pall. nec in quinque Guilielmii, nec in primis edd. nec in Langii, aliiſque emendatioribus.

A metu proficiſcuntur, cum is. Vulgg. *a metu proficiſcuntur, ut is*.

Timet, ne niſi id fecerit Pal. prim. *timet ne, ſi id non fecerit*.

Aggrediuntur ut adipiſcantur. Sic plurimi Mſſ. Lang. Guilielm. Lamb. Pall. Vulgati vero: *aggrediuntur nonnulli ut adipiſcantur*.

Quæ concupiverunt. Vulgg. *quæ concupierunt*.

CAPVT VIII.

AD perfruendas voluptates. v. e. *ad perfruendas voluptates*.

Cujus fructibus exercitum. Sic Mſſ. & opt. edd. aliæ: *qui ſuis fructibus*.

Delectant etiam magnifici. al. *delectant enim*.

Vt infinita pecuniæ cupiditas. Erfurt. Mſ. *ut infinita cupiditas*.

Temeritas C. Cæſaris. Sic Mſſ. ſed Manut. ed. ex Mſſ. nonnullis *tempeſtas C. Cæſaris*.

Divina atque humana pervertit. Pith. *divina atque humana ſubvertit*.

Cogitata fiat injuria. Mſ. *cogitatu fiat injuria*. edd. *cogitato fiat injuria*.

CAPVT IX.

QVos tutari. al. *quos tueri*.

Suis ſtudiis quibuſdam, occupationibuſve. edd. nonnullæ *ſuis ſtudiis, quibuſdamve occupationibus*.

In veri inveſtigatione. Mſ. *in veri veſtigatione*.

Pro nihilo ducant. Mſ. *pro nihilo putent*.

Propterea juſtos eſſe. Pith.

Nam alterum juſtitiæ genus aſſequuntur, inferenda ne cui noceant injuria. edd. *nam dum alterum juſtitiæ genus aſſequuntur, in inferunda ne cui noceant injuria*. Alii aliter. Multa enim eſt varietas hujus loci in editis & ſcriptis libris, quam vide in notis.

In alterum incidunt. edd. *in alterum injuſtitiæ incidunt*.

Voluntate fieri. Pith. *voluntarie fieri*.

Itaque eos ad remp. ne acceſſuros quidem. Mſ. *itaque nos ne ad remp. acceſſuros*.

Qui altero juſtitiæ genere. edd. *qui dum altero juſtitiæ genere*. In Fr. Urſini Mſ. *ii dum altero juſtitiæ genere*.

Nihil operæ. Pithœan. *nihil operum*.

Quoniam igitur duobus. Pith. *quando igitur duobus*.

Digitized by Google

Aliter de illis ac de nobis. Pithœan. *aliter de illis, aliter de nobis.*

CAPVT X.

VT reddere depoſitum, promiſſum facere. al. *ut non reddere prepoſitum, etiamne furioſo promiſſum facere.* al. *ut reddere depoſitum, etiamne furioſo? facere promiſſum.*

Quæ propoſui in principio. al. *quæ poſui in principio.*

Cum tempora mutantur. al. *cum tempore mutantur.*

Ex tribus optatis, ut ſcribitur. al. *ex tribus optatis, ut dicitur.*

Majus non anteponi minori. edd. *majus damnum anteponi minori.*

Sed malitioſa juris interpretatione. Pith. *ſeu malitioſa interpretatione.* ed. prim. *ſeu malitioſa juris interpretatione.*

Induciæ pactæ; multi Mſſ. *induciæ factæ.*

Triginta dierum induciæ. edd. vett. *centum triginta dierum.*

De finibus a ſenatu datum. Sic Pall. & IV. Guilielm. & Græv. Sed edd. *de finibus agri a ſenatu datum.*

Cum utriſque ſeparatim locutum. Pith. *cum utriſque locutum.*

Ne cupide quid agerent, ne appetenter. Pith. *ne cupide quid agerent, ne appetentur.* edd. *ne cupide quid agerent, nec appeterent.* al. *ne cupide quid agerent, neve appeterent.*

Vtrique feciſſent. Mſ. *utrimque feciſſent.*

CAPVT XI.

NE quid tale poſt hac, & ceteri. Vulgg. *ne quid tale poſt hac committat, & ceteri*; alii libri aliter. not. Manut.

Conſervandi ii, qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt. al. *conſervandi ii, qui non crudeles in bello nec immanes fuerunt.* al. *conſervandi ſunt ii, qui non crudeles in bello nec immanes fuerunt.* Mſ. Pal. & Pith. *conſervandi ii, qui non crudeles fuerunt.*

Sed credo aliquid ſecutos opportunitatem. al. *ſed credo aliquid ſecutos opportunitatem.* al. *ſed credo aliquos ſecutos opportunitatem.* al. *ſed credo illos ſecutos opportunitatem.*

In quo ſi mihi eſſet obtemperatum. Mſ. *in quo mihi eſſet obtemperatum.*

Et cum iis quos vi deviceris. ed. vet. *& cum iis quos vi dejeceris.* Pall. *& cum iis quos vi viceris.*

Popillius imperator. al. *Pompilius imperator.*

Si eum pateretur. Mſſ. *ſi eum patitur.*

Secundo eum obligaret. Mſſ. *ſecundo eum obliget.*

Eum miſſum factum eſſe. Mſſ. nonnulli: *eum dimiſſum factum eſſe.*

CAPVT XII.

LEnitate verbi triſtitiam rei mitigante. Mſſ. *lenitate verbi rei triſtitiam mitigatam.*

Indicant XII. tabb. Sic edd. prim. Poſteriores vero *indicant enim XII. tabb.* Pal. prim. *indicant hoc XII. tabb.*

Qui cum bellum geras. Pith. *quo cum bellum geras.*

Tam molli nomine appellari. Vulgg. *tam molli nomine appellare.*

Iam effecit vetuſtas. Mſ. *efficit jam vetuſtas.*

A peregrino enim jam receſſit. Vulgg. *a peregrino enim receſſit.*

Qui arma contra ferret. al. *qui ferret arma contra.*

De captivis reddendis illa præclara. Sic Pith. aliique Mſſ. & edd. meliores Lang. Fabrit. Gruter. Vulgatæ: *de captivis reddendis illa præclara ſententia.* Sed jam dudum Petrus Balduin. notavit *ſententia* non haberi in Mſſ. In quodam Mſ. eſſe *illa præclara ſunt verba.*

Vitam cernamus utrique. Mſſ. nonnulli *vitam cernamus uterque.*

Nec cauponantes bellum. Pal. prim. *non cauponantes bellum.*

Hera quidve ferat fors. Vulg. *Hera, quidve ferat fors.*

Dono, ducite. al. *dono ducite.*

Volentibus cum magnis diis. Nonnulli libri, *volentibus id magnis diis.*

Æacidarum genere. al. *Æacidarum gente.*

CAPVT XIII.

SEcundo autem Punico bello &c. uſque ad hæc verba, cum ſcelere ad-

Digitized by Google

adprobavit ; non habentur in Mſſ. plurimis, & edd. vett.

Qui pejeraſſent. Mſ. *quod pejeraſſent*.

Semper autem in fide. al. *ſemper enim in fide*.

Vt mercenariis operam exigendam. Vulgg. *ut mercenariis ad operam exigendam*.

Vtrumque homine alieniſſimus. Sic Mſſ. Pall. & Guilielm. Vulgg. *utrumque a homine alieniſſimum*.

Nulla capitalior eſt, quam eorum. Mſſ. Guilielm. & Pithœan. *nulla capitalior, quam eorum*.

CAPVT XIV.

MAjor benignitas ſit quam facultates. Sic Mſſ. Guilielm. Pal. Pith. Sed edd. *ne major benignitas ſit, quam facultas*.

Id enim eſt juſtitiæ. Pith. *idem eſt juſtitiæ fundamentum*.

Pernicioſi aſſentatores. Mſſ. quidam: *pernicioſi & aſſentatores*. Pith. *pernicioſa aſſentatione*.

Vt in alios liberales ſint. Pith. *ut in aliis liberales ſint*.

Tantum abeſt officio. Sic Mſſ. al. *tantum abeſt ab officio*.

Vt nihil magis officio poſſit eſſe contrarium. Pith. *ut poſſit eſſe contrarium*.

Quod non idem juſtum. Sic Mſſ. Pall. Pith. Græv. duo. Sed vulgg. *quod non idem ſit juſtum*.

Quæ proficiſci ab oſtentatione magis, quam a voluntate videantur. Sic omnes Mſſ. Guilielm. Pall. Pithœan. Sed vulgg. *quæ videntur ab oſtentatione magis, quam a voluntate proficiſci*.

CAPVT XV.

PLeneque ſapientibus. Mſ. *planeque ſapientibus*.

In quibus præclare agitur ſi ſunt. Mſſ. *quibus cum præclare agitur ſi ſint*. al. *cum quibus præclare agitur, ſi inſunt*. Pal. ſec. *ſed cum civibus: præclare agitur ſi ſunt*. al. *cum quibus non præclare agitur, ſed ſunt*.

Illæ virtutes bonum virum videntur potius attingere. al. *illæ vero virtutes b. v. v. p. a.* al. *illæ virtutes bonorum virorum videntur propius attingere*.

Atque hæc in moribus. Sic Mſſ. & edd. vett. Sed vulgg. *atque hæc in moribus conſiderantur*.

Si modo poſſis. Mſ. *ſi modo poſſit*.

An imitari agros fertiles. al. *an non imitari*.

Multo plus efferunt. al. *multo plus afferunt*. Mſſ. aliquot *multo plus offerunt*.

Sine judicio vel morbo. al. *ſine judicio vel modo*.

Repentino quodam, quaſi vento, impetu animi incitati. al. ſic diſtinguunt, *repentino, quodam quaſi vento, impetu animi incitati*.

Si cetera paria ſint. al. *ſi cetera paria ſunt*.

CAPVT XVI.

QVæ natura principia. edd. *quæ naturæ principia*.

Cernitur in univerſi. MS. *cernitur univerſi*.

Communia hominum videntur. Mſ. *communia omnium videntur*.

Quæ ſunt generis ejus. edd. *quæ ſunt generis ejuſdem*.

Transferri in permultas. al. *transferri per multas*. Vid. Not. Manut.

Homo qui erranti. al. *ut homo qui erranti*.

Nihilo minus ipſi lucet. Mſſ. & edd. plerique: *nihilominus ipſi luceat*. al. *ut nihilominus ipſi luceat*. al. *nihilominus ipſi ut luceat*.

Vna enim ex re ſatis præcipitur. Mſſ. duo Grævii: *una enim ex re ſatis præcipit*. Sic & edd. Gryphii, Lang. Fabrit.

Id tribuatur vel ignoto. edd. vett. *id tribuatur cuique vel ignoto*.

Pati ab igne ignem capere: Si quis velit. al. *pati ab igne ignem capere, ſi qui velit*.

Nihilominus ipſi lucet. al. *nihilominus ipſi luceat*.

CAPVT XVII.

AB infinita diſcedatur. Sic Mſſ. al. *ab infinitate diſcedatur*.

Interius etiam eſt. al. *interior etiam eſt*.

Ejuſdem eſſe civitatis. al. *ejuſdem civitatis*. ed. vet. *interitus etiam ejuſdem civitatis*.

Digitized by Google

Multæque cum multis res. Palat. tres Guilielm. Pithœan. ut & Lamb. ed. *multiſque cum multis res*.

Communne animantium. Vulgg. *commune animantium omnium*.

Deinde una domus, communia omnia. Mſ. *deinde una domus, cui ſunt communia omnia*. Pal. prim. *deinde una domus, & communia omnia*.

Atque illi in quo id ineſſe videtur. Pal. prim. *atque illi in quo ineſſe videtur*. edd. Rom. prim. *atque illi quo ineſſe videtur*. Vnde Gruterus conjicit: *atque illi quoi ineſſe videtur*.

Nos ad ſe alliciat faciatque. Sic duo Mſſ. Suffrid. Pithœan. ed. primæ. Vulgg. *nos ad ſe allicit facitque*.

Nec copulatius. Mſſ. nonnulli: *nec copulantius*.

Vt unus fiat e pluribus. Pal. prim. *ut unum fiat e pluribus*.

Vltro citro datis acceptis. Mſſ. & edd. *ultro citroque datis acceptiſque*. al. *ultro citroque datis & acceptis*.

Nulla eſt gravior, nulla carior. Sic Mſſ. Vulgg. *nulla gratior, nulla carior*.

Principes ſint. Vulgg. *principes ſunt*.

Habere perfugium. Mſſ. & edd. multæ *habere profugium*. Pith. *habere refugium*.

In amicitiis vigent maxime: eſtque ea jucund. Sic vett. edd. & Mſſ. Pal. *in amicitiis viget, eſtque ea jucund*. Mſ. *in amicitiis vigent: maximeque eſt ea jucund*. edd. vulg. *in amicis vigent: maximeque eſt ea jucund*.

CAPVT XVIII.

QVid quiſque vel ſine nobis poſſit conſequi. Sic Mſſ. & edd. Lang. & Fr. Fabr. Vulgati: *quid quiſque nobiſcum vel ſine nobis*.

Suntque officia. Mſ. *ſintque officia*.

In fructibus percipiendis. Sic edd. vett. & Mſſ. Pall. aliique. Vulg. *in frugibus percipiendis*.

Addendo deducendoque. Mſſ. & ed. *addendo deducendoque*. Vid. not.

Vt facimus ipſi. Sic Mſſ. & edit. Langii. Vulg. *ut faciamus ipſi*.

Aptum eſt officium. Sic Mſſ. al. *actum eſt officium*. edd. *ortum eſt officium*.

Animo magno elatoque. In Mſ. Balduini non legitur *elatoque*.

Animum geritis muliebrem. Sic Mſſ. & edd. prim. Vulgatæ vero, *animos geritis muliebres*.

Illa virago viri. al. *illaque virgo viri*.

Salmaci da ſpolia. Mſſ. & edd. pleræque: *ſalmacida ſpolia*.

Sine ſudore & ſanguine. al. *ſine ſanguine & ſudore*.

Pleniore ore. edd. vett. *pleno ore*.

Leuctris, hinc ſunt Cocles. edd. multæ *Leutris Stratocle: hinc noſter Cocles*. al. *Leuctris Stratoque, hinc Decii*. Vid. not.

CAPVT XIX.

PRopugnantem pro æquitate. Quidam vetus codex Lambini *pugnantem pro æquitate eſt*.

Viros fortes magnanimos. Sic Mſſ. Guilielm. Pall. Pith. Græv. primæ edd. Sed Vulgg. *viros fortes & magnanimos*.

Eoſdem bonos & ſimplices. al. *eoſdemque bonos & ſimplices*. Mſ. *eoſdem bonos & ſimplicis veritatis amicos*.

Animi magnitudine maxime excellit. Mſſ. *animi magnitudine maxime excellet*.

Princeps omnium vel potius. Mſ. *princeps omnium maxime, vel potius*. Vulgg. *princeps omnium eſſe vel potius*.

Et gloriæ cupiditate. Sic Mſſ. fere omnes. pauciſſimi, *& gloriæ cupidus*. Vix unus & alter: *gloriæ cupido*. Græv. prim. *& gloria & cupiditate*. ſec. *& gloria cupiditate*.

CAPVT XX.

SEd & vehementer arduas. Sic Mſſ. edd. *ſed ut vehementer arduas*. Pith. *ſed velut vehementer arduas*. al. *ſed vehementer arduas*.

Cum vitæ, tum multarum aliarum rerum. Sic Mſſ. Vulgg. *tum vitæ, tum multarum rerum cauſſa*. Pith. *tum aliarum cauſſa rerum*.

Et hæc videnda. Sic Mſſ. Vulg. *& hæc vitanda*.

Ad beneficientiam. Sic Pall. duo Guilielm. & Græv. prim. al. *ad beneficentiam*.

Ac potius non accipienda interdum, aut deponenda nonnumquam. Rom. edit. prim. *at potius non accipienda, aut deponenda nonnumquam*. Mſ. *a. p. n.*

i. aut

ſ. aut non deponenda.

Vt tranquillitas & ſecuritas adſit. Pith. *ut tranquillitas animi & ſecuritas adſit*. Vulgg. *ut tranquillitas adſit & ſecuritas*.

Removerint, ad otiumque perfugerint. Sic Pal. prim. quatuor Guilielm. Græv. duo edit. Rom. prima, Victorian. Vulgg. *removerunt, ad otiumque perfugerunt*.

Ferre potuerunt. Mſ. *ferre potentes*.

CAPVT XXI.

EXcellenti ingenio doctrinæ ſe. Vulgg. *excellenti ingenio otio doctrinæque ſe*. Pithoan. *excellenti ingenio otio ſe*.

Nulla eſt cauſa. Mſſ. & edd. *nulla ſit cauſa*.

Videntur labores & moleſtias. Pith. Mſ. & Gryph. ed. *videntur tum labores & moleſtias*.

Tum offenſionum, tum repulſarum. Mſ. & edd. *tum offenſionum & repulſorum*. ed. Lang. *cum offenſionum tum repulſorum*.

Adipiſcendi magiſtratus, & gerenda. Sic Mſſ. al. *adipiſcendi magiſtratus ſunt, & gerenda*.

Majoraque efficienda. Mſſ. & edd. nonnulli: *majoraque efficiendi*. Pith. *majora efficiendi*. al. *majorque cura efficiendi*.

Sed etiam ut habeat. al. *id etiam ut habeat*.

CAPVT XXII.

QVo primum conſtituit. Mſ. *in quo primum conſtituit*.

At ille vere, ab ſe adjutum Themiſtoclem. al. *at ille adjuvit Themiſtoclem*. Vid. not.

Lacedæmoniis dilatatum putatur. ed. Gruter. & multi Mſſ. *Lacedæmoniis putatur*. ed. Lambin. & Fr. Fabrit. *Lacedæmoniis partum putatur*. Vid. not.

Parentiores. Sic Mſſ. al. *paratiores*. al. *promtiores*.

Attingit etiam bellicam. Sic Mſſ. & ed. Vict. al. *ſed attingit etiam bellicam*. al. edd. *attingit enim & bellicam*.

In quod invadi. Sic Mſſ. al. *in quo me invadi*.

Concedat laurea laudi. al. *concedat laurea linguæ*.

Nec majus otium. al. *nec majus odium*.

CAPVT XXIII.

ITa afficiendum. P. Vict. ed. *ita efficiendum eſt*.

Nonnumquam etiam illata. al. *nonnumquam autem illata*.

Vt M. Catonis bellum. Mſ. *ut M. Catonis conſilio bellum*.

Quam decertandi fortitudo. Sed, edd. Lang. Lamb. Fabrit. *quam decertandi. Sed*.

Fortis vero & conſtantis eſt. Mſſ. omnes *fortis vero animi & conſtantis eſt*.

Præſenti animo uti & conſilio. Sic Mſſ. & edd. al. *præſentis animi uti conſilio*, alii aliter. Vid. not. Manut.

Et aliquanto ante conſtituere. Mſſ. omnes *& aliquando ante conſtituere*.

Magni animi & excelſi. Pal. *magni & excelſi animi*. al. *magni animi & excellentis*.

Sed cum tempus neceſſitaſque. edd. *ſed cum tempus eſt, neceſſitaſque*.

CAPVT XXIV.

NE quid crudeliter. idque. edd. *ne quid crudeliter fiat. idque*.

Idque eſt viri magni rebus agitatis. Mſſ. *idque eſt viri, magnis rebus agitatis*.

Calida conſilia. edd. *callida conſilia*.

Quietis cogitationibus & ſplendidiora. Sic Mſſ. Palat. prim. *quietis & cogitationibus ſplendidiora*. ed. Rom. & Pal. ſec. & *quietis & cogitationis ſplendidiora*. al. *quietis & cogitatis ſplendidiora*.

Leniter curant. Sic Mſſ. & edd. optimæ. Alii *leviter curant*.

Vt Callicratidas. al. *ut Callicratides*.

Plaga mediocris: illa. Sic Mſſ. edd. vero *plaga mediocris fuit: illa*.

Qu. Maximus melius. edd. *Qu. Fabius Maximus melius*.

Vnus homo nobis. Sic Mſſ. & edd. prim. Vulgg. *unus qui nobis*.

Non ponebat enim. Mſſ. *non enim ponebat*. Mſ. *non hic ponebat*.

Ergo poſtque magiſque. al. *ergo magiſque magiſque*.

Ca-

Digitized by Google

CAPVT XXV.

QVæcumque agunt. Sic Mſſ. Vulgati: *quicquid agunt*.

Magnæ diſcordiæ, in noſtra. Sic Mſſ. Vulgg. *magnæ diſcordiæ ortæ, in noſtra*.

Quibus commiſſa eſt, gerenda eſt. al. *quibus commiſſi, gerenda eſt*. al. *quibus commiſſa gerenda eſt*.

Dum ea conſervet. al. *dum eam conſervet*.

Quamvis graviter offendat. Sic Mſſ. Sed edd. Victor. & Lang. *quemvis graviter offendat*.

Mortemque oppetat. al. *mortemque oppetat*. nonnulli Mſſ. *mortem oppetat*.

Qui arma contra ferant. Mſ. *qui arma conferant*.

Inimicis putabant. Sic Mſſ. & ed. Roman. 1471. Vulgg. *inimicis putant*. Palat. ſec. *putabant*.

Viri eſſe cenſebunt. Mſſ. & ed. Rom. *viri eſſe cenſent*. Pal. ſec. *viri eſſe cenſebitur*.

Altitudo animo. al. *lenitudo animi*.

Impudenter rogantibus. al. *imprudenter rogantibus*.

CAPVT XXVI.

AD voluntatem noſtram fluentibus. v. c. *ad voluptatem noſtram fluentibus*.

Superbiam, faſtidium, arrogantiam, magno opere fugiamus. v. c. *ſuperbiam magno opere, faſtidium arrogantiamque fugiamus*.

Item de C. Lælio accepimus. v. c. *de C. Lælio accepimus*.

Propter crebras contentiones præliorum. Palat. ſec. *propter crebras contentiones plerumque præliorum*.

Sibique præſidentes. In v. c. non habetur *ſibique*.

Vt perſpicerent rerum humanarum. v. c. *ut proſpicerent rerum humanarum*.

Ne aſſentatoribus patefaciamus. v. c. *ne aſſentationi patefaciamus*.

Nec adulari nos ſinamus. V. C. *nec adulari nobis ſinamus*. al. *ne adulari nos ſinamus*.

Bene parata. al. *bene parta*.

Et beneficentiæ pateat. Mſſ. *& beneficentiæ pareat*.

Qui reſp. regant. al. *qui remp. regant*.

Vitæque hominum amice. Mſſ. *veræ hominum amice*. al. *& vitæ hominum amice*.

CAPVT XXVII.

QVid ſit veri. Pith. *quid ſit verum*.

Videre & tueri. Pith. *videre & intueri*.

Vt venuſtas & pulcritudo. al. *& ut venuſtas & pulcritudo*.

A valitudine. al. *a valetudine*.

CAPVT XXVIII.

HÆc ita intelligi exiſtimare poſſumus. Ita Pith. Græv. & omnes libri vett. Vulgati: *hæc ita intelligi a Philoſophis exiſtimare poſſumus*.

Ex decoro. Pith. & Græv. prim. *ex decore*.

Quod poetæ ſequuntur. Pal. prim. *quod poetæ exſequuntur*.

Natis ſepulcro ipſe eſt. Sic edd. vett. ſic Mſſ. ſed Palat. & Græv. prim. *ſatis ſepulcro ipſe*. Vulgg. *natis ſepulcrum ipſe*.

At Atreo dicente. Quidam libri veteres, quos Lambinus inſpexit, non habent particulam *at*. Græv. prim. *atbatreo dicente*.

Animantium reliquarum. al. *animantium reliquorum*.

Non ſolum arrogantis. v. c. *non modo arrogantis*.

In hominum ratione habenda. al. *in omni ratione habenda*.

Perſpicitur vis decori. v. c. *vis perſpicitur decori*.

Sequemurque & id. Pal. *conſequemurque & id*.

Ad hominum conſociationem. Sic plerique Mſſ. ſed ed. prim. *ad hominum conſolationem*, ſec. *ad hominum conſervationem*. Pal. prim. cum multis edd. *ad hominum ſocietatem*.

Quid faciendum fugiendumve ſit. Sic Mſſ. nonnulli. Alii cum edd. *quid faciendum fugiendumque ſit*. Pal. prim. *quid fugiendum ſit*.

CAPVT XXIX.

APpetitus obtemperet. Sic Mſſ. complures. edd. *appetitus vero obtemperet*. prim. Pal. *& appetitus obtemperet*.

Omnium

Omnium vultus, voces, motus, ſtatus mutantur. Fabr. eod. *omnium vultus, voces, geſtus, motus, ſtatus mutantur*.

Vti illo quidem licet. Sic Mſſ. Vulgg. *uti illis quidem licet*.

Somno & quietibus ceteris. ed. Lang & Mſ. *ſomno & ceteris*.

Gravibus ſeriiſque rebus. Pith. *gravioribus ſeveriſque rebus*.

Aliquod probri ingenii. edd. vett. *aliquid probri ingenii*.

Quæ vocant ἀποφθέγματα. Sic Mſſ. & prim. edd. ſed Vulgg. *quæ vocantur ἀποφθέγματα*.

Si tempore fit. Pithœan. *ſi tempore fiat*.

Ac remiſſo animo. Mſſ. & Lang. & Fr. Fabrit. ed. *ut remiſſo animo*.

Homine dignus, alter ne libero quidem. Sic Mſſ. & edd. prim. ſed Manut. & Lambin. aliæque edd. *libero dignus, alter ne homine quidem*.

Ne nimis omnia profundamus. Mſ. & Lang. ed. *ne nimis animo profundamus*. al. vet. lib. *ne nimis profundamus*. al. *ne nimis joca profundamus*.

CAPVT XXX.

Reliquiſque belluis antecedat. Sic Mſſ. edd. *reliquiſque beſtiis antecedat*. al. *reliquiſque beſtiis antecellat*.

Occultat & diſſimulat appetitum voluptatis: Mſſ. *occultat & diſſimulat appetitum*.

Itaque victus cultuſque corporis. Mſ. *itaque fructus victuſque corporis*.

Ad virtutem referantur. Mſ. *ad virtutem referatur*.

Atque in omni oratione. al. *atque in omni ratione*.

Quem εἴρωνα Græci nominaverunt. Pal. prim. & Baſilic. Græv. prim. *quem εἴρωνα Græci*. τὸ *nominaverunt* non agnoſcunt.

Contra Pythagoram. Pith. *e contra Pythagoram*.

Themiſtoclem & Pheræum Iaſonem. al. *Themiſtoclem Athenienſem & Pheræum Iaſonem*.

Furere ſe ſimulavit. Pal. prim. *furere ſimulavit*.

Nihil ex inſidiis agere. Mſſ. Grævii & plures alii: *nihil de inſidiis agere*.

Callicratidam. edd. *Callicratidem*.

Præfectus claſſi. al. *præfectus claſſis*.

Alium quemque; quamvis. edd. *alium quidem videmus*. aliter alii. vid. not.

Itemque Q. Mucio Mancia. Sic Mſſ. ſed edd. *Q. Mucio Numantino*, vel *Numantio*. al. *Q. Mucio Mancino*.

Ne Xenocratem quidem. Sic Mſſ. edd. *nec non Xenocratem*.

CAPVT XXXI.

Admodum autem tenenda ſunt. Sic Mſſ. præter plures alios Grævii. Editio prima cum multis: *admodum autem tuenda ſunt*.

Sed tamen propria. Sic Mſſ. Aldi Manutii cum multis, qui eum ſequuntur: *ſed tantum propria*.

Propriam naturam ſequamur. Mſſ. Græv. & alii *propriam noſtram ſequamur*, Pall. *noſtram ſequamur propriam*. Pith. *propriam ſequamur naturam*.

Studia noſtra naturæ regula metiamur. al. *ſtudia noſtræ naturæ regula metiamur*. Pith. *ad ſtudia naturæ regula metiamur*.

Neque etiam attinet. Mſ. *atque etiam attinet*.

Quod aſſequi non queas. Sic Mſſ. Græv. & alii. Vulg. *quod aſſequi nequeas*.

Æquabilitas univerſæ. Lang. edd. *quam æquabilitas univerſæ*.

Si aliorum naturam imitans omittas tuam. Sic Mſſ. Vulg. *ſi aliorum naturam imiteris omittas tuam*.

Iure optimo irrideamur. al. *jure optimo rideamur*.

Mortem ſibi ipſe conſciſcere. edd. *mortem ſibi ipſi conſciſcere*.

Catoni autem cum. al. *Catoni cum*.

Cum incredibilem tribuiſſet natura. Mſ. *cum incredibilem fuiſſet natura*.

Roboraviſſet. Sic Mſſ. edd. *roboraſſet*.

Tyranni vultus adſpiciendus fuit. Pith. *tyranni vultus inſpiciendus fuit*. Mſ. *tyranni vultus adſpiciendum fuit*.

Cum & mulieribus. Mſ. *& cum mulieribus*.

Paſſus eſt Vlyſſes. Mſſ. *paſſus eſt Vlyxes*.

Quam illa perpeti maluiſſet. Sic Mſſ. Græv. Pith. Pall. P. Vict. ed. ſed Vulgg. *quam illa perpeti ab alio maluiſſet*.

Quid

Digitized by Google

Quid quiſque habeat ſui. Pith. *quod quiſque habeat ſ.i.*

Quod eſt cujuſque maxime ſuum. Suum igitur quiſque. Mſſ. *quod eſt cujuſque maxime. Suum igitur quiſque.* al. *quod eſt cuj ſque maxime ſuum. Quiſque igitur noſcat*. Vid. not.

Bonorum & vitiorum. Apud Non. legitur *bonorum & malorum*.

Epigonos, Medumque. edd. *Epigonos Medeamque*.

Clytemneſtram. Pith. *Clytimneſtram.*

Rupilius. edd. *Rutilius*.

Videbit in ſcena, non videbit vir ſapiens in vita, ſic Mſſ. ſed edd. *videbit in ſcena, quod non videbit ſapiens in vita*.

Quæ nobis data non ſint, ſequamur. Pal. prim. *quæ data non ſint aſſequamur*. Auguſt. cod. *quæ data non ſint conſequamur*.

CAPUT XXXII.

Tamquam caſus aliquis aut tempus. duo Mſſ. *tamquam caſus aliqui aut tempus*.

Nobilitates, honores, divitiæ. Pal. prim. & Græv. prim. & tres alii: *nobilitatem, honores, divitias*.

Gerere quam perſonam. edd. *agere quam perſonam*.

In caſu ſita. Pal. prim. *ut ſunt caſu*. Pith. *ut caſu ita*.

Ii ſtudent plerumque eodem in genere laudis excellere. Sic Pall. Græv. pluresque alii. Vulgati: *eorumque plerique in hoc genere laudis ſtudent excellere*.

Qui magna ſibi proponunt. Pith. *qui maxima ſibi proponunt*.

Obſcuris orti majoribus. al. *obſcuris orti parentibus*.

Cum quærimus quid deceat. edd. *cum quærimus quæ deceant*.

Cum eſt maxima imbecillitas conſilii tunc. ed. prim. & Viſt. *cui ineſt m. i. c.* al. *cum ineſt m. i. c. tunc*.

Quam potuit quod optimum. Pith. *quam potuerit quod optimum*.

Nam quod Herculem Prodicium dicunt. edd. *Nam quod Herculem Prodicus dicit*. Pith. *Namque Herculem Prodicium dicit tum*.

Quos cuique viſum eſt. Pal. *quoſcumque viſum eſt*.

Plerique autem parentium. Mſſ. & edd. *plerumque autem parentum*. Vid. not.

CAPUT XXXIII.

Excellente ingenii magnitudine. Pal. prim. *excellentis ingenii magnitudine*. Græv. prim. *excellenti ingenii magnitudine*.

Ex eo modo quo quiſque natus eſt. Quatuor Mſſ. *ex eo quo modo quiſque natus eſt.* vett. edd. & excerpta Pith. *ex eo modo quem quiſque nactus eſt*. ed. prim. *ex eo modo quem quis nactus eſt*.

Multo eſt rei major cura adhibenda. Duo Mſſ. *multo eſt ei cura adhibenda*. Pal. *multo eſt ejus rei cura adhibenda*. edit. Rom. *multo etiam rei cura major*. Græv. prim. *multo eſt ei rei major cura adhibenda*. optime.

Conſtantior: ut fortuna nonnumquam tamquam ipſa mortalis. ed. pr. Mogunt. *conſtantior: ut fortuna nonnumquam ipſa mortalis*. Sic & Græv. ſec. ſed ed. Rom. ſec. *conſtantior quam fortuna nonnumquam tamquam ipſa mortalis*. Mſ. *conſtantior quam fortuna nonnumquam mortalitas cum mortali in natura*.

Conſilium vivendi omne. ed. prim. & Rom. ſec. *conſilium vitæ*.

Morum inſtitutorumque mutatio. Pal. prim. *morum inſtitutorum mutatio*.

Eam mutationem. edd. *eam igitur mutationem* invitis Mſſ.

Quæ minus delectent & minus probent. Mſ. *quæ minus delectent & minus probent*. Probante Guilielmio, me non ſubſcribente.

Senſim diſſuere. Pith. Græv. ſec. & plurimi alii Mſſ. *ſenſim diluere*.

CAPUT XXXIV.

Exque his deligere. edd. *ex hiſque deligere*.

Ineuntis enim ætatis inſcientia. ed. & Græv. uterque Mſſ. *ineuntis enim ætatis inſcitia*.

Dare ſe jucunditati. Pal. prim. *dare jucunditati*. Pith. excerpt. *dare ſe jocunditati*.

Si ejuſmodi quoque rebus majores natu intereſſe velint. Pall. *ſi ejuſmodi quidem in rebus majores natu intereſſe volent*. Duo Guilielm. *ſi ejuſmodi quidem in rebus majores natu nolint intereſſe*. Pith. *ſi in ejuſmodi quidem rebus ma-*

majores natu velint intereſſe. Sic & Græv. prim. niſi quod in fine legatur *intereſſe volent*.

Danda vero opera. Pith. *danda vero opera eſt*.

Cum omni ætati turpis, tum ſenectuti. Pith. *cum omni ætate turpis tum maxime ſenibus*. Græv. prim. *cum omni ætate turpis tum etiam ſenectuti*.

Eſt igitur proprium munus. Pith. & edd. *eſt igitur primum munus*.

Nihil de alio anquirere. P. Vict. ed. *nihil de alieno anquirere*. Vulgg. *nihil de alio inquirere*.

CAPVT XXXV.

Difficilibus ad eloquendum. Mſſ. *difficilibus ad eloquendum rebus*. Alii cum edd. *difficilius ad eloquendum*. P. Vict. ed. *difficilius ad eloquendum eſt*. Pith. *difficile ad eloquendum*.

Sed ſatis erit intelligi. Græv. prim. *ſed ſat erit intelligi*. Mſſ. nonnulli: *ſed ſatis facile poterit intelligi*.

Vt probemur iis. al. *ut probemur ab iis*.

Quibus cum & apud quos vivemus. Græv. prim. & Pith. *quibus cum, apud quoſque vivimus*.

Aſpectum eſſent deformem habituræ atque turpem. P. Vict. ed. *aſpectum eſſent deformem habituræ, atque turpem formam*. edd. & Mſſ. *aſpectum eſſent deformem habituræ atque formam*.

Quodque facere non turpe eſt modo occulte. Pith. *quodque facere lepore non turpe eſt, modo occulte*. Græv. pr. *quodque facere non turpe eſt, modo verum occulte*.

Itaque nec aperta actio illarum petulantia vacat, nec orationis obſcœnitas. Grut. & aliæ edd. *itaque nec aperta actio illarum petulantia vacat, nec oratio obſcœnitate*.

Nominibus ac verbis flagitioſa ducamus. Sic Mſſ. edd. *verbis flagitioſa dicamus*.

Adulterare re turpe eſt. edd. *adulterari re turpe eſt*. Pal. & nonnulli alii Mſſ. *adulterare turpe eſt*.

Ab oculorum auriumque approbatione. Sic Mſſ. Pal. prim. & Græv. prim. *oculorum auriumque approbatione*. edd. *ab ipſa oculorum auriumque approbatione*.

Status, inceſſus. Pith. *ſtatus, inceſſio*.

Accubitio. Sic Græv. pr. ed. Lang. & Fabric. ſed aliæ edd. *accubatio*.

Habet veteri diſciplina verecundiam. Sic Græv. prim. aliique Mſſ. Vulgg. *tantam habet a veteri diſciplina verecundiam*. Aliæ edd. *tantam habet veteris diſciplinæ verecundiam*. Plerique pro *veteri* ſcribunt *vetere*, ſed illud habetur in optimis & vetuſtiſſimis codicibus.

Vt in ſcenam. Mſſ. Lang. *ut in ſcenam*. al. *ut in ſcena*. In Græv primo paullo ante *ſcenicorum*, ſed tamen in eodem *ſcenam*.

CAPVT XXXVI.

Nonnulli geſtus inepti non vacant offenſione. edd. *nonnulli geſtus ineptis non vacant*.

Vtamur in greſſu mollioribus. Non eſt in Palat. prim. *mollioribus*.

Aut in feſtinationibus. Pith. excerpta: *aut ne in feſtinationibus*.

Anhelitus movetur. edd. *anhelitus moventur*.

Ad decoris conſervationem. al. *ad decori conſervationem*.

CAPVT XXXVII.

Rhetorum ſunt, nulla ſermonis. edd. quædam: *Rhetorum ſunt multa, nulla ſermonis*.

Nihil aliud fuit in Catulis. Sic Mſſ. & ed. Victor. ſed alii: *nihil fuit in Catulis*. al. *quid fuit in Catulis*.

Vt eos exquiſito judicio. Pall. *quam ut eos exquiſito judicio*.

Aut putidum. Sic Mſſ. ſed editi multi: *aut nimis putidum*.

Sale & facetiis. ed. nonnullæ: *ſale vero conditur & facetiis*.

Viciſſitudinem non iniquam putet. Sic Mſſ. Pall. Græv. & alii plures. Vulgg. *viciſſitudine nonnumquam utendum putet*.

Vtcumque aderunt res. Mſſ. omnes *utcumque aderunt*, ſine *res*.

Neque enim omnes iiſdem de rebus. Mſſ. quidam: *nec enim iiſdem de rebus*.

Nec omni tempore. Lamb. ed. *nec in omni tempore*.

Sit definendi modus, duo Mſſ. *ſit deſtinandi modus*.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXVIII.

SEd quomodo in omni vita. edd. *ſed quoniam in omni vita*.

Id agendum etiam. Mſ. *id ſatagendum etiam*.

Ad urendum & ſecandum, ſic. Sic Mſſ. ed. Camerar. *ad urendum & ſecandum medici veniunt, ſic.* al. *ad urendum & ſecandum medici, ſic*.

Magna autem parte. edd. quædam *magna autem ex parte*. Fr. Fabrit. & Lamb. edd. *magnam autem partem*.

Ut & ſeveritas. Sic Mſſ. & Vict. ed. Vulg. *ut ſeveritas*.

Nec iis qui adſunt probari. Sic Græv. prim. & edd. Gruterus autem ex Pal. primo edidit: *nec ab iis qui adſunt*.

CAPUT XXIX.

CUjus finis eſt uſus. Nonnulli Mſſ. & editio princeps Romana, *cujus finis & uſus*.

In Palatino. Sic Mſſ. male edd. *in Palatio*.

Suffragata domino, novo homini. P. Vict. Lang. Fr. Fabrit. edd. & nonnulli Mſſ. *ſuffragata novo homini*.

Conſulatum primus attulit. Sic Mſſ. ſed Vulgg. *conſulatum primus intulit*.

Non ex domo tota quærenda. Sic Mſſ. Guilielm. Alii: *non tota ex domo quærenda*. edd. *non domo dignitas tota*.

Non ſua ſolum. Sic omnes Mſſ. ſed edd. ex conjectura Eraſmi: *non ſui ſolum*.

Cujuſque modi. Sic Græv. Pal. & alii Mſſ. Vulgo: *cujuſque generis*.

Heu quam diſpari dominare domino. Mſſ. *& quam diſpari dominare domino*.

Quod quidem his temporibus. edd. quidam: *quod idem his temporibus*.

Cavendum autem eſt. edd. *cavendum eſt etiam*.

In hanc partem. Sic Mſſ. Vulgg. *in hac parte*.

Facta principum imitantur. Mſ. & edit. prima Roman. *facta principium imitantur*;

Cultumque vitæ referenda eſt. Victorii, Lang. & Gruter. edd. nec non quidam Mſſ. *cultumque vitæ transferenda eſt*.

Horum tamen trium. edd. *horum autem trium*.

Præſtantiſſimum eſt. Mſ. *præſentiſſimum eſt*.

CAPUT XL.

HAc autem ſcientia continetur ea, quam. Sic Mſſ. & edd. Victor. & Grut. ſed aliæ: *hac autem ſcientia continet eam*. Lang. ed. *hac autem ſcientia continet ea*.

Non hanc, quam interpretamur. Mſſ. duo *non hac, quam interpretamur*: ſic & nonnulli Mſſ.

Poteſt eſſe eadem prudentiæ. Mſſ. duo *poteſt eadem eſſe prudentiæ*. Pal. prim. *poteſt hæc eadem eſſe*.

Et curam ſimilibus virtutibus. Manut. ed. *& aliis ſimilibus virtutibus*.

De quibus jam diu loquimur. Sic Mſſ. ſed edd. *de quibus jam dudum loquimur*.

In athletarum probatione. edd. *in athletarum approbatione*.

Si quis foro cantet. Græv. prim. *ſi qui in foro cantet*.

Ut in fidibus aut tibiis. Pal. prim. *ut in fidibus tibiis*.

Quamvis paullum diſcrepent. Pith. *quæ quamvis paullum diſcrepent*.

Quam ſonorum concentus. Pith. *quam ſonorum accentus*.

CAPUT XLI.

SI acres ac diligentes eſſe volumus, animadverſoreſque. Mſſ. *ſi acres ac diligentes eſſe volumus animadverſores*. edd. *ſi acres ac diligentes judices eſſe volumus, animadverſoreſque*.

Si quid dedeceat alios. Prim. & Victor. edd. & Pithœan. Mſ. *ſi quid dedeceat in illos*. aliæ edd. *ſi quid dedeceat in illis*. Palat. Mſ. *ſi quid dedeceat alios*. Græv. prim. *ſi quid deceat alios*. al. Mſ. *ſi quid non deceat illos*.

Si quid delinquitur. Rom. prim. *ſi quid delinquatur*. Pal. prim. *ſi quid delinquimus*.

Corriguntur in diſcendo. edd. *corriguntur illi in diſcendo*. Prima & ſecunda ed. Rom. *corriguntur in diſcernendo vitia, quorum*. Pith. excerpt. *corriguntur vitia in diſcendo*.

Doctos

Digitized by Google

Doctos homines. Pith. excerpt. *doctos viros*.

Ad ea eligenda. Pal. prim. *ad ea dirigenda*.

De quoque officii. Sic MSſ. & Victor. ed. ſed edd. *de uno quoque officio*.

Qua de cauſſa quid quiſque ſentiat. Sic Pith. excerpt. al. *qua de cauſſa quiſque ſentiat*. Nonnulli MSſ. & edd. Lang. & Fr. Fabrit. omittunt *quiſque ſentiat*.

Qui ſigna fabricantur. Multi MSſ. & edd. *qui ſigna fabricant*.

Et vero etiam poetæ. edd. *& veri etiam poetæ*.

Ratio tota eſt ejiciunda. Sic MSſ. Græv. prim. Alii *ratio tota eſt ejicienda*.

De rep. ſentientes. MSſ. Græv. pr. *de rep. ſentientis*.

Meritos aut merentes, ſicut aliquo. Sic MSſ. Palatin. prim. & Græv. Alii ut & edd. *meritos aut merentes aliquo*.

Habere dilectum civis. Sic Græv. prim. ſed vulgg. *habere delectum civis*.

In ipſoque peregrino. Sic optimi MSſ. & edd. vulg. *in ipſo quoque peregrini*.

Servare debemus. In multis MSſ. non eſt *debemus*.

CAPUT XLII.

VT portitorum, ut fœneratorum. Hæc ab edit. prima, & Rom. ſecunda, & ſic Guilielm. in omnibus ſuis reperit. Prima Romana: *ut portitorum, fœneratorum* ſeqq. *ut portitorum & feneratorum*, ſic & Græv. prim. ſed recte Guilielm. paullo poſt: *ut medicina, ut architectura*.

Quæſtus mercenariorum omnium. In Palat. primo non habetur *omnium*.

Quod ſtatim vendant. al. *quod ſtatim vendant carius*.

Nihil enim proficiunt. Palat. prim. & Græv. prim. *nihil enim proficiant*.

Nec vero quidquam eſt turpius. Græv. prim. *nec vero eſt quidquam turpius*. al. MSſ. *nec enim quidquam eſt turpius*.

Vanitate opificeſque omnes in ſordida arte. MSſ. Guilielm. *vanitate opifices qui omnes in ſordida arte*. Palat. prim. & Græv. prim. *vanitate opificum, qui omnes in ſordida arte*.

Poteſt habere officina. Græv. prim. *poteſt habere opificina*.

Minimeque hæ artes probandæ. Vocula *hæ* non reperitur in edd. pr. ſed Palat. *minimeque hæ artes probantur*.

Adde hæc. Sic MSſ. Guilielm. Palat. Græv. Victor. ed. vulgg. *adde his*.

Totumque ludum talarium. Palat. prim. *totum ludum tabularium*. Maurit. *totum ludum tablinarium*. Nonnulli edd. *totum ludum talarem*.

Sine vanitate impertiens. Sic prim. Græv. Vulg. *ſine vanitate impartiens*.

Ex quibus aliquid acquiritur. Lang. ed. *ex quibus aliquid anquiritur*. Nonnulli MSſ. *ex quibus aliquid exquiritur*. Græv. prim. *adquiritur*.

Illinc aſſumes. Maurit. Palat. prim. Pith. excerpt. *illa aſſumes*. MSſ. optimus Fabrit. *illum aſſumes*.

CAPUT XLIII.

DIligendo officio. Sic Græv. prim. al. *deligendo officio*.

In omnium rerum affluentibus copiis, quamvis. Sic prim. Græv. Palat. prim. duo Guilielm. edd. Victor. Lang. Fabrit. Grut. ſed vulgati: *in omnium rerum affluentibus copiis ditetur*.

Prudentiam, quam Græci φρονησιν dicunt. Non extat *dicunt* in prim. Græv. & prim. Palat. edit. prima Moguntina, & Romana ſecunda.

Subitum ſit ablatum periculum. Sic prim. Græv. & prim. Pal. edd. *ſubitum ſit allatum periculum*.

Ad hominum caritatem. Sic Græv. & Pal. prim. al. *ad hominum utilitatem*.

CAPUT XLIV.

VTilioreſque rebus ſuis publicis. Aldi Manut. ed. *utilioreſque rebus ſuis publiciſque*.

Ob eamque cauſſam eloqui copioſe, modo prudenter. Sic duo Guilielm. & prim. Græv. Palat. prim. niſi quod is *modo & prudenter*. Vulg. *ob etiam cauſam eloqui copioſe, modo prudenter*. ed. Victor. *Ob eamque etiam cauſam e. c. m. p.*

Suam intelligentiam prudentiamque al. *ſuam ſapientiam, prudentiam intelligentiamque*.

Apium examina. Sic MSſ. Vulgg. *apum*

apum examina.

Agendi, cogitandique ſollertiam. Mſſ. nonnulli: *agendi congregandique ſollertiam.* al. *augendi congregandique.*

CAPVT XLV.

QVædam ita fœda, partim flagitioſa. Sic Mſſ. Vulg. *quædam partim ita fœda, partim ita flagitioſa.*

Non ſuſcipiet reipublicæ cauſa. Vulgg. *non ſuſcipiet quiſquam reipublicæ cauſa.*

Ne res quidem publica. Vulgg. *nec res quidem publica.* Pal. prim. & unus Aldi: *nec res quidem publica.*

Sed hoc commodius ſe res habet. Sic Mſſ. Vulgg. *ſed & hæc commodius ſe res habet.*

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

VT hæc officiorum genera perſequar. Mſſ. duo Manut. *ut hæc officiorum genera perſequamur.*

Reſpublica per eos gerebatur. al. *reſp. per eos regebatur.*

Omnis meas curas. Sic Mſſ. al. *omnes meas curas.*

Angoribus dedidi. al. *angoribus dedi.*

Non tam commutandarum rerum, quam, *rerum* non eſt in Palat. prim.

Honeſtiſſime moleſtias deponi poſſe. Mſſ. multi & edd. *honeſtiſſime deponi poſſe.*

Amicorum & reip. temporibus. Mſſ. & edd. *amicorum & reip. temporis.* Græv. & Pal. prim. *amicorum & reip. tempori.*

CAPVT II.

HAnc igitur qui expetunt. Tres Mſſ. Guilielm. & Pal. ſec. *hanc igitur qui exſpectant.* Rom. prim. *hanc qui expetunt.* Roman. ſec. & Mogunt. *hanc qui expetunt igitur.*

Ratio conſtantiæ virtutiſque ducitur. edd. *ratio conſtantiæ virtutiſque quæritur.*

Cum ab hoc diſcendi genere. edd. *cum ab hoc dicendi genere.*

Nec habeat umquam, quid ſequatur. Sic Mſſ. Gruter. ed. al. *nec habet umquam quod ſequatur.*

Contra alia non probabilia eſſe. ed. *contra alia improbabilia eſſe.* Nonnulli Mſſ. & edd. Lang. & Fabr. *contra alia eſſe.*

Finitima noſtris. Mſſ. *finitumæ noſtris,* notante Guilielmio, qui & ſic Ciceronem ſcripſiſſe putat, quod primus Iul. Cæſar vocali tertia ſit uſus, Quinctiliano teſte.

CAPVT III.

ELigendi judicium. Pith. exc. *deligendi judicium.*

Honeſtatis pars confecta eſt. Mſſ. & edd. nonnullæ *honeſtatis pars perfecta eſt.*

In quo lapſa eſt conſuetudo. Mſſ. & edd. plerique: *in quo verbo lapſa eſt conſuetudo.*

Idem juſtum. al. *id eſſe juſtum.*

Quod qui parum perſpiciunt. Manut. & al. edd. *quod qui parum proſpiciunt.*

Ad eam ſpem traducenda. edd. aliquot: *ad eam ſpeciem traducenda.*

His excerptis, homines hominibus obeſſe plurimum. ed. Lang. delet *his exceptis.* Aliæ edd. *his exceptis, homines hominibus obeſſe plurimum, & prodeſſe.*

Nec ferrum æs, aurum, argentum effoderetur penitus abditum. al. *nec ferrum, aurum, æs, argentum effoderentur penitus abdita.*

CAPVT IV.

POſtea ſubveniri. Plerique editi: *poſtea ſubvenire.* Mſ. *poſtea ſummuniri.*

At ductus aquarum. Sic Mſſ. tres. al. & in editis: *adde ductus aquarum.*

Quæ unde ſine hominum opera habere poſſemus. prim. Græv. Palat. duo Guilielm. edd. vett. *quæ unde ſine hominum opere habere poſſemus.* Vulgati: *quæ non ſine hominum opera habere poſſemus.* Editio vetus: *quæſo unde ſine hominum*

Digitized by Google

minum opera habere poſſemus. Nonnulli Mſſ. *poſſimus*.

Quæ ſunt inanimæ. Vulgg. *quæ ſunt inanimata*.

Ab eiſdemque & ex quæ nocent. Sic Græv. prim. (niſi quod *ea* pro *ex* in illo ſcribatur) excerpta Pithœana & multi alii, nec non ed. prim. Mogunt. & Rom. Vulgg. *ab iis denique & ex quæ nocent*, quod non rejicerem, niſi meliores obſtarent libri: *denique* enim Ciceroni ſæpe eſt, ut uno verbo dicam.

Quis enim ægris. Mſ. *quid enim ægros*.

Niſi tam multæ nobis artes miniſtrarent. al. Mſſ. *niſi tam multæ nobis artes miniſtrarentur*.

Certaque vivendi diſciplina, quas res & manſuetudo. Sic optimi Mſſ. & edd. Vulgati autem: *certaque vivendi diſiplina, per quas bene beateque vivitur, quas res*.

Mutandiſque facultatibus, al. *permutandiſque facultatibus*.

CAPUT V.

NEque ducem belli, al. *neque ducem bello*, al. *neque ducem in bello*.

Sine adjumentis. Pal. prim. *ſine adjuvamentis*.

Primum hoc ſtatuo eſſe virtutis. Sic Græv. & Palat. prim. edd. & alii Mſſ. *proprium hoc ſtatuo eſſe virtutis*.

Artibus ea tribuuntur operoſis, Græv. prim. *artibus ea tribuuntur operoſis*.

Virorum præſtantium ſapientia, ac virtute excitantur. Pal. prim. *virorum ſapientium, & virtute præſtantium excitantur*. Palat. ſec. *exercitantur*.

Ex quo quidque gignatur. Sic Græv. & Pal. prim. Vulgg. *ex quo quoque gignantur*.

Quæ cujuſque rei cauſa ſit. Mſſ. nonnulli, *quæ cujuſque rei ſit cauſa*.

Per eoſdemque. Sic Græv. & Palat. prim. ac tres Guilielm. Vulgg. *per eos denique*.

CAPUT VI.

CUm proſpero flatu ejus. Mſ. Pal. *cum proſpero fluctu ejus*.

Pervehimur optatos. Mſſ. & edd. multæ: *provehimur optatos*.

Sine hominum opibus & ſtudiis. Vulgg. *ſine hominum operibus & ſtudiis*.

Spe largitionis promiſſiſque capti. Vulgg. *ſpe largitionis promiſſioniſque capti*, al. *ſpe largitionis promiſſionibuſque capti*.

CAPUT VII.

OMnium autem rerum, al. *rerum autem omnium*.

Pertulit civitas, paret quæ cum maxime mortuo, interitus. Vulgg. *pertulit civitas, interitus*: quam varie hic locus legatur in antiquis libris, vide in notis.

Reliquorum ſimiles exitus. Pal. prim. *reliquorum exitus*.

Interitum talem effugit, al. *interitum ſimilem effugit*, unus Mſ. *talem exitum effugit*, ed. Lang. & quidam Mſſ. *quorum haud fere quiſquam effugit*.

Malus enim eſt cuſtos. Sic Mſſ. & Lang. ed. Vulgati: *malus enim cuſtos*.

Benevolentia fidelis vel ad perpetuitatem. Sic Græv. prim. & ed. Lang. Vulgg. *benevolentia fidelis eſt vel ad perpetuitatem*.

A quibus metuentur. Mſſ. *metuantur*. Vulg. *a quibus metuuntur*.

Compunctis notis Threiciis. Mſſ. *compunctus notis Threciis*, al. *compunctus notis Threcidicis*, al. *compuctus notis Threciis*.

Diſtricto gladio. Mſ. *deſtricto gladio*.

Qui ſcrutarentur arculas. Mſſ. multi, *qui preſcrutarentur arculas*, al. *qui perſcrutarentur arculas*.

Occultaretur telum. In Pal. prim. non eſt *telum*.

Stigmatiam putaret. Sic Mſſ. Vulgg. *ſtigmaticum putaret*.

Nec eum fefellit. Sic Mſſ. Vulgg. *nec eum fefellit opinio*.

In quem univerſa. Nonnulli libri: *in eum univerſa*.

Spectatoreſque ſe otioſos. Palat. prim. *ſpectatores otioſos*.

CAPUT VIII.

POpuli Romani beneficiis. Pith. excerpt. *publicæ rei beneficiis*.

Bella aut pro ſociis. Pith. excerpt. *bella ſed autem*.

Locupletum. Pal. prim. *locupletium*

Diligi maluimus, al. *diligi malumus*

Digitized by Google

Quid debent putare ſinguli. Palat. prim. *quid debetur putare ſingulis*. Pal. ſec. *quid deberent putare ſinguli*.

Metus imbecillam, al. *metus imbecillem*.

Ad cujuſque vitam inſtitutam. Sic Mſſ. & ed. prima. Vulg. *ad cujuſque vitam inſtituendam*.

Idque primum, al. *id quod & primum*.

Si cui hæc ſuppetunt, edd. *ſicut hæc ſuppetunt*.

CAPUT IX.

SI eſt ſimpliciter. Pith. *ſic eſt ſimpliciter*.

Quibus rebus pariuntur a ſingulis. Pal. prim. & Auguſt. *quibus rebus parantur a ſingulis*, al. *quibus rebus patiuntur a ſingulis*.

Alius quidem aditus. Mſ. *ſed eſt alius quidam quoque aditus*.

Beneficiis capitur maxime, edd. *beneficiis capitur maximis*.

Commovetur ipſa fama. Pithœan. *commovetur a famæ ipſa*.

Et ad facilitatem. Sic Pith. Vulgg. *ac facilitatem*.

Quod honeſtum decorumque dicimus. Vulgg. *quod decorum honeſtumque dicimus*.

Maximeque perlucet. Duo Mſſ. *maximeque prolucet*. In uno *perlucet* non legitur.

Atque hæ quidem cauſæ. Sic Mſſ. & prim. edd. Vulgg. *atque hæ quidem ſunt cauſæ*.

Poſſunt enim præterea nonnullæ eſſe leviores. Hæc verba non habentur in Palatino primo, mallet Gruterus ea expungi.

Hanc enim utilem omnes exiſtimant. Pith. exc. & multi Mſſ. *hanc enim utilem homines exiſtimant*.

CAPUT X.

ALios fortes, alios bonos viros. Pith. exc. *alios fortes, alios honeſtos viros*.

Eos contemnunt quidem neutiquam. Pal. ſec. *eos contemnunt quidem numquam*. Vulgg. *haud eos contemnunt quidem*.

Qui nec ſibi nec alteri, ut dicitur. edd. *qui nec ſibi nec alteri, ut dicitur, proſunt*. Pith. exc. *qui nec ſibi nec alii, ut dicitur*.

Anteire ceteros virtute. Pith. *anteire ceteris virtute*.

Admiratione afficiuntur ii. Sic Pall. Guilielm. & ed. prim. ſed aliæ edd. *admiratione quadam afficiuntur*, al. *admiratione autem afficiuntur*. Lamb. ed. *admiratione afficiunt ii*.

Totos ad ſe convertit. Pith. *totos ad ſe non vertit*.

CAPUT XI.

HÆc animi deſpicientia, al. *hæc animi proſpicientia*.

Mirifica quædam multitudini, al. *mirifica quædam res multitudini*.

Ut habeas qui eum poſſis. Pith. exc. *ut habeat, qui eum poſſit*.

Furatur aliquid. Alii: *clam furetur aliquid*.

Aut interficiatur a ſociis, aut relinquatur, edd. *aut interficietur a ſociis aut relinquetur*.

Prædæ partitionem. Mſſ. nonnulli: *prædæ portionem*.

Bargulus Illyrius, al. *Bargulus Illyricus*.

Et inſtituta reip. Mſſ. complures *& conſtituta reip.* duo Mſſ. *& in conſtituta reip.* al. Mſ. *& in conſtituta rep.* al. Mſ. *& judicia inſtituta reip.* ed. prim. Rom. *& judicia conſtituta reip.*

CAPUT XII.

FRuendæ juſtitiæ, al. *ſervandæ juſtitiæ*.

Premeretur inops multitudo. Vulg. *premeretur initio multitudo*. Mſſ. *premeretur in otio multitudo*.

Prohiberet injuria tenuiores. Pal. prim. & Vict. ed. *prohiberet injuria tenuioris*: nimirum ſic ſcribebant veteres pro *tenuiores*.

Pari jure retinebat. Mſſ. *pari jure pertinebat*.

Et ficto non modo ſermone. In nonnullis Mſſ. deeſt *&*.

Familia contenti erimus una. In duobus Mſſ. abeſt *una*.

Mortui numerum obtinent. Car. Lang. & Gruter. edd. *mortui nomen obtinent*.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

ATque in eum quid agat, edd. vett. *atque in eo quid agat.*

Quemadmodum vivat anquiritur. Sic edd. & Mſ. Vulgg. *quemadmodum vivat inquiritur.*

Ita nullum obſcurum poteſt nec dictum ejus. Mſ. Pithœan. *ita ut nullum obſcurum poſſit nec dictum ejus.*

In hominum ignoratione. Pith. exc. *in hominum ignorantia.*

Quia non modo non invidetur. Pall. *quia non modo non videtur.*

Omni militari labore tolerando. Sic Mſ. & edd. Viſt. Lang. ſed Vulgg. *omniaque militari labore tolerando.* Pith. exc. & nonnullæ edd. *omnem militarem laborem tolerando*, al. *omnia militari labore tolerando.*

Sed de genere toto. Pith. exc. *ſed de hominum genere toto.*

Laude affici ſolent. Pith. exc. & Vulgg. *laudibus affici ſolent.*

Ut de Demoſthene accepimus. Pith. excerpt. & vulgg. *ut Demoſthenem accepimus.*

Optime jam facere, edd. *optime jam præmeditatum facere.*

Quod etiam tum. Pith. exc. *quia etiam tum.*

CAPUT XIV.

ORationis majorem vim habeat ad gloriam. Sic Mſſ. & ed. princeps Moguntina. Nonnullæ poſteriores: *orationis plurimum poſſit & majorem vim habeat ad gloriam*, alii aliter: vide notas.

Blande appellando deliniant. Vulgg. *blande appellando ſermone deliniant*, edd. vett. *blando appellando ſermone del.*

Ea ſæpe univerſam excitat. Vulgg. *ex ſæpe univerſam excitat gloriam*, al. *ea ſæpe univerſam excitat turbam.*

Miſta modeſtiæ gravitas. Pith. exc. *miſta modeſtia & gravitas.*

Cum ſint plura cauſarum. Vulgg. *cum ſint plurima cauſarum.*

Ut ii, quos ante dixi, aut ulciſcendi. Hæc verba ex Mſ. reſtituit Langius In ceteris libris & editionibus. excepta Franciſci Fabritii, deſiderantur.

Pro Sardis: pro M. Albutio Iulius, al. *pro Sardis, pro M. Albutio Iulius Cæſar.*

In accuſando etiam M' Aquilio. Vulgg. *in accuſando Manlio*, al. *in accuſando Manilio*, al. *in accuſando M. Aquilio.*

Iudicio capitis arceſſas. Mſſ. *in judicio capitis arceſſas.* Vulgg. *in judicium capitis arceſſas.*

Habendum eſt religioni, edd. nonnullæ: *habendum eſt religioni contrarium.*

Nocentem aliquando, modo ne nefarium. Plerique Mſſ. & edd. *nocentem aliquando & nefarium.*

CAPUT XV.

ALtera ex area, male has voces emiſit editio C. Langii.

Præclare epiſtola quadam. Sic Mſſ. al *præclare in epiſtola quadam.*

Quæ te, malum, inquit, ratio in iſtam. Mſſ. *quid te malum, inquit in iſtam*, al. *quod te malum, inquit, rationis.*

Bene miniſtrum & præbitorem. Hæc verba in vett. edd. deſiderantur.

Cum & idem qui conſueverunt, edd. vett. *cum iidem & qui conſueverunt.*

CAPUT XVI.

ALteri prodigi, alteri liberales. Sic Mſſ. ſed Vulgg. *alteri prodigi dicuntur, alteri liberales.*

Gladiatorum muneribus. Pal. prim. *gladiatoriis muneribus.*

Vel in re quærenda. *Vel* non eſt in duobus Mſſ. Manutii. Græv. prim. *in re vel quærenda.*

Cujus pauca exempla poſui. Sic Græv. prim. duo Manut. ſed al. *cujus exempla pauca poſui.*

Gravius & verius nos reprehendit. Pith. *gravius & verius hos reprehendit.*

Effuſiones non admiremur. Pith. *effuſiones admirentur.* Græv. prim. *effunſiones non admiretur*, unus Manut. *non admirentur*, editi nonnulli: *non demiremur.*

At ii, qui cum ab hoſte obſidentur. Sic Mſ. prim. Græv. edd. *at ii, qui ab hoſte obſidentur.*

Aquæ ſextarium mina cogerentur. Pal. prim. *aquæ ſextarium mina argenti cogantur.*

Digitized by Google

Hoc primo auditu incredibile. Sic prim. Græv. Vulgati: *hoc primo incredibile*.

Incredibile nobis videri: multi editi: *incredibile videri*.

Ipſa illa delectatio multitudinis. Sic Mſſ. Alii cum edd. *ipſa illa delenitio multitudinis*.

Sit ad breve tempus exiguumque. Sic Mſſ. Vulgg. *ad breve tempus exiguumque duratura ſit*.

Eaque a leviſſimo quoque. Vulgg. *eaque a leviſſimo quoque animo*.

Inveteraſſe jam a bonis temporibus. Sic multi Mſſ. & edd. al. *inveteraſſe jam bonis temporibus*, prim. Græv. & Pal. prim. *inveteraſſe etiam bonis temporibus*.

Multi poſt, Luculli. Sic quidam Mſſ. Alii *multi poſt Lucullus*. Græv. prim. *multi poſt Lucullum*.

CAPUT XVII.

Homini ditiſſimo, al. *homini divitiſſimo*.

Marco quidem Seio. Mſſ. nonnulli: *M. quidem Sergio*.

Divitiſſimo homini. Sic Mſſ. Vulgg. *ditiſſimo homini*.

In caritate aſſe. Sic Mſſ. Vulgati: *in caritate annonæ aſſe*.

Quod gladiatoribus emtis. Pith. exc. *qui gladiatoribus emtis*.

Mediocritatis regula. Mſ. *mediocritas regula*.

Dicebat idem C. Curio. Pith *dicebat idem Cotta Curio*, al. Mſ. *dicebat idem Quotta Curio*, al. *dicebat idem cotam Curio*. Græv. prim. *dicebat item Cotta Curio*. & ſic Vulgati, niſi quod *idem* ſcribant.

Sumtus ædilitatis fuit. Græv. Mſ. *ſumtus ædilitatis evitat*.

Omniaque quæ ad uſum reip. Car. Lang ed. *omnia que ad uſum reip.*

Doctiſſimi non probant, edd. *doctiſſimi improbant*.

In his libris ſecutus ſum. Græv. prim. & Pall. *in* prætermittunt.

CAPUT XVIII.

Propenſior benignitas eſſe debebit. Pith. exc. *propenſior benignitas eſſe debet*.

Reſtricti omnino eſſe. In nonnullis edd. & Mſſ. deeſt *omnino*.

Nullo modo debemus. Pith. exc. *non debemus*.

Gratiſſima eſt liberalitas. Pal. *graviſſima eſt liberalitas*.

Ut iis beneficiis quam plurimos, edd. vett. *ut hos beneficiis quam plurimis*.

Quod ſummi cujuſque bonitas. Pith. *quod ſummi cujuſque viri bonitas*.

Quorum memoria liberis poſteriſque prodatur. Pith. *quorum memoria liberalis poſteris etiam prodatur*.

In deterrenda liberalitate. Mſſ. nonnulli: *in deterrenda liberalitate*. Pith. excerpt. *in deſerenda liberalitate*.

Quod quidem vulgo ſolitum. Græv prim. *quod quidem volgo ſolitum*.

Largitioni munerum longe antepono. Sic Græv. Pith. aliique Mſſ. & Vict. ed. male delet Manutius *longe*.

Illa quaſi aſſentatorum. Pal. prim. non agnoſcit *quaſi*, quod tamen eſt in Græv. primo aliiſque.

Vicinitatibus & confiniis, edd. *in vicinitatibus & confiniis*. Nonnulli Mſſ. *vicinatibus & confiniis*, duo alii Manut. & excerpt. Pith. *vicinantibus & confiniis*. Græv. prim. *vicinitatibus & confinibus*.

Æquum & facilem; prim. Græv. *æquom & facilem*, ut paullo ante *volgo*.

De jure ſuo cedentem, edd. *de jure ſuo concedentem*.

Quam quidem dilabi. Vict. ed. & Mſ. *quam quidem delabi*.

Hominum illuſtrium, prim. Græv. *hominum inluſtrium*.

In villam ſuam divertiſſet. Græv. prim. *devertiſſet*.

CAPUT XIX.

Quid enim eloquentia præſtabilius. Sic Græv. prim. aliique. Vulgg. *quid enim eloquentia laudabilius & præſtantius*.

In toga dignitatis. Sic Pal. Græv. prim. & alii editi: *in tota dignitatis*.

Qui aut conſuluntur. Sic Græv. prim. Pith. exc. & alii Mſſ. Vulgati: *qui aut conſulunt*.

Ut animum advertant. Sic Græv. prim. & Pal. prim. edd. *ut animadvertant*.

CAPVT XX.

IN eum fere voluntas noſtra. Pith. excerpt. *in eo fere voluntas noſtra*.

Non reddidiſſe, qui reddiderit, edd. *non reddidiſſe, & qui reddiderit*.

Honoratos beatos putant. Sic MSſ. ſed edd. *honoratos & beatos*.

Atque etiam a ſe. Pith. exc. *eque etiam a ſe*, & ſic edd. Gruter.

A ſe aut poſtulari, aut exſpectari aliquid. Græv. prim. *a ſe poſtulari, aut exſpectari*.

Videndumque illud eſt, quod, edd. *videndumque illud item, quod*: vid. Manut.

In illo uno. Græv. prim. & ſeptem Man. *in uno illo*.

Manet gratia, edd. *maneat gratia*, duo Manut. *remanet gratia*.

An minus probato, ſeptem Manut. *aut minus probato*.

CAPVT XXI.

EOrum autem ipſorum partim; edd. quidam: *eorum autem ipſorum quædam partim*.

Danda eſt opera omnino. Græv. prim. *danda opera omnino*.

Magna largitio, edd. vett. *magna largitio fuit* invitis libris.

Publice deminutio fiat. Palat. prim. & Græv. prim. *publice minutio fiat*.

Vt ſua tenerent, multi MSſ. & edd. *ut ſua tenerentur*, al. *ut ſua tuerentur*.

Sin qua neceſſitas. Sic Græv. prim. aliique MSſ. ſed edd. *ſin quæ neceſſitas*.

Malo enim, quam noſtræ ominari. Sic MSſ. ſed editi: *malo enim alii, quam noſtræ ominari*, al. *malo enim alteri quam noſtræ ominari*.

Neque tamen de noſtra, edd. nonnulli: *neque tantum de noſtra*.

Tantum locus attingendus fuit. Sic MSſ. ſed edd. *tamen locus attingendus fuit*.

Næ illi multa ſecula exſpectanda fuerunt. Sic MSſ. niſi quod pro *næ* habent *ne*, ut & Græv. prim. ſed edd. *nec illi quidem multa ſecula exſpectandum fuit*: in Græv. primo pro *ſecula* ſcribitur *ſecla*.

Ad illa tempora me fortuna reſervaviſſet, al. MSſ. & edd. *ad illa tempora me fortuna ſervaviſſet*, ſeptem MSſ. *ad illa tempora me fortuna reſervaſſet*, al. *ad illa tempora fortuna me ſervaſſet*. In uno libro deeſt *me*.

Tum eſſem natus, edd. *tunc eſſem natus*.

Siquidem in illo tantum fuit roboris. In optimo Grævii *roboris* non legitur.

Nondum centum & decem anni. MSſ. *nondum enim centum & decem anni*.

CAPVT XXII.

TAntam in ærarium pecuniam. Sic MSſ. edd. *tantum in ærarium pecuniam*.

Pecuniam invexit. Pith. exc. *pecuniam intulit*.

Nihil in domum ſuam intulit. MSſ. *nihil domum ſuam intulit*.

Numquid copioſior. Græv. prim. *num qui copioſior*.

Nullum igitur vitium detrius. Sic nonnulli MS. ſed Græv. prim. & ſept. alii: *nullum igitur vitium detrius eſt*, edd. *nullum igitur vitium eſt detrius*. Pith. exc. & unus Manut. *nullum igitur vitium deterius eſt*. In meo primo eraſa eſt vox in contextu, in margine vero alia manus adſcripſit: *tetrius*.

Principibus rempublicam gubernantibus. MSſ. *principibus & reip. gubernatoribus*, edd. *principibus & remp. gubernantibus*.

Se populares volunt. Vulgg. *ſe populares eſſe volunt*.

CAPVT XXIII.

AC propter hoc injuriæ, edd. & MSſ. *at propter hoc injuriæ*.

Exque eo tempore. Sic duo MSſ. edd. *ex quo eo tempore*, al. *ex eoque tempore*: vid. not.

A Lacedæmoniis profectæ, duo MSſ. *a Lacedæmoniis profecta*.

Iure laudatur. Pith. exc. *jure laudabitur*.

Vrbe eſt potitus, multi MSſ. *urbem eſt potitus*.

Tyrannum Nicoclem. Græv. prim. *tyrannum Niclodem*, vid. Manut.

Cui cum expoſuiſſet. Pith. exc. & alii nonnulli, *qui cum expoſuiſſet*.

Perfecitque æſtimandis, edd. *prefecitque æſtimandis*.

Æſtimandis poſſeſſionibus perſuaderet

ret aliis..Sic Mſ. edd. *æſtimandis poſſeſſionibus, ut perſuaderent aliis*.

Sapientia boni civis, edd. *ſapientia ſummi civis*.

Commoda civium non divellere. Sic Mſ. ſed Vulgg. *commoda civium defedere, non divellere*.

Quid eſt aliud aliis. Mſſ. nonnulli: *quid eſt aliud, niſi aliis*, al. *quid eſt aliud quam aliis*.

CAPVT XXIV.

NOn ſi fuerit, tres Mſſ. *ſi non fuerit*. Tres: *ſi non hoc fuerit*.

Numquam vehementius, edd. *numquam enim vehementius actum*.

Hoc tantum malum. Mſſ. *hoc totum malum*. Pal. prim. *ut tum hoc malum*.

Solvendi neceſſitas. Pal. prim. *vendendi neceſſitas*.

Hic nunc victor, tum quidem victus. Mſſ. & edd. *hic noſter victor, tum quidem victus*: vid. not.

Propter humilitatem, edd. *propter imbecillitatem*.

Vel tenenda, edd. vett. *vel tenda*. Pal. prim. *vel utenda*.

Magnam ſibi adipiſcentur. Pithœan. *magnam ipſi adipiſcentur*.

Duo præterita cenſet eſſe a Panætio, edd. vett. *duo præcepta cenſet eſſe a Panætio prætermiſſa*. Pith. *duo prætermiſſa cenſet eſſe a Panætio*.

Obſervatione quæ res. Sic Mſſ. edd. *obſervatione earum rerum quæ*.

CAPVT XXV.

EX quo genere comparationis. In Pal. prim non eſt *comparationis*.

Male paſcere. Nonnulli Mſſ. & edd. Vict. *bene veſtire*. Vnus Mſ. & ed. Lang. *bene vitire*.

Ad medium Ianum. Pith. *ad Ianum medium*.

Sunt tamen ea. Pithœan. *ſunt tantum ea*.

FINIS TOMI I.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google